


7.a.4.-4



100 40
Certa
MADE IN SPAIN



del Collegio della Compagnia di Gesù di Trinità da BBg
R 1263

CONCURSUS DEI PRÆVIUS, ET EFFICAX

Necessariò cohærens cum libero arbitrio humano
à necessitate libero.

*Ex Sacra Scriptura, Conciliis, SS. Patribus, & Ecclesiæ Do-
ctoribus, præsertim Augustino, & Thoma de promptus,
explanatus, & invictissima omnium Aucto-
ritate à calumniis vindicatus.*

O P U S

CIRCA EFFICACIAM INTRINSECAM GRATIÆ.

Celebriores hujusce nostri temporis quæstiones; debellatam Janfenii,
& Quesnelli Hæresim; & justissimè Sacrosanctâ Constitutio-
ne, quæ incipit *Unigenitus* à SS. D. CLEMENTE XI.
felicis recordationis edita, damnatam;

*Infallibilem Summi Pontificis in rebus Fidei definiendis Auctoritatem; Nullitatem
Appellationis ad futurum Generale Concilium; Vera Thomistarum principia,
germana Recentiorum placita, omnium rationes, tum affirmantium,
tum negantium fidelitèr, & dilucidè exhibens.*

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
BENEDICTO XIII.
PONT. OPT. MAX.

CONSECRATUM.

AUCTORE R. P. FR. CAJETANO BENITEZ DE LUGO

Provinciae Hispaniæ Sacræ Theologiæ Magistro, Conventus Sancti Stephani Sal-
manticensis Filio, & Rm̃i P. F. THOMÆ RIPOLL Ordinis Præ-
dicatorum Generalis Magistri Hispaniæ Socio.



R O M Æ

Ex Typographia Rochi Bernabò in vico ad Muratas, Anno MDCCLXXX.

PRÆSIDUM PERMISSUM.



SANCTISSIME PATER.



*Um Te Dominus gratiæ suæ præci-
puo munere in Sede Apostolica ad Orbis, & Urbis
felicitem, nostrumque eximium decus collocave-
rit, decebat maximè, ut Tractatus iste, quem in
laudem gloriæ gratiæ Dei, ut verbis utar Apostoli
ad Ephes. 1. v. 6. elaborandum suscepi, is qualis,
qualisve sit, ad Sanctitatis Tuæ pedes ultrò, citò-
que convolaret; non eo communi tantum nomine,
quod Sanctitati Tuæ omnes devoventur amores,*

omnium animi, & omnium studia consecrantur; quia omnium ingeniorum conatus, & lucubrationes, & provocas sapientia, & amplecteris clementia; sed eò potissimum, quia nulli, si quid hujus laboris mei est pretii, nisi Tibi debetur; quem, verè, & ingenuè fateor hujus cogitationis meæ auctorem, hortatorem, & jussorem, dum in litteris Demissas preces, quas pro Tuâ benevolentia destinavit pietas Tua ad Fratres Ordinis Prædicatorum, nedum elucet magnus, & singularis erga D. Thomam amor, in S. Doctõris laudes excurrens; sed etiam ejusdem Angelici Doctõris Doctrinæ vindicationem instanter nobis his verbis commendas: Pergite porrò Doctõris vestri opera Sole clariora, sine ullo prorsus errore conscripta, quibus Ecclesiam Christi mira eruditione clarificavit inoffenso pede decurrere, ac per certissimam illam Christianæ Doctrinæ regulam sacrosanctæ Religionis veritatem, incorruptæque disciplinæ sanctitatem tueri, ac vindicare. Hæc insignis animi tui significatio sufficit, ut diuturnum nostrum silentium resolvat in panegyrim. Detrahit Divi Thomæ laudibus quisquis te sic præcipientem audit otiosus. Quare depulso timore, excussa dubitatione, documentum meæ in Te submissæ voluntatis edere constitui, ut quam doctrinam, de gratia præsertim, per se, & ab intrinseco efficaci, ac de gratuita prædeterminatione ad gloriam, quam verbo Dei, Summorumque Pontificum, & Conciliorum

de-

decretis, & PP. dictis consonam esse prædicas; hanc ego pro meo erga Sanctitatem Tuam amore, evidentissimis Sacræ Scripturæ, Summorumque Pontificum, Conciliorum, & SS. PP. testimoniis, eisdem consonantem ostenderem, ut hæc D. Thomæ Doctrina, quæ Te in Ecclesia Regnantem habuit laudatorem, sua à Discipulis in posterum non fraudetur commendatione.

Scripturam hanc elegi, & hoc mirabilis, profundissimi secreti argumentum arduum, labore, & periculo plenum, quod & Apostoli mentem transtulit in stuporem, & admirationem ad Rom. II. O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei! Quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Non quod singulare quid in me agnoverim, sed quia tractandis curiosis questionibus non est tempus his, qui salutis, & Ecclesiæ utilitati studere debent; quod sanè rebus gravioribus impendere, necessarium dixit Augustinus de Genes. ad litt. lib. 2. Quibus ineundis, atque tractandis, nec jam mihi tempus est, nec illis esse debet, quos ad salutem suam, & Sanctæ Ecclesiæ necessariam utilitatem cupimus informari. Nefas ergo esset filere me his miseris temporibus, quibus pugna hujus Doctrinæ incalescit magis; dum à plurimis, S. Doctõris, voluntate propria in examen Doctrina vocatur; oppugnatur falsitate, nè dicam, obruitur; & dum tot refractarii fervidi

Jan-

*Jansenii Discipuli, ut eadem odiosa, & hæretica
consectaria sustineant, adversus Sedem Aposto-
licam injurii, & impudentissimi calumniatores,
non solum inconsideratas voces intrepidè emit-
tunt; sed etiam schisma in Ecclesia, sua à Sum-
mo Pontifice ad Concilium Generale appellatione
concitare intendunt. Jure ergo optimo, Sanctis-
sime Pater, in hoc rerum eventu, & opus hoc
elaborandum duxi, & illustri, ac æterno Nomini
Tuo inscribendum decrevi, quem omnis venera-
tur Orbis supremum omnium fidelium Magi-
strum, ac infallibilem credendorum regulam,
quem Oriens, & Occidens omni prosequuntur
laudum genere, & qui ad meridiem, & septen-
trionem vergunt Te eisdem festivis acclamant
laudibus, ut opus hoc, quod tenuitate ingenii
mei obscurissimum semper erit, fulgore tui claris-
simi Nominis collustretur; & quod ob mei imbe-
cillitatem, auctoritate penitus est destitutum, ad
aliorum profectum, firmissimo benevolentie Tue
præsidio roboretur, quem Deus donavit nobis ad
universum Ordinis nostri solatium, incrementum,
& felicitatem.*

*Ob felix, nimiumque felix Prædicatorum fa-
milia, quæ Te summo, vetustissimoque Dynasta-
rum genere natum, atque in ipso juventutis flore
ab amplissimæ Ditionis dominio, ad quod nature
jure vocabaris, refugientem, inter suos Alumnos
adscivit, & in quo uno vitam, quam primus illius*

Pa.

*Parens D. Dominicus Napoleoni Ursino majori
tuo è vivis jam sublato effusis ad Deum precibus
impetravit, tanquam in Patre, pro singulari, quo
flagras erga eam amore, proque tantis eidem
collatis beneficiis, sibi restitutam gloriatur. Fe-
lix, iterum dico, Prædicatorum Ordo, qui Te
jam sedentem in Apostolico Throno adorat ut
Patrem. Inventus, Sanctissime Pater, tantæ digni-
tatis fastigium ascendisti. Pontificii Solii præ-
minentiam, & honorem respuisti omni ardore,
omni studio electioni pro virili repugnans, ad
exemplum illius Summi Pontificis Gregorii Ma-
gni, quem totis viribus renitentem Clerus, Se-
natus, Populusque Romanus sibi concorditer, se
indignum tali honore clamantem, Pontificem ele-
git; & cum ex fuga nascatur honor, hoc Tibi,
& Gregorio Magno honorificentius fuit, hono-
rem fugere, quam præsumere summi Sacerdotii
vindicare gradum. Jam in hoc supremo splen-
doris Ecclesiæ meridie sedes; sed in Te miramur
Summorum Pontificum Prædecessorum Tuorum
explicatam virtutem; in Te descriptum illorum
religionis, & disciplinæ zelum, vigilantiam, sa-
pientiam, & rectitudinem, quibus per ineffabi-
lem prudentiam, his, quæ ad disciplinam, &
salutem pertinent, solertissimè provides; & pu-
blicam utilitatem, necnon maxima, ac ardua
negotia curas, promotes, perficis. Non succe-
dere voluisti dignitati nisi in eandem Prædecesso-
rum*

rum tuorum succederes etiam pietatem. Sed quid dico pietatem? Quinimò cæteras virtutes, quæ Christi Vicarium decent, tibi antea familiares ad supremæ Dignitatis fastigium evexisti, ac veluti Solii Tui astitrices, & comites habuisti. Quis namque dicere queat animi tui candorem, benignitatem, morum suavitatem, studium iuvandi cunctos, lædendi neminem? Grande, atque indubium virtutis, probitatisque documentum! Cum enim dignitate super alios emineas, virtute ad aliorum demissionem Sanctitatem Tuam inclinas. Quis regendarum animarum curam, zeli in ministrando rectitudinem, in perferendo Pastoralis officii labores, magnanimitatis constantiam; assiduam, verèque admirandam, quam præstas operam, nunc in Sacris peragendis, Templis, Altaribusque consecrandis; nunc in frequentissima Sacramentorum administratione; nunc in Ecclesiasticis Ordinibus conferendis, & Sacris Episcoporum Unctionibus celebrandis, Concionibusque habendis? Quis numerare valeat, quot Sacris Ordinibus initiasti; quot Sacerdotes Aris, & Ecclesiis Pontifices; quot Deo Tempia, Altaria pietati, quas Cœlestibus aras consecrasti, erexisti, dotasti, ornasti? Et omnia sine intermissione, absque fastidio, immo alacri animo, ex mera dilectione, & fidei ardore; ita ut quod aliis supra naturam, & incredibile penitus videtur, Tibi familiare sit,

quia

quia, ut dixit Augustinus, in eo quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur.

Contemplor in Te singularem illam, prorsusque admirabilem animi Tui moderationem, ut magisterium religiosæ temperantiæ Orbi Christiano, & futuris sæculis exhibeas, ad exemplum Innocentii III., de quo scripsit Rainaldus ad annum 1216. num. 15. Quia verò superfluitas multa nimis abundat in sæculo, maximè in Prælatis, ut eos corripere posset liberius, & corrigere, illius exemplo, qui cœpit facere, & docere, ad talem se mediocritatem reduxit, quòd vasa aurea, & argentea in lignea, & vitrea commutavit: pelles armellinas, & griseas transtulit in agninas. Mensam suam tribus ferculis voluit esse contentam, & Cappellanorum suorum duobus, nisi magna solemnitas, aut aliqua urgens necessitas amplius postularet. Remotisque laicis, viros religiosos ad quotidianum ministerium mensæ, ut ei à personis Regularibus honestius ferviretur; consuetis tamen officiis viris nobilibus reservatis, qui festivis diebus secundum morem deserviebant in eis. Admiror effusam, & stupendam in omnes ubique charitatem, immensas in pauperes largitiones. Neminem pauperem videns, quem non ditare velis; Tuam laudabilem pietatem, quam etsi totius populi vox in unum se conglutinet, minimè referre poterit. Si taceant homines, loquentur saxa. Illud magnificum Sancti Gallicani Xenodochium ad publicam

b

uti-

utilitatem fundasti, statuens Tibi immortale, tam pietatis, quam munificentiae monumentum: at in his ejusdem Innocentii III. colorem, animumque obstupesco, qui quantum eleemosynis fuerit prodigus, refert Rainaldus anno 1201. n. 31. & 32. dicens: Universasque oblationes pervenientes ad pedes ejus, secundum antiquam consuetudinem accipiebat Eleemosynarius erogandas: & omisis coeteris ejus charitatis monumentis, Xenodochium Sancti Spiritus, quod omnium toto Orbe Xenodochiorum opulentissimum est, & excipendis hospitibus, miserabilibusque maximè obvium, construxit.

Claret, & in Te elucet maximè carnalium propinquitatum, affectuumque abdicationis incomparabilis specimen, abrenuntiatis cunctis sanguinis nexibus, non in sacris respicis necessitudines naturæ: & quamvis clarissimorum progenitorum tuorum sanguine tot procerum, tot magnatum familiae toto terrarum orbe clarissimæ emineant; non pluris humanam hujuscemodi gloriam fecisti, quàm si erga omnia, quæ hujus sæculi sunt, omni sensu careres. Sed et si careres, minor longè tibi gloria esset; non enim magnum est, quòd Principes domos, quòdve ex eisdem intima tibi cognatione conjunctas personas, nullo non decore aut splendore conspicuas, nesciveris; sed quòd easdem ignorare noveris: illud enim negligentis; hoc se superantis est. Perpendisti summam Sa-

cer-

cerdotii tui dignitatem omninò cælestem, ac solis instar omnibus æqua beneficentia salutarem: & tanto munere non satis te facturum vidisti; nisi Sacerdotis Melchisedech sequereris exemplum, quem sine patre, sine matre, sine genealogia reddidit Sacrorum Principatus. Ideo noluisti, quin & horruisti, in sanguinibus ædificare Sion; quam certè qui spiritualibus non ædificat, destruit: atque ad gloriosiores in hac parte Prædecessores tuos oculos convertisti; ut quod illos futuris in ævum sæculis gloriosos effecit, in Te transferres, immò eorum memoriam magno virtutis tuæ exemplo renovares. Quis enim horum conscius spiritum in te non agnoscat Summorum Pontificum Adriani IV. Clementis IV. Martini IV. Clementis VI. Urbani V. Alexandri VI. Marcelli II. qui de eorum Consanguineis, & propinquis exaltandis, vel promovendis nullatenus curavere? Nimirum sic aspicias vetera, ut & futuris sæculis Te eorundem nitidissimum exemplar exhibeas.

Sed & Fides Catholica quot quantaque per te lumina protulit Ecclesiæ? Unum commemorare sat est, quod omnium prædicatur ore, cuique si quid valerem, laborem, & sudorem meum sacrificare optavi. Scilicet indigebat Gallia, quæ sinceritate fidei, doctrinæ veritate, virtutum quoque titulis, & plurima operum exhibitione præfulsit, ut dixit Arnulphus Lexoviensis Episcopus Epist. 19. ad Alexandrum Papam, post tot discor-

b 2

dia

diæ procellas Papa, qui paterna Charitate, compressis provida dispensatione turbinibus, diù pacem desideratam, depulsa impietate, reduceret: hoc Tibi totis orationum, & curarum Viribus annitenti, Deus per religiosam patientiam; non enim fatigatur adversis rebus fides, concessit: quare Tibi gratulari, & in Tuam laudem dicere liceat, quod Arnulphus in dicta Epistola de Innocentio: Benedictus Deus, qui Ecclesiam suam, immaculatam scilicet sponsam dilecti Filii sui, mirabili semper benignitate diligit, & conservat. Licet enim aliquibus ipsam aliquando vexari patiatur injuriis: facit tamen cum tentatione proventum, ut possit sustinere: nec unquam portas Inferi adversus eam prævalere permittit, &c. Prævaluit in athleta Dei veritas falsitati, & Deus dejecit hæreticum, &c. Dominus sublimavit cornu Christi sui, ut in eo unitas Ecclesiæ reformari possit, & Regnum ipsius omnibus dominari. Sed dum Orbis intenta in Te ora tenet, expansasque manus, ut hanc, quæ reliqua est, discordiæ scintillam extinguas; liceat etiam & nobis significare Tibi, quæ dictus Arnulphus Alexandro Innocentii Successori ominatus est: Redibit serenitas, & modica hæc ad radios veri Solis nebula dissolvetur: redintegrata unitate Catholica ab omni parte pedibus vestris universitas fidelis occurret, &c. Ita, Sanctissime Pater, auguramur Tibi. Fidei integritas immaculata ab omni contagione servabitur; ad compagem corporis sui, reliqua, quæ

adhuc

adhuc divisa sunt, membra, redibunt; ut, quæ per Dei nostri opem benè correctæ sunt, ipso adjuvante, per omnia compleantur.

Contueor tot alios Summos Pontifices, quos Deus ornavit donis, decoravit luminibus, & virtutibus stabilivit; at nihil à Te neglectum, nihil à Te præteritum assevero; cum Te mirentur omnes in orationibus, & vigiliis, & in Divinis Officiis, tum diurnis, tum nocturnis audiendis, vel recitandis assiduum; in Hymnis, & laudibus Dei ambulanti, quibus Divinum Numen non semel iratum placatum reddis, jejuniis crebrioribus in pane, & aqua corpus affligentem, supra naturam fortem, supra imitationem eximium, supra invidiam admirandum. Sic Prædecessorum Tuorum laudes trahis in compendium, ut tot alia fileam indelebilis Tuæ gloriæ monumenta, quæ in Summo Pontifice sunt æternitatis opera, & quibus eò altius ascendis, quò verecunda eloquentia, represso figurarum volatu, vix audeat admiratione adspirare; cum eximiis virtutibus Tuis verborum pondus non possit ad æquitatis lancem respondere. Sit ergo Sanctitatis Tuæ hoc opus, quod tot titulis fecisti Tuum: sit & publicum amoris, & gratitudinis meæ nunquam intermorituræ indicium; cujus maximæ erga Te observantiæ si pignus interpretari velis, quod in votis meis est, & humiliter rogo; causa erit mihi gaudendi, atque satis præmii, si legen-

tes


tes ipsum, intelligant, **BENEDICTUM XIII.**
 me esse sua benevolentia complexum. Deus ergo,
 Te regnante, publicam Ecclesie salutem, &
 tranquillitatem restituat; plenè gratia sua gressus
 Tuos dirigat, & perseverandi tribuat Tibi de-
 lectabilem perpetuitatem, & insuperabilem for-
 titudinem, ut hujus gratiæ beneficio, qualem Te
 inter mortales meritò tenere gaudemus, tali etiam
 esse loco inter Sanctos perpetuò videntes gratu-
 lemur.

BEATISSIME PATER

Ad pedes B. V. humillimè provolutus

Fr. Cajetanus Benitez de Lugo.

STU-



STUDIOSO LECTORI.



UINAM sit scopus, quodnam argumentum hujus Tra-
 ctatus, quem oculis tuis, judicioque, Candide, &
 Studiosè Lector, expono, vel ex ipso titulo tibi abundè
 patet. Argumentum est sublime, & profundum my-
 sterium, quod non sermonis eminentia, mundanæve
 sapientiæ fastu innotescit. Hic subjiciendus, frangen-
 dusque est intellectus in ejus obsequium, ne si ultra
 modum videre intendat, in stultitiam deficiat immoderatus sapiendi
 ardor, ut dixit Hilarius, pro hoc, & aliis dogmatibus intelligendis de
 Trinit. lib. 10. *Excedit itaque humanam mentem Dei potestas, ad quam si se
 infirmitas protendet, magis infirma reddetur, dum hoc ipsum, quod obtinet,
 amittit, potiore ad obtundendam eam rerum Cœlestium natura; quia omnem
 ejus confectantis se pervicaciam ipsa complexu ejus major infirmitat. Ut igitur
 Sol ita videndus est, ut possit videri: tantusque excipiendus lumine est, quan-
 tus admittitur; nè si plus velimus expectare, minus quoque quam possumus,
 consequamur: ita & ratio Cœlestis in tantum intelligenda est, in quantum se
 permittit intelligi: in tantum expetenda est, in quantum apprehendendam se
 dedit; ne si contenti indulgentiæ moderatione non simus, amittamus indulta.
 Est ergo in Deo, quod percipi potest: est planè, si modò, quod potes, velis.
 Sicut enim est in Sole, quod videas, si hoc velis videre, quod possis: amittas
 autem quod potes videre, dum quod non potes, niteris; ita & in rebus Dei ha-
 bes quod intelligas, si intelligere, quod potes, velis. Cæterum, si ultra quam
 potes, speres, id quoque, quod potuisti, posse non poteris. Et iterum ibi:
 Quod si contuentibus Solis claritatem, virtus intenti luminis obstupescit, ut
 si quando causam radiantis lucis solertiùs acies curiosæ contemplationis inquirat,
 usque ad emortuum videndi sensum oculorum natura revocetur: accidatque ni-
 tendo magis videre, nè videas; quid nobis in Dei rebus, & in Sole justitiæ
 expectandum est? Nonnè incumbit volentibus supersapere stultitia? Nonne
 ipsum illud acre intelligentiæ lumen, stupor hebetis desipientiæ occupabit? Non
 enim natura inferior causam naturæ potioris intelliget, nec subjacet humanæ
 conceptioni ratio Cœlestis. De hoc primò, Candide Lector, te monitum volo,
 ne ultra modum intelligere velis, cum credi magis, & adorari à nobis de-
 beat argumenti profunditas; nè si infirmitas nostra ad illud perspicendum
 intemperanter, & ultra modum nitendo se extendat, amittat, quod de
 illo potest intelligere, & id quoque, quod potest, jam posse non possit.*

At

At licet mysterium hoc sit ita sublime; mihi que satis cognitum, ac perspectum sit, non deesse ad sui intelligentiam generis hujus libro: ab eruditissimis viris conscriptos, & non me eâ præditum esse eruditione, & auctoritate, ut in Urbe tot eruditissimis hominibus copiosa, ac florenti quid dignum Sapientum oculis offerre possim; attamen Tractatum istum institui; quia nempe post exortas hæreses, vetus doctrina, quam per antiquos Theologos à Sanctis Patribus acceptam didicimus, & docemus, validiùs, luculentiùsque confirmari debeat: quare nihil novum, nihil arbitrarium, nihil ab antiquis alienum, nihil dissonans Scholæ principiis dicimus, aut admittimus; cum principia Scholæ nostræ sint adeò inter se connexa, ut necesse sit omnia, vel superflua, vel extingui; nam recisa qualibet parte, perit funditus tota doctrina, quæ nec vel minimum falsitatis (ut mihi persuasum est) retinet, vel admittit. Impressa solùm ab aliis sapientissimis Theologis vestigia sequitur. Quæ ab istis copiosiùs, & elegantius, subtiliùsque sunt conscripta, & sparsim disputata, ad majorem doctrinæ explicationem, non tenui labore conjunximus; sicut fecit aliquando Cicero, qui ad fratrem Tullium scripsit: *Non ut aliquid ex eis novi adjicerem, sed ut ea, quæ in re dispersa, atque infinita viderentur esse, oratione, & distributione, sub uno aspectu ponerem.* Hoc & ego feci; fatiùs namque duxi, modò ignorantiam fateri, quàm erudito Lectori, quid minus dignum proponere.

Nihil auctorem facias; in minimis ponatur ejus doctrina, cum nulla gratiâ, & auctoritate sit florens, nec æstimatione dignus; audiendus solùm D. Thomas Aquinas in eo, cujus est fidelissimus discipulus; Angelus ille, sub cujus patrocinium convolant Orbis universæ Academiæ, ut omnem excipiant sapientiam. Audiendus ille Doctor Ecclesiæ, quem Summi Pontifices Joannes XXII. Clemens VI. Innocentius VI. Urbanus V. S. Pius V. Clemens VIII. Paulus V. Pius IV. & Benedictus XIII. tot præconiis celebrant. Audiendus Doctor ille, de quo Ecclesia in ejus officio canit: *Norma, limes, lex morum omnium, Orbis decor, dux, lux fidelium, lumen Ecclesiæ, & illustrissimum Christiani Orbis decus.* Audiendus Doctor, quem admirantur Sancti, & primi nominis Theologi. Sanctus Vincentius Ferrerius eum vocat *illuminationem totius mundi*. S. Antoninus *abyssum capacitatis, humilitatis, & charitatis*. S. Philippus Neri *venam Spiritus Sancti*. S. Franciscus Salesius *Doctorem Maximum, qui usquam fuit*. Titelmanus ipsum acclamat, *Theologorum Theologum, alpha litterarum omnium, veritatis unicum artificium, architectum omnium litterarum, scientiarum omnium delicias*. Sixtus Senensis de eo ait, quòd est *Theologorum, ac Philosophorum Princeps, universalis Ecclesiæ lumen præfulgidum, gemma radians Clericorum, fons Doctorum*. Illustrissimus Caramuel, quòd est *Dei potentissima, & clarissima vox, quem lex est, sine lege laudare; & Sapientiæ Dei Thesaurum nominat*. P. Petrus Labbè; quòd est *ad-verbium filii, sicut filius verbum Patris; &, loquens de Deo, quasi vidisset*. P. Henricus Henriquez ejusdem Societatis, quòd est *Doctor ille, cui Soli nomen Doctoris Theologi reservatur in Ecclesia Latina*. Et tandem Ægidius Romanus Cardinalis de suis Operibus testatur, *scripta ejus veritate plena esse, & spiritu veritatis scripta*. Hic ergo maximè audiendus, cui sanè, sicuti & M. P. Augustino, credere par est, affulisse illa veritatis lumina, qui-

quibus implicata hæc quæstio definiri debeat; & nè quis velit tanti Doctoris doctrinam traducere, ideo justæ defensionis necessitas me Discipulum impellit, orthodoxam Scholæ suæ doctrinam manifestam facere.

Si methodum hujus elucubrationis attendas; non hinc verborum flosculos, sententiarum copiam, dicendi elegantiam invenies. In rebus Theologicis non specimen eloquentiæ quærimus; voces proprias Scholasticas eligimus; quippe qui majorem professi sumus in Theologiæ, quàm in sermonis articulis, religionem, attendentes, quod scribimus, non quali cum amænitate dicatur, ut luculenter, & egregiè ad rem istam dicit M. Cano lib. 2. cap. 8. *Ipsæ Scholasticæ res formas dicendi scholasticas rapiunt, & quæ vocabula Scholarum consuetudo diuturna trivit, ea Latini nobis condonare debent; nec enim tam sermonis ornatum, quàm disputationis lucem sequimur.* Et iterum ibi: *Nec enim Scholæ vocabula etiam si minus latina sint, aversari debemus; sed malle, quod Augustinus ait, apertos, quàm nitidos habere sermones.* Et lib. 5. cap. 5. *Permittant Sapientes, cum nostris nostra loqui; nam si ornatius, quàm hi solent, nos plerumque differimus, sed nonnunquam quas sententias à Scholasticis accepimus, eisdem verbis efferre volumus; ne dicendi forma immutata, discessisse ab Schola videamur: quare & linguam Scholarum, in quæstionibus disputandis usurpandam duximus, SS. Patrum, & Theologorum latinam retinentes.*

Cæterum stylo, & ratione procedendi non admodum sumus Scholasticam formam aspernati, sed potius vigori Dialecticæ studuimus, quæ non est Theologo noxia, sed summè necessaria. Nam quomodò fallaces Hæreticorum argutias refutare possumus, nisi arguendi, ac refellendi artem prosequamur? Quo pacto judicium, & sententiam ferre potest Theologus de his, quæ perspecta, & cognita ipse non habet? Dum discernere nequit voces, quæ in disputationibus offeruntur ancipites, & quibus illi eludunt, ut eludamur. Necesse est ergo Theologis perfectissimè Theologiam Scholasticam addiscere. Quod ut firmiter hæreat animis hinc referre opportunum duximus, quod M. Fr. Dominicus Soto ad Sanctos Patres Tridentinæ Synodi in sua nuncupatoria præfatione ad librum de natura, & gratia scribit, ponderans, quàm odiosum sit Hæreticis Scholasticorum nomen, his verbis: *Tametsi haud nesciam, quàm sit Scholasticorum nomen, Lutheranis invisum, & infame. Nam quid non inde isti ab initio designarunt, ex quo bellum hoc Ecclesiæ inferre cœperunt? Porro ut quosque hominum ordines plurimum metuebant, ita eosdem, quo eorum adversus se auctoritatem defringerent, maximis cœperunt insectari odiis, conviciis proscindere, & maledictis acerrimè incessere: atque ideo quasi suspectos hostes è suis colloquiis, congressibusque abigere. Hac de causa Scholasticos Theologos, velut publicam perniciem exhibitant. Quoniam, ut in fabula est Demosthenis, non possunt pecuarii canes, quòd gregis sint propugnatores, non esse lupis invisum. Atqui, si Superis placet, ac si essent ipsi, qui jura deberent ponere Orbi, ita sunt inter Catholicos multi, qui eos audientes, quæstionarios posthabent, Philosophiam abjiciunt, & solis volunt linguarum ferculis convivium instrui: utpote quarum cognitione, & subsidio arbitrantur absque Thesæo per se posse, cum Sanctorum Patrum, tum etiam Sacræ Pagine adire volumina. Cui profectò malo (id quod coram Vestra Sanctitate in publica Synodo declamavi) nisi obviam publicitus occurratis, & universitates meliùs sibi, & bono publico consultum properent, totum brevi Chri-*

*Stianum Orbem errores ebullire dolebimus. Quidni? Ut quisque impensissimè
 studet trilinguis evadere, tanquam fabuloso illo fonte proluisset labia, ita maxi-
 ma auctoritate inter Sacrorum mystas Trismegistus prodit. Nihil sanè est, quod
 huic meae infacundiae prætexere velim. Namque, & ingenuè fateor, alia me ratione
 studia instituisse, quàm ut linguas accuratissimè excolerem: & si alterum optan-
 dum foret, malle in præsentiarum spiritum Christiano propinquum, quàm elo-
 quentiam Ciceronianam proximam mihi dari. Neque verò disiteor linguarum pe-
 ritiam, & cultum, cui nostro ævo diligentius incumbitur, sacris intelligendis
 Bibliis magno usui esse, id cuius nos 2. de doctrina Christi. admonet Augustinus.
 Verùm hoc tamen vicissim persuasum contendo, quòd uti oculus optalmia labo-
 rans non protinus cerebro eruitur, sed Collyriis propter ejus optimam usuram
 curatur: ita sit res Scholastica amputanda, & à Sophismatum quidam nugis, &
 à Metaphysicorum vanis portentis repurganda, quibus est sordibus apud nonnul-
 los Auctores indignè fœdata: detur tamen summa opera, ne penitus deperat,
 sed instauretur potius, nisi plurimos volumus habere nomen: rarissimos tamen,
 re esse Theologos. Et rursus: Et quando post illam ætatem fuisset in Scholas
 Theologorum recepta, equid ejus negotium est, si via ratione, & modo insti-
 tuatur, nisi ut fides per hanc artem saluberrima (quod ait 14. de Trinit. Augu-
 stinus) gignatur, nutriatur, defendatur, & roboretur? Nam que potest perspi-
 caciore esse, commodiorque ratio interpretandi, cum Sanctorum dicta, tum maxi-
 mè Sacrorum eloquia, quàm, dum locus unus in quæstionem mittitur, unde mate-
 ria subiecta ex suis causis explicata verus depromitur sensus? Veluti est apud
 S. Thomam, S. Bonavent., & reliquos perspicere. Est enim homo rationale
 animal, qui nulla idcirco vi magis, viaque pollet, ad eruendam undecumque
 veritatem, atque ex suis causis deducendam, quàm ratiocinatione, & discursu.
 Atque adeo ut rerum causas, naturasque disquirat, consequentia judicet, conciliet
 contraria, incognitum denique quidvis ex penitissimis latebris in lucem
 prodat, nulla re magis adjuvatur, quàm congressibus, si ordine fiant, ceteris-
 que Scholasticis exercitiis. Et infra. Verum quàm est (auctore Paulo) necesse
 hæreses esse, tam necessarium existimaverim, Philosophiam inter Theologos
 conservandam esse, qua sint juxta verbum Petri, paratiora ad satisfactionem
 omni poscenti rationem de ea, que in nobis est, spe. Est enim naturalis Philo-
 sophiæ munus, supernaturalia fidei mysteria, non quidem demonstrare (quippe
 quæ ex solis sint divinis testimoniis recepta) sed tamen explicare, & contra Phi-
 losophos asserere: dum eorum enervat, defringitque argumenta: ostendens, ni-
 hil adversus nos evincere. Unde & Paulus Episcopum admonet, ut fidelem ha-
 beat sermonem, quo potens sit exhortari doctrina sana, & eos, qui contradicunt,
 arguere. Et sanè Augustinus, quantò sua dialectica, & philosophia majus exhibuit
 Ecclesiæ negocium, dum erat Manicheus, tantò fuit ei postea adversus Hæ-
 reticos utilior. Theriacam philosophiam censete, Circumspectissime Senatus,
 quæ earundem medetur Viperarum moribus, ex quarum conficitur carnibus. Et
 quò semel finiam, quinam linguas, quàm Germani, excultius polivere? Qui Au-
 gustino, & id genus Patribus legendis plus temporis insumpserunt? Qui pluries
 Sacram Paginam evoluerunt? Quid ergo restet illis cause tam plurium errorum,
 quàm quòd Theologiam Scholasticam neglexerint? Ex cuius ignorantia omnes di-
 manasse facile erit rem perpendenti conjicere. Profectò simul apud eosdemque
 cœpere, & linguarum cultura, & Scholasticæ rationis contemptus, & Hæresum
 turba. Nescio, viri Patres, quòd me longius, quàm putaram, surripuerit dicendi
 calor*

*calor. Boni tamen pro vestra clementia consulite, quoniam paucioribus effari
 nequivi, Scholasticis traditionibus de medio sublatis, quantum rei timeam
 Theologica. Ne vos tamen, Viri Sacri, hac mea inepta perloquendi prolixitate
 diutius obtundam, hoc qualecumque munusculum accipite, perspicite, castigatè,
 & pro summa auctoritate reformate. Nam cui alii, quàm vobis Ecclesiæ lumina,
 vestrorum apologiam decretorum nuncuparem? Agite, ut cœpistis. Sic Patri-
 bus Concilii Tridentini necessariam Theologiam Scholasticam persuasit
 Sapientissimus iste Magister; cujus arguendi principia, tam certæ, tam
 perspicuæ, tam æternæ, & incommutabilis veritatis sunt, ut verum à
 falso facillimè, & certissimè discernatur; & eâ extinctâ, neque vera
 doctrina possit esse superstes. At quoniam multi nauseant ad sermones
 veritatis, & utilitatis copia refertos, nisi quodam facundiæ candore
 condiantur; ideò eorum amori obsequendo, & meliore, quo potui scri-
 bendi modo; seu potius convenientiori, quàm ipsius argumenti natura
 poscebat, methodo scribere studui, ut doctrinam eo ordine proponerem,
 qui faciliori intelligentiæ maximè conveniret, & ut proponendam in
 Scholis veritatem addocet D. Thomas Quodlibet. 4. art. 18. Quædam verò
 disputatio est magistralis in Scholis, non ad removendum errorem, sed ad
 instruendum auditores, ut inducantur ad intellectum veritatis, quam intendit,
 & tunc oportet rationibus inniti investigantibus veritatis radicem, & facienti-
 bus scire, quomodo sit verum quod dicitur; alioquin si nudis auctoritatibus Magi-
 ster quæstionem determinet, certificabitur quidem auditor, quòd ita est, sed
 nihil scientiæ, vel intellectus acquirat, & vacuus abscedet.*

*In enodanda disputatione ista, tam subtilitate, quàm objecti obscuri-
 tate difficillima, & quam nemo nescit non carere periculo, cum proclivis
 sit ad lapsum humana ignorantia, proprietati vocum maximè studui-
 mus, præsertim in rimis omnibus sepiendis, quibus obrepere posset Jan-
 senismi virus; at si quid à recentioribus verborum formulis deviatum
 tantisper à nobis est; vocum indiligentiam, benigne Lector, indulgebis.
 Non est, cur in vocibus cavillari, aut rixas ferere opus sit; cum non ex
 verbis raptim prolatis, quæ aliquando ipsis SS. Patribus exciderunt, sed
 unicè ex sententiarum uniformi nexu, & intuitione vera Auctoris mens
 discerni debeat; fides quippe sententiis, non verbis trutinanda est. Poterit
 ergo reperiri alicujus vocis incuria, dogmati tamen nec vel tantilla dif-
 fensio est. Minimè etiam novum est in Ecclesiâ novas adhibere voces ad
 antiquam fidem apertius declarandam. Hi, qui non medullæ, sed cortici
 rerum hærent, hanc vocum novitatem facillè, & temerè sibi persuadent,
 innovationem esse doctrinæ; cujus possem hinc plurima acervare exempla,
 quorum aliqua dedimus disp. 4. §. unico, agentes de voce ista Prædetermi-
 natio physica, quæ rea novitatis nobis ab Adversariis arguitur, & agitur;
 cum tamen vocem istam suo ævo excogitatam fuisse, & adscriptam Tho-
 mistis ab ipsis ad invidiam eis conflandam testetur M. Zumel. 1. 2. disp. 4.
 sect. 2. conclus. 3. his verbis: Et P. Suarez citat nos, & Dominicum Bañez,
 quòd dicamus, Deum in omnibus operibus gratiæ prædeterminare physicè volun-
 tatem nostram ad consentiendum. Et sanè modus loquendi de physica prædetermi-
 natione, & vocabulum ipsum ab ipso, & à suis inventa sunt, cum tamen ante
 hanc ætatem contenti eramus explicantes efficaciam gratiæ Dei, quòd Deus nos
 movet auxilio efficaci ad penitendum, & quòd Deus nos movet sua gratia miri-
 fica,*

fica, & vi sua, ad quod propriè efficaciter nos præmouet. Solitum etiam erat dici à nobis, quòd Deus nos mouet infallibiliter, aut quòd præmouet nos effecti-
uè, aut efficienter intus agendo. Illud autem vocabulum, physica Prædeterminatio, quia sonat prædeterminationem naturalem, non benè inventum est ad explicandum efficaciam gratiæ. En quomodò vox ista, Prædeterminatio physica, non est à Thomistis inventa, nec excogitata, sed ipsis objecta; quam tamen admittunt in eo vero sensu Catholico loco citato satis abundè à nobis proposito. Nihil ulterius facias, quòd in voce ista *Gratia ab intrinseco efficax* nobiscum conveniant Jansenistæ. Nam non tam verba, quàm intentionem ponderare debes. Diversa est iisdem verbis utentium intentio, atque sententia; quare diversus est etiam exitus, dum quòd hìc absoluitur, illic anathemate feritur. Hoc quippe debet esse consideratione dignum, quòd non est nobis in præsentia controversia de vocibus, sed de modo conciliandi libertatem cum gratia efficaci, qui non simpliciter ex hac, aut illa voce est approbandus, aut accusandus: sed ex principiis, circa quæ omnis aduersatur Hæresis. Explicetur, quomocumque placeat aduersariis, infallibilis connexio gratiæ ab intrinseco efficaci cum actu, dicatur *inevitabilis, & irresistibilis, &c.*; voces istæ, quæ formaliter significant necessitatem infallibilitatis, à linea veri dogmatis nihil deflectunt; cum æqualiter eisdem vocibus retundatur Hæreticorum error.

Vellem etiam ego, studiose Lector, talem mihi fuisse à Deo scribendi facultatem datam, & eum texendi sermonem, arguendi, & disputandi modum, ut solùm quòd veri quisque de hoc argumento capere possit, verba mea resonarent, ne alicujus aures, aut existimatio offenderetur; cum magnus tenendus sit æquitatis, & indulgentiæ modus erga eos, qui à nobis in doctrina dissentiant; *Non enim*, ut dixit Augustinus, *intratur in veritatem, nisi per charitatem*. Idque tantò æquius, dum nulla ex his opinionibus est in auctoritatis, & fidei arcem euecta; dum & omnibus est plena libertas in alterutram, ut libuerit, partem declinandam, vel in neutram; resque sit Theologorum permissa vestigationi, & sapientiæ exercitationi, quæ timidè, humiliter, & modestè exquirenda est. Luculentissima est in hanc rem doctrina D. Augustini lib. de tenenda verit. script. cap. 12. *Sit ergo de hac re inter nos istiusmodi pia cautela, & moderatio, quatenus & SS. Patribus debitus seruetur honos; & quolibet quis acquiescat modo ex illis sensibus, qui de hac sententia ab eis positi sunt, non judicemus esse hæreticum. Sed potiùs videmus contentionis malum, per quòd etiam de pacificis, & Ecclesiasticis sensibus potest, qui contentiosus esse voluerit, hæreticum efficere, quòd sentit.* Et lib. de tribus Epistolis cap. 14. *Nulla ergo contentione pro aliis contra alios litigetur; non una sententia præ altera damnetur. Et quia verè fieri potest, ut per ignorantiam, vel imperitiam nostram in hac re aliquid lateat, nihil temerè defniatur; ut quolibet quis acquiescat modo, non sit hæreticum, nisi hæreticum contentione fiat.* Fas est oppositam sententiam arguendo impugnare; nefas contumeliarum jaculis ejus auctorem impetere. Fas est propriam opinionem efficacissimis argumentis firmare, & oppositam ad inconueniens deducere; nefas de alicujus doctrinæ, aut de ejus auctori bus temerè iudicium ferre, dum utraque pars pro una, eademque fide, scilicet pro concordia liberi arbitrii pugnat; & utraque pars æquissimo veritatis studio defenditur. Cujus egregium documentum nobis præbet Augustinus

stinus Epist. 111. dicens: *Neque enim quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum, & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respicere, si fortè inuenerimus, quòd aliter senserint, quàm veritas habet, diuino adjutorio, vel ab aliis intellectum, vel à nobis.* Et Epist. 1. ad Hieronymum: *Alios autem (libris Scripturarum exceptis) ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt. Sed quia mihi, vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreat, persuadere poterunt. Nec te, mi Frater, sentire aliud existimo: prorsus, inquam, non te arbitrator, sic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum, vel Apostolorum: de quorum scriptis, quòd omni errore careant, dubitare nefarium est.*

Abstergo ergo omnis imprudens auctores Catholicos oppositos calumniandi libido, quòd verius pronunciamus de auctoribus illustribus, & eruditæ Scholæ S. I., quæ foecundo sapientiæ, & virtutis partu tot illustria sapientiæ, ac sanctitatis lumina in Mundi lucem per omnes totius Orbis Christiani Academias produxit, qui tam salutari fidelium fructu tot regna illustrant, & erudiunt; quorumque doctrina prostratæ sunt hæreses, & prædicatione propagata per Orbem Religio; & quos eodem studio, & amore prosequor, ac nostros. Scholæ huic suam esse probabilitatem non diffiteor. Inter nos intellectus rixa est, non veritatis. Discrimen utriusque Scholæ, non charitatis diffidium, sed opinionum distantia, seu differentia intelligitur. Quòd pulchrè illustrat, & approbat Facundus Hermianensis lib. 7. documento Israelitarum, qui pro Divino Cultu cum aliorum alios lateret intentio tantum, ad arma convolarunt. *Quere intentionem filiorum Ruben, & Gad, & dimidiæ Tribus Manasse, atque ex altera parte Tribus Levi, & aliorum novem Tribuum Israel, & invenies utramque partem pro Divino Cultu fuisse sollicitam. Quere ignorantiam, & neutram invenies, quæ ad Divinum Cultum pertinent, sed alteram partem intentionem alterius ignorasse. Quere intentionem Synodi Ephesinæ, atque ex altera parte Antistitum Provinciæ Orientis, & aliarum novem Provinciarum, & invenies utramque partem pro Divino Cultu fuisse sollicitam &c.* Vides igitur, quòd pro eadem Religione, qua rectè colitur Deus, non solùm dissentire à se invicem, verùm etiam laudabiliter pugnare adversum se religiosi, ac rectissimi possunt, cum eos non ratio Divini Cultus, sed alterius alterum lateat intentio. Diversa ergo poterit esse utriusque Scholæ intentio; at utriusque purissima undique, & sana fides est; consulente Deo, ut ex ipsismet dissentionibus nostris, & lumina, & munimenta quædam novæ doctrinæ orthodoxæ accedant, utente ipso ad aliorum instructionem nostra humana ignorantia, qui in magnam utilitatem, cum vult, noxia quæque convertit. Quare nihil damnatum volumus, nisi quòd expressè ab Ecclesia damnatum est; nihil dictum, quòd ab illa æquitate, modestia, & charitate deflectit. Vel minimum verbum libens rejicio, ut pax, & charitas perfecta cum omnibus retineatur. Talis, studiose Lector, ego sum in scriptis aliorum, talem te volo esse intellectorem mei.

A P P R O B A T I O
R. A. P. M. FR. JOSEPHI SALAS
Collegii Casanatensis Theologi.

EX commissione Reverendissimi P. Fr. Thomæ Ripoll, totius Ordinis Prædicatorum Generalis Magistri, librum lægi, cujus titulus est: *Concursus Dei prævius, & efficax necessariò cohærens cum libero arbitrio humano à necessitate libero*; ejusque Author R. A. P. Fr. Cajetanus Benitez de Lugo, Provinciæ Hispaniæ ejusdem Ordinis, in S. Theologia Magister, ac Generalis Magistri Socius. Et in eo quidem nihil à Fide, aut Sacris Scripturis alienum, boniſve moribus, aut Sanctorum PP. doctrinæ diſſonum comperi. Immo ex eorundem doctrina ſingulari Author dextèritate graviffimas, quas pertractat difficultates, dicti ſui proprias operis, nodis etſi Herculeis, intricatas, diſertè extricat, & quaſi enodes reddit; veras, firmasque Angelici Doctoris, ejusque Discipulorum ſententias, ſolidiſſimis juxta, & profundiffimis propugnat rationibus; ac præſertim dum pro Dei ſupremo in creaturas omnes dominio, harumque indiſpenſabili à ſuo Creatore in eſſe, & operari dependentia, ac ſubordinatione acriter pugnat, & utriuſque gratiæ, ſeu ſufficientis, ac per ſe efficaciſ ad operandum neceſſitatem, hujusque cum noſtra libertate glutinum oſtendit: ubi Sanctorum Patrum doctrinæ, Auguſtini præcipuè, ac Thomæ; necnon Conciliorum, Summorumque Pontificum Decretis innixus, nova, quaſi ſcriba doctus, de theſauro ſuo profert, & vetera; ac ceu de abſtruſis favorum cellis extrahit mella. Quare præſatum Opus publica luce, præloque dignum exiſtimo. Ita cenſeo, ſalvo &c. Romæ in Collegio Casanatenſi S. Mariæ ſuper Minervam die 4. Februarii 1730.

Fr. Joſeph Salas Ordinis Prædicatorum in Sacra Theologia Magiſter, & Theologus Casanatensis.

A P P R O B A T I O
R. A. P. M. FR. ADOLPHI SCHLEIPEN
Collegii Casanatensis Theologi.

Juſſu Reverendiſſimi Patris Fr. Thomæ Ripoll, Sacri Ordinis Prædicatorum Magiſtri Generalis, perlegi Librum, cui titulus: *Concursus Dei prævius, & efficax, necessariò cohærens cum libero arbitrio humano à necessitate libero*, ab admodum Reverendo P. Fr. Cajetano Benitez de Lugo Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magiſtro, doctè, ſolidèque compoſitum: in quo quia nihil reperi, aut orthodoxæ Fidei adverſum, aut morum hôneſtati contrarium, eum prælo committi, ac in publicum edi poſſe cenſeo. Salvo ſemper &c.

Datum Romæ, in Conventu Sanctæ Mariæ ſuper Minervam, die 5. Februarii anno 1730.

Fr. Adolphus Schleipen Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magiſter, ac Collegii Casanatensis Theologus manu propria.

L I C E N T I A
Rm̃i P. Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum.

NOS FR. THOMAS RIPOLL
Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac totius Ordinis
Prædicatorum humilis Magiſter
Generalis, & Servus.

HARUM ferie, noſtrique auctoritate officii concedimus facultatem, quantum in nobis eſt, tibi R. A. P. M. Fr. Cajetano Benitez de Lugo Provinciæ noſtræ Hispaniæ, & Socio noſtro, ut poſſis typis mandare Opus, cui titulus eſt: *Concursus Dei prævius, & efficax, necessariò cohærens cum libero arbitrio humano à necessitate libero*, à te compoſitum, de mandato noſtro reviſum, & approbatum à RR. A. PP. Magiſtris Fr. Joſepho Salas, & Fr. Adolpho Schleipen Collegii Casanatensis Ordinis noſtri Theologis, ſervatis de jure ſervandis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. In quorum fidem his officii noſtri Sigillo munitis manu propria ſubſcripſimus. Datum Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſuper Minervam die 30. Januarii 1730.

Fr. Thomas Ripoll Magiſter Ordinis.

Loco † Sigilli.

*Fr. Dominicus Ponsi Magiſter
Exprovincialis, & Socius.*

Reg. fol. 59.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

N. Baccarius Episcopus Bojanensis, Vicesgerens.

APPROBATIO

REV.^M P. MICHAELIS A CHRISTO

Carmelitæ Discalceati, inferioris Bæticæ Ex-Provincialis, & Congregationis Hispaniarum Ex-Procuratoris Generalis in Urbe, atque Congregationum Sacrorum Rituum, & Sacrorum Indulgentiarum Consultoris.

EX commissione Rm̄i P. Jo. Benedicti Zuanelli, Sac. Palatii Apostolici Magistri, libenti, ac lubenti animo evolvi librum, cujus titulus est: *Concursus Dei prævius, & efficax necessariò coherens cum libero humano arbitrio à necessitate libero*. A Rm̄o P. Cajetano Benitez de Lugo, Provinciae Hispaniæ inclyti Ordinis Prædicatorum Magistro, & Socio Rm̄i P. Generalis compositum. In quo nihil intelligentiæ veri, aut puritati morum dissonum adveni, sed è converso cuncta consona Sanctæ Romanæ Ecclesiæ doctrinæ, ac Sacrorum Doctorum magisterio. Et supra stuporem miratus sum Auctoris acumen in percurrendis Theologicis arcanis, præsertim, quæ Dei gratiam, & arbitrii libertatem concernunt. Argumentum adeo abstrusum, ut splendidissimæ Augustini menti visum fuerit nodus inextricabilis, dum protulit: *Ista questio, ubi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferrî*. Nihilominus Auctor ad litteraria bella doctissimus, & ad ambiendum lectulum mystici Salomonis, idest, Christi gratiam, ut interpretatur Ambrosius, satis strenuus, sic agit de gratiæ celsitudine, & arbitrii libertate, quòd utraque ingenii manu pro dextra utens, & de thesauro eruditionis maximæ nova, & vetera proferens, disertè convincat, gratiam, & arbitrium sedulò propugnare, servataque illius præ eminentia, utriusque tamen jura tueri. Quo verò singularis ejus sapientia appositè suadet, si oraculum Scripturæ consulitur. Ligni vitæ custodia Cherubim, seu scientiæ plenitudini fuit commissæ: *Collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubim, ad custodiendam viam ligni vitæ*. Nec legitur prælaudato custodi, *lignum scientiæ boni, & mali* commendatum esse. Ast quod ibi commissum non apparet, veritatis zelus, atque honorificentia Scholæ Auctori commendarunt. Quo ingenio? Jam edisero. Vitale lignum vitæ perennitatem ministrabat. Lignum scientiæ boni, & mali dispares effectiones objiciebat. *Allegoricè prius lignum, Dei est gratia, testante Apostolo: Gratia Dei vitæ æterna*. Posteriori autem ligno bonum, & malum exhibente, liberum demonstratur arbitrium, juxta illud Ecclesiastici: *Ante hominem bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi*. Prioris custodia scientiæ plenitudini committitur. Utriusque autem adæquata custodia est hujus operis digna, eò quòd sapientissimo, consummatoque Theologo consentanea; prout tradit luculenter Doctor Maximus, dicens: *Libertas arbitrii servanda est, ut in omnibus excellat gratia Salvatoris*. Hieronymi placito Auctor undequaque subscripsit præsentî eruditissimo opere, hoc enim gratiæ dignitas commendatur, libertasque firmatur; imò hæc in gratiæ excellentia, & ab excellentia gratiæ monstratur, tali auctoritatum pondere, rationumque affluentia, quòd veritatis cupidus plenè informet, & adversantes urgentissimè oppugnet, ac debellet. Unde cum Jansenistæ, & Quesnelliani, nimis rebelles lumini sub Augustinianæ, aut Thomisticæ doctrinæ larva, tantorum Doctorum verum discipulatum ostentent, adeo

Lib. de grat. Christi.

Canticor. 3. v. 7. Amb. in psal. 118.

Gen. 3. v. 24.

Ad Rom. 6. v. 23.

15. v. 8.

Tom. 2.

adeo propulsat illorum petulantiam; quòd detestis fraudibus elucescat, gratiæ intrinsecæ efficaciam ab Augustino, & Angelico inconcussè protectam, nil minus ab eorum deliramentis distare, quàm à cimberia caligine radiantissimus fulgor meridianus, Insuper dum ipsi, atque alii perperam evulgant, recentiores Thomistas à veterum vestigiis declinasse, occurrit Auctor, atque egregiè concludit, Thomistas recentiores instructioni Apostolicæ obtemperantes non circumferri *omni vento doctrinæ*, sed in præcipuis florentissimæ Scholæ fulcimentis id firmare modò, quòd firmarunt Antiqui, ac rejicere, quòd rejecerunt Veteres; quia versus disciplinæ substantiam, sub Aquinate Sole fulgentissimo *nihil novum*. Quapropter arbitror, præclarum opus mihi commissum non demereri modii tegumentum, sed culmen candelabri. Maximè cum ejusdem communis evolutio cedere valeat in Dei gloriam, Ecclesiæ Militantis subsidium, Scholarum commodum, & Thomisticæ decus immortale, atque Auctori aptissimam mercedem. Nam dum expectationi Job fuit palam liber indicis corona commendabilis: *Desiderium meum audiat Omnipotens: & librum scribat ipse, qui judicat, ut circumdem illum, quasi coronam mihi*. Judicium, quòd censoris munere efformo, sistit ultra enarrata in hoc, quòd liber commissus, publicæ luci expositus, erit Auctori commendabile præmium. Ita sentio Romæ in Collegio Bm̄æ Virginis Mariæ de Victoria Carmelitarum Excalceatorum. Die 7. Februarii anno Dñi 1730.

Fr. Michael à Christo.

Ad Ephes. 4. v. 14.

31. à v. 35.

APPROBATIO

REV.^M P. MAG. FR. POLYCARPI DE BURGOS

Ex Sacro Carmelitarum Ordine Provinciae Bæticæ, & hujus Romanæ Sapientiæ Universitatis Cathedræ Philosophiæ Moderatoris.

EX commissione Rm̄i P. Jo. Benedicti Zuanelli, Sac. Palatii Apostolici Magistri vidi, ac perlegi librum, cujus titulus est: *Concursus Dei prævius, & efficax necessariò coherens cum libero humano arbitrio à necessitate libero*. A Rm̄o P. F. Cajetano Benitez de Lugo, Provinciae Hispaniæ inclyti Ordinis Prædicatorum Magistro, & Socio Rm̄i P. Generalis compositum, sententiis Conciliorum, & PP. resectum, doctrinaque orthodoxa compactum, ad mores quoque formandos doctrinis aptissimis quidem redundantem: cum totus penè in verâ humilitate tumentis hominum cordi, persistat, inferenda: dum aperta demonstrat, quidquid intelligentiæ Superiorum, quidquid virtutum studiis, quidquid ad utiliter operandum efficaciam, quidquid denique ad salutaris cujusvis, quantumvis minimi, operis executionem, determinationis ab illo descendere Patre luminum, apud quem non est, transmutatio; voluntarie tamen nos verbo veritatis genuit, ut simus initium aliquod creaturæ ejus, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos, & vocavit nos propria gloria, & virtute, maximaque, & pretiosa nobis promissa donavit, quibus effecti divinæ consortes naturæ, fugeremus ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. Auctor equidem Scriba doctus in regno Cælorum præsentis temporis Ecclesiæ dignoscitur, qui de thesauro sapientiæ suæ nova profert, & vetera; rationum pondere, atque responsionum soliditate satis à se ipsis commendata: Lynceis oculis abstrusa quæque secludit, ad versasque vires, eminus valde, tutius præcauturus dijudicat. Unum tantummodo præterire non possum, videns doctrinam de auxilio indifferenti, de Præscientiâ Divinâ concursus sub illo, atque de prædestinatione ex prævise bono usu liberi arbitrii usque ad finem vitæ, à Joanne de Baccone Anglo Carmelita circa annum 1330. inventam, & publicè lectam in Universitate Parisiensi, cum clausulâ tamen: *Si quis eam possit sustinere*; ut patet in 1. Sent. Dist. 41. Art. 2. §. 2. ac præterea Dist. præced. Art. 2. §. 5. & in 4. Dist. 1. Quæst. 4. duobus sæculis posteriorem esse, non refragari. Mentem tamen Inventoris, à præsentibus rumoribus alienam omnino esse, satis constat: adductam denique haud levibus inconvenientibus ab ejus suscitatoribus, præsens opus ostendit. Ideoque in obsequium veritatis, quæ magna, & fortior præ omnibus, & non est apud eam accipere personas, neque differentias, hoc opus: typis mandandum cenfeo in hoc Conventu S. Mariæ Transpontinæ die 25. Februarii 1730.

Fr. Polycarpus de Burgos Carmelita.

d

AP-

APPROBATIO
REVERENDISSIMI PATRIS MAGISTRI
FR. DIDACI TELLII LASSO DELA VEGA,

Ex Regali, Militarique Ordine Bmæ Virginis MARIÆ de Mercede
Redemptionis Captivorum, Provinciæ Baticæ Patris, Theo-
logi Votantis in Sac. Congregatione Visitationis Aposto-
licæ, Sac. Indicis Congregationis Consultoris,
S. Officii Supremæ, & Universalis Inqui-
sitionis Qualificatoris, &c.

Reverendissimi P. Mag. Fr. Joannis Benedicti Zuanelli Sac. Apostolici Palatii Magistri mandatis obtemperans, volumen legi, cui titulus: *Concursus Dei præcivus, & efficacæ necessariò coherens cum libero arbitrio humano à necessitate libero*: Auctor verò Rm̄us P. M. Fr. Cajetanus Benitez de Lugo, Sac. Prædicatorum Ordinis Professor, & Socius Rm̄i P. Magistri Generalis ejusdem &c. eruditissimus planè vir, cuius proinde malle encomiastes esse, quàm censor. Tum, quia amicorum, sicut dulcis memoria, per jucunda laudatio est: tum vel maximè, quia castigati, & adamussim exacti operis pulchritudo, dum censorium supercilium abigit, usque adeo laudem conciliat Auctori; ut eum vel sola enarratione laudarem. Non itaque meis suffragiis eget, quem sic opera præclara commendant; ut quot lectores, totidem meritò opiner futuros esse præcones. Sanè in eam me sententiam pertrahunt floridæ eruditionis amoenitas, solidæ doctrinæ fulgor irradians, felicisque ingenii feracitas opulenta; quodque paucis datum est, conspicuæ juxta, ac profundæ rationis robor invictum. Porro Angelici Doctoris Scholæ immortales gratias habere debet Auctori. Primum quidem, quod controversâ hinc inde Catholicorum placita novo splendore collustret, solidis fundamentis statuatur, validisque rationum momentis aucta producat; necnon veros, germanosque Thomistarum sensus omnibus claritate consimili defæctos exponat. Nec parùm id: Angelici namque Doctoris sententiæ immobiles solâ earundem dilucidâ manifestatione consistunt. Qua in re summoperè etiam commendandum est sagax, vehementisque Auctoris studium in aperiendo quid sibi velint, ac valeant locutiones quædam apud doctrinæ sacræ Professores: videmus etenim ratiocinationes plerumque fieri solo verborum tinnitu graves, doctrinæ tamen pondere vacuas, & à rerum veritate penitus alienas. Jam quis ferat homines (cujuscumque ii, seu nostræ, seu alienæ opinionis fuerint) qui Theologicos sensus non à Philosophis modò, sed & à Grammaticis mutuò accipere deprehendunt? Quasi verò eorum, qui terrena sapiunt, lumen de cœlestibus debeat, aut valeat judicare. Non de verè Theologis mihi sermo, quibus solis deberet Theologicarum rerum tractatio permitti, & expositio reservari. Sacra ergo doctrina plerumque utitur haustis aliunde vocabulis, quæ citra dignitatis suæ, majestatisque jacturam suis sensibus fervire permittit, aut cogit: & quemadmodum à sensibilibus rebus acceptas imagines (nihil enim mihi cum redi-vivo Platone) ad habendam spiritualium, supernaturaliumque notionem, mirabili virtute sublimat: ita sensibilibus nomina, & ad res sensibiles signandas imposita, altiori significandi potestate nobilitat. Hinc familiare Thomistis dicere *Prædeterminationem physicam; ac sufficientem potentiam viribus adhuc augendam; & efficacem gratiam irresistibilem*; quin censoriam eorum virgulam metuant, qui amplissimas sacræ doctrinæ sententias deprimentes, Grammaticæ cancellis arctare, aut ad Philosophiæ redigere nituntur angustias; ac veluti carceri traditas, immeritas deinde pœnas subire compellunt. Omnia hæc noster Auctor disertè, subtiliterque pertractat. In primis enim qua ratione, quo sensu fuerit à nostratibus *Physicæ prædeterminationis* nomen admissum, re significatâ incolumi, perspicuè demonstrat. *Admissum* dixi: id enim nominis è gravissimæ Societatis Jesu Gymnasis ad nostra migrasse testatur insignis ille Theologus, Mercedarii Ordinis eximium decus, & ornamentum

tum perpetuum, Franciscus, inquam, Zumèl Tom. variar. Disp. in 1. p. & 1. 2. Disp. 3. sect. 2. §. *Ego sanè*, pag. *mibi* 66. & ibid. Disp. 5. sect. 1. §. *Hanc gratiam: Consent*, inquit, *Auctores opposita sententiæ esse vocandam* (Præmoventem Grati-
tiam) *Prædeterminationem physicam; cujus vocabuli ipsi primi Inventores fuerunt*. Hæc ille ibi, ubi proprias Scholæ nostræ voces commemorat, & enucleat. Neque vocabuli *Præmotionis physicæ* usum meritò permissum fuisse, nos latet. Quamquàm enim naturalium causarum ordo, infallibili præeunte motione, naturali necessitati subjeat; Divinæ tamen virtutis est, nullâ causæ liberæ necessitate impositâ, eamdem infallibili consecutione movere. Cui rei exprimendæ, ut præmonui, nobis vox propria non suppetit, qui supernaturalia, quin & spiritualia etiam, non nisi naturalium, corporearumque rerum speciebus, & vocabulis usi, dignoscimus. Quòd si novo forsan oporteret uti vocabulo, crediderim, *superphysicam*, potius, quàm *Præmotionem physicam* appellandam. Sed quid moramur in verbis? Ut enim appositè S. August. lib. 3. contra Academicos cap. 13. *Docuit etiam me* (Dialectica) *cum de re constat, propter quam verba dicuntur, de verbis non debere contendere. Et quisquis id faciat, si imperitiâ faciat, docendum esse; si malitiâ, deserendum*. Quantum autem id animadverti oporteat, ubi de sufficiente gratia, & potestate fit sermo, opportunè submonuit laudatus Zumèl, ubi nuper Disp. 4. sect. 2. conclus. 1. pag. 64. ubi rem hanc solitâ profunditate pertractat: ac rursus Disp. 5. sect. 1. pag. 170. §. *Adde*: ut scilicet sufficiens Gratia, & potentia à Theologis Theologicè, ut par est, non autem merè Grammaticaliter insumatur. Quo fit, ut non plenè capiam nunnullos, doctos aliòqui viros, qui naturæ infirmæ nullâ prorsùs, aut nullâ propemodum habitâ ratione, de Auxiliis Disputationes instituunt, totamque controversiam in simplici, nudâque concursu prævii speculatione constituunt, quæ proculdubidè est innocenti, & lapsæ naturæ communis: à qua sententia non me retrahent, qui communem Ecclesiæ Parentem Augustinum in aliam, vel invitum, trahere obnituntur. Quibus proinde (nec solis) durum, quin & absonum sonat, si voluntas nostra ab efficaci gratia non motionem tantum, sed etiam vires dicatur accipere. Auctor autem prudentior, diligentiorque mihi in horum tractatione videtur: sufficientem enim agendi potentiam, Christi gratiâ constitutam, Catholicè agnoscens, naturæ infirmitatem ob oculos habendam probè dignoscit: ut, licèt citra primævam salutem intelligatur potens, efficacissimas tamen vires per novam gratiam Salvatoris accipiat; nè, quæ robusta cecidit, deficiat infirma. Vires, inquam, juvantes, non necessitantes naturam: quibus salutaris operatio sit infallibili certitudine vera; non tamen antecedenti, ut ajunt, determinatione necessaria. Multa enim, quæ vix, aut ne vix quidem, mens humana capit, Divinæ virtuti concedenda non inficiabitur, qui se Deum non capere Christiana humilitate cognoscat. Quod argumentum adeò ille feliciter, sapienterque prosequitur; ut vix quidquam ultra desiderari posse videatur. Huic autem efficaci Mediatoris gratiæ voluntatem nostram non posse resistere, frequenter asserimus: hac tamen in re Theologorum expetimus, quin & efflagitamus auditum. Neque enim Grammaticorum more diversas virtutes vicissim pugnantes, ac se se in invicem collidentes adstruimus, quarum altera alteri potentiori necessariò succumbat. Quinimmodò ad hunc sensum, *posse resistere*, falsum; *non posse resistere*, dicemus ineptum; non secùs ac si voluntas suo ipsius velle, posse, aut non posse resistere, sive ignis posse, aut non posse calori resistere diceretur. Præcluditur enim præsa contradictioni aditus, cum subjectorum extranea conditio verbi subterfugit energiam. Itaque, ubi dicimus, illam efficaci gratiæ non posse resistere; nihil aliud significare nitimur, quàm quòd *non resistere*, seu velle secundum gratiam, donum Dei in ipsâ designet, & sit. Dum autem vult, fieri non potest, ut nolit simul, aut resistat; cum ex dono Dei habeat & non resistere, & nolle resistere, seu repugnare. Neque enim fieri potest, ut repugnare nolens repugnet, aut à Deo habens repugnare nolle, nihilominus repugnare nitatur. Quamobrem certò mihi persuadeo hac in re eum dumtaxat refragari posse Thomistis, qui vel eorum scita non calleat, vel aliorum quoque Theologorum placita contemnat, aut nesciat. Parùm enim refert ad sententiæ de gratia efficaci irresistibili veritatem, an hæc hinc, vel inde hauriat efficaciam. Quamquam autem non exigua sint, quæ de laudati Auctoris opere hactenus enuntiavimus; id sanè longè majus est, quòd Thomisticæ Scholæ partes ab hostilibus novatorum incurribus defendendas, qua par est;

est, virtute, & veritate susceperit. Blasphemamur enim Divi Thomæ Discipuli ab his, qui se dicunt Judæos esse, & non sunt, Apoc. 2. ab illis nimirum, qui & Fidem, & Thomam ore jactant, corde tamen probantur nutrire Jansenium: & veritati bellum indicturi, quod inane gerunt, callidè nobis Doctoris nomen objiciunt. Vicit Thomas Lutherum, vicitque Calvinum: iniquum proinde Sectariis visum est bellum, quod adversus ipsos sub tanti Doctoris umbra albis semper avibus gereretur. Hinc novum stratagemata meditati, ut tutior lateret eorum hæreseos anguis in herba, Angelicæ Doctrinæ speciem obtenderunt. Quanta verò hinc hallucinatio, quanta confusio, utinam necdum experientia docuisset! Expectabant illi, adeo Thomistica castra turbanda, ut, nè in ipsos irruerent, vel reverentia retraheret; aut Thomistarum acies invadere, Religioni dandum putaretur: quasi verò sperari posset, Ecclesiam minùs Doctorem Angelicum, quàm Saulem Cinæum, curaturam. Quæ cum ita sint, habent in hoc volumine redditam rebus speciem Catholici, defæcatam scilicet Thomistica Scholæ doctrinam, & adversantium fraudem apertè detectam, ut Catholicos ab omni pressura, & formidine liberos antiqua, & sancta maneat rixa columbarum; idest, disputandi libertas. Nos enim (ut appositè Hieronymus epist. 94. ad August.) *inter nos eruditionis causâ differimus*. Paucisque interjectis, hæc (quibus eruditissimum Auctorem, cui hac in re omninò consentio, merito possim compellere) verba subnectit: *Mihi autem decretum est, te amare, te suspicere, colere, mirari, tuaque dicta, quasi mea defendere*. Sed & Hieronymus ipse nos monet ibidem, ut gravissimos Viros, qui à nostra doctrinâ probabilibus nixi momenti abscedunt, ad reprimendum totis viribus Novatorum conatus, quibus lucem, & tenebras, nostrorūve sensus, & errores suos, confundere satagunt, invitemus: *Magisque demus operam, ut perniciosissima hæresis de Ecclesiis auferatur, que semper simulat pœnitentiam; ut docendi in Ecclesiis habeat facultatem*. Censeo itaque, nihil toto hoc volumine Ecclesiæ doctrinæ adversum, vel bonis moribus absonum contineri. Sic sentio, salvo semper, &c. Ex Conventu S. Hadriani de Urbe die XIX. Augusti anno reparatæ salutis 1729.

Fr. Didacus Tellius Lasso de la Vega.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo. Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

I N D E X

DISPUTATIONUM, ET DUBIORUM,

Quæ in hoc Opere continentur.

DISCURSUS PROLOGOMENUS
AD TRACTATUM DE GRATIA. pag. 1.

DISPUTATIO I.

De essentia, & constitutivo libertatis creatæ.

DUBIUM I. An post Adæ peccatum sit in homine libertas? Quid sit? Et qualis sit prima radix, nec non indifferentia libertatis constitutiva?

§. I. Datur in homine post Adæ peccatum libertas. 9.

§. II. Essentia liberi arbitrii explicatur. pag. 11.

§. III. Radix essentialis libertatis exponitur. 13.

PRIMA CONCLUSIO. Indifferentia rationis, seu judicii est radix libertatis. pag. 14.

SECUNDA CONCLUSIO. Electio voluntatis pendet essentialiter ab ultimo judicio rationis. 15.

§. IV. Ex parte judicii requiritur ad libertatem indifferentia composita cum motione Dei efficaci, qua stante indifferentia, voluntas non potest à Deo necessitari. 19.

DUBIUM II. An liberum hominis arbitrium sit non solum à coactione, sed etiam à necessitate liberum? §. I. 20.

§. II. De Fide est voluntatem lapsam esse à necessitate liberam. 24.

§. III. Horum Hæreticorum opinio est annumeranda inter extraneas Philosophiæ opiniones. 27.

§. IV. Solvuntur argumenta. 29.

DUBIUM II. An ad indifferentiam liberi arbitrii requiratur, quòd æquales sint in voluntate vires? §. I. 36.

§. II. PRIMA CONCLUSIO. Ut quis liber sit à peccato, dum ab eo retrahit vis victricis gratiæ, necesse non est, habere potentiam eandem rejiciendi, viresque æquales, aut proportionatas attractivo gratiæ. 38.

§. III. SECUNDA CONCLUSIO. Ut liberè fiat supernaturalis actio, non requi-

ritur potentia completa, per hoc quòd habeat vim æqualem, aut proportionatam violentiæ tentationis. 43.

§. IV. TERTIA CONCLUSIO. Non requiritur ad libertatem, nec juxta veritatem, nec minus secundum Fidem, potestas rejiciendi victricem gratiam, vel gratiæ ab intrinseco efficaci resistendi. 49.

§. V. Contraria solvuntur argumenta. 53.

DUBIUM IV. An liberum arbitrium constituatur per hoc, quòd possit resistere gratiæ victrici. 56.

§. I. Explicantur termini Canonis 4. sess. 6. pag. 56.

§. II. Potestas, quæ juxta Concilium est in libero arbitrio, est potestas resistendi, ac dissentiendi Deo excitanti, atque vocanti. 58.

§. III. Solvuntur argumenta ex opposito. pag. 60.

DISPUTATIO II.

De subjectione liberi arbitrii creati Deo, naturæ, & gratiæ auctori.

DUBIUM I. An liberum hominis arbitrium in suis prædicatis essentialibus importet subordinationem Dei ad nos?

§. I. Deum subjici, aut subordinari creaturæ nullo sensu dici potest. Rejiciuntur modernæ aliquorum locutiones. 68.

§. II. Repugnat aliquod decretum liberum in Deo omnipotentiam à libertate creatæ determinabilem, vel ipsi subordinatam statuens. 71.

DUBIUM II. Utrum libertas nostra essentialiter includat subjectionem, & subordinationem Deo?

§. I. Pars affirmativa statuitur. 80.

§. II. Solvuntur argumenta ex SS. PP. 83.

DUBIUM III. An subordinationis liberi arbitrii Deo talis sit, ut divina virtus causet tam substantiam, quàm modum actus liberi?

§. I. Conclusio affirmativa statuitur. 89.

§. II. Solvuntur argumenta. 93.

INDEX

DISPUTATIO III.
De gratia excitante, & efficaciter adjuvante.

DUBIUM I. *In quo consistant concursus Dei præveniens, vocans, & excitans, ab efficaciter adjuvante distincti?*

§. I. *Quid sit gratia præveniens, & qualis ejus causalitas apud Contrarios?* 98.

§. II. *Breviter impugnatur hæc Recentiorum doctrina.* 99.

§. III. *Quid re vera sit gratia ista præveniens, & excitans.* 102.

PRIMA CONCLUSIO. *Præter, & ultra auxilia gratiæ consistentia in actibus intellectus, & voluntatis, requiritur auxilium, quo Deus efficiat sanctas cogitationes, & subitos motus voluntatis, quibus piè afficitur ad bona honesta, & ulterius auxilium ad agendum juxta hujusmodi cogitationes, & motus.* 102.

§. IV. **STATUITUR SECUNDA CONCLUSIO.** *Gratia præveniens sumpta primordially in quibusdam auxiliis à solo Deo libero arbitrio impressis, quibus excitatur, & movetur ad cogitandum, & amandum bonum supernaturale.* 107.

§. V. **STATUITUR TERTIA CONCLUSIO.** *Auxilia ista conferunt virtutem, & sufficientiam ad actum tam necessarium, quàm ad actus perfectos, seu perfectè liberos. Applicant, & determinant voluntatem, & intellectum ad actus salutes, sive auxilium, dans pariter applicationem ad actum indeliberatum, sit realiter distinctum ab auxilio dante sufficientiam ad eundem actum, sive non?* 108.

DUBIUM II. *In quo consistat gratia efficaciter adjuvans, ut ab excitante distincta.*

§. I. *Quibusdam præsuppositis, explicatur qualis sit apud Adversarios gratia adjuvans.* 114.

§. II. *Gratia excitans est realiter distincta ab adjuvante.* 117.

DISPUTATIO IV.
De existentia physica prædeterminationis, seu gratiæ efficaciter adjuvantis voluntatem, & actionem, nec non voluntatem, & actionem prævenientis. 127.

§. UNICUS. *Præmittitur clara, & perspicua notio hujus termini physica prædeterminatio.* 128.

DUBIUM I. *An detur ex Sacris Litteris*

gratia efficax præveniens consensum ab excitante distincta. §. I. 132.

§. II. *Alia Contrariorum solutio rejicitur.* pag. 137.

§. III. *Aliter impugnatur eadem solutio.* pag. 141.

§. IV. *Ostenditur, quibus hæc solutio impletur inconvenientibus.* 143.

§. V. *Solvuntur argumenta.* 145.

DUBIUM II. *An gratia ab intrinseco efficax sit de mente Conciliorum?* 153.

§. I. *Præmittitur brevis Actorum Pelagii notitia; atque ex sensu hæresis ejus, simulque ex doctrinis Conciliorum Diospolitani, Milevitani, & Carthaginensis illum damnantium deducitur, gratiam se ipsa efficacem Patres tenuisse, & grassanti errori objecisse.* pag. 154.

§. II. *Eadem gratia per se ipsam efficax probatur ex Concilio Arausicano II.* pag. 158.

§. III. *Probatur gratia per se ipsam efficax ex Sacro Concilio Tridentino.* 165.

§. IV. *Gratia ab intrinseco efficax probatur de mente D. Augustini.* 178.

§. V. *De mente D. Thomæ ostenditur gratia ab intrinseco efficax: tangitur ex occasione locus S. Fulgentii, atque ab aliis magnis Viris testimonia petuntur.* 184.

§. VI. *Aliorum SS. PP. auctoritate probatur.* 193.

§. VII. *Ex auctoritate Theologorum Scholasticorum novum sumitur argumentum.* 198.

DUBIUM III. *An gratia ab intrinseco efficax Theologicis rationibus probari possit necessaria in statu nature corruptæ?* 205.

§. I. *Probatur primò necessitas gratiæ ab intrinseco efficacis ex necessitate Divinæ motionis.* 205.

§. II. *Necessitas gratiæ ab intrinseco efficacis ex oratione probatur.* 211.

§. III. *Ejusdem argumenti valida prosecutio: diluitur difficultatis species, quæ pro contrariis objici solet.* 221.

§. IV. *Gratia ab intrinseco efficax probatur ex eo, quod opera nostra bona sint dona Dei.* 228.

§. V. *Ex repugnantia creature inconvertibilis à Deo probatur gratia ab intrinseco efficax.* 237.

PRIMA CONCLUSIO. *Repugnat, quod detur Creatura à Deo inconvertibilis.* pag. 238.

§. VI. SE-

DISPUTATIONUM.

§. VI. **SECUNDA CONCLUSIO.** *Evidentia illationis à negatione gratiæ ex se efficacis ad creaturam à Deo inconvertibilem ostenditur.* 246.

§. VII. *Solvuntur argumenta.* 249.

DUBIUM IV. *An gratia ab intrinseco efficax necessaria fuerit in statu nature innocentis, & integræ.* 251.

§. I. *Præmittitur brevis doctrina triplicis status, sub quo considerari potest natura humana.* 251.

§. II. *Adamus in statu innocentie opus habuit ad bonam voluntatem, atque ad bene agendum, & perseverandum, gratiæ physice prædeterminante, seu adjutorio quo ab intrinseco efficaci, seu adjutorio voluntatis, & actionis.* 256.

§. III. *Solvitur difficultatis nodus, qui à contrarium sentientibus argumenti loco accipitur.* 261.

§. IV. *Quænam est illa major, & potentior gratia vires efficacissimas præbens, quàm affirmat Augustinus necessariam in statu nature corruptæ.* 266.

DISPUTATIO V.
De concursu Dei ad actum peccati. 277.

DUBIUM I. *An Deus concurrat ad formale, & materiale peccati.*

§. I. *Vindicantur Thomistæ ab erroribus Hæreticorum, & mens Tridentini exponitur.* 279.

§. II. *Vindicantur Thomistæ ab alia impostura facta, & referuntur sententiæ.* pag. 283.

§. III. *Deus nullatenus concurrat ad formale peccati, nec est causa per accidens malitiæ, & deformitatis.* 286.

§. IV. *Prima ratio conclusionis probativa proponitur.* 287.

§. V. *Secunda ratio probativa conclusionis proponitur.* 291.

§. VI. *Concursus purè permissivus datur in Deo ad formale peccati.* 294.

§. VII. *Solvuntur argumenta.* 297.

DUBIUM II. *An Deus immediatè concurrat ad actum peccati, & suo concursu verè sit causa illius?* 306.

§. I. *Deus immediatè concurrat ad entitatem peccati.* 307.

§. II. *Deus suo concursu verè est causa entitatis peccati.* 308.

§. III. *Sanctitas, & puritas concursus Divini ostenditur.* 312.

§. IV. *Solvuntur argumenta.* 313.

DUBIUM III. *An Deus sic causet entita-*

tem peccati, quod prædeterminet voluntatem ad illam?

§. I. *Affirmativa sententia defenditur.* pag. 315.

§. II. *Solvuntur argumenta ab auctoritate.* 318.

§. III. *Solvuntur argumenta à ratione.* pag. 321.

DISPUTATIO VI.
De concordia libertatis cum gratia ab intrinseco efficaci.

DUBIUM I. *An, & qualis sit potestas, seu dominium arbitrii super suos actus?* pag. 332.

§. I. *In quo consistat gratia sufficiens ab efficaci distincta, & qualis sit propria hujus nominis notio?* 332.

§. II. *An ex voluntate antecedente, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, detur omnibus gratia sufficiens ad salutem?* 338.

§. III. *Distinctio sensus compositi, & divisi explicatur.* 348.

§. IV. *Vera sensus compositi, & divisi intelligentia.* 351.

§. V. *Qualis sit potestas antecedens, & consequens liberi arbitrii;* 357.

DUBIUM II. *Utrum auxilium ab intrinseco efficax componatur cum libertate creata?*

§. I. *Pars affirmativa probatur ex eo, quod gratia ab intrinseco efficax est maxima liberi arbitrii perfectio.* 363.

§. II. *Secunda probatio ex modo mirabili, quo Deus voluntatem ad actus liberos movet.* 366.

§. III. *Idem assertum probatur ex conceptu essentiali libertatis creata.* 368.

DUBIUM III. *Utrum gratia physice prædeterminans sit à nostra voluntate resistibilis, & impossibilitas ei resistendi pugnet cum libertate?* 373.

§. I. *Gratia ab intrinseco efficax non est resistibilis à voluntate creata.* 379.

§. II. *Vindicatur doctrina Thomistarum ab hæresi secundæ Jansenii propositionis: interiori gratiæ in statu nature lapsæ nunquam resistitur.* 378.

§. III. *Prædeterminatio ad consensum non pugnat cum libertate liberi arbitrii, ex quo irresistibilis sit.* 385.

§. IV. *Solvuntur argumenta.* 388.

DUBIUM IV. *An argumenta contra physicam prædeterminationem sint lumine naturali solubilia?* 394.

§. I. Utrum

§. I. Utrum à voluntate prædeterminata ad actum excludatur contrariis argumentis potestas ad omissionem? 395.	carnationis Dominicæ 1713. 5. Idus Septemb. edita. 45.
§. II. An prædeterminatio excludenda sit ex eo, quòd potestas ad omissionem non sit potestas ad non esse prædeterminationis? 401.	DUBIUM I. De infallibili Summi Pontificis in definiendo auctoritate. 45.
§. III. An removenda sit præmotio physica ex eo, quòd voluntas libera non possit impedire complexum ex prædeterminatione, & actu? 403.	QUÆSTIO I. An Summus Pontifex errare possit in doctrina fidei, vel morum pag. 461.
§. IV. Utrum excludatur libertas, aut præmotio ex eo, quòd voluntas non possit tollere sensum compositum prædeterminationis, & actus? 408.	§. I. Statuitur Conclusio, & hujus primæ probatio ex Scripturis. 461.
§. V. An ad libertatem requiratur, quòd voluntas tollere possit dependentiam actus à prædeterminatione? 411.	§. II. Secunda probatio ex traditione, auctoritate Summorum Pontificum, Conciliorum, & SS. PP. desumpta. 464.
§. VI. Utrum libertas creata requirat potestatem verificandi, aut falsificandi præmissus, ex quibus infertur necessarium ad actus, vel omissionis existentiam? 413.	§. III. Ex auctoritate D. Thomæ, & invito S. Doctoris argumento ultima probatio. 469.
§. VII. Reliqua solvantur argumenta. pag. 424.	QUÆSTIO II. An detur locus appellationi definitivæ Summi Pontificis sententiæ ad Concilium Generale. 475.
DUBIUM V. An concordia gratiæ ab intrinseco efficacis cum libero arbitrio sit evidenter credibilis? 428.	§. I. Nullitas appellationis gravissimis fundamentis declaratur. 475.
§. I. Primum credibilitatis fundamentum sumitur ex argumentis Traditionis Apostolicæ. 432.	§. II. Aliud ex praxi Ecclesiæ à Concilii appellandi Romam, & Sanctæ Sedis absque generali Synodo dammandi hæreses, sumitur argumentum. 480.
§. II. Novum credibilitatis fundamentum desumitur ex auctoritate Summorum Pontificum. 439.	§. III. An provocatio à Summo Pontifice in rebus fidei, & morum ad Concilium generale sit practicè probabilis? 490.
§. III. Tertium credibilitatis fundamentum ex antiquitate doctrinæ. 447.	DUBIUM II. Utrum æquissima sit contræpropositiones Paschasii Quæsnelli, quæ ad tractatum de gratia pertinent, Sedi Apostolicæ sententiæ? 495.
§. IV. Solvantur argumenta. 452.	§. I. Proponuntur propositiones, quibus justis conantibus, seu volentibus, negari gratiam, quæ Dei præcepta sunt ipsi possibilis. 498.
DISPUTATIO VII.	§. II. Examinantur propositiones, in quibus Quæsnellus nullam gratiam interiori resistibilem à voluntate agnoscit, sed solum irresistibilem necessitantem. 517.
De doctrina Scholæ S. Thomæ ab extraneis imposturis vindicata, occasione à Novatoribus accepta ex Sacrosancta Constitutione, quæ incipit Unigenitus, anno Incarnationis Dominicæ 1713. 5. Idus Septemb. edita. 45.	§. III. Examinantur propositiones circa efficaciam Divinæ voluntatis. 528.



DISCURSUS PROLOGOMENUS

AD TRACTATUM

DE GRATIA

Physicè prædeterminante, seu ab intrinseco efficaci,
& Concordia libertatis.



UM ineffabiles, & infiniti Sapientiæ, & ac Scientiæ Dei thesauri non hauriantur satis nisi juxta beneplacitum illius, qui fecit omnia in pondere, numero, & mensura, gratiæ ab intrinseco efficaciæ necessitas, ejusque cum libertate liberi arbitrii concordia, vel ex hoc humanæ menti indissolubile agnoscitur Sacramentum. Quare justissimum, & misericordiosissimum gratiæ ab intrinseco efficaciæ auxilium commendans M. P. Augustinus, versansque profundissimæ hujus quæstionis argumentum: cur unus in accepta justitia perseveret; & non alter? Cur unus præ altero Divinæ consentiat vocationi? Ad inscrutabilia remittit judicium. Sic lib. de Don. persever. cap. 9. Ex duobus itaque parvulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur. Et ex duobus ætate jam grandibus impiis; cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur; ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt judicium Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non detur; inscrutabilia sunt judicium Dei. Et cap. 12. sed quare illos, potius quàm illos? Iterùm, atque iterùm dicimus, nec nos piget: ò homo tu quis es, qui respondeas Deo? Inscrutabilia sunt judicium ejus, & investigabiles viæ ejus. Et hoc adjiciamus: altiora te nè quæsieris, & fortiora te nè scrutatus fueris. Et cap. 12. in fin. Cur autem illi habeant aures

audiendi, illi non habeant: hoc est, cur illis datum sit à Patre, ut veniant ad filium, illis autem non sit datum, quis cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit? Aut tu quis es, ut respondeas Deo? Numquid idè negandum est, quòd apertum est; quia comprehendere non potest, quòd occultum est? Numquid inquam, propterea dicturi sumus, quòd ita esse perspicimus, non ita esse, quoniam cur ita sit, non possumus invenire? Et lib. 2. de peccat. mer. & remis. cap. 18. num. 32. Consilium occultioris justitiæ penès ipsum est. Nos quantum concessum est, sapiamus, & intelligamus, si possumus, Dominum Deum bonum idè, etiam Sanctis suis, alicujus operis justii aliquando non tribuere, vel certam scientiam, vel vittricem delectationem, ut cognoscant non à se ipsis, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminentur tenebræ eorum, & suavitatem, qua det fructum terra eorum. Et lib. 1. ibi: cap. 21. n. 29. Valde ergo pravum sensum habemus ad discutiendam gratiam gratuitam nullis meritis præcedentibus, non inquam, quæ non tam movet, cum præstatur indignis, quàm cum æquè indignis aliis denegatur. Et lib. de grat. & liber. arbitr. cap. 1. Sunt quidam, inquit, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent liberum hominis arbitrium: aut quando gratia Dei defenditur, negari existiment liberum arbitrium. . . . itaque, dilectissimi, nè vos perturbet hujus quæstionis obscuritas. Et Epist. 26. ad Valentinum, nunc Ep. 21. n. 6. Aut, inquit, non intelligit librum meum, aut fortè ipse non intelligitur, quando difficillimam quæstionem, & paucis intelligibilem solvere, atque enodare conatur. Ipsa enim est quæstio de gratia Dei, quæ facit, ut homines non

intelligentes putarent Apostolum Paulum dicere, faciamus mala, ut veniant bona. Unde Apostolus Petrus in 2. Epist. sua: quapropter, inquit, chrissimi hæc expectantes satagite inviolari, & immaculati apud Deum reperiri in pace, & Domini nostri patientiam, salutem existimate. Sicut & dilectissimus frater noster Paulus secundum eam, quæ data est ei, sapientiam scripsit vobis, ut & in omnibus Epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quedam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles homines pervertunt, sicut & ceteras Scripturas ad proprium suum interritum.

2. Quare inter difficilia humanæ menti agnoscens mysterium hoc, quod est veluti fons signatus, conclususque hortus, quem dignè, nec hominum, nec Angelorum sapientia valet referare, lib. de Corrept. & grat. cap. 5. n. 8. exclamat: Sed quare isti sic, illi aliter, atque alii aliter diversis, & innumerabilibus modis vocentur, ut reformentur, absit, ut dicamus, iudicium luti esse debere, sed figuli. Et ibi cap. 8. num. 17. Me ignorare respondeo. Non enim arroganter, sed agnoscens modulum meum, audio dicentem Apostolum: O homo tu quis es, qui respondeas Deo. Et lib. de Spirit. & litter. cap. 3. Si quis me interroget, cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur, isti autem non, duo solum occurrunt, quæ respondere mihi placeat: O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei! Et: numquid iniquitas apud Deum? Cui hæc responsio non placet, quærat Augustino doctiores, sed caveat, ne inveniat præsumptiores. Ut sic intelligamus omnes, quod quisquis secundum suæ voluntatis beneplacitum ñpernam gratiæ efficacis intelligentiam assequi conatus fuerit, præsumptionis vitio seductus, atque ignorantie tenebris circumseptus, non intellectum, sed prorsus iudicium de sua reportabit audacia, dicente Augustino lib. de Don. persever. cap. 19. Hoc scio, neminem contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas defendimus, nisi errando disputare potuisse. O ergo elata præsumptio! O tumens humana existimatio! O indocta scientia, & nescia doctrina! Quid terminos excedens suos, ut ad Dei ascendat sapientiam, extollitur, & inflatur?

3. Hinc prima mali labe, hinc venenata tot hæresum, & errorum zizania, hinc orta Hæreticorum rebellio, primaque radix tot contentionum; semperque nata acrior in Ecclesiâ de Concordia libertatis disputatio, quæ per tot sæcula SS. PP. & Theologorum exercuit ingenia. Hinc tandem jactata tot hæresum fluctibus, errorumque ventis concussa Ecclesiæ circa gratiam navicula, impulsâ pluries, agitata, vexata; at licet gravius laborans, eversa nunquam; integra stat, stetit, semperque victrix, & gloriosa stabit doctrina hæc: quam Deus Pater totius confolationis, apto, optatoque subveniens remedio, victricem semper in tranquillitatis portum vindicat, & Hæreticos vaftris argutiis

luis, & dolis ipsam supplantare conantes confundit.

4. Ita sanè est, quod mysterium gratiæ prædestinationis, & gratiæ ignorari non vult Apostolus, ut loquitur Epist. ad Rom. cap. 11. nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut non sitis vobis ipsis sapientes. At si in doctrina prædestinationis omnia ignorare velle, infidelitas est, & omnia scire velle, superbia, & præsumptio est, hic cessare debet omnis mundanæ scientiæ curiositas, omniſque perſpicacia naturalis ingenii, omniſque præceps agitata, & deordinata, si quæ est, quod abiit, contra sententiam gratiæ ab intrinseco, ut defendo, efficacis affectio. Non enim, ut ita dicam, ab homine, aut per hominem initiatum fuit gratiæ efficacis mysterium. Non Scholæ Thomisticæ industria, non intellectuali Discipulorum suorum discussione, inventum. Nobis nihil, ut Tertulliani verbis utar de præscript. cap. 6. de nostro arbitrio inducere licet; sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus Auctores, qui nec ipsi quidem ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignaverunt. Fuit hæc doctrina priorum, subiequentium, necnon & posteriorum sæculorum, quam quovis tempore, ad revincendos errores circa gratiam, habuit Ecclesia, quæ cum non sit doctrina temporum, vel secundum eorumdem successione, & eadem semper, & immaculata perseverat, ut asserit Summus Pontifex Hormisdas Epist. ad Possessorem: De arbitrio tamen libero, & gratia Dei, quid Romana, hoc est Catholica sequatur, & assereret Ecclesia, licet in variis libris B. Augustini, & maxime ad Hilarium, & Prosperum, possit cognosci; tamen in Scribitis Ecclesiasticis expressè capitula continentur, quæ si tibi desunt, & necessaria credis, destinabimus: quamquam qui diligenter Apostoli dicta considerat, quid sequi debeat, evidenter cognoscat. Ergo nobis curiositate opus non est, nec humani ingenii inquisitione post tot clarissima Sacræ Scripturæ, SS. PP. & Conciliorum testimonia. Summæ namque imperitiæ argumentum erit, reprobare velle, quod SS. PP. efficacissimis probarunt argumentis, & quod humiliter, & fideliter à primis sæculis fuit in Ecclesia traditum. Quis evanidam non censeat ipsorum intelligentiam? Credendum nè illis, qui tam cæco partium studio abripiuntur, qui se ipsos mutuo in propria caula, & testes, & Iudices appellant, ac laudant; qui se in Angelos lucis figurantes, nudo jam capite, occulta Dei iudicia, & investigabiles vias ejus se proclamant assecutos, ut Ecclesiam à veteri doctrinâ, post tot evolutos annos, in novam sensum, paulatimque traducant?

5. Hoc iterum dico, est dissolutæ humanæ libertatis fructus; est malæ impense libertatis affectus; fuit & hæresum radix, & origo,

ut

ut probat pravum illud Pelagianorum effatum, quod ratio arguit, non potest auctoritas vindicare. Erravit Origenes nimio plus tribuens libero arbitrio, docens, quidquid gratiæ nobis largitur Deus, totum id nostræ voluntatis arbitrio acceptum esse referendum. Quod si gratiæ auxiliis nos egere aliquando agnoscat, gratiam solum voluntatis nostræ pedissequam, ad ejuſque nutum compositam, & promeritis à Deo in homines erogatam, non excitantem, non gratis datam, admittit. Erravit Pelagius, cuius doctrina, teste S. Hieronymo, Origenis Ramusculus est, qui gratiæ nomine saltem omisso, solum naturam in principio suæ hæresis sufficere dicebat, ac parem ad omnia Dei mandata observanda, tentationes superandas, ad ipsam denique vitam æternam assequendam. Unde disputantes Pelagiani contra gratiam pro libero arbitrio, fecerunt, inquit Augustinus serm. 26. aliàs 11. de verbis Apost. cap. 7. auribus piis, & Catholicis offensionem. Cæperunt horreri; cæperunt ut certa perniciæ devitari &c. non valentes ratione naturali gratiam actualem voluntatis, & actionis, quæ virtute sua invicta, indeclinabili, & insuperabili, voluntatem ad agendum applicat, & determinat, cum libertate componere. Et omnis creatus, & creabilis intellectus semper hallucinabitur, qui reconditam, admirabilem, & immensam tanti arcani profunditatem, tenuitate intelligentiæ humanæ assequi velit. Hoc scio, inquit Augustinus de Don. persever. cap. 19. neminem contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas Sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse. Puto tamen eis, qui de hac re sententias tractatorum requirunt, Sanctos & in fide, atque doctrina Christiana, laudabiliter usquequaque diffamatos viros, Cyprianum, & Ambrosium, quorum tam clara testimonia posuimus, debere sufficere, & debere ad utrumque, id est, & gratiam Dei gratuitam, sicut credenda, atque prædicanda est, per omnia credant, & per omnia prædicent, & eandem prædicationem prædicationi, qua hortamur pigros, vel corripimus malos, non opinentur adversam: quia & isti viri cum sic prædicarent Dei gratiam, ut unus eorum diceret, in nullo gloriantur, quando nostrum nihil sit: alter autem, non est in potestate nostra cor nostrum, & nostræ cogitationes: non tamen hortari, & corripere destiterunt, ut fierent præcepta Divina. Hæc D. Augustinus; ex quibus infero, quod cum nequeant profundissima hæc naturalibus investigationibus metiri, aut assequi, standum, ejuſdem Augustini exemplo, auctoritati Conciliorum, & SS. PP. quorum doctrina quantum gloriæ Christi, Ecclesiæ, necnon salutis fidelium expediat, nè supprimatur, aut obſcuretur, universus Christianus Orbis iudicabit.

6. Nec nobis opponant, quod doctrina gratiæ nunc præberi, aut illo præberi modo non possit, quo fuit olim à SS. PP. tradita, in-

nixi forsàn auctoritate Angelici Præceptoris Opuſc. 1. in Præfat. ad Urbanum Papam, dicentis: Exorti circa fidem errores occasionem dederunt, ut ea, quæ sunt fidei, majori circumſpectione traderent. Et idè non est mirum, si moderni fidei Doctores post varios exortos errores, cautius, & quasi elimatius loquuntur circa doctrinam fidei. Hoc enim certissimum est, hoc & omnibus persuasum esse debet. Quod & toties inculcat Augustinus: Ita de Don. persever. lib. 2. cap. 20. Omnia itaque Dei dona, quæ in eodem Opere sive optavi, sive laudavi, quis non dicam negare, sed dubitare sultem audeat, Deum daturum se esse præscisse, & quibus daturus fuerit, nunquam potuisse nescire? Hæc est prædestinatio manifesta, & certa Sanctorum: quam postea diligentius, & operosius, cum jam contra Pelagianos disputarem, defendere necessitas compulit. Dicimus enim, singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentius defenderetur Scriptura Divina, quam si nulla talis necessitas coegeret. Quid autem coegit loca Scripturarum, quibus prædestinatio commendata est, copiosius, & enucleatius isto nostro labore defendi, nisi quod Pelagiani dicant, gratiam Dei secundum merita nostra dari: quid quid est aliud quàm gratiæ omnino negatio? Et in Psal. 54. Etenim Hæreticis exerta est Catholica, & ex his, qui malè sentiunt, probati sunt, qui benè sentiunt. Multa enim latebant in Scripturis; & cum præcisi essent Hæretici, quæstionibus agitaverunt Ecclesiam Dei. Aperia sunt quæ latebant, & intellecta est voluntas Dei. Inde dicitur in alio Psalmo, congregatio Taurorum inter Vaccas Populorum, ut excludantur hi, qui probati sunt argento. Excludantur enim dixit, emineant, eant, appareant. Unde dicuntur & in arte argentaria exclusores, id est, ex quadam confusione massæ suæ formæ expressores. Ergo multi, qui optime poterant Scripturas dignoscere, & pertractare, latebant in Populo Dei: nec afferebant solutionem quæstionum difficultium, cum calumniator nullus insisteret. Numquid enim perfectè de Trinitate tractatum est, antequam oblatrarent Arriani? Numquid perfectè de penitentia tractatum est, antequam contradicerent foris positi rebaptizatores: nec de ipsa unitate Christi enucleatè dicta erant, quæ dicta sunt, nisi posteaquam separatio illa urgere cæpit fratres infirmos, ut jam illi, qui noverant, hæc tractare, atque dissolvere, nè perirent infirmi sollicitati quæstionibus impiorum, sermonibus, & disputationibus suis obscura legis in publicum deduxerunt. Et Psal. 67. Multi enim sensus Scripturarum Sanctarum latent, & paucis intelligentioribus noti sunt: nec asseruntur commodius, & acceptabilius, nisi cum respondendi Hæreticis cura compellit. Tunc enim etiam qui negligunt studia doctrinæ, sopore discusso, ad audiendū excitantur diligentiam, ut Adversarii resellantur. Denique quàm multi Scripturarum Sanctarum sensus de Christo Deo asseriti sunt contra Photinum, quàm multi de homine,

Christo contra Manicheum, quam multi de Trinitate contra Sabellium, quam multi de Unitate Trinitatis contra Arrianos, Eunomianos, Macedonianos? Quam multi de Catholica Ecclesia toto Orbe diffusa, & de malorum commixtione usque in finem sæculi, quod bonis in Sacramentorum ejus societate non obstat adversus Donatistas, & Luciferianos, aliosque, si qui sunt, qui simili errore à veritate dissentiunt: quam multi contra ceteros Hæreticos, quos enumerare, vel commemorare nimis longum est, & presenti Operi non necessarium. Quorum tamen sensum probati assertores, aut prorsus laterent, aut non ita eminerent, ut eos eminere fecerunt superborum contradictiones.

7. Ita sanè est, quod non omnis locutio SS. PP. etsi probatissima, in eodem gradu, & loco constituenda est. Sicut enim, alia claritas Solis, alia Lunæ, alia Stellarum. Stella enim differt à Stella in claritate, 1. ad Corint. 1. 5. ita alia est claritas Cypriani, Nazianzeni, Gregorii. Alia Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Prosperi, Fulgentii in materia gratiæ: quia cum ex illis quidam scripserint, priusquam certi errores prodissent, aut Ecclesiæ judicio essent confixi; minori propterea cautione quandoque locuti sunt, quam PP. posteriores. Sic Ecclesiasticos Scriptores excusat S. Hieronymus lib. 2. Apolog. adversus Rufinum, qui de Verbo Divino antequam Arrius nasceretur, innocenter, ut inquit, quædam, & minus cautè locuti sunt. Sic etiam D. Augustinus de Patribus, quorum auctoritate abutebantur Pelagiani, lib. de prædest. Sanctoi. cap. 14. ait: *Quid igitur opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum questione versari, quod proculdubio facerent, si respondere talibus cogerebantur? Undè factum est, ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam Scriptorum suorum locis attingerent; immorarentur vero in eis, quæ adversus alios inimicos Ecclesiæ disputabant.*

8. At in dubium vocari minimè potest, illos SS. PP. qui Catholicam doctrinam contra hæreses sui sæculi ab Ecclesia damnatas præcipuè defenderunt, maximam auctoritatem habere in illis Dogmatibus, quæ, approbante Ecclesia, defendenda susceperunt: v. g. maxima est auctoritas S. Athanasii, ubi agitur de Mysterio SS. Trinitatis, Verbi Consubstantialitate, quam adversus Arrianos propugnavit; S. Cyrilli, dum de Christi Incarnatione, quam adversus Nestorium defendit; S. Hieronymi, ubi de rebus, quæ ad Sacram Scripturam spectant, aut de Vigilanti erroribus disserit; S. Augustini, Hieronymi, Prosperi, & Fulgentii, ubi de gratia Christi, quam adversus Pelagium tutati sunt, agitur. His ergo SS. PP. plenius, qui in aliquo circa efficaciam gratiæ dubitant, instruendū sunt. Nil opinandum, quod ipsorum appareat doctrinæ contrarium. Procul pulsa

omni cæca quadam novitatis sectandæ pruriginè, omnique curiositatis affectu, in eorum doctrina firmi stabiles, & immobiles. Id enim tutissimum Theologis antiquitatem recolentibus, SS. PP. sequi vestigia, immotam oculorum aciem in ipsorum doctrinam intendere semper, quibus, nè quid minus nobis deesset de gloria veritatis, & ad nostram eruditionem, de ejus cognitione, Deus contulit Scripturarum scientiam, intellectum, & cognitionem, ut nobis manifestam facerent veritatis claritatem, sicut ad Africanos Episcopus scribit Summus Pontifex Zosimus Epist. 3. *Charitatem vestram tam Apostolicæ Sedis auctoritate, quam mutua amoris affectione commoneo, ut jam ingenia vestra Sanctarum omnium Scripturarum, quæ secundum traditionem PP. atque majorum præcepta sunt, præceptis, observationibusque sufficiant. Quid illi non abundans? Quid non Dei Spiritu, & vobis plenum sit? Nisi libet unumquemque plus sibi credere, suoque de se uti iudicio. Ut enim Ratram Monachus Corviensis scribit in libris ab ipso compositis de Prædest. Dei: Ne nos in culpam idè trahamur, si Sanctorum auctoritatem sequimur. Si enim quod illi dicunt Catholicum est, nec repugnans rectæ fidei, nos quoque non à Catholica Fidei rectitudine discrepare judicemur, si hoc dicamus, & sentiamus, quod illi dixerunt, & senserunt. Illorum enim doctrinam fides Ecclesiastica munitur: & nos, qui intra suam Ecclesiæ continemur, de illorum institutione imbuimur, nec aliud sentire præsumimus, nisi quod illi nos instituerunt; nec aliud ire, nisi quod ducunt: nec dicere aliud, nisi quod illi dicunt.*

9. Hoc maximè de S. Augustino in materia gratiæ intelligendum, præcedentium Summorum Pontificum consona prorsus attestatio comprimit, & ratio manifesta convincit. Quis immobiliter non credet M. P. Augustino, Doctori illi ineffabiliter mirabili, ac incomparabiliter honorando, in cujus laudem dixit Bonifacius II. in Epist. ad S. Cælarium Galliarum Primatem: *Atque idèd cum de hac re multi Patres, & præ cæteris, beata recordationis Augustinus Episcopus, sed & Majores nostri Apostolicæ Sedis Antistites, ita ratione probentur differuisse latissima, ut nulli ulterius deberet esse ambiguum, fidem quoque nobis ipsam venire de gratia, super sedendum duximus &c.* Et Joannes II. Item S. Augustinus, cujus doctrinam, secundum Prædecessorum meorum statuta, Romana sequitur, & servat Ecclesia. Sic & Cælestinus Papa in Epist. ad Episcopos Galliæ cap. 2. *Quod illum nunquam sinistra opinionis rumor aspersit, quem tanta scientiæ fuisse meminimus, ut inter Magistros optimos, etiam à meis semper Decefforibus haberetur.* Sic & alii Summi Pontifices; ut meritò ad tanti Doctoris æternum decus affirmat Clemens VIII. *Cum multi Pontifices, & Prædecessoris nostri doctrinam S. Augustini tam acres fuerint assertores, ac vindices, ut quasi hæ-*

reditario jure eam in Ecclesia relinqui voluerint; æquum non est, ut patiar illam hac hereditate privari. Cujus vestigiis laudabiliter inhærere volentes Alexander VII. Innoc. XII. & Clemens XI. hujus S. Doctoris doctrinam in publicum veritatis testimonium laudibus, quam plurimis illustrare, ut eorum approbatio omnibus esset efficacissimum securioris doctrinæ documentum, argumentum veritatis. Sed inter omnes audiendum SS. D. N. BENEDICTUS Papa XIII. quem Deus benevalentem, ac feliciter regnantem diu conservet, ad atterenda hæreticæ pravitatis molimina, ad suffocanda alia falsæ improbitatis semina, & ad inducendam in Ecclesia pacis tranquillitatem. Hic in sua Constitutione Ad Summi Dei gloriam data Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1728. decimo Kal. Octobris Pontificatus sui anno quinto, §. 6. *Nuncio tam sancti, tam gravis, & maturi iudicii Episcopalis ad nos perlato, præ gaudio exsultans cor nostrum, summaque ietivâ perfusi, gratias Deo egimus, quod suam gloriam in S. Augustini exuviis canonicè vindicatis augere voluerit, quem ob sancti moniam, atque intemeratam Doctrinam excellentiam, ut fulgentissimum Ecclesiæ lumen, Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Cælestinus, Gelasius, Hormisdas, alique Deceffores nostri Romani Pontifices, magno semper in honore habuerunt; nosque ipsi ut parentem æquè ac Magistrum veneramus, ut potè cujus Regulam, & Doctrinam in nostro Prædicatorum Ordine à primis adolescentiæ annis professi sumus, & fovente Deo, profitemur.* O æternum Augustini decus, ipsum æquè parentem, & Magistrum veneratur Benedictus, veneranda Prædecessorum suorum sequens vestigia; nam & Cælestinus Papa non contentus fuit S. Augustinum ex Antecessorum sententia collocasse inter Magistros Optimos, nisi etiam annumeraret inter suos, dum cap. 3. suæ Epistolæ ita loquitur: *Quia nonnulli, qui Catholico nomine gloriantur, in damnatis autem Hæreticorum sensibus, sive pravitate, sive imperitiâ demorantes, piissimis Disputatoribus obviare præsumunt, & cum Pelagium, & Cælestium anathematizare non dubitent, Magistris tamen nostris, tanquam necessarium modum excefferint, obloquantur &c.* Quod Summi Pontificis dictum, Magistris nostris, non ad Summos Pontifices Innocentium, & Zosimum, sed ad S. Augustinum refertur, quem norunt omnes piissimum Disputatorem contra Pelagianos.

10. Hæc, dum ego considero, cum S. Prospero exclamare vellem: *Contra istam clarissimè laudationis tubam, contra istam sacratissimi testimonii dignitatem, audeat quisquam maligna interpretationis murmur emittere, & perspicua, sincerissimæque sententiæ nubem obliquæ ambiguitatis obtendere!* Quo namque consilio adversum hunc S. Doctorem disputare quis aut debet, aut potest, in quo ita profundè quod univèrsa tenet Ecclesia, & semper in ea re-

tentum est circa efficaciam gratiæ rectissimè legitur? S. Fulgentius de verit. prædest. & grat. lib. 2. cap. 18. n. 30. *Hæc itaque Catholicorum Patrum Apostolicis institutionibus tradita, permanet in Ecclesiis sine aliqua dubitatione doctrina, quam Græci, Latinique Pontifices, Sancti Spiritus infusione firmati, uno, atque indissociabili semper tenuere consensu. In qua B. Augustinus indutus virtute ex alto, abundantius illis omnibus laboravit: non autem ipse, sed gratia Dei cum illo. Ipsius enim ministerio Dominus uberiores hujus rei fidelibus suis instructionem præbuit. Quippe adhuc ipse in corpore constituto, Pelagianas hæreses adversus gratiam Dei mortiferis ausibus debellavit. Nec defuit invicta benignitas miserantis Dei, quæ militem suum spiritualis gratiæ armis tantò fortius præcingeret, quantò acrius adversus eandem, vasa iræ Diabolus instigaret. Proinde memoratus Dei Pontifex inclitus Augustinus turrin fortitudinis ipsam gratiam tenens, & exinde cuncta hostilium machinamenta turmarum Cælestis juvenis virtute confringens, non solum ipse perfectam de hoste victoriam referens, triumphavit; quin etiam posteris certandi, & vincendi ordinem, si quando victa pravitas, recidivo ausu infandum caput erigere niteretur, ostendit: Sensum quippe Christi habens tam gratiæ Dei, quam humani arbitrii, & officia discrevit, & merita, semper divinis humanæ subiciens, & veraciter docens, divinitus hominis, & gratiæ justificationis donum, & bonæ voluntatis exordium, & plenum tribuit glorificationis effectum. Hunc legat omnis, qui salutem æternam adipisci desiderat, humiliter orans misericordem Deum, ut eundem Spiritum intelligentiæ legens accipiat, quem ille accepit, ut scriberet; & eandem illuminationis gratiam adipiscatur, ut discat, quam ille adeptus est, ut doceret.*

11. Audiantur & alii virtutis, & sapientiæ suffragio notissimi Viri, quorum vel singulum nomen, singularis est panegyris materia. S. Prudentius Episcopus Trojæ in Epistola ad Hincmarum: *Hoc primum, præcipuè moneo, & postulo, ut doctrinam Beatissimi P. Augustini omnium absque ulla dubietate undecumque doctissimi, Sanctarum Scripturarum auctoritati in omnibus concordissimam (quippe nullus Doctorum abstrusa earum scrupulosius rimatus, diligentius exquiserit, verius invenerit, veracius protulerit, luculentius enodaverit, fidelius tenuerit, robustius defenderit, effusius disseminaverit) vestri Pontificatus tempore, commento quolibet impugari non permittatis: quando tanto Cælestis gratiæ munere donata existit, ut nullo cuiusquam conamine ullatenus evelli possit: cum eam, & Apostolica Sedis sublimitas, & totius Ecclesiæ Catholica unitas, auctoritate concordissima approbavit, ac roboravit: adeo ut nullus ei singulariter, verum univèrsitati Ecclesiæ Catholice cum ea, & in ea, queat anniti.*

12. Loquatur S. Remigius Archiepiscopus

pus Remensis, qui in lib. de tenenda immobiliter Scripturæ Sanctæ veritate, & Sanctorum Orthodoxorum auctoritate fideliter sectanda, in laudem Augustini, ita dixerit: *Hæc igitur cum legissemus, & adjuncto nobis fratrum nostrorum Deo donante bene studentium, & rectè intelligentium Collegio, pia, & fidei attentione singula pertractassemus, graviter percussi, & confusi animo vidimus in eis, & Scripturæ Sanctæ certissimam veritatem, & Beatissimorum Patrum, præcipuèque Sancti Augustini reverendam, & in omni Ecclesia Catholica receptissimam auctoritatem novo conatu, & ausu nimis temerario impuguari, & quantum in ipsis fuit, improvidè, atque insolenter labefactari. Et cap. 9. Deniquè de B. Augustini libris, & scriptis, in quibus ex necessitate novæ, idest Pelagianæ hæresis destruendæ, & Fidei Catholicæ defendendæ instantissima intentione, de natura, & gratia: de gratia, & libero arbitrio: de correptione, & gratia: de prædestinatione Sanctorum, & bono perseverantiæ: ac de Baptismo parvulorum juxta profunditatem Scripturæ Sanctæ, & Evangelicæ, atque Apostolicæ doctrinæ regulam, multipliciter disputavit adhuc ipso vivente, sicut Prosper, & Hilarius ad eundem scribunt, & multò magis post obitum ejus, propter obscuritatem rerum, & tarditatem minus intelligentium multiplex querela maximè intra Gallias exorta est. Sed continuò per Divinæ misericordiæ providentiam, & Conciliis, ac statutis Beatissimorum Patrum, & Decretis, atque auctoritate Apostolicæ Sedis Pontificum solertissimè sedata, atque sanata: itaut stultis, & indisciplinatis quæstionibus silentium imponeretur, & Sanctissimi, ac sincerissimi Doctoris auctoritas in omnibus Ecclesiis, atque in ipsa Sede Apostolica confirmaretur. Deniquè Beatiss. Papa Cælestinus &c.*

13. Loquatur S. Vincentius Ferrerius in Sermone de S. Augustino: *Audeo dicere, omnes Doctores, qui venerunt post Augustinum, sustentantur super ejus Doctrinam sanctam, puram, Catholicam, auri purissimi sine errore fulsarum opinionum: & quilibet Doctor est contentus ad probandum dictum suum, si potest habere unam auctoritatem Augustini.*

14. Loquantur Lupus Servatus in suo Opere de prædestinatione, qui Augustinum pag. 22. parentem Ecclesiasticæ Philosophiæ nominat. Et pag. 23. *Gratia Dei, sicut nemo tam laboriosa indagine vestigavit, nemo ut ille tam diù versavit: ita, pace cunctorum dixerim, nullus utrumque cum tanta veritatis proprietate invenit, nullus in expugnabilium argumentorum copia tanta defendit. Et pag. 31. Quis hoc sit sanctior, quis cautior, quis securior? Hic itaque tot Divinis ornatus muneribus non dubitando, non querendo, non argumentando, sed planè vel ut professum docendo, bonorum prædestinationem esse insinuat. Verba ejus posci ex libro, quem Enchiridion dicit, cui in retractatione cum vellet supremam imponere, ut ajunt, ma-*

num, nihil quod adjiceret, nihil quod detraberet, nihil quod mutaret, invenit. Eminentiss. Cardinalis Baronius in Appendice tom. 10. Annalium: Apostolica Sedes S. Augustini se professæ est de gratia, & libero arbitrio probare sententiam. Venantius Fortunatus Episcopus Pictaviensis: Quicumque cum Apostolo Paulo id est, Oraculo Ecclesiæ, & cum B. Augustino ejus sequace consonat, in eo ignorantia caligo non regnat.

15. Non sunt hæc blandientis orationis poppyσματα, sed sanctissima Summorum Pontificum Oracula, totque illustrium Ecclesiæ Prælatorum, quæ cum in animum immitto profundius, intelligo demùm, eo celsius evasisse Augustinum, quo mens solum audeat admiratione aspirare. Sed quid miror tam fortunatam, sive per omnia sæcula amplissimam Sapientiæ Augustini irradiationem? Cum Augustinus, pleno sinu totum Sapientiæ Solem excipiens, fuerit in publicam mundi lucem accensus; cum per aureos sapientiæ suæ radios illuminatus sit meridies Ecclesiæ, nihilque tam obcurum sit in Theologia, quod suo Cœlesti splendore non irradiet. Illius doctrina, inexpugnabile semper fuit Ecclesiæ munimentum, & fulcimentum. Ipsa propugnata est vera Religio, & penitus debellata, profligata, & detriumphata Pelagianorum hæresis. Sunt M. P. Augustini Opera, liber ille, cujus doctissimis Catholicis Aphorismis Orbis totus à tot sæculis eruditur, & quem generosa posteritas per omnes Universitates, & Academiæ usque hodiè cum ingenti plausu, & salutari Sapientium fructu explanat. Quæ omnia eo demùm conspirant, ut tractatus iste eo videatur illustrior, quo puriori Augustiniani Solis radio illustratur; ut eliminetur à Scholis novitas, cum omnis ventura posteritas habeat, undè sibi in exhaustam Cœlestis doctrinæ copiam in Augustino deprobat. Hoc amor imperat, ut digna sæculis Augustini memoria supervivat in Discipulis. Hoc debitum doctrinæ suæ commendationis exigit Magister Optimus à Discipulo. Spectant ad Discipulorum encomia Magistrorum laudes; ei debent gloria, & decus, cui & debent seipso. Quare mihi decretum est, ut D. Hieronymi Augustinum alloquentis Epist. apud Augustinum, 172. aliàs 30. verbis utar, ipsum amare, suspicere, colere, mirari, suaque dicta quasi mea defendere.

16. At cum S. Augustini excitavi memoriam, D. Thomæ non extinxit recordationem. Hic est enim prosper, & amplissimus Scholæ nostræ character, ut nunquam Augustini folius meminisse valeamus. Augustini laus, elogium Thomæ; qui ex eo maximè commendatur ab Urbano V. in Bulla ad Tolosanam Academiam, quod B. Augustini vestigia insequens Ecclesiam illustraverit. Vel ut in ejus laudem dixit Posslevinus S. I. S. Thomas Aquinas meritò potest nominari alter Augustinus,

aus, cum adhuc solidius, atque in meliorem ordinem Doctrinam Augustini redegerit. Quamquidem Summam & pleræque celebrioris Academicæ, & Viri admodum insignes exponentes tractant, & docent: ut post tot sæcula vivat, doceat, & illustret Ecclesiam, atque Hæreticos expugnet unus homo Augustinus, dum intereà Cœlesti Gloria in dies auctiore perfruitur. Hic Augustiniana Doctrina fidelissimus custos, & hæres, ut profundissimum hoc mysterium propugnet, quod extra sensus intentionem, & extra omnis intelligentiæ humanæ conceptionem agnoscit, quæstionem istam ad obscurissima opera Dei, abditissimaque Divinæ Providentiæ latebras pertinere fatetur. Opusc. 17. cap. 9. dicens: Hanc etiam efficaciam Dei intrinsecus inspirantis Augustinus ostendit in lib. de prædest. Sanctor. inducens quod habetur Joann. 6. omnis, qui audit à Patre, & didicit, venit ad me; valdè inquit, remota est à sensibus carnis hæc Schola, in qua Pater auditur, & docet, ut veniatur ad filium: nec agit hoc cum carnis aure, sed cordis. Et postea subdit: itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus Divina largitate tribuitur, à nullo corde duro respuitur: idè quippè tribuitur, ut cordis divitiæ primitus auferatur. Hanc etiam efficaciam inspirationis internæ Gregorius in Homil. Pentecostes commendat, dicens: O qualis Artifex est iste Spiritus! Nulla ad docendum mora agit, in omne quod voluerit, mox ut tetigerit mentem, docet, solumque tetigisse, docuisse est: nam humanum animum subito ut illustrat, immutat.

17. Non ergo laboro de nova ad ejus intelligentiam inventionem doctrinæ, cum absconditum sit à sæculis mysterium hoc, quod evolvendum iuscipio. Non investigo pro elocutione eloquentiæ flores: multò satius est mysterii adeò ineffabilis splendorem admirari, quam congruo ullo sermone explicare; teste D. Laurentio Justiniano in Fasciculo amoris cap. 17. *Incomprehensibilis est electio hæc, nulli profus mortalium nota. Caligat naturale ingenium in consideratione ipsius, & à nimio splendore ejus reverberantur sublimium oculi. Quis curiosus inscrutabilia Dei judicia investigavit impunè? Quis (oro) ineffabile lumen secretorum Divinæ Majestatis constitutus in carne poterit intueri? Solis illis Spiritibus Angelicis, quamvis non ad plenum, daturudiciorum Dei Scientia, in quibus tanquam in Trono proprio Divina præsidet Sapientia. . . . Dicant qui domos habent luteas, & terrenum inhabitant fundamentum, quid de Verbo Dei credere debeant, & quam reverenter, quam pavidè Divinæ se debeant contemplationi ingerere, necnon, quam cautè arcana Omnipotentis rimari judicia. Apostolus namque Paulus, qui usque ad tertium Cælum raptus est, qui arcana Dei Verbi auditur, quæ homini non licet loqui, eadem intueri ausus non est, dicens: O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, &*

investigabiles viæ ejus! Quis novit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit? Nempe si electionis Vias, qui Sapientiam loquebatur inter perfectos, Sapientiam, inquam, in mysterio absconditam, illa investigare noluit, quid ceteri acturi sunt, qui propinqua, & visibilia vix intelligunt? Nemo igitur prædestinationis altitudinem, & prædestinatorum causas curiosa percurtatione presumat inquirere, quæ in sola æterna Sapientiæ cognitione sunt posita. Quis que indubiè fateatur verissima, & rationabilia esse Dei judicia, quamvis occulta.


18. Nequaquam igitur aliundè, quam ab ipso Paraclito veritatis lumen, & hujus secreti Cœlestis intelligentiam percipere posse aliquis credat. Humanæ nostræ cognitionis falsis, & erraticis luminibus diffidamus. Divitiæ sunt Sapientiæ, & Scientiæ Dei. Inscrutabilia sunt & Dei judicia. Nobis, inquit Augustinus serm. 15. aliàs de temp. 254. *Consideratio, admiratio, terror, exclamatio, quia nulla penetratio. Ipsi autem quid? Gloria in sæcula sæculorum: sive de vasis in honorem, sive de vasis in contumeliam, ipsi gloria in sæcula sæculorum. Alios coronat, alios damnat: nunquam errat: alios probat, de aliis probat, omnes ordinat. At hæc profunditas abdita, & immensæ Scientiæ, & Sapientiæ Dei, quæ & ab æterno prænovit omnia, & res à se conditas ordinat ad finem gloriæ suæ; illæ arcana, & humanæ rationi prorsus imperviæ Divinæ misericordiæ, & justitiæ operationes, alios eligentis, alios reprobantis; hic mirabilis, investigabilisque modus, quo Deus gratiâ suâ operatur in cordibus hominum intellectu complecti feliciter non potest, nisi favente ipsamet Divina gratia. Liceat ergo cum Ven. Thoma à Kempis de imitat. Christi lib. 3. cap. 55. mihi dicere: O quam maximè est mihi necessaria, Domine, tua gratia ad inchoandum bonum, ad proficiendum, & ad perficiendum. Nam sine ea nihil possum facere: omne autem possum in te, confortante me gratiâ. . . . O beatissima gratia, quæ pauperem spiritum virtutibus divitem facis, & divitem multis bonis humilem cordis reddis! Veni, descende ad me, reple me mane consolatione tua, nè deficiat præ lassitudine, & ariditate mentis meæ anima mea. Cunctis hostibus potentior est, & sapientior universis Sapientibus. Magistra est veritatis, Doctrix disciplinæ, lumen cordis. . . . Tua ergo me, o Domine, gratia semper præveniat, & sequatur, ac bonis Operibus jugiter præstet esse intentum. Hoc ergo Divino semper, ut precor, erudiente, confortante, & comitante Spiritu Sancti lumine, qui ut dicitur Sap. 7. *Omnium est artifex, omnem habens virtutem; qui quoties vult, aperit ora mutorum, & linguas infantium facit disertas, de ignaro repente, & sine mora faciens doctum, de hoc altissimo mysterio tametsi inexpertus, & rudis sum, tractare institui. O utinam faustè! Ut doctrina omnibus gra-**

ta, & proficua fit: ut legentes ea, quæ veritatis sunt, defendant; & præsto ad legendum habeant, quod de maximâ olim, & his temporibus, circa præsentem disputationem contentione fit constituendum. Hoc, quod ar-

duum sanè aggrediar, non tam pro Scholæ nostræ gloriæ magnificentiâ, quam in Dei laudem, si ab ipso singulari munere fuerim edoctus, ut hujus absconditi mysterii valeam vestigare secreta.



DISPU-



DISPUTATIO I.

De essentia, & constitutivo libertatis creatæ.

DUBIUM I.

An post Adæ peccatum sit in homine libertas? Quid sit? Et qualis sit prima radix, necnon indifferentia libertatis constitutiva?

S. I.

Datur in homine post Adæ peccatum libertas.



OMINEM esse liberi arbitrii, ut certissimum fidei Dogma, statuit Angel. Præceptor 1. p. q. 83. art. 1. ex illo Eccles. cap. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui.* Glos. in libertate arbitrii. Ex quo M. P. August. de grat. & liber. arbitr. cap. 2. inquit: *Revelavit nobis Deus per Scripturas Sacras, esse in homine liberum arbitrium.* Et infra: *In conspectu hominis vita, & mors, & quod cumque placuerit dabitur ei.* Ecce apertissime videmus expressum liberum arbitrium. Fuit error quorundam Gentilium Philosophorum, qui, teste eodem M. P. Augustino lib. 5. de Civit. Dei cap. 9. & 10., ponebant, omnia per Fatum accidere; nec non aliorum, de quibus loquitur D. Thomas Opusc. 28. de Faro, qui ab stellis imprimi necessitatem hominibus apertè propugnabant. Hæreses istas cum suis Auctoribus damnavit Concilium Bracarense cap. 9. *Si quis animas, & corpora humana fatali signo credit adstringi, sicut Paganis, & Priscilliani dixerunt, anathema sit.*

2. Erravit non minus impius, quam ridiculus Manichæus, qui tollens etiam liberum arbitrium, duplicem in homine statuit naturam, alteram bonam, alteram malam: & bonam quidem à Deo; immò de Dei substantia conditam asserit, eamque semper benè

agere, malam vero à Principe tenebrarum semper malè. Undè juxta illius sententiam non liberè, & voluntariè, sed necessariò, & naturaliter agunt: ob idque nihil impurandum putat humanæ voluntati, sed naturis illis maximè inter se contrariis. Contra quem errorem egit M. P. Augustinus lib. retract. cap. 15., & lib. 2. ad Bonifac. cap. 2.; talisque error ab Ecclesia proscriptus fuit in eodem Concilio Bracarense cap. 7. *Si quis dixerit, Diabolum non fuisse prius Angelum bonum à Deo factum, nec Dei Opificium fuisse naturam ejus, sed dicit, eum ex tenebris emeruisse, nec aliquem sui habere auctorem, sed ipsum esse principium, atque substantiam mali, sicut Manichæus, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.*

3. Sed cum nulla sit tam aperta Catholica veritas, quam non Hæretici suis cavillis, & tergiversationibus eludere intentent, in eodem exterminando, profligandoque libero arbitrio Lutherus, & Calvinus impudenter debacchati sunt. Non enim multum distat à Manichæo Lutherus: nam cuncta, quæ ab homine fiunt, necessariò fieri Lutherus credit, nec in hominis situm potestate vias suas bonas facere, aut malas, licet ex alio principio, quia sola fide, & fiducia in Deum, ejusque promisso, seclusis bonis operibus, homines justificari arbitratur. Sed hanc Lutheri hæresim arbitrii libertatem prorsus auferentem, non solum communi omnium conceptioni, sed & apertis Scripturæ Sacræ testimoniis contrariam, ab Ecclesia, & Sacris Conciliis (Carthaginensî nempe, & Synodo sexta Constantinopolitana) damnatam declarat Concilium Senonense Decret. 15.

4. Lutherus successit Calvinus, non dissimili quidem voluntate veritatem istam oppugnans, asserens liberum arbitrium post

B

Adæ

Ad peccatum omnino extinctum esse, esseque titulum sine re: qui enim erat sine gratia, de necessitate peccabat, & cum gratia necessariò erat benè operaturus. Sic cæcus, sacrilegaque voluntate datum animæ liberum arbitrium labefactare conabatur. Sed fuit error damnatus in Concilio Tridentino sess. 6. can. 5., his verbis: *Si quis dixerit, hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse, aut rem esse de solo titulo, immò titulum sine re, signum denique à Satana inventum in Ecclesiam: anathema sit*, Et can. 6. *Anathema ei, qui dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere*. Et ibi cap. 1. loquens de Judæis: *Tametsi in eis liberum arbitrium minimè extinctum esset, viribus licet attenuatum, & inclinatum*. Quod idem docet M. P. Augustinus lib. 2. contra duas Epistolas Pelagii cap. 5. n. 9. *Peccato Adæ arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus*. Et Epist. 219. n. 7. *Credite Divinis eloquiis, quia liberum est voluntatis arbitrium*. Præcepta namque charitatis; ut inquit ipse lib. de grat. & liber. arbitr. cap. 18. n. 37. *inaniter darentur hominibus non habentibus liberum arbitrium*. *Quomodo enim jubet Deus, ait iterum ipse ibi cap. 2. n. 4. tam multa mandata, quæ ipsam nominatim conveniunt voluntatem, sicut est, non vincit à malo... Et innumerabilia talia in veteribus libris Divinorum eloquiorum quid ostendunt, nisi liberum arbitrium voluntatis humanæ*. Et iterum: *eo ipso, quod Præceptum est, obedientiam nostram requirit, quæ nulla potest esse sine libero arbitrio*, testatur ipse Epist. 46. *Quæ omnia complectitur Angel. Præceptor citata quæst. 83. art. 1. Respondeo dicendum, quod homo est liberi arbitrii: alioquin frustra essent consilia, exhortationes, præcepta, prohibitiones, præmia, & pœna*.

5. Ille ergo error, qui prodierat primum apud Gentiles, jam non solum Ecclesiæ Decretis, sed summo omnium consensu explosus est, dum existentia liberi arbitrii evidenti quodam experimento cognita omnium mentibus ita sese inculcat, ut meritò dixerit doctissimus Vega lib. 2. in cap. 1. Tridentini ex Aristotele in topicis: *Negantes liberum arbitrium non verbis, sed verberibus esse convincendos*. Philosophica insuper ratio id ipsum invictè suadet. Cum enim libertas nihil aliud sit, quam potestas cum indifferentia ad velle, & non velle; nec voluntas feratur tanquam in proprium objectum in bonum, nisi apprehensum, dari necessariò debet libertas, ubi intellectus objectum proponit cum indifferentia. Solum enim voluntas de necessitate movetur ab objecto illo, quod est universale bonum, minimè tamen à bono particulari, quod ipsa potest non velle; ut expressè docet D. Thomas 1. par. q. 6. art. 5. & 1. 2. q. 10. art. 2. & q. 13. art. 6. & q. 109. art. 3. & in dicta q. 83. art. 1. ubi sic concludit: *Particularia autem operabilia sunt quædam contingentia: & idè circa ea judicium ratiqvis ad*

diversa se habet, & non est determinatum ad unum, & pro tanto necesse est, quod homo sit liberi arbitrii ex hoc ipso, quod rationalis est: ad quod fides adstringit, manifesta indicia inducunt, & etiam evidens ratio cogit, ut docet D. Thomas q. 22. de Verit. art. 1.

6. Sed ut veritas ista pleniori possideatur lumine, duo maximè obliervanda. Primo cum Angel. Præceptore 1. p. q. 83. art. 2. *Quod quavis liberum arbitrium nominet quemdam actum secundum propriam significationem vocabuli: secundum tamen communem viam loquendi liberum arbitrium dicimus id, quod est hujus actus principium, scilicet quo homo liberè judicat*. Quare non est habitus, nec enim habitus naturalis adest nobis ad ea, quæ subsunt libero arbitrio, quia ad ista, respectu quorum habemus habitus naturales, naturaliter inclinamur, sicut ad assentiendum primis principiis: ergo contra propriam rationem liberi arbitrii est, quod sit habitus naturalis: sicut & contra naturalitatem ejus, quod sit habitus non naturalis. Est ergo potentia, non quæ sit intellectus, sed quæ sit voluntas. Vel potentia appetitiva, rationeque tantum à voluntate distincta, quatenus voluntas, ut voluntas est, versatur circa finem, qui propter se appetitur: ut autem est liberum arbitrium versatur circa media, vel circa ea, quæ sunt ad finem, quæ appetuntur propter finem consequendum; & dicitur electio, ad modum, quo intellectus, ut intellectus versatur circa principia per se nota; ut autem est ratio, versatur circa conclusiones: est tamen eadem potentia quoad substantiam; cum ejusdem potentia sit intelligere, & ratiocinari: sicut ejusdem virtutis est quiescere, & moveri. Unde voluntas, & liberum arbitrium non sunt duæ potentia, sed una.

7. Obliervandum Secundo quod libertas est multiplex: alia libertas à peccato, de qua Joan. 8. *Si vos filius liberavit, verè liberi estis*. Alia est libertas à miseria, de qua Apostolus ad Rom. 8. *Creatura liberabitur à servitute corruptionis ad libertatem gloriæ filiorum Dei*. Alia est libertas naturalis, five naturæ, quæ est libertas à necessitate. De quibus omnibus D. Bernardus de grat. & liber. arbitr. circa initium ait: *Quod multum habet honoris, & per illam præstamus ceteris animantibus*. Et profequitur: *prima multum habet virtutis, & invenitur in justis. Secunda habet cumulum jucunditatis, & reperitur in gloria. Tertia gemma est in anima hominis*. Alia est libertas à coactione propriè tali, vel à violentiâ ab extrinseco agente voluntati illatâ, quæ communiter vocari solet libertas complacentiæ, quæ reperitur in actibus spontaneis non procedentibus à potentia indifferenti ad utrumlibet, per cujus violentiæ exclusionem quilibet actus voluntatis est liber, cum spontaneus sit, procedensque ab intrinseco cum cognitione finis: qua ratione D. Thomas q. 10. de potent. art. 2. ad 5. amorem, quo Deus se amat, vocavit libe-

liberum, dicens: *Deus sua voluntate liberè amat se ipsum, licet de necessitate amet se ipsum*. Ubi liberum accipitur pro spontaneo. Hæc sanè diversitas libertatis maximè notanda; quia licet in præsentem non sit controversia, nec super libertatem gloriæ, seu à miseria post vitæ terminum Angelis, & Beatis convenientem: nec super libertatem à peccato repertam in homine justificato; nec super libertatem ab strictâ coactione, seu à violentiâ; sed solum sit diffidium circa libertatem à necessitate, præ oculis semper diversitas hæc est retinenda, ut explicentur auctoritates, quibus utuntur Hæretici tam ex M. P. Augustino, quam Angelici Præceptoris, ut fraudulentis ipsorum possimus resistere argutiis, & errorum detectis latebris, ipsorum invictè prosternantur insultus.

§. II.

Essentia liberi arbitrii explicatur.

8. **C**um voluntas sit potentia indigens in motusque voluntatis sequatur actum intellectus, ut docet D. Thom. 1. 2. q. 10. art. 10. rectè definitur à Magistro in 2. dist. 24. §. 5. *liberum arbitrium est facultas rationis, & voluntatis ad utrumlibet*. Quæ definitio ab omnibus admitti debet, vel quia conformis, & consonans Sacræ Scripturæ Eccles. 15. dicenti: *Deus reliquit eum in manu consilii sui: (ecce rationis facultas:)* *Quocumque voluerit, vertet illud*, Proverb. 11. (ecce facultas voluntatis ad utrumlibet). Vel quia definitio ista sua antiquitate consistens, fuit tam à Philosophis, quam à SS. PP. communiter recepta. Liberum arbitrium definiit Aristoteles per voluntatem, & rationem cum indifferentia ad utrumlibet; ita in 6. Ethicor. & citatur à D. Thom. q. 24. de verit. art. 6. ubi determinans S. Doctor liberum arbitrium exerceri per electionem, ait: *Aristoteles supponit, quod electio est virtus utriusque, & rationis, & voluntatis; ait enim, quod electio est, vel intellectus appetitivi, vel appetitus intellectivi: & in 3. Ethic. definiens electionem ait: Quod electio est desiderium præconsiliatum*. Sic & alii Philosophi teste Magistro in 2. dist. 25. definiunt liberum arbitrium, quod sit liberum de voluntate judicium. Conveniunt in tali definitione D. Anselmus de libero arbitr. cap. 2. D. Bernardus de Grat. & liber. aroit. D. Damascenus lib. 2. de fid. Boetius 2. de Consolat. M. P. August. in Enchiridione cap. 106. Et lib. de Correct. & Grat. cap. 10. Angel. Doctor 1. p. q. 83. art. 1. Unde immeritò dubitat P. Aranda in sua Scholastica dissertatione contra physicam prædeterminationem, n. 115. an sit Angelici Magistri?

9. Pro clariori ejus intelligentia sciendum, quod liberum arbitrium dicitur facultas; quia juxta D. Thom. 1. p. q. 83. art. 1.

ad 2. *Facultas nominat quandoque potentiam expeditam ad operandum, & sic ponitur in definitione liberi arbitrii*. Dicitur rationis, quia, ut notat D. Thom. q. 24. de verit. art. 3. ad 1. *Hic terminus ratio licet aliquando sumatur pro cognitione discursiva, si strictè accipitur, sumitur etiam pro qualibet cognitione intellectiva*. Quod tradit ex D. Dionysio de Divinis Nominibus cap. 6. ubi tali nomine Deum nominat. Sub istâ acceptione definitur liberum arbitrium, ut sic definitio conveniat Deo, Angelis, & Hominibus. Dicitur rationis, & voluntatis; quia liberum arbitrium non nominat voluntatem absolutè, sed in ordine ad rationem, ut ait D. Thom. de verit. q. 24. art. 6. ad 1. Sed non eodem modo in utroque libertas reperitur; cum in ratione mediâtè, & tanquam in radice: in voluntate formaliter, & immediâtè. Ita in solutione ad 3. & 1. 2. q. 17. art. 2. ad 1. *Radix libertatis est voluntas, sicut subjectum, sed sicut causa est ratio: Ex hoc enim voluntas liberè potest ad diversa ferri, quia ratio potest habere diversas conceptiones boni: Et idè Philosophi definiunt liberum arbitrium: Quod est liberum de ratione judicium, quasi ratio sit causa libertatis*. Hæc doctrina omnium etiam Discipulorum S. Doctoris est. Ex quibus inferri debet quàm sine fundamento; immo quàm falsò attribunt Thomistis contrarii, ut videre est apud P. Suarez lib. 1. de concurs. Dei, cap. 2. §. *Alter sententia; quod libertatem liberi arbitrii constituant in sola indifferentia judicii, & non in voluntate*.

10. Dicitur ad utrumlibet, non quomodo asseritur à Magistro in 2. dist. 25. §. 1. *Quia liberè potest moveri ad hoc, vel ad ejus contrarium; nempe, ut ait ipse dist. 24. §. 5. Quia bonum eligit Gratia existente, vel malum ea deferente*. Non inquam sic venit intelligenda particula ista; quia licet hoc rectè intellectum verum sit respectu liberi arbitrii creati imperfecti, ut potè ex nihilo procedentis, non tamèn hæc indifferentia ad malum est de conceptu essentiali libertatis, sed solum indifferentia contradictionis ad velle, vel non velle; sive indifferentia exercitii ad velle hoc bonum, vel aliud bonum. Sic M. P. Augustinus, quo magis Deo repugnat potentia peccandi, perfectiorem libertatem agnoscit. Unde lib. 1. Oper. imperfecti contra Julianum, urgente isto: *Liberum non esse, nisi quod duo velle potest; scilicet bonum & malum; sic eum redarguit: Liber ergo Deus non est, qui velle malum non potest, de quo ipse dixisti, Deus esse, nisi justus, non potest. Siccine Deum laudas, ut Dei auferas libertatem? Et Serm. 119. & lib. 25. de Civit. Dei, cap. 10. exponens Dei omnipotentiam, sic habet: *Nam potest mori, non potest peccare, non potest mentiri, non potest falli, tanta non potest, quia si posset, non esset Omnipotens*. Et de prædeterminatione Sanctorum cap. 11. loquens de Christo Domino: *Numquid metuendum fuit, ne accedente aetate**

homo ille libero peccaret arbitrio? An ideo in illo non erat libera voluntas, ac non tanto magis erat, quanto magis peccato servire non poterat? Ecce ubi D. August. nedum negat, quod posse peccare sit pars libertatis, sed potius affirmat, non posse peccare esse libertatis perfectionem.

11. Veritatem istam docet & noster Angelicus Præceptor q. 22. de verit. art. 6. ubi eruditè explicans in quo consistat libertas, asserit: *Velle malum nec est libertas, nec pars libertatis, quamvis sit aliquod signum libertatis. Quid clarius dicere potuit? Et 1. p. q. 62. art. 8. ad 3. Unde quod liberum arbitrium diversa eligere possit servato ordine ad finem, hoc pertinet ad perfectionem libertatis ejus; sed quod eligat aliquid divertendo ab ordine finis, quod est peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis. Quod explicat q. 1. de potent. art. 6. dum ait: Quædam sunt, quæ secundum nomen potentiam important, secundum rem sunt potentia defectus, ut cum dicitur posse deficere, videtur secundum modum loquendi quædam potentia importari: cum magis potentia defectus importetur. Si ergo juxta mentem utriusque S. Doctoris libertas est vera potestas, & perfectio simpliciter simplex in Deo reperta, quomodo defectus iste potestatis, & defectus perfectionis poterit constituere libertatem?*

12. Dicitur ulterius facultas ad utrumlibet, non facultas quæ sit indifferens indifferentiæ potentia respectu sui, sive ad actum. Hæc enim nequit esse de conceptu essentiali libertatis: tum quia in suo conceptu formali imperfectionem, & potentialitatem includit: tum, quia Deo, in quo perfectissimè reperitur libertas, repugnat, cum sit actus purus semper, & ab æterno, & pro omni priori naturæ operans: tum quia destrueretur libertas per ipsummet exercitium libertatis, quo auferitur hujusmodi indifferentia, quod est chimericum, teste D. Bernardo in tract. de liber. arbitr. dicente: *Impossibile namque est, voluntatem de se ipsâ sua privari libertate. Quis enim credet potentiam liberam, quæ per actum, vel exercitium perficitur, per ipsum destrui? Quomodo intelligi potest, Deum creasse potentiam propter actum eliciendum, & creasse propter sui ruinam, & destructionem? Et tandem, quia ex terminis repugnat actum determinatum elici à potentia indifferenti, ut indifferenti; nec enim ab indeterminato potest oriri aliquid determinatum, cum sit evidens, quod nemo dat, quod non habet: ergo si actus elicitur à potentia, secundum quod potentia essentialiter se habet proprii ad actum, si pro hoc priori naturæ ad actum est essentialiter constituta, mediâ ista indifferentiâ, jam actus determinatus esset à potentia indifferenti, & indeterminata formaliter ut tali. Solum ergo vobis illis explicatur indifferentia, quæ talis sit in ordine ad objectum, vi cujus remanet potentia domina sui actus, actusque stat in*

manu consilii sui: sic enim elicitur consensus circa tale bonum, vel circa tale medium, quod potest ab ipsâ non elici, ut in articulo immediato demonstrabitur.

13. Egregie, & luculenter hoc magis explicat Angelicus Præceptor 1. contra Gent. cap. 82. *Ad utrumlibet esse, alicui virtuti potest convenire dupliciter: uno modo ex parte sui; alio modo ex parte ejus, ad quod dicitur. Ex parte quidem sui, quando nondum consecuta est suam perfectionem, perquam ad unum determinatur. Unde hoc in imperfectionem virtutis redundat, & ostenditur esse potentialis in ipsa. Sicut patet in intellectu dubitantis, qui nondum assequutus est principia, ex quibus ad alterum determinatur. Ex parte autem ejus, ad quod dicitur, invenitur aliqua virtus ad utrumlibet esse, quando perfecta operatio virtutis à neutro dependet, sed tamen utrumque esse potest: sicut aliquis, qui diversis instrumentis uti potest equaliter ad idem opus perficiendum: hoc autem ad imperfectionem virtutis non pertinet, sed magis ad ejus eminentiam, in quantum utrumlibet oppositorum excedit; & ob hoc determinatur ad neutrum, sed ad utrumlibet se habens. Quam doctrinam exponit eleganter Ferrara, dum voluntatem considerat, vel quæ formaliter est potentia ad utrumlibet, vel qua formaliter est in potentia ad utrumlibet. Primum est de conceptu essentiali libertatis, non tamen quod sit in potentia ad utrumlibet. Sic in Deo, ut diximus, datur perfectissima libertas, quæ detur aliquod instans, in quo Divina voluntas potuerit esse in potentia. Fuit similiter libertas in anima Christi Domini, & in Angelis in primo instanti, quin voluntas in nullo antecedenti potuerit esse suspensa, cum ante primum nullum instans antecederet.*

14. Turpiter erravit Janenius lib. 7. de grat. Christi, dum ad reprobandum libertatem arbitrii in indifferentia constitutam, sic arguit: quia sequeretur operationem Divinæ gratiæ libertati arbitrii repugnare, quia illam extrahit ab indifferentia agendi, eamque determinate facit agere, vel non agere, velle, vel non velle. Quasi diceret: gratia efficax tollit indifferentiam, & non libertatem: ergo libertas non consistit in indifferentia. Futile sanè argumentum: Non consistit quidem libertas in indifferentiâ illâ suspensionis, quæ per gratiam destruitur, benè tamen in indifferentiâ potestatis, quæ per gratiam non tollitur. Sicut ergo esset apud ipsum inefficax argumentum: determinatio status innocentie tollit indifferentiam, & non libertatem: ergo libertas status innocentie non consistit in indifferentia: ita & nos asserimus, libertatem non consistere in indifferentiâ pugnantem cum determinatione actus, sed in aliâ indifferentiâ, quæ est ad utrumque libertatis extremum, quæ actu agens componit potestatem agendi cum potestate non agendi. Hæc enim est vera potestas causa liberæ constitutiva, posse agere, non necessario, sed libe-

libere: vel aliis terminis, posse agere compositum cum posse non agere. Si enim idem est non esse compositum cum uno contradictorio, ac esse compositum cum alio, hæc erit evidens consequentia: potestas agendi, quæ non est composita cum potestate ad non agendum, debet esse composita cum carentia potestatis ad non agendum: sed potestas agendi composita cum carentia potestatis ad non agendum, non est potestas libera, sed merum posse agere necessario; quid enim magis necessarium, quam quod ita est, ut non possit non esse? Ergo potestas constitutiva libertatis agendi est potestas agendi composita cum potestate non agendi.

15. Ex quibus inferes quàm injustè increpentur nostri Thomistæ, quod non velint admittere hanc definitionem liberi arbitrii: *Liberum arbitrium est, quod positus omnibus requisitis ad agendum potest agere, & non agere; & quam RR. P. Thyrio notam fuisse Aristoteli, D. Augustino, D. Thomæ, Concilio, & PP. asserit tom. 4. disput. 4. sect. 64. n. 840. quamvis SS. M. Lemos tom. 3. p. 1. tract. 2. cap. 1. non ex illis, sed ex Almayno acceptam, eruditissimè explicet. Nullus ex Thomistis definitionem istam rejicit. Solum impugnatur ab ipsi sinistra Adversariorum expositio, quod debeat intelligi in sensu composito; ita, quod positus omnibus requisitis antecederet ad actionem, sive prioritate temporis, sive prioritate naturæ, sive sit prævia Dei motio, sive sit aliud quodcumque positum à Deo, voluntas potest agere, & simul cum omnibus illis requisitis possit non agere; id est conjungere cum omnibus illis, etiam cum Dei præmotione non agere. Ità P. Molina in Concord. disp. 25. §. Alio modo, P. Suarez in Metaphys. disp. 19. Et lib. 1. de concurs. Dei cum voluntate creata cap. 2. & 3. & communiter omnes AA. Societatis.*

16. Hanc definitionem non in sensu diviso, sed in composito intellectam falsissimam, & penitus repugnantem libertati creatæ, & omnipotentia Dei judicat Thomistæ. Falsa est primo, quia efficax imperium intellectus est ex prærequisitis, ut voluntas operetur; & tamen stante illo, voluntas non potest non operari in sensu composito, alias non operetur juxta propositionem intellectus. Secundo in sententia Contrariorum, supposita scientia conditionata de consensu Petri sub tali auxilio, in tali tempore, cum talibus circumstantiis, & supposito Decreto Dei de purificanda conditione, vel de offerendo Petro in illa occasione auxilio congruo, ita elicit infallibiliter Petrus consentum, quod nequit cum prænotatis suppositis componere dissentium; & tamen in Petro juxta Contrariorum sententiam manet potentia ad dissentium, & liberè Petrus operatur, ut necessario tenentur dicere Contrarii: ergo falsissima est definitio, si intelligatur in sensu composito.

17. Est non minus repugnans libertati

creatæ. Etenim in prædicta definitione supponitur non dari gratiam ab intrinseco efficacem, quam in naturalibus appellamus physicam prædeterminationem, qua voluntas creata priori naturæ ad actionem moveatur à Deo. Supponitur similiter, voluntatem à se ipsa primò moveri ad agendum: ait enim, quod positus omnibus requisitis, etiam Dei motione, potest voluntas in sensu composito illius, ponere actum oppositum. Quæ omnia juxta D. Thomæ doctrinam destruant veram Philosophiam, & rationem secundi liberi, & omnipotentia Dei: voluntas namque in suo exercitio libero, vel subicitur Deo, vel è contra, Deus in concurrente subicitur voluntati. Si primum; ergo medium illud, quo Deus sibi voluntatem subicit, non potest voluntas pro suo dominio componere cum quovis extremo suæ libertatis. Si secundum; ergo Deus voluntati erit subiectus, dum medium, quo concurrat, voluntati subicitur. Est ergo in principiis Thomistarum sic intellecta, ut à Contrariis intelligitur, repugnans libertati creatæ: sicut è contra in sensu diviso intellecta, optimè salvatur essentia libertatis; nam per hoc, quod positus omnibus requisitis ad actum, sit simul potentia ad oppositum actus, distinguitur causa libera à necessaria, in qua talis potentia ad oppositum, positus omnibus requisitis, non datur. Quare Concilium Tridentinum sess. 6. de justit. can. 4. statuens essentiam libertatis, solum ait, *quod liberum arbitrium excitatum, & motum à Deo possit dissentire, si velit; id est, habet potentiam ad dissentium.*

18. Quis ergo non videt totum hoc esse contra rationem definitionis? Definitiones enim sunt communes animorum sapientum conceptiones, in quibus omnes convenire debent, ut inde cognoscatur, cui convenit essentia rei definitæ, per argumentum à definitione ad definitum. Non ergo debent in ipsa involvi difficultates, in discursu disputationis resolvendæ; maxime tot gravissimis Auctoribus propugnantibus potestatem istam causæ secundæ liberæ penitus repugnare: ergo hæc definitio ab Auctoribus in sensu composito intellecta, nequit ut prima ratio libertatis assignari.

§. III.

Radix essentialis libertatis exponitur.

19. **C**um libertas arbitrii sit formaliter in voluntate, ad quam pertinet electio, cujus est eligere unum præ alio, hinc omiſſa origine, & causâ extrinsecâ, ex quâ tanquam ex primâ, & iupremâ radice omnis creata provenit libertas, in præſenti inquiritur principium, à quo voluntas habet prædictam intrinsecam, & essentialem indifferentiam, & indeterminationem: maxime dum D. Thomas 1. 2. q. 13. art. 1. electionem, quæ

quæ est proprius actus liberi arbitrii, per intellectum, & voluntatem definitur.

PRIMA STATUITUR CONCLUSIO.

Indifferentia rationis, seu iudicii est radix libertatis.

20 **H**Æc Conclusio expressa est in Angelico Præceptore 1. p. q. 83. art. 1. 2. & 4. Et 1. 2. q. 13. art. 2. Et q. 6. art. 2. ad 2. ubi ait: *Ex hoc quod ratio deliberans se habet ad oppositum, voluntas in utrumque potest.* Et q. 17. art. 1. ad 2. *Radix libertatis est voluntas sicut subiectum; sed sicut causa est ratio.* *Ex hoc enim voluntas liberè potest ad diversa ferri, quia ratio potest habere diversas conceptiones boni; & ideo Philosophi definiunt liberum arbitrium: quod est liberum de ratione iudicium, quasi ratio sit causa libertatis.* Similia habet q. 24. de verit. art. 2. *totius libertatis radix est in ratione constituta.* Et in 2. dist. 24. q. 1. art. 3. In quibus expressis testimoniis habetur efficax conclusionis ratio, quæ sic formatur. Totius libertatis radix est in ratione constituta, si indifferentia iudicii est ratio à priori indifferentiæ formalis voluntatis; sed indifferentia iudicii est radix, vel ratio à priori indifferentiæ formalis voluntatis, ut expressè hic asserit D. Thomas, dum ait: *Ex hoc voluntas liberè potest ad diversa ferri, quia ratio potest habere diversas conceptiones boni; ergo indifferentia rationis, seu iudicii est prima radix libertatis.* Quid enim aliud est hæc indifferentia iudicii, nisi propositio objecti indifferentis? Quæ propositio objecti indifferentis, vel ipsius objectum indifferens, sic existens sub apprehensione est prima radix essentialis indifferentiæ, & indeterminatio voluntatis; voluntas namque non potest ferri in incognitum: ergo si actus voluntatis semper nascitur ex objecti cognitione, actus liber solum potest sequi ad formam apprehensam indifferenter.

21. Hæc est mens Angelici Præceptoris, dum asserit, *quod ratio potest habere diversas conceptiones boni; quia nempe intellectus, vel potest esse indifferens, & indeterminatus ad iudicandum; vel potest proponere voluntati varia objecta, quæ cum non habeant necessariam connexionem cum fine, in ipsis potest variam boni, & mali rationem considerare.* Sic interroganti cur voluntas est libera? Rectè respondetur, quia regulata iudicio indifferenti. Sicut & interroganti, cur in nobis motus subiti non sunt liberi? Optimè respondetur, quia oriuntur in nobis à iudicio subitaneo, & determinato. Ab hac ergo indifferentia iudicii sumit speciem libertas voluntatis, cum objectum propositum sub indifferentia, sit ejus objectum specificativum. Aliud namque est, quod iudicium proponens objectivam indifferentiam se habeat per modum conditionis; aliud, quod indifferentia objectiva propofita per iudicium, non sit ra-

tio formalis specificativa. Primum concedimus; quia hoc complexum *iudicium proponens* dicit in recto iudicium, quod est de linea apprehensionis. Secundum est falsum, quia indifferentia objectiva ita dat speciem, ut sine ipsa nequeat esse libertas, sive quoad specificationem, sive quoad exercitium.

22. Hic notandum venit quantum distet hæc prædicta cognitio indifferens, quæ à Thomistis explicatur per attingere signatè objectum ut indifferenter volibile, à modo quo doctrinam istam explicat P. Avendaño in sua Disp. de human. libert. cap. 2. n. 5. asserens, quod consistit hoc attingere signatè tale objectum, in eo, quod existimet, se esse liberum, subiectum illam eliciens. Hoc enim à nullo Thomista asseritur: sufficit namque, quod iudicium indifferens, in quantum extrinsecè constituit actum primum liberum voluntatis, proponat objectum indifferens, attingendo signatè id, in quo indifferentia objectiva consistit, etsi non percipiat, quod illud à se attactum sit indifferentia objectiva. Nec enim hoc requiritur ad libertatem voluntatis, cum rectè cohæreat ista cum eo, quod non existimet, iudicans per illud iudicium, se esse liberum: immò & cum eo, quod speculativè erret iudicando se non esse liberum, ut in aliquibus Hæreticis contingere potest. Et cum ab AA. Societatis sic explicetur cognitio indifferens constituens voluntatem ad volendum; cum nullus neget, nec negare possit cognitioni indifferenti objectum, signatè inspectum, quod nequit esse aliud, quam id, in quo consistit indifferentia objectiva: hinc fit nullum esse discrimen inter Thomistas, & Auctores Scientiæ mediæ circa cognitionem indifferentem ad libertatem essentialiter requisitam.

23. Sed objicies: si indifferentia iudicii constituit libertatem formalem, posita indifferentia iudicii in intellectu, non est difficile conciliare libertatem nostram cum gratia ab intrinseco efficaci, & prædestinatione, quod est, ut diximus superius, difficillimum cognitioni humanæ. Facile namque percipitur, quod gratia, & prædestinatio non impedit iudicium illud, quo iudicatur objectum indifferenter volibile: ergo si se habet ut radix libertatis, non jam erit difficile conciliare libertatem nostram cum gratia ab intrinseco efficaci, & prædestinatione. Secundo: ad libertatem ut specificativum formale statuitur indifferentia iudicii: ergo negans libertatem voluntatis, & concedens indifferentiam iudicii, non negat rem, & essentiam libertatis: sed Lutherani concedunt indifferentiam iudicii: ergo non negant essentiam libertatis, sed tantum vocem, cuius oppositum definit Concilium Tridentinum sess. 6.

24. Hoc argumentum confundit radicem cum radicato: indifferentiam objectivam cum indifferentia formali subjectiva, convenienti potentiæ formaliter liberæ. Liber-

SECUNDA CONCLUSIO.

Electio voluntatis pendet essentialiter ab ultimo iudicio rationis.

26 **H**Æc Conclusio consonat menti SS. PP. asserentium libertatem arbitrii consistere in cognitione iudicii, & optione eligendi; in illa causaliter; in ista formaliter. Sic D. Bernardus serm. 81. in Cant. & in lib. de grat. & liber. arbitr. *Habet voluntas quocumque se volverit, semper comitem rationem, non quod semper ex ratione, sed quod nunquam absque ratione, moveatur.* Et D. Augustinus lib. 8. de Trinit. cap. 4. *Nemo potest amare incognitum: igitur sine rationis actu præcedente nulla potest esse electio.* Et Angelicus Præceptor 1. p. q. 83. art. 1. *Quod iudicium istud non est ex naturali instinctu in particulari operabili, sed ex collatione quadam rationis; ideo agit homo libero arbitrio, potens in diversa ferri.* Et 1. 2. q. 13. art. 1. *Voluntas in suum objectum tendit secundum ordinem rationis, eo quod vis apprehensiva appetitiva suum objectum representat.* Et q. 17. art. 1. *Imperare autem, est quidem essentialiter actus rationis.* Quod explicat Eminentiss. Card. Cajetanus, ibi: *Solus intellectus ordinat, eo quod quidquid ordinis in naturalibus, & voluntariis est, à ratione proficiscitur, & in illam resolvitur.*

27. Ex quibus omnibus ratio probativa deducitur. Si voluntas tendit in suum objectum secundum ordinem rationis, dum iudicium est indifferens, & indifferens debet esse ipsa voluntas: ergo ex iudicio determinato solum determinata potest esse voluntas; aliàs voluntas non rationalis esset appetitus: suæ quippe determinationis nulla esset assignabilis ratio. Non indifferentia iudicii, cum iudicium hoc præsupponatur indifferens ad agere, & non agere, & componibile cum utroque extremo libertatis: ergo non est ratio inferens determinatè unum extremum, sed unum, & aliud indifferenter: ergo cum non sit alia assignabilis causa, vel dicendum est, quod daretur electio sine iudicio, & actus sine objecto, cum res apprehensiva objectum non representaret, vel quod voluntatis electio pendet necessarîo ab ultimo iudicio pratico rationis dictante unum præ alio.

28. Sic in sententiâ affirmante appetitum sensitivum regulari apprehensione formatâ ex instinctu naturæ, appetitus sensitivus est ad unum in homine determinatus, quia cognitio sensuum, à qua pendet, naturaliter est determinata. Et voluntas humana respectu ultimi finis determinata est ad unum, saltem quoad specificationem, eo quod iudicium rationis respectu ejusdem est determinatum. Sic & voluntas Beatorum respectu ultimi finis determinata est etiam quoad exercitium, eo quod iudicium rationis illum finem representans, perfectè applicatum mentibus Bea-

Beatorum semper est ipsi præcius : ergo si ponitur iudicium determinatum dictans hic, & nunc absolute omnibus consideratis hoc esse eligendum, necessario sequitur, quod voluntas illud eligat.

29. Explicatur hoc : Nemo est qui, si quaratur ab eo, cur aliquid agat? Non respondeat, quia iudicat, hoc ita esse faciendum : ergo ratio hujus, quod est voluntatem determinatè libere agere, ex aliquo motivo est deducenda; sed hæc ratio solum potest desumi à convenientia objecti determinatè proposita per iudicium determinatum : tum quia iudicium indifferens non præfert convenientiam disconvenientiæ : tum quia in sensu composito iudicii indifferens proponentis simul convenientiam, & disconvenientiam objecti, potest poni rationabiliter tam agere motum à convenientia objecti, quam non agere erga objectum, quod ut disconveniens proponitur : ergo tantum potest desumi ratio hujus, quod est voluntatem determinatè libere agere, ex eo quod voluntas dirigatur actuali iudicio rationis determinatè proponente voluntati convenientiam objecti.

30. Si quis reponat; quod idem iudicium indifferens proponens convenientiam, & disconvenientiam, non æquè utrumque proponit, sed in ipso iudicio potest repræsentari convenientia, ut magis alliciens voluntatem, & simul ut minus retrahens disconvenientiam, quod est sufficiens motivum determinationis voluntatis. Ita sanè : sed iterum interrogo : iudicium hoc cum majori vi alliciendi voluntatem, vel sufficit, ut agens liberè operans libere eligat, vel non? Si primum, hoc ut diximus est omnino falsum, cum sit compositibile iudicium hoc indifferens cum majori vi alliciente voluntatem, & cum utroque extremo libertatis. Si dicatur secundum? Ergo ut eligat, requiritur aliud iudicium determinatum. Modo sic : ut proponatur hoc iudicium determinatum, vel deficit primum iudicium indifferens, vel non? Si deficit? Ergo hoc iudicium indifferens est incompositibile cum actu liberè non agere : ergo requiritur aliud iudicium determinatum, quod intendimus, & propugnamus. Si secundum dicatur, & concedatur hoc iudicium determinatum compositum cum primo illo iudicio indifferenti; cum majori vi alliciendi convenientiam, hoc est omnino repugnans; quid enim magis repugnans quam quod componantur duo iudicia, quorum primum dicat magis sequendam convenientiam objecti, quam fugiendam eisdem objecti disconvenientiam; & aliud præcisè dicat, fugiendam disconvenientiam objecti?

31. Clariùs, & urgentius. Verum est, quod iudicium indifferens speculativum vivaciùs proponens allicientiam convenientiæ, quam vim retrahendi potest esse compositibile cum iudicio practico determinatè dictante, esse fugiendam hic, & nunc disconvenientiam

objecti, dummodò tamen proponat præferendam convenientiam secundum se, non tamen si ipsam proponat præferendam prout hic, & nunc. Quæ enim iudicia assignari possunt impossibilia, si hæc duo sunt compositibilia : *Disconvenientia est præferenda convenientia prout hic & nunc : convenientia præferenda est disconvenientia prout hic & nunc.* Cum unum involvat negationem alterius. Sic qui ex duobus bonis iudicat speculativè unum esse præferendum alteri, nequit iudicare practicè hoc esse præferendum alteri; quia hæc duo iudicia sunt inter se impossibilia : ergo & impossibilia debent iudicari duo hæc assignata iudicia, quorum unum proponit convenientiam ut hic & nunc præferendam disconvenientiæ, & aliud determinatè dictat, hic & nunc disconvenientiam esse convenientiæ præponendam. Hanc doctrinam sequentibus verbis expressit Eminentiss. Cardinalis Bellarminus de Grat. & liber. arbitr. cap. 8. *Respondeo, iudicium ultimum non pati secum aliud iudicium simile, quia essent contradictoria, & repugnantia iudicia. Itaque ultimum iudicium non negat, quin alia sint media utilia ad eundem finem, sed dicit, omnibus consideratis hic & nunc, hoc unum esse accipiendum tanquam utilissimum, ac per hoc absolutè, & simpliciter melius cæteris; quare si voluntas tunc eligeret aliquid aliud, haberet quidem rationem, cur eligeret illud tale medium, quia nimirum est utile; sed non haberet rationem ullam, cur omitteret illud aliud, quod hic & nunc, & simpliciter est iudicatum melius. Non enim nunc habet nisi unum ultimum iudicium; nec potest habere, quia contradictoria essent, nimirum omnibus consideratis hoc est melius, & omnibus consideratis hoc non est melius.* Non ergo voluntas semper sequitur iudicium rationis speculativum, sicut nec semper sequitur scientiam, quæ de aliqua veritate habetur in universali. Qui enim habet scientiam de defectu, & malitia operationis, nihilominus illam in particulari iudicans esse sibi convenientem, sub specie boni per ultimum iudicium practicum propositam, eligit.

32. Hæc est primordialis ratio, cur Philosophus lib. 3. Ethicor. cap. 2. afferit, *quod electio sit eorum, quæ in nobis sunt, consultativa appetitio.* Et lib. 6. cap. 2. *Electio est appetitivus intellectus, vel appetitus intellectivus; cur & D. Thom. 1. 2. q. 13. art. 1. Quod electio est actus voluntatis, non absolutè, sed in ordine ad rationem.* Et ibi q. 14. art. 1. *Quod electionem debet præcedere consilium, cum necessaria sit inquisitio de eligendis (quæ consilium dicitur) ante iudicium de eligendis.* Hæc est ratio, cur comparatur respectu voluntatis intellectus, sicut motivum mobili, & activum passivo. Ex opposito sequeretur, quod in eligente contra dictamen ultimum iudicii practici effet peccatum in voluntate absque ullo errore in intellectu contra illud Salomonis Proverb. 14. *Errant qui operantur malum.* Quod

& po-

& potest esse prudentissimus aliquis, & iste moribus corruptissimus, quod expressè impugnat D. Thom. 2. 2. q. 51. art. 3. ad 2. dicens : *Quod malorum iudicium in particulari agibili semper corrumpitur.* Etiam in actu voluntatis reperiri posset absque impressione rationis, quod est rationis proprium, & essentialiale, nempe conferre unum cum altero, quo confunderentur potentia, quæ sunt inter se essentialiter diversæ. Et tandem negaretur voluntati nostræ dependentia ab intellectu, quæ adhuc conceditur respectu voluntatis Divinæ. Actus enim liber voluntatis Divinæ juxta modum nostrum intelligendi dependet à iudicio intellectus; non quo iudicet, hoc esse melius, vel magis expediens, sed quo iudicat, medium aliquod, quamvis de se contingens, & indifferens, esse tamen ordinabile in finem, ac etiam ordinandum, ut docet D. Thom. 1. contra Gent. cap. 89. dicens : *Quod voluntas Divina in his, ad quæ non secundum naturam suam determinatur, inclinatur quodammodo per suum intellectum, ut supra ostensum est, cap. scilicet 83. ubi dixerat, quod cum bonum apprehensum voluntatem sicut proprium objectum determinet : intellectus autem Divinus non sit extraneus ab ejus voluntate, cum utrumque sit sua essentia : si voluntas Dei ad aliquid volendum per sui intellectus cognitionem determinetur, non erit determinatio voluntatis Divina per aliquid extraneum facta.* Quibus verbis constituit, Divinam voluntatem à suo Divino intellectu quoad specificationem determinari. Negaretur adhuc quod conceditur Angelis, in quibus nobiliori modo, quam in nobis reperitur liberum arbitrium. In his quippe licet intellectus speculativus sit naturaliter determinatus ad omnem veritatem, minimè tamen intellectus practicus. Hic enim potest, non solum indifferenter hoc vel illud, sed etiam unius, & eisdem utramque contradictionis partem, sub ratione veri boni, & ad finem convenientis apprehendere, ac voluntati proponere, quia convenientia non est à parte rei totaliter determinata, sicuti est veritas : Quod totum docet D. Thom. 1. par. q. 59. art. 2. Ex quibus omnibus constat, quod etiam in nobis appetitus intellectivus, qui ex se est liber ad eligendum, & non eligendum, & ad hoc, vel illud eligendum; ut in actu exercito unum præ alio eligat, necesse est, quod ratio ordinet actum ejus proponens objectum; quamvis sic in actu exercito volens, indeterminationem suam retineat antecedentem.

33. Sed ut nihil sit in resolutione ista obscurum, nihil inveniatur ambiguum; non prætereamus quædam speciem difficultatis inducentia. Primò : quia ex tali iudicio determinato infallibiliter sequitur primus actus voluntatis : ergo hoc iudicium non præceditur ab aliquo exercitio libero voluntatis : sed iudicium determinatum, ex quo infallibiliter sequitur exercitium voluntatis, & ad quod

non præcedit exercitium liberum voluntatis, est iudicium antecedenter necessitans actum voluntatis : ergo iudicium determinatum destruit libertatem. Secundò : iudicium determinatum destruit indifferentiã iudicii indifferenti : sed destructa indifferentiã iudicii destruitur prima radix, & ratio libertatis : ergo iudicio isto determinato destruitur libertas. Vel aliter : in principiis Thomistarum prædeterminatio non tollit libertatem, quia componitur cum iudicio indifferenti; sed voluntatem operari cum iudicio indifferenti, & ex iudicio omnino determinato ad unum, diximus impossibile : ergo voluntas cum tali iudicio non liberè operabitur. Tertio : quia hoc iudicium determinatum destruit existentiam physica prædeterminationis, idè enim Thomistæ probant necessitatem physica prædeterminationis; ut voluntas creata ex se indifferens ad utrumlibet, eligat hoc extremum potius, quam aliud; sed posito iudicio determinato voluntas est infallibiliter determinata ad electionem unius præ altero libertatis extremo : ergo vel neganda est ut inutilis prædeterminatio physica, vel excludendum hoc iudicium determinatum.

34. Respondetur ad primum, distinguendo maj. Ex iudicio determinato formaliter ut tali nego maj. Ut liberè acceptato à voluntate subdistinguo : infallibiliter, & necessariò sequitur necessitate consequenti concedo maj. necessitate antecedenti neg. maj. & sub eadem distinctione consequentis negat. consequentia. Hoc enim iudicium determinatum vel potest considerari quæ formaliter purè determinatum, & prout distinctum ab actu imperii, & præcisivè ab acceptatione voluntatis, vel prout jam acceptatum est liberè à voluntate : Primo modo non infert infallibiliter actum, ad quem determinat, cum remaneat potestas ad hoc, ut possit se à tali iudicio divertere; quia hoc iudicium, ut notat Mag. à S. Thoma 1. 2. tom. 1. disput. 12. art. 1. *Respondetur, non omnem habet adjunctam infallibilitatem ad opus : unde cum connotet iudicium indifferens de eligibilitate unius, & alterius extremi, semper remanet in voluntate potestas ad se divertendum à tali iudicio determinato.* At ex suppositione acceptationis, qua voluntas acceptat tale iudicium, nolens ab ipso se divertere, voluntas remanet consequenter necessitata ad id, quod dicitur tale iudicium. Talis enim necessitas est consequens determinationem liberam voluntatis inclusam in actu, quo acceptavit voluntas iudicium determinatum, & quo vult ab isto iudicio non se divertere. In quo, ut docet idem Mag. à S. Thoma, loc. cit. disput. 5. art. 5. *Ad secundum respondetur, necessitari voluntatem ex suppositione, quod non vult divertere, nec vult oppositum, nullum est enim inconveniens, quia hæc non est necessitas, sed voluntas; tenetur enim, & coarctatur, quia vult teneri.*

C

Ad

35. Ad secundum resp. dist. maj. Destruit indifferentiam positivam iudicii indifferentis neg. maj. privativam, vel negativam conced. maj. & sub eadem dist. min. neg. conseq. Duplex in iudicio indifferenti considerari potest indifferentia, una positiva dicens virtutem per modum actus primi ad utrumlibet se habentem; altera privativa, vel negativa, quæ consistit in suspensione ab omni libertatis exercitio. Hæc secunda non est constitutiva libertatis, ut superius diximus, & hæc sola est, quæ destruitur per iudicium determinatum, quod semper connotat permanentem propositionem iudicii indifferentis: nec enim virtus & latitudo potentiae diminuitur per applicationem ad actum secundum; unde non destruitur illa indifferentia positiva, nec ex parte potentiae datur necessitas, & determinatio ad unum medio tali iudicio determinato, quod solum exigitur, ut voluntas constituta libera in actu primo, & ad utrumlibet potens, applicetur ad unam partem præ alia ex propositis per iudicium indifferens. Comparanturque hæc duo iudicia inter se, sicut in voluntate posse operari, & actu liberè operari: unde sicut non opponuntur isti duo conceptus libertatis, ita nec iudicia, ex quibus sequuntur, possunt inter se opponi. Ex quibus constat solutio ad aliam probationem.

36. Ad tertium resp. quod stante hoc iudicio determinato, stat indigentia physica Prædeterminationis, cum agens liberum creatum indigeat determinari ad suam electionem tam à Deo prius, quam à se ipso: unde posita Prædeterminatione, quæ primum determinans voluntatem creatam præmoveret, debet voluntas medio iudicio determinari, tanquam secundum liberum: sicut posita infallibili determinatione imperii efficacis à Thomistis propugnata, non superfluit necessitas determinationis infallibilis physica Prædeterminationis ad actum usus activi voluntatis creatæ, ad quem prærequiritur determinatio imperii efficacis secundum omnes Thomistas: quia nempe determinatio imperii est determinatio à secundo determinante, & determinatio physica prædeterminationis correspondet primo determinanti: ita dicendum in præsentia. Quod optimè explicat D. Thomas 1. 2. q. 6. art. 1. ad 1. *Non omne principium est principium primum; licet ergo de ratione voluntatis sit, quod principium ejus sit intra: non tamen est contra rationem voluntarii, quod principium intrinsecum causetur, vel moveatur ab exteriori principio, quia non est de ratione voluntarii, quod principium intrinsecum sit primum principium.* Et ibi ad 3. *Deus movet hominem ad agendum, non solum sicut proponens sensui appetibile, vel sicut immutans corpus, sed etiam sicut movens ipsam voluntatem; quia omnis motus tam voluntatis, quam naturæ, ab eo procedit, sicut à primo agente. Et sicut non est contra rationem naturæ, quod motus naturæ sit à Deo sicut à primo movente, in quantum na-*

tura est quoddam instrumentum Dei moventis: ita non est contra rationem actus voluntarii, quod sit à Deo in quantum voluntas à Deo moveatur. Et expressius 1. p. q. 83. art. 1. ad 4. *Dicendum, quod dicitur non esse in homine via ejus quantum ad executiones electionum: in quibus homo impediri potest, velit, nolit. Electiones autem ipsæ sunt in nobis, supposito tamen Divino auxilio.* Et 3. contra Gent. cap. 89. *Deus non solum dat rebus virtutem, sed etiam nulla res potest propria virtute agere, nisi agat in virtute ipsius, ut supra ostensum est: ergo homo non potest virtute voluntatis sibi data uti, nisi in quantum agit in virtute Dei: Illud autem, in cuius virtute agens agit, est causa non solum virtutis, sed etiam actus. Quod in Artifice apparet, in cuius virtute agit instrumentum, etiam quod ab hoc Artifice propriam formam non accepit, sed solum ab ipso applicatur ad actum: Deus igitur est causa nobis non solum voluntatis, sed etiam volendi.*

37. Hujusque ratio ex ista indifferentia voluntatis accipitur, quæ cum sit activa potentialis, reduci debet per indifferentiam activam simpliciter talem, qualis est indifferentia purè activa competens Deo. Hæc enim ita se habet ad plura, ut intra se ipsam, & à se ipsa habeat determinationem essentialem ad unum volitum, nimirum ad bonitatem Divinam, quam amat necessariò, ex cuius amore se determinat ad aliorum amorem: cum ergo indifferentia voluntatis humanæ ex se ipsa ad nullius objecti amorem sit determinata, nè detur processus in infinitum, determinationem habet à voluntate Divina. Quod docuit D. Thomas 1. p. q. 19. art. 3. ad 5. dicens: *Causa, quæ ex se contingens, oportet, quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum. Sed voluntas Divina, quæ ex se necessitatem habet, determinat se ipsum ad volitum, ad quod habet habitudinem necessariam.* Et quomodo stante iudicio determinato, indiget ulterius voluntas prædeterminatione physica, ut sic ad electionem determinetur tam à Deo, quam à se ipsa. Sed, ut diximus, necessitas ista tam iudicii determinati, à quo pendet electio, quam physica prædeterminationis, est necessitas consequens, & non concomitans, vel antecedens indifferentiam constitutivam libertatis in actu primo, quæ omnem determinationem ad aliquid extremum pro signo libertatis excludit. Tum quia potentia ex se determinata ad unum non habet dominium illius, cum illud non possit pro suo placito non ponere, vel efficere. Tum quia potentia libera est illa, quæ se ipsam determinat; nam liberum est, quod est sui actus causa: potentia autem, quæ ex se, & pro priori ad omne suum exercitium est determinata, quomodo se ipsam suo exercitio determinat? Tum quia de ratione libertatis est aliqua indifferentia activa ad suos actus; sed potentia, quæ pro priori ad omne exercitium, & in ipso signo potentis est ad unum de-

terminata, non est activè indifferens ad suos actus: ergo necessitas illa iudicii determinati, & prædeterminationis non est constitutiva, nec intelligitur in signo libertatis, in quo intelligitur potentia proximè conjungibilis cum quolibet extremo suæ potentis.

§. IV.

Ex parte iudicii requiritur ad libertatem indifferentia composita cum motione Dei efficaci, qua stante indifferentia, voluntas non potest à Deo necessitari.

38. Perfectam actus liberi rationem tradituri, ad ipsam iudicii objectivam indifferentiam recurrimus. In quo maximè advertendum pro illius intelligentia, quod indifferentia potentis, de qua in præsentia agimus, immediatè opponitur antecedens determinatio ad unum, quæ potentiae convenire potest multipliciter. Vel ex ipsa rei natura, sicut convenit agentibus naturalibus, ut igni, cujus natura est ita ad comburendum determinata, ut nullam aliam possit habere operationem; vel quia facultas apprehensiva non potest objectum sub indifferentia proponere, ut apparet in Brutis, in quibus licet sit indifferentia passiva ad contraria, nulla tamen est indifferentia activa propter determinationem apprehensionis, non valentis in objecto apprehenso discernere convenientiam, vel disconvenientiam objecti. Et tandem provenit hæc determinatio ad unum ex determinatione iudicii adhuc in rationali potentia, quia vel iudicium clarè attingit omne bonum, ut intellectus lumine gloriæ illustratus; vel quia iudicium objecti imperfectè concipitur, ut accidit in iudiciis excitantibus motus, qui dicuntur primò primi: quæ omnes determinationes destruant libertatem, ut est communis omnium assertio. Sed cum aliquando etiam conveniat determinatio potentiae, non ex ipsa agentis natura, non ex defectu rationalis potentiae, nec ex imperfectione iudicii, sed ex actu eodem, quo potentia ipsa se ad unum liberè determinavit, per hæc determinationem libertatem non tolli, omnium est sententia concors, ut §. antecedenti vidimus. Quare solum in præsentia agimus de determinatione potentiae, quam Thomistæ constituunt immediatè provenientem à Deo, quæ in potentia prærequirit, ac præsupponit virtutem, quæ constituit potens ad quodvis extremum libertatis, illam determinans effectivè ad unum; in qua determinatione statuenda, vel neganda, est totum inter Thomistas, & A. A. Societatis dissidium. Existimant enim Societatis A. A., qui post Molinam scripserunt, licet non omnes, requiri in voluntate sub Divina motione effica-

ci constituta, indifferentiam talem, ut cum prædicta motione Dei componere, & conjugere possit quodvis extremum, aut positivum sit, aut negativum, nec aliter in voluntate à Deo mota, & excitata posse libertatem subsistere; quare physicam prædeterminationem rejiciunt, ut inimicam, liberoque arbitrio contrariam. Thomistæ verò hanc talem ac tantam voluntatis indifferentiam chimericam putant, immò existimant in ea asserenda constituisse ex parte Pelagii sententiam, esseque penitus divinæ Gratiæ repugnantem. Hoc ad intelligentiam conclusionis supposito, conveniunt omnes A. A. Catholici in prima conclusionis parte, quod nempe ex parte iudicii requiritur ad libertatem indifferentiam composita cum motione Dei efficaci, irridentibus plerumque Hæreticis; quibus Petrus de Ligni consentiens in profess. Fidei ad Epist. NN. art. 6. dicit: *Quod solutiones dari solita per sensum compositum, & divisum, atque indifferentiam iudicii, sunt mera cavillationes, & trica, quarum nec minimum quidem in S. S. P. P. sit vestigium.* Idem in Epist. anni 1692. 1. Febr. *Protestor, me alienissimum esse ab opinione, aut si malis, errore adstruente libertatem indifferentiam... hanc novitatem induxit Molina, & sola Thomistarum ignavia hanc falsitatem suscepit.* Sic contra doctrinam istam, ut eam mendacem, ac ridiculam exhibeant, majores iræ suæ machinas admovent Jansenistæ; sed ipsorum ineptis diceris despectis, contra omnes stat. Angel. Præceptor. 1. 2. q. 10. ar. 2. in corpor. *Respondeo dicendum, quod voluntas moveatur dupliciter. Uno modo quantum ad exercitium actus. Alio modo quantum ad specificationem actus, quæ est ex objecto. Primo ergo voluntas à nullo objecto ex necessitate moveatur. Potest namque aliquis de quocumque objecto non cogitare: & per consequens neque actu velle illud. Sed quantum ad secundum motionis modum, voluntas ab aliquo objecto ex necessitate moveatur, ab aliquo autem non. In motu namque cujuslibet potentiae à suo objecto consideranda est ratio, per quam objectum movet potentiam. Visibile enim movet visum sub ratione coloris actu visibilibus: unde si color proponatur visui, ex necessitate movet ipsum, nisi aliquis visum avertat, quod pertinet ad exercitium actus. Si autem proponeretur aliquid visui, quod non omnibus modis esset color in actu, sed secundum aliquid esset tale, secundum autem aliquid non tale: non ex necessitate visus tale objectum videret. Posset namque intendere in ipsum ex ea parte, qua non est coloratum in actu, & sic ipsum non videret. Sicut autem coloratum in actu, est objectum visus, ita bonum est objectum voluntatis. Unde si proponatur aliquid objectum voluntatis, quod sit universaliter bonum, & secundum omnem considerationem, ex necessitate voluntas in illud tendit, si aliquid velit: non tamen poterit velle oppositum. Si autem proponatur sibi aliquid objectum, quod non secundum quamlibet considera-*

tionem sit bonum: non ex necessitate voluntas fertur in illud. Et quia defectus cujuscumque boni habet rationem non boni, ideo illud solum bonum, quod est perfectum, & cui nihil deficit, est tale bonum, quod voluntas non potest non velle, quod est beatitudo. Alia autem qualibet particularia bona in quantum deficiunt ab aliquo bono, possunt accipi ut non bona: & secundum hanc considerationem possunt repudiari, vel approbari à voluntate, quæ potest in idem ferri secundum diversas considerationes.

39. Hæc est rota corporis articuli doctrina, suam antiquitatem in Ecclesia contraputidum Impostorem demonstrans, qui non antiquiorem Molinam eam ausus fuit asserere. Ex quâ manifestè constant hæc duo. Primum est, voluntatem, iudicio proponente objectum sine indifferentiâ præventam, non posse tendere in illud amore libero. Secundum est, voluntatem præventam iudicio indifferenter proponente objectum, non posse in illud ferri amore necessario. Et utriusque ratio est, quia sicut à potentia necessaria, in sensu composito suæ necessitatis, nullius vi, aut efficacia potest educi actus liber; quia illa suppositione facta, talis actus est implicatorius; ita etiam à potentia libera in sensu composito suæ libertatis, exire non potest in vi alicujus potestatis actus necessarius, quia ex illa suppositione non est minus talis actus repugnans & implicatorius; cum ergo voluntas constituitur potentia necessaria per determinationem iudicii, & constituitur in ratione potentia libera per indifferentiam iudicii, quia teste D. Thoma q. 24. de verit. art. 2. *Tota ratio libertatis ex modo cognitionis pendet*; hinc fit,

DUBIUM II.

An liberum Hominis arbitrium sit non solum à coactione, sed etiam à necessitate liberum?

S. I.

1. **U**T præsentis dubii decisio suis propriis stabiliat fundamētis, prius quorundam terminorum amphibologia sunt explicandæ, ne disputatio æquivocationis vitio laboret. *Voluntarium dicitur illud, quod est a principio intrinseco cum cognitione finis*. Unde quia in pueris, & amentibus non est propria cognitio finis, non est in illis voluntarium perfectum, sed imperfectum, quod solet spontaneum vocari. E contra, *Violentum communiter à Philosophis definitur, quod est a principio extrinseco passo non conferente vim*: quæ ultima verba non sunt intelligenda negativè, quasi sufficiat ad violentiam, subjectum non cooperari motui violento; sed positivè, & contrarie, ita ut passum positivè renitatur, & resistat extrinseco agenti: aliàs infusio habituum, & donorum

quod sicut affirmatio est in causis præcis causis affirmationis, ita negatio est causa negationis; & ex consequenti, sicut à voluntate præventam iudicio necessario non potest exire actus liber, ita neque à voluntate procedere valet actus necessarius, si semel sit iudicio indifferenti præventam. Quod videtur agnovisse Calvinus, qui, ut assereret, tolli per Dei motionem libertatem, compulsus est negare motionem moralem, exequentem sufficientiam potentie. E contra vero Pelagius libertatem per auxilium ex sui natura efficacem auferri credidit, etiam si supponeretur voluntas auxiliis moralibus præventam. Non enim, etsi Vir perspicacis ingenii, asserere valuit, ut videret, & modum operandi in voluntate per modum necessitatis, & naturæ, & modum operandi per modum indifferentiæ, & libertatis. Primus tunc accidit, cum voluntas propter necessitatem iudicii rapitur ab objecto, cum tunc operetur voluntas ut natura, & concursus petit sibi dari, eo modo quo agens naturale, cum est in ultima dispositione ad operandum. Secundo modo operatur voluntas, quoties iudicium proponens objectum, & convenientiam actus, proponit simul rationes, quibus possit retrahi ab objecti prosecutione: Cum enim capacitas illius ad bonum universale se extendens, à nullo particulari possit omnino determinari, aut rapi, inde est quod remanens sub indifferentia concursus petit per modum libertatis sibi dari, qui nec domini, nec potestatis excludit indifferentiam, ut repetit ibi D. Thomas art. 4.

supernaturalium violentia esset, cum natura nullam conferat vim ad eorum infusionem, sed per potentiam obedientialem illa recipiat. Id enim exprimit ipsa ratio violenti, quod sit vi illatum, nulla autem sit vis, ubi nulla est positiva resistentia. *Coactum, dicitur illud, quod est à principio extrinseco passo nihil conferente, sed potius reluctante*: minimè tamen ex hoc confundendum coactum cum violento, nec coactum cum involuntario, quia violentum exigit esse contra inclinationem tam elicitam, quam innatam. Ita aquæ, dum ascendit ad replendum vacuum, aliquis sit violentia, quia scilicet motus ille, licet sit juxta præcipuam ejus inclinationem, quâ respicit bonum universi, cujus est pars; est tamen contra ejus specialem inclinationem. Qua ratione defendit D. Thomas 1. p. q. 103. art. 8. ad 3. & q. 105. art. 6. ad 1. & 3. p. q. 22. art. 2. quæst. 1. de potentia art. 1. ad 3. & 3. contr.

contr. Gent. cap. 200. Deum nihil violentum simpliciter tale operari in suis Creaturis. Aqua ergo violentiam patitur, sed proprie non cogitur in tali motu, quia coactio exigit esse contra inclinationem elicitam rei, unde coactum propriè opponitur spontaneo, & convenit Brutis, dum moventur contra inclinationem appetitus sensitivi. *Involuntarium dicitur illud, quod est contra inclinationem elicitam voluntatis, ut quando homo impellitur ire, quod non vult, vel privatur propria operatione contra voluntatem efficacem operandi*. Sicque omne involuntarium est coactum, non tamen omne coactum est involuntarium, quia actiones Bruti possunt esse coactæ, non tamen involuntariæ: omne coactum est violentum, sed non è contra, quia motus aquæ, vel lapidis potest esse violentus, sed nullo modo coactus, quia res inanimata coactionis est incapax. Et tandem *necessarium dicitur illud, quod ita est, ut non possit non esse*.

2. Secundò apprimè notandum ex Angelico Præceptore 1. 2. q. 6. art. 4. quod licet Deus possit ex necessitate movere voluntatem hominis, cogere tamen voluntatem quantum ad actus elicitos, ex terminis repugnantiam involvit. Necessitari voluntatem à Deo, qui est Author naturæ nihil vetat, sed tunc auferret illi libertatem in tali actione, movendo illam. Cogere voluntatem est quid impossibile: cogere enim aliquid est contra suam ipsam inclinationem movere. Et ideo potest quidem homo cogi, cum movetur contra propriam voluntatem (quæ est propria hominis inclinatio) sive ad intelligendum, sive ad ientendum, vel ambulandum, & cætera id genus: Attamen voluntas non cogitur. Nam cum sua inclinatio eadem sit, intransitivæ ac ipsius actus, quomodocumque, & undecumque habeat velle, vel nolle, est sua inclinatio, atque adeo repugnat tales habere actus contra suam inclinationem. *Duplex namque est actus voluntatis* (inquit Divus Thomas) *Unus quidem ab ipsa immediatè elicitor, scilicet velle. Alius à voluntate imperator, & mediante alia potentia exercitor, ut ambulare; quantum ad istos, voluntas violentiam pati potest, sed quantum ad ipsum proprium actum voluntatis non potest ei violentia inferri. Est ergo contra rationem actus voluntatis procedentis à principio intrinseco, quod sit coactus, vel violentus; unde licet homo possit per violentiam trahi: quod hoc sit ex ejus voluntate, repugnat rationi violentiæ*. Hanc doctrinam repetit q. 22. de verit. art. 5. quam & docet D. Anselmus de liber. arbitr. cap. 3. *Ligari potest homo & invitatus, quia nolens: potest torqueri invitatus; quia nolens, potest occidi: Velle autem non potest invitatus, quia non potest velle, nolens velle*. Et Damascenus lib. 3. de Fide cap. 27. Quæ enim magis inter se contraria, quam voluntarium, & violentum? Ergo si omnis actus voluntatis est voluntarius, nul-

lus potest esse violentus; si omnis est secundum suam inclinationem, vel actualis quædam ejus inclinatio; quomodo & idem actus potest esse contra propriam ejus inclinationem, vel sit actus necessarius, vel liber? Uterque enim est a principio intrinseco cum cognitione, & actualis inclinatio voluntatis.

3. Nullus hucusque fuit tam insanæ mentis, ut dixerit, liberum arbitrium non esse à coactione liberum. Quis enim asserere potest, voluntatem non velle, dum vult; ipsumque voluntarium auferri posse ab actibus voluntatis? Sic nec Astrologi Judicarii, nec Manichæi, nec Wiclephus, nec tandem Lutherus veritatem istam negaverunt. Non Manichæi, ut observat Cardinalis Bellarminus de grat. & liber. arbitr. lib. 5. cap. 26. *Neque vero loquitur de libertate à sola coactione. Nam ea non repugnat fato, cui tamen repugnat libertas à necessitate. Potest enim spontè fieri, quod fato fit, non potest autem, quod fato fit, non necessitate fieri*. Non hanc negavit Wiclephus, peccandi necessitatem ex præscientia solum inferens: nempè *Deus præscivit Petrum esse peccaturum: ergo necesse est, ut peccet*: quæ certitudo præscientiæ est compossibilis cum libertate à coactione; ut ibi notat Cardinalis Bellarminus, dicens: *Illi autem non negabant liberum arbitrium à coactione liberum; libertas enim à coactione facillimè cum gratia copulatur, immo etiam cum fato, & quavis alia causa determinante ad unum*. Hanc non negavit Lutherus, de quo in Concilii Senonensis præfatione dicitur: *Auferit etiam ipse, ut Manichæus liberum arbitrium*. Et infra: *Lutheranæ Sectæ fons & origo Wiclephus, cuique Lutherus per omnia fermè consentit*. Sic Hæretici isti de vanitate convenientes in id ipsum contra libertatem liberi arbitrii, in causa solum erroris ad invicem sibi dissentiant. Mos namque apud ipsos perpetuus est, ut de eadem re communis & unus nusquam sit discurrendi modus; dummodo sint in errore concordēs. Omnes isti veram necessitatem absolutam destruentem liberum arbitrium apertè profitentur, quam in ipsis, & non necessitatem coactionis, damnavit Ecclesia. Damnavit namque aliquid ab ipsis asertum pugnans cum veritate libertatis Catholicæ: ergo Ecclesia contra ipsos liberum arbitrium definiens, damnat non esse à necessitate liberum, quod solum negabant ipsi.

4. Sed cum Hæresis Hydra verè sit, sibi non constans, nec uno capite contenta, sæpeque, quò peior est, reviviscit in maximam Reipublicæ Christianæ perniciem, & jacturam, Calvinus, Bajus, & Jansenius in eundem conspiravere errorem. Calvinus eum expressè profitetur lib. 2. de liber. arbitr. contra Pighium. *Non adeo superstitiosus sum in verbis, ut ejus causa velim contentionem aliquam movere, modo intelligentia sana maneat. Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium, & fatèor, & constantè assero*, ac pro

ac pro Hæretico habeo eum, qui secus sentiat. Ipse propterea negavit libertatem destrui cum necessitate ex vitio nature orta: qui error damnatus fuit in Concil. Trident. sess. 6. can. 4. *Si quis dixerit, liberum arbitrium . . . non posse dissentire si velit, anathema sit.* Quo supposito, fit argumentum: sed cum posse dissentire non fiat necessitas ad unum extremum: ergo damnat Concilium dicentes salvari liberum arbitrium, dum non est à necessitate liberum. Immo can. 5. definit, liberum arbitrium hominis post Adæ peccatum non esse amissum, vel extinctum, viribus licet attenuatum, & infirmatum: sed libertas à coactione infirmari, vel attenuari non potest, ipsa namque non suscipit magis & magis, ut docet Divus Thomas q. 34. de verit. art. 10. ad 5. *Liberum arbitrium secundum quod dicitur liberum à coactione non suscipit magis, & magis.* Et 2. ad Annib. dist. 25. art. 3. ad 3. *Libertas à coactione non patitur aliquam permixtionem: unde ne augetur, nec minuitur, nec totaliter tollitur.* Quomodo enim infirmari, vel attenuari potest libertas à coactione, dum coactio est essentialiter repugnans actibus voluntatis? Ergo sola libertas à necessitate fuit vulnerata, remanente tamen libero arbitrio in bonis, & in malis ab omni coactione, & necessitate omnino immuni.

5. Illud idem perversum Hæreticumque dogma damnatum fuit à S. Pio V., & Gregorio XIII., & Urbano VIII. perniciosos Baii errores profcribentibus. Propositio namque Baii 66. talis erat. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Et 39. *Quod voluntariè fit, etiam si necessariò fiat, liberè fit.* Quid clariùs? Benè namque infertur: si sola coactio opponitur libertati: ergo salvatur libertas essentialiter cum necessitate, quæ non est coactio: antecedens damnatum est: ergo & consequens. Iterum benè valet: si omne, quod voluntariè fit, liberè fit: ergo actus necessarius, qui est voluntarius, liberè fit, & sufficientèr ad meritum; sed antecedens damnatur, ut hæreticum: ergo & consequens.

6. Hæreticorum istorum errori similis est & error Jansenii docentis libertatem hujus status ad merendum, vel demerendum necessariam opponi dumtaxat coactioni ac violentiæ, non verò simplici necessitati mutabili, ac transeunti. Ita de Gratia Christi lib. 6. cap. 6. duplicem necessitatem distinguit, unam coactionis, & aliam simplicem, seu voluntariam: aitque, illam, non verò istam repugnare libertati, *Ex quibus, inquit, consequens est, omnem omnino voluntatem quantumque ad unum determinatam, nulla tali necessitate, qua dicitur necesse esse, ut velit, desinere esse liberam, quia non desinit esse voluntas, qua non esset, si nollemus . . .* Et postea. *Sicut libertas esse non potest sine voluntate, ita nec voluntas ulla sine arbitrii libertate.* Et infra. *Nescio quid manifestius, argentiùsque profertur posset ad demonstrandum volitionis cuiusque*

libertatem, etiam illius, quam nos habere necesse est. Et cap. 12. *Nunquam interitum libertati timet Chrysostronus, nisi à necessitate violentiæ, atque coactionis, qua absente satis est, quod spontè, volentesque peccant, & benè faciunt.* Quod & lib. 8. cap. 19. & alibi passim asserit, *nullam necessitatem actibus voluntatis liberis esse formidandum, sed solam coactionem, aut necessitatem violentiæ.*

7. Hoc disertis verbis profert, & ita perseveranter propugnat, ut lib. 1. de stat. natur. laps. cap. 21. dixerit, quod etsi voluntas in vitâ hâc tam firmiter malo adhereret, quàm Beati in cœlis bono adhereret, adhuc tamen libera foret his verbis. *Sic ergo & hic (hoc est in præsentia vita) etiam si ille perversus amor sui, in quem ex Dei dilectione rationalis Creatura lapsa est, & in quo ex justissima Dei damnatione perseverat, & ex quo omnis actus, vel omisso damnata voluntatis fluit, firmissimè adheret voluntati, imò etiam si non solum specificatione, ut nunc est, sed etiam exercitio, quemadmodum amor beatificus esset necessarius, non tamen ex Augustini mente desineret esse liber.* Hoc non per transennam insinuat, sed constanter affirmat dicto lib. 6. cap. 31. *Neque enim, inquit, quisquam spero, ita desipuerit, ut hominem etiam viatorem libertatem amissurum putaret, si liberrimè, & liberatrice charitate ita humanum liberaretur, & firmaretur arbitrium, ut quod Beatis jam in prævium retributum est, in hac vita constitutus amplius jam peccare non posset.* Et lib. 8. cap. 17. *Si etiam in hac vita Dei inspiratio tam stabiliter, ac delectabiliter, Deo operante inhaeret voluntati, ut eam non posset abicere, felicissimum, fortissimum, liberrimumque meritò diceretur, atque esset arbitrium.* Quod cap. 15. dixerat. *Quæ manifestissimè clamant, gratiam quamcumque efficacem, etiam talem qualis in Cælo cum summa delectatione dabitur, nullo modo tollere libertatem, quia non tollit voluntatem, hoc ipso videlicet, quo eam non cogit, aut invitam rapit, sic enim diligit Deum, ut velit se diligere, & ideo in actu volendi se ipsum movet, & ipsi dominatur, & pro tanto dicitur liberum.* Quæ omnia manifestè convincunt, ac oculis ipsis subjiciunt, Jansenium solum admisisse libertatem hujus status ad merendum, vel demerendum necessariam, quæ esset exclusiva coactionis, & violentiæ, non tamen simplicis necessitatis.

8. Hæc Jansenii sententia eadem est Lutheri, ac Calvinii, qui nunquam eo sensu negaverunt liberum arbitrium, sed eo tantum, ut negarent nobis inesse indifferentiam ad utrumlibet. Audiendus Lutherus tom. 3. de de serv. arbitr. *Sequitur necessariò nos operari: necessariò dico, non coactè . . . Hoc est, homo cum vacat Spiritu Dei, non quidem violentia, vel rapus obtorto collo facit . . . Sed spontè, & libenter voluntate facit.* Hoc idem fatetur Calvinus lib. 2. instit. cap. 1. §. 7. *Liberi ergo arbitrii hoc modo dicitur homo, non quia liberam*

bu

habet boni, equè ac mali electionem, sed quia mali voluntate agit, non coactione.

9. In eodem promulgando errore suberantur eorum sectatores, ac Discipuli. Chamier tom. 3. lib. 2. cap. 1. n. 12. *Nostri statuunt, posse quidem cadere in arbitrium libertatem à necessitate, sed non ita, ut sit de ejus essentia: sicque libertatem posse constare dempta coactione, sive violentia, etiam si adsit aliqua necessitatis species.* Idem propugnat David Paræus lib. 5. de grat. & liber arbitr. cap. 1. *Nulla necessitas ex omnibus libertati nostræ repugnat, nisi duæ: una physica, seu naturalis, quæ est determinatio naturæ bruti ad unum semper eodem modo agendum; altera coactionis, seu coactionis necessitas, quæ est determinatio naturæ rationalis ad unum, præter, vel contra voluntatem, à violento externo principio.* Differimus à Pontificiis, inquit Joannes Scarpus lib. 2. de liber. arbitr. cap. 3. *illi ad liberum arbitrium constituendum ajunt, requiri non tantum libertatem à coactione, sed etiam à necessitate.* Nos vero dicimus, necessitatem in agendis liberum arbitrium non tollere. Idem legitur in Synodo Dordrechensi: *Voluntas hominis per essentiam suam semper manet libera, etiam quando ad unum determinatur . . . Nam libertas non pugnat cum omni necessitate, & determinatione; pugnat equidem cum determinatione violentiæ, seu cum necessitate coactionis, sed optimè convenit cum necessitate infallibilitatis:* ergo cum idem sit sensus, & opinio Jansenii, sitque hæc tam intimo nexu cum errore Lutheri, & Calvinii coherens, dum ad demerendum non requirit libertatem à necessitate, sed dumtaxat libertatem à coactione, meritò proscripita à summis Pontificibus Innocentio X., & Alexandro VII. tertia Jansenii Propositio, quæ ex principiis Calvinii & Lutheri necessariò defluit. Quam consequentiam nullo subterfugio vitare posse, vidit ipse: cum enim lib. 8. de grat. Christi cap. 21. hoc ipsum sibi proponeret argumentum, in hoc ab ipsis non discedere, videtur confiteri. *Obicitur fortassis adversus istam gratiam, & liberi arbitrii concordiam, eam à sententia Calvinii non differre. Sic enim utrumque invicem conciliat, ut dicat hominem vi gratiæ non ita trahi, ut sine motu voluntatis quasi extraneo impulsu feratur, sed intus affici, ut ista voluntate obsequatur; hoc est voluntariè tantum, non liberè influere in opera bona voluntatem: quæ sententia à Concilio Tridentino dissona. Sic respondet: non omnia, quæ Hæretici docent, sunt hæretica: nolens in hoc ab ipsorum recedere sententia. Quare & suas fecit, ac renovavit Baii Propositiones: consonat namque ejus assertio propositioni illius 11. *Libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis.* Et 67. *homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessariò facit.**

10. Perniciosi errores isti idem sunt, aut ferè similes illis, qui hac tempestate repullulare in Quenello videntur, cum clarè fatis

contineantur in propositionibus à SS. D. Clemente Papa XI. damnatis in sua Bulla *Unigenitus*; scilicet in 1. 36. & 38. cum quibus conveniunt 2. 3. 4. 7. quibus gratia efficaci carentibus, non solum omnem denegat actionem bonam, sed & ejus eliciendi potestatem. Eidem errori suffragantur propositiones 7. 8. 22. 23. 24. 25. in quibus eam describit gratiæ efficaciam, ut in potestate hominis non sit recusare consensum. Et cum similiter Jansenianum dogma fundetur in eo, quod nullum sit auxilium gratiæ interioris sufficiens, sed omne efficax, quod constitutum potestatis ad salutariter operandum agnoscit: necesse est ut qui succumbit tentationi concupiscentiæ consentiens, sine libertate peccet; ut potè semper destitutus auxilio gratiæ sufficiens ad non peccandum. Illi verò, qui meritorie operari possunt, semper meritorie exercentur, & necessariò, quia omnis gratia interior dans posse, simul est efficax, ad merendum. Ex quo sequitur quod hic Jansenii error comprehendatur in Quenelli propositionibus 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. & 20. nullam agnoscens gratiam, cui voluntas possit resistere; quod sanè principium corrigere deberent ipsi, ut errores consequentes devitarent, nè rebellii adhuc obfisterent contumacia: cujus examen, ac ostensionem ad proprium locum remittimus.

11. Contra omnes stat Angel. Præceptor 1. p. q. 19. art. 10. in corpor. Et q. 28. art. 1. ad 3. Et q. 83. art. 2. ad 2. Et art. 3. in corpor. Et 1. 2. q. 13. art. 6. Et q. 2. de potent. art. 3. ubi ait: *Voluntas in quantum voluntas, cum sit libera, ad utrumlibet se habet: potest enim voluntas agere, vel non agere, sic vel sic facere, velle, & non velle.* Et q. 22. de verit. art. 5. ad 5. *Quod voluntas in quantum rationalis est se habet ad opposita.* Et art. 6. *Cum voluntas indeterminatè se habeat respectu multorum, non habet respectu omnium necessitatem.* Et q. 24. art. 1. Negat brutis libertatem, non quia cogantur, cum manifestum sit, quod plurima agant sine coactione, sed quia illorum judicium est determinatum ad unum. Et art. 4. *Secundum hoc aliquid liberè fieri dicitur, quod est in potestate facientis.* Ex quibus est evidens, quod de mente Angel. Præceptoris (cui adversarii affingere temerè volunt hanc sententiam) libertas arbitrii non tantum est libertas à coactione, sed etiam à naturali necessitate.

12. Sed clariùs contra ipsos spiritu prophetico insurgit q. 6. de malo art. unic. veritatem istam, ut Catholicum dogma proponens. Inquirit enim: *Nam homo habeat liberam electionem actuum, aut ex necessitate eligat?* Respondet autem in corpore articuli: *Dicendum, quod quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquod eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur. Non enim omne necessarium est violentum, sed solum id, cujus principium est extra:*

111-

unde & motus naturales inveniuntur aliqui necessarii, non tamen violenti: violentum enim repugnat naturali, sicut & voluntario, qui utriusque principium est intra, violenti autem principium est extra. An non hæc est Jansenii, & Quæsnelli positio, quam tantopere probare, & variis testimoniis, & rationibus confirmare conantur? At, quid respondet S. Thomas, seu quam de ista opinione sententiam profert? En ejus verba: *Hæc autem opinio est hæretica; tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur esse meritorium, vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit. Est etiam adnumeranda inter extraneas Philosophiæ opiniones, quia non solum contrariatur Fidei, sed subvertit omnia principia Philosophiæ moralis. Si enim non sit aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & puniatio, & laus, & vituperium, circa quæ Moralis Philosophia consistit. Hujusmodi autem opiniones, quæ destruunt principia alicujus partis Philosophiæ dicuntur positiones extraneæ: sicut nihil moveri, quod destruit principia scientiæ naturalis. Ad hujusmodi autem positiones ponendas inducuntur sunt aliqui homines partim quidem propter proterviam, partim propter aliquas rationes sophisticas, quas solvere non potuerunt.*

13. Hic Angel. Præceptoris discursus magnum Thomistis, tam acriter exagitationis, debet esse solatium, egregiumque omnibus documentum, ut cognoscant quam verè dixerit Pius V. *Omnipotentis Dei Providentiæ factum est, ut Angel. Doctoris vi, & veritate doctrinæ, multæ, quæ deinceps exorta sunt hæreses, dissiparentur.* Cum ergo ad errorem istum devincendum, nulla aptior, nec magis conveniens possit adaptari ratio, juxta resolutionis Angelicæ mentem, duplici sequenti conclusione resolvitur dubium. Prima sit

§. II.

De Fide est, voluntatem lapsam esse à necessitate liberam.

14. **H**anc probat D. Thomas; quia aliàs non esset capax meriti, aut demeriti, quæ ratio ut notat Illius Godoy tract. de merit. Christi, disp. 48. fess. 7. *Universalis est, & omnes status hominis comprehendit.* Nul- lum quippe est meritum, nisi per actum liberi arbitrii, nec actus liberi arbitrii, qui non sit à necessitate liber, ut probat Bellarminus lib. 3. de grat. & liber. arbitr. cap. 5. *Sic in Christo Domino fuit verum meritum, ut constat ex illo Isaia 63. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Ad Rom. 5. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum.* Ad Ephes. 2. *Deus au-*

tem qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cujus gratia estis salvati). Et ad Philippens. 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Et Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. *Meritoria autem, dilectissimus Unigenitus suus, Dominus noster Jesus Christus, qui, cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima Passione in ligno Crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit.* Non fuisse in Christo ad tale meritum libertatem contradictionis, ut falsum, improbabile, & contra fidem rejiciunt communiter Theologi. Videatur Magister Ferre tract. de voluntario, q. 6. à fess. 8. usque ad 16. à num. 720. Et Illius Godoy loc. citat. ubi contra asserentes Christi meritum per actus spontaneos, sic concludit: *Ergo asserere liberum à coactione, etsi necessariò factum, esse liberum absolutè, & sufficienter ad meritum, est à Pontificibus damnatum.* Et est expressa contra fidem. Dicitur enim Joann. cap. 10. *Ego pono animam meam, nemo tollit eam à me; sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi illam.* Quibus verbis exprimitur potestas ponendi à se ipso, & non ab alio coacte, animam suam, & consequenter libertas consistens in potestate, & dominio supra proprios actus. Rursus Isaia cap. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Supra quæ verba dicit D. Hieronymus, *non necessitate, sed voluntate Crucem subiit; sed voluntas excludens necessitatem, est voluntas libera à necessitate: ergo hæc libertas fuit in Christo.* Docent etiam unanimiter Theologi, Beatissimam Virginem Mariam non meruisse per actus purè spontaneos absque libertate, vel contradictionis, vel contrarietatis, juxta diversitatem sententiarum, fuerit, vel non in B. Deipara libertas solum contradictionis, vel etiam contrarietatis.

15. Angeli etiam meruerunt per actus à necessitate liberos, quod ut certum de Fide asserit RR. Zumel 1. p. q. 50. super art. 3. ubi inquirat D. Thomas, *utrum in Angelis sit liberum arbitrium?* Conclusio est affirmativa, & de Fide: *Quia in Angelis secundum fidem est meritum, & demeritum, primum, vel pena.* Sic & primus homo in statu innocentie fuit ad meritum, vel demeritum liber à necessitate, quod & ipsi Calvinus, & Lutherus, & Jansenius ut Fide certum supponunt; estque evidens, quia aliàs in statu innocentie impossibile esset præceptum, cum tunc peccarent necessariò, & damnabiliter peccarent in eo, quod necessariò facerent, qui est error Baji damnatus propof. 67. Nec Constitutio Innoc. X. ab Alexandro VII. contra Jansenium confirmata, oppositum probat, licet loquatur ipsa de statu naturæ lapsæ; quia, ut adver-

advertit P. Platel in Synopsis, p. 3. cap. 7. *Non est restrictiva, sed ampliativa, ac si diceret, etiam in statu naturæ lapsæ; nec enim Summus Pontifex damnare debuit, quod & esse hæreticum fatebatur Jansenius, sicuti & alii Hæretici.*

16. Supposito ergo, quod de Fide certum est, ad meritum in statu innocentie requiri libertatem à necessitate, eadem certitudine Fidei affirmant D. Thomas, omnesque Patres, & Doctores Catholici, voluntatem lapsam esse à necessitate liberam, quæ credimus, liberum arbitrium esse capax meriti, vel demeriti. Probant namque SS. PP. existentiam liberi arbitrii, quia aliàs homo non esset capax meriti, vel demeriti; ergo cum sit de fide certum, quod homo est capax meriti, & demeriti, eadem fide tenendum, liberum arbitrium esse à necessitate liberum. Sic similiter, quia de fide est, hominem cum Dei adjutorio posse credere, sperare, & amare, ut constat ex sess. 6. Concil. Tridentini can. 3. oportet, quod post peccatum Adæ sit in homine libertas à necessitate, quia meritum, five sit fidei, five spei, five charitatis, essentialiter involvit libertatem indifferentiæ, seu connotat liberam potestatem, ex vi cujus taliter existit, ut, si nolisset operans, non existeret.

17. Hoc sanè exigit ipsa ratio meriti, nec alia potest suæ rationis formalis concipi idæa. Obtinet namque meritum veram obsequii rationem, & obsequium existens sub dominio merentis per actus necessarios minimè exhibetur. Dat merenti jus ad præmium: ergo exigit bonitatem moralem per conformitatem cum regulis morum, quam nequit habere actus necessarius: quod enim ex sua natura est determinatum, ut fiat, non indiget regula illius existentiam dirigente, vel regulante. Naturalibus, seu necessariis non meremur, nec demeremur: ergo sub dominio merentis ita est mereri, quod loco mereri, possit se exercere per non mereri; sed sine libertate à necessitate non salvatur ita esse sub dominio, & arbitrio merentis mereri, quod possit se exercere per non mereri: ergo ratio meriti ex suo conceptu formali exigit hanc libertatem à necessitate. Clarius: Naturalibus non meremur, nec demeremur, quia necessaria sunt; sed actus elicited à merente, si non est liber à necessitate, est actus necessarius: ergo pugnat cum ipso ratio formalis meriti. Et tandem, quia ut diximus, & ut est fide certum, in statu naturæ integræ ad meritum requiritur libertas à necessitate: ergo & in statu naturæ corruptæ eadem libertas à necessitate est essentialiter requisita. Non enim SS. PP. vel Scriptura aliam ad meritum in statu naturæ corruptæ requirunt libertatem, ac aliam in statu naturæ integræ.

18. Constat primò ex illo Ecclesiastic. 25. ubi dicitur: *Reliquit eum Dominus in manu consilii sui: quocumque voluerit vertet illum.*

En ubi loquimur de libertate essentialiter pugnantem cum necessitate ad unum: & de homine tam in natura integra, quam in natura lapsa. Loquitur namque Spiritus Sanctus de homine secundum suam naturam, quæ eadem est integra, & lapsa, solum cum differentia aliqua accidentali. Nec est fundamentum, ut applicetur ad naturam integram, non tamen ad naturam lapsam. Primò, quia jam definitum est in Concilio Tridentino sess. 6. can. 5. *Liberum arbitrium in homine post peccatum esse infirmum, & debilitatum, non tamen fuisse omnino extinctum;* at, si non maneret indifferentia, ut huc vel illuc verteretur, esset extinctum, cum per hoc definiatur à Spiritu Sancto: ergo secundum fidem dicendum est, necessariam esse indifferentiam ad libertatem absque necessitate ad unum extremum. Secundò, quia nullus Hæreticus negavit, liberum arbitrium esse vertibile, five flexibile, dum necessariò raperetur ad peccatum sine gratia, & ad bonum cum gratia: sed illos anathematizat Ecclesia ex hoc testimonio, & aliis similibus: ergo aliam vertibilitatem, nempe activam, & indifferentis potestatis ex illis definit; & consequenter damnata est sententia Jansenii, Quæsnelli, & aliorum, qui ita ponunt libertatem, quod illam salvent cum necessitate, ut contraponitur coactioni.

19. Constat secundò ex SS. PP., quorum hæc est perpetua, & constans sententia. D. Hieronymus lib. 2. ad Jovinianum cap. 2. *Liberi arbitrii nos condidit Deus; nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin ubi necessitas est, nec condemnatio, nec corona est.* D. Chrysostomus tom. 10. ferm. in verb. Isaia, *Si volueritis, ait: Si velle, & nolle vestrum non est, hoc est, si vivendi rectè, ac secus libertas adempta nobis fuisset, nec bonum unquam cæleste donum perciperet dignè, nec malum supplicium competens inveniret.* Tertullianus lib. 2. adversus Marcionem cap. 5. *Nec boni, nec mali merces repensaretur ei, quia aut bonum, aut malum necessitate fuisset inventum in voluntate.* D. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 1. num. 52. idem asserit: *Credendi, vel non credendi libertatem in arbitrio positam in Deuteronomio. Ecce dedi ante faciem tuam vitam, & mortem, bonum, & malum: Elige vitam tibi, ut vivas.* Et ferm. de Nativit. *In alterutrum potest libertas arbitrii flectere.* D. Athanasius contra Idola: *Anima libera est, & sui arbitrii: potest enim, ut ad bona se inclinare, ita bona quoque aversari. . . qui enim liberum sui jus, arbitriumque intuetur, sentit, se in utramque partem corporis membris uti posse, tum ad ea, quæ sunt, tum ad ea, quæ non sunt. Ea vero, quæ sunt, bona appello, ea, quæ non sunt, mala.* D. Gregorius Nyssenus lib. 7. de Philosophia cap. 2. *Concupiscere, & non concupiscere, mentiri, & non mentiri, & quacumque talia, in quibus consistunt virtutis, & vitii opera, hæc sunt nostro libera arbitrio.* S. Basilus

lius in oratione: *Quod Deus non sit Auctor malorum: Anima, inquit, soluta omni necessitate, & vitam in sua potestate constitutam ex Deo accipiens, potestatem habet, & facultatem in boni contemplatione, & spiritualium fructuum manendi; habet autem & à bono desectendi facultatem.*

20. Augustinus tract. 81. in Joannem, affirmat, ita sine gratia vivere hominem non posse, utique vita spiritali, ut & mors, id est peccatum, in potestate sit liberi arbitrii. Et lib. de Corrupt. & grat. cap. 11. dicit: *Electis dari per gratiam, ut bene agant, non autem ut male agere non possint.* Prosper. lib. 1. de vocatione Gentium cap. 8. admonet, non ideo, quia Spiritu Dei agitur homo, putandum esse, quod liberum arbitrium ad bona opera non habeat. Et lib. 2. cap. 28. dicit, *Deum sic donare ipsum velle, ut etiam à perseverantibus illam mutabilitatem, qua possint nolle, non auferat.* Ubi & latè docet, posse eos, qui gratia Dei in Christum credunt, non credere: & posse eos, qui perseverant, recedere.

21. Clamat tertio contra ipsos D. Thom. cujus hæc semper certa, stabilis, & irrefragabilis fuit doctrina, tot clarissimis testimoniis superius citatis confirmata, quam & repetit in Disputatis q. 25. de Grat. Christi art. 6. in corpore: *Facultas merendi, inquit, requiritur ex parte naturæ, & ex parte gratiæ. Ex parte naturæ quidem; quia per actum proprium quis mereri non potest, nisi sit Dominus sui actus. Sic enim suum actum, quasi pretium pro premio dare potest. Est autem quis Dominus sui actus per liberum arbitrium; unde naturalis facultas liberi arbitrii requiritur ad mercedem. Ex parte verò gratiæ: Quia cum premium Beatitudinis facultatem humanæ naturæ excedat, per naturalia pura ad illud merendum homo non potest sufficere; & ideo requiritur gratia, per quam mereri possit.* Et lib. 1. contra Gentiles cap. 68. Dominium, ait, quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus est potestate velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, & violentiam causæ exterius agentis; non autem excludit influentiam superioris causæ, à qua est ei esse, & operari, & sic remanet causalitas in causa prima, quæ Deus est, respectu motuum voluntatis.

22. Qua ergo fronte Novatores isti se prædicant D. Thomæ Discipulos; quod conveniunt cum ejus Angelica doctrina, dum Lalanus quinque articulorum author præcipuus coram Innocentio X. propositionem Jansenii tertiam, suam, suorumque esse declarat. *Tertia, inquit, propositio, ut à nobis intelligitur, ac defenditur: Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate infallibilitatis, sed sufficit libertas à coactione, cum iudicio rationali; si consideretur præcisè essentia libertatis, & meriti; quamquam ex ratione status semper reperitur indifferentia potentia, qua voluntas etiam sub gratia proximè necessaria, &*

ex se efficaci potest non velle; non tamen ut simul cum eadem gratia non velit. En ubi expressè aiserit, quod si consideretur præcisè essentia libertatis & meriti, non requiritur libertas à necessitate, & quamvis addat veluti excusationem infallibilitatis, latet venetum, cum non aliam agnoverit libertatem à necessitate, sed exprimat: *sufficit libertas à coactione.* Nec minori fraude excusare contendit errorem, dicens: inveniri indifferentiam potentia; cum tamen, non ad rationem libertatis, & meriti, sed ad rationem status duntaxat, illam reducat: Divus Thomas autem aiserit, quod dominium, quod habet voluntas supra suos actus utrumque excludit, & determinationem virtutis ad unum, & violentiam causæ exterius agentis. Stent ergo huic Angel. Præceptorum doctrinæ, ut sic cessent scandala, & finiantur errores. Est namque fide certum, quod liberi arbitrii libertas, & indifferentia non consistit in hoc, quod ipsum sit mutabile, flexibile, & vertibile tam in bonum, quam in malum, agens semper necessariò quidquid agit: non enim Hæretici negaverunt utquam, ipsum sic esse vertibile in hoc statu viæ, sed illam mutabilem, vel immutabilem liberi arbitrii necessitatem excludit Concilium Tridentinum dicta sess. 6. cap. 5., & ulterius can. 1. utens verbis, *recipere inspirationem, & posse abjicere, cooperari assentiendo Deo excipienti, & posse dissentire.* Sicque per gratiam necessitari ad bonum, est aperta hæresis. Modus namque iste liberè agendi non consistit in hujusmodi necessitate. Quare D. Augustinus lib. 1. retract. cap. 22. *Nisi quisque mutaverit voluntatem, bonum operari non potest, quod in nostra potestate esse positum alio loco Dominus docet, ubi ait: aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum. Quod non est contra gratiam Dei, quam predicamus: in potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem, sed ea potestas nulla est, nisi detur à Deo, de quo dictum est: dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Et lib. 2. de Actis cum Felice Manichæo iterum dicit: *Cum ergo (Dominus) aut hoc facite, aut illud facite, potestatem indicat, non naturam. Nemo enim, nisi Deus facere arborem potest, sed habet unusquisque in voluntate sua, aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona; aut eligere quæ mala, & esse arbor mala.* Cui consonat D. Thomas negans, liberum arbitrium per gratiam necessitari ad bonum, citat. q. 6. de malo ad 3. *Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest, sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas.* Et 1. 2. q. 10. art. 1. *Quia voluntas est activum principium, non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus ejus contingens, & non necessarius nisi in his, ad quæ*

quæ naturaliter movetur. Et lib. 3. contra Gentes cap. 90. verba Damasceni dicentis, quod ea, quæ sunt in nobis, Deus prænoxciat, sed non prædeterminat: Exponenda esse scribit, ut intelligantur, ea, quæ sunt in nobis, Divina determinationi non esse subjecta, quasi ab ea necessitatem accipientia. Ergo de primo ad ultimum hæc Hæreticorum positio est clarè contra fidem, dum ita ponit libertatem, quod illam salvet cum necessitate, ut contraponitur coactioni.

23. Quid ergo sugillant Novatores isti, quod doctrinam hanc ab antiquis temporibus damnatam, iterum damnet Summus Pontifex? Nihil novum definitum est in tot citatis Quæsnelli propositionibus. Antiqua fides stabilita, de novo confirmata illustrius fuit Constitutione Unigenitæ, cujus sententia, ac iudicio, si acquiescere nolunt Quæsnelliani, eodem jure prænominati omnes Hæretici absolventur, & Constitutionibus Apostolicis acquiescere non debuisse, probabitur. Sed ut videatur, quod opinio ista nihil meriti honestis actionibus attribuens, est vitiorum, & omnium iniquitatum origo, & sentina corruptissima, sit sequens secunda conclusio.

§. III.

Horum Hæreticorum opinio est annumeranda inter extraneas Philosophiæ opiniones.

24. **I**ncrepuit maximè alicujus erroris turpitudine, dum circa ipsa prima artis elementa erratur. Hinc D. Thom. ut errorem istum acrius reprehenderet, ipsum ad Philosophiæ Moralis primordia, vel quasi prima elementa referendum docuit, dicens: *Quia si voluntas ex necessitate movetur ad aliquid volendum, subvertuntur omnia principia Philosophiæ morales, tollitur enim deliberatio, exhortatio, præceptum, & puniatio, laus, & vituperium.* Quod adeo certum est, ut vix explicari possit, quantum scædum, & pollutum hoc dogma à virtute revocet hominem, & in omnem propellat iniquitatem: & cum Religio, & timor Dei sint, & debeant esse frænum, & machæra peccatorum omnium, opinio ista non solum delicta non prohibet, aut ut turpia rejicit, sed ut necessaria accipiat.

25. Destruitur namque primò deliberatio. Hæc enim ex sui natura exigit, plura nobis proponi, ut voluntas pro suo nutu eligat, ut dicit Eusebius lib. 6. de præpar. Evangel. *Et in nostra potestate est potestate, quod ex propria electionis motione fit.* Et D. Thomas 1. contra Gent. cap. 88. *Electio semper fit per liberum arbitrium, & est respectu eorum, quæ non necessitate quis vult.* Et ideo dixit Anastasius Synaita: *quomodo enim libera constabit electio, ubi contrariorum nulla est incurso? Et q. 6.*

de malo: Consilium esse inquisitionem viam habentem ad opposita; virtute cujus voluntas se ipsum movet, non necessitate, sed cum potestate eligenti hoc vel illud. Urget tentatio, ad quid deliberatio hæc, dum Deus aditum præclufit ad victoriam? Quæ electio, ubi una tantum pars datur concessa? Quodcumque se vertat, spes integritatis, ac puritatis est omninò præcisa, remanensque semper infixata peccati turpitudine. In hoc enim Jansenii, & Quæsnelli principio, *Peccator non est liber, nisi ad malum: sine gratia liberatoris, amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat: quæ est propositio 15. Solum remanet in ipso generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad opus bonum; quæ est propositio prima.* Ad quid deliberatio? Maximè dicente D. Augustino: *Ista causa est voluntatis; si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur, si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur.*

26. Non datur exhortationi locus. Hæc maximè æstimanda, ut qui gravi quopiam obstricti sunt scelere, illud à se excutiant. Sed hoc Sectariorum delirium ipsam pœnitentiam à mente peccatorum divertit. Cum enim rationes omnes ad resipiscentiam insonuerint, respondebit: sibi non esse liberam potestatem credendi, vel bene vivendi. Quæ spes, ubi necessitas adest? Qualis expectatio, cum ruina oculis obversatur, & dum irritò conatu, vel inutili solum labore voluptati potest resisti? Fallax quidem esset exhortatio, dum cum Isaia cap. 1. alloqueremur peccatores: *Quiescite agere perverse, discite bene facere, querite iudicium, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite Viduam; & venite, & arguite me, dicit Dominus, si fuerint peccata vestra, ut coccinum, quasi nix dealbarentur, & si fuerint rubra, ut vermiculus, alba erunt, velut lana.* Vel cum D. Augustino Homil. 12. cap. 6. *Nolite desperare peccatores: orate... Incumbite orationibus peccatores: confitemini peccata vestra: orate ut depellantur; orate ut minuantur: orate ut nobis proficientibus ipsa deficiant.* In promptu namque involvent responsum; remansisse in generali impotentia ad omne opus bonum. E contra quod dixit Chrysostomus Homil. 10. in Gene. *Peccatori nullas admonitiones prodesse, non quia non potest, sed quia non vult.* Atque Eusebius de præpar. Evangel. lib. 6. cap. 7. *Consilium hominis esset frustra, si homo necessariò ageret, quæ agit.* Non similiter præceptum, vel quia, ut docet Tridentinum. *Deus impossibilia non jubet Sess. 6. cap. 11. & ibidem: Nemo temerarià illà, & à Patribus sub anathemate prohibitis voce uti debet, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia.* Vel quia, ut dicit D. August. lib. de fide contra Manichæos cap. 9. *quis enim non clamet, stultum esse præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur, facere, & iniquum esse,*

uis, & hęc laudem virtuosorum actuum dimi-
nuit; quia voluntario contrariatur, estque quę-
dam necessitas ex interiori inclinatione procedens,
& hęc laudem virtuosorum actuum non minuit,
sed auget. Quod si ad finem perfectionis veniret,
quamdam necessitatem infert ad bene operan-
dam, ut est in Beatis, qui peccare non possunt,
nec per hoc voluntatis libertati aliquid deperit.
Et 2. Sententiar. dist. 22. q. 1. art. 4. libertatem
arbitrii per exclusionem coactionis exponit,
dicens: *Liberum arbitrium dicitur ex eo, quod cogi non potest.* Et in 3. Sentent.
dist. 18. art. 2. ad 5. proponens argumentum,
quod Christus non potuit mereri, quia ejus
arbitrium erat determinatum ad bonum: ergo
per liberum arbitrium mereri non potuit; & ita
nullo modo, cum omne meritum sit ex libero
arbitrio. Postquam primò respondet D. Thomas,
quod tantum erat determinatum ad unum secundum
genus, & sic erat liber quoad facere, vel non
facere. Secundò respondet: *Vel dicendum, quod si
etiam esset determinatus ad unum numero, sicut ad
diligendum Deum (quod non facere non potest) tamen
ex hoc non amittit libertatem, aut rationem
laudis, sive meriti, quia in illud non coactè,
sed spontè tendit, & ita est actus sui Dominus.*
His, & aliis testimoniis probare intendit,
hominem esse liberi arbitrii per libertatem à
coactione. Sic ille deceptus tam SS. PP. quam
utriusque Ecclesię lumini Augustino, & Thomę
injuriam irrogat, confidenter affirmans dicto
lib. 6. cap. ultim. hanc esse ipsorum mentem:
*Habes, lector, consensum admirabilem tot
sanctissimorum, & eruditissimorum Virorum,
de quibus nulla unquam erroris in hoc argu-
mento suspicio fuit. Unanimiter, constantissimę
que docent, voluntatem, hoc ipso quod rationalis
voluntas est, esse liberam; sua non posse privari
libertate, nec voluntatem, id est, volitionem
futuram, nisi esset libera, & in potestate, nul-
lam immutabilitatis, inevitabilitatis, vel quo-
cumque voces nomine, sed solam coactionis neces-
sitate ei repugnare.* Et ulterius: *Fidenter dico:*
*quicumque doctrinam istam à nobis traditam
erroris infimulare ausus fuerit, non Augustinum,
non Bernardum, sed Philosophiam fortassis
Aristotelis ducem, ac patronam habiturus est,
& in ista Catholica Doctrinā culmina, & colu-
mina, ut nihil de ceteris eorum Sectatoribus
eruditis, & Sanctis loquar, necesse est, ut ana-
thema primum dicat.*

34. En argumentum, in quo maximè, & à
veritate, & à mente D. Augustini aberrant
Jansenistę. Nihil enim magis apertè contra
hujus S. Doctoris Doctrinam, quam quod
voluntas, eo ipso quod voluntas est, libera
sit, cum non omnis volitio, hoc ipso quod
voluntaria sit, sine necessitate fiat. Si enim
omnis actus voluntatis, eò ipso quod voluntarius
est, esset liber libertate propria: ergo liberè
Deus se amaret: ergo liberè propria ratione
voluntatis procederet Spiritus Sanctus à Patre,
& Filio. Et iterum: ergo

liberè similiter voluntas creata tenderet ad
bonum in communi: ergo & Beati liberè
Deum amarent. Quę omnia, quam absurda
sunt, nullus est, qui ignoret.

35. At, ut hęc nostra maximi momenti
assertio nervosè radicetur, novaque alia luce
clarescat, Jansenii error, & Discipulorum in
dictis testimoniis meditata malitia evanes-
cat, notandum maximè, in voluntate dari
duplicem conceptum, alterum naturę, alterum
voluntatis formaliter. Potest namque ipsa
considerari, ut natura quędam est, vel ut
potestas rationalis: unde sicut intellectus
consideratus ut intellectus veritatur naturaliter
circa prima principia, & ut ratio veritatur
circa conclusiones ex principiis deductas: ita
voluntas consideratur, vel ut natura quędam
est, qua ratione veritatur circa finem, & con-
sideratur ut libertas, sive ut liberum arbitrium,
& sic veritatur circa media in ordine
ad finem. Hoc luculentissimè expendit Angeli-
cus Pręceptor variis testimoniis profere-
ns, quod voluntas non dicitur propriè lo-
quendo domina sui actus secundum quod est
natura, sed secundum quod est voluntas. Ita
q. 22. de verit. art. 5. in corp. *Dicendum,
quod sicut potest accipi ex verbis Augustini
de Civitate, duplex est necessitas; necessitas
scilicet coactionis, & necessitas naturalis
inclinationis, sicut dicimus, Deum de necessitate
vivere. Ad cujus evidentiam sciendum est,
quod in rebus ordinatis, oportet primum
modum includi in secundo, & in secundo
non solum inveniri id, quod sibi competit
secundum rationem propriam, sed quod competit
secundum rationem primi. Sicut homini
convenit non solum ratione uti, quod ei
competit secundum propriam differentiam,
quę est rationale; sed uti sensu, vel alimen-
to, quod ei competit secundum genus suum,
quod est animal, vel vivere, &c. Natura
autem, & voluntas hoc modo sunt ordinata,
ut ipsa voluntas quędam natura sit, quia
omne, quod in rebus invenitur, natura
quędam dicitur. Et ideo in voluntate oportet
inveniri non solum id, quod voluntatis est,
sed etiam quod naturę est. Hoc autem est
cujuslibet naturę creata, ut à Deo sit
ordinata in bonum, naturaliter appetens
illud; unde & voluntati ipsi inest
naturalis quidam appetitus sibi convenientis
boni, & præter hoc habet appetere aliquid
secundum propriam determinationem, (id est
liberum arbitrium) non necessitate, (scilicet
naturalis inclinationis) quod ei competit,
in quantum voluntas est. Et in eodem art.
ad 3. *Dicendum, quod libertas secundum
Augustinum opponitur necessitati coactionis,
non autem naturalis inclinationis, & ad 4.
Dicendum, quod Augustinus loquitur de
necessitate naturali, quam à voluntate non
excludimus respectu aliquorum.* Et ad 5. *Quod
voluntas, in quantum est rationalis, ad
opposita se habet, Hoc enim est
considerare ipsam secundum hoc, quod est
ei proprium, sed prout est natura quędam
nihil prohibet, eam determinari ad unum.*
Et*

Et rursus q. 2. de potent. art. 3. in corp. *Voluntas,
inquit, in quantum voluntas, cum sit libera,
ad utrumlibet se habet. Potest enim voluntas
agere, vel non agere, sic, vel sic facere,
velle, & non velle, & si respectu alicujus
hoc voluntati non conveniat, hoc accidet
voluntati, non in quantum voluntas est, sed
ex inclinatione naturali, prout scilicet
quędam natura est. Et q. 21. de liber. arbitr.
art. 1. ad 20. *Dicendum quod cum electio
sit quoddam judicium de agendis, vel
judicium consequatur, de hoc potest esse
electio, quod sub judicio nostro cadit.
Judicium autem in agendis sumitur ex fine,
sicut de conclusionibus ex principiis. Unde
sicut de primis principiis non judicamus,
ea examinantes, sed naturaliter eis assentimus,
& secundum ea omnia alia examinamus:
ita & in appetibilibus de fine ultimo
non judicamus judicio discussionis, vel
examinationis, sed naturaliter approbamus;
propter quod de eo non est electio, sed
voluntas, Habemus ergo respectu ejus
liberam voluntatem, cum necessitas
naturalis inclinationis libertati non
repugnet secundum Augustinum 5. de Civit.
Dei: non autem liberum judicium propriè
loquendo, cum non cadat sub electione.**

36. Hęc D. Thomas, in quibus mentem
suam distinctè aperit, quod voluntas, ut
natura, opponitur coactioni, ipsa tamen est
compossibilis cum necessitate naturali: sicut
& illam componit in appetitu Beatitudinis,
amore Dei respectu sui ipsius, & processione
Spiritus Sancti. Hęc namque libertas solum
consistit in eo, quod actus spontaneè, &
libenter fiat. E contra verò libertas voluntatis,
qua formaliter est voluntas, vel liberum
arbitrium essentialiter pugnat cum necessitate.
Qui sanè conceptus maximè distingui debent,
ut perfectè intelligatur, quomodo tam
coactio, quam necessitas opponantur libertati.
Si namque voluntas contraponitur sibi ipsi
ut natura, excludit necessitatem, quia prout
sic est formaliter arbitrium: si verò voluntas
contraponitur sibi ipsi ut arbitrium, non
excludit necessitatem, quia ita sumitur ut
natura. Hancque esse mentem D. Thomę
sequenti discursu sit manifestum. D. Thomas
cum simplici necessitate libertatem componit,
ut ipsi prætendunt, sed similiter libertas
arbitrii juxta D. Thomam hanc simplicem
necessitatem excludit: ergo illa libertas, quę
cum necessitate componitur, non est juxta
D. Thomam libertas arbitrii. Minor
manifesta est, cum locis citatis, tum quia in
perpetuam sententiā S. Doctoris dominium
voluntatis, vel liberi arbitrii excludit non
solum coactionem, sed etiam determinationem
virtutis ad unum. Ita 1. cont. Gentes,
cap. 68. explicans illud Aristotelis 3. Ethic.
cap. 7. *Quibus in rebus nostrā in potestate
situm est agere, in iis & non agere, & in
quibus non agere, in iis & agere:* sic ait: *Si
operari est in nostra potestate, oportet etiam,
quod non operari sit in nostra potestate.
Cujus rationem assignat ibidem lect. 1. 1. Si enim
non operari non esset in*

nostra potestate, sic impossibile esset non
operari: ergo necesse est nos operari, &
operari non esset ex nobis, sed ex necessitate:
ergo libertas voluntatis, quę formaliter est
natura, distinguitur à se ipsa, quę formaliter
est liberum arbitrium. En quantum distat
Jansenii dogma ab ejus Angelica doctrina,
quod sanè perciperent Novatores isti, si
interioris oculi munda fuisset acies, dum in
eisdem locis objectis non minus clarè D. Thomas
se explicat.

37. Hęc Angelici Pręceptoris doctrina
distinguentis libertatem voluntatis, ut natura
est, à libertate voluntatis, ut est liberum
arbitrium, qua necessitatem excludit, si
attentè fuisset à Jansenio discussa, non hoc
asperum, errorisque labyrinthum curreret.
Fallit igitur Jansenius æquivocatione
nominis liberi arbitrii, cum prædicat liberum
idem esse, ac voluntarium deliberatum.
Tantum abest, quod hęc sit SS. PP. mens,
quin potius id pœnitens insubstans, fallax,
& incredibile est. Quę enim SS. PP. testimonia
affirmant coactionem libertati oppositam,
quod *Violentia voluntarium impedit,
spontaneitatem, & liberum arbitrium, & quod
non voluntariè operamur, si agere cogamur,*
loquuntur de libertate voluntatis, ut natura
est, non tamen de libertate liberi arbitrii;
cum liberum arbitrium secundum propriissimam
notionem quid amplius dicat, quam
voluntarium, & spontaneum. Tum & maximè,
quia licet libertatem in voluntario
deliberato consistere affirmant, non tamen in
exclusionem necessitatis coactionis dumtaxat
illud constituunt, cum toties necessitatem
libertati oppositam declarent. Audiendus
Tertullianus, qui explicans libertatem, affirmat,
consistere in eo, quod homo operetur
spontè, voluntariè, voluntate non necessitate.
*Si caperet hoc jure, & bonum quoque non
voluntate obiret, sed necessitate . . . nec boni,
nec mali merces jure pensaretur ei, qui aut
bonus, aut malus necessitate fuisset
inventus, non voluntate.* En ubi Tertullianus
non coactionem, sed solam necessitatem
inimicam libertatis statuit. Legendus &
Magister sententiarum apud Jansenium de
grat. Christi Salvatoris lib. 6. cap. 20. qui
necessitatem contrariam libertati agnoscit.
*Si diligenter inspicatur, inquit, liberum
videbitur dici arbitrium, quia sine
coactione, & necessitate valet appetere,
vel eligere, quod ex ratione decreverit . . .
ideoque voluntas merito apud Deum
judicatur, quę semper à necessitate libera
est.* En quomodo Magister sententiarum
duplicem necessitatem libertati contrariam
distinguit. Sic factò proprio, Magistrum
sententiarum citans Jansenius, propriam
doctrinam evertit.

38. Ad pleniorē ergo solutionem
descendendo, distinctius diluenda sunt SS.
Augustini, & Thomę objecta testimonia. Et
primò nihil magis alienum à mente S.
Augustini, quam libertatem in uno voluntario
de-

deliberato consistere. Etenim dum asserit, quod nihil est tam in propria potestate, quam ipsa voluntas; quod hoc est in nostra potestate, quod cum volumus facimus, loquitur de voluntate illa evitabili, cui nulla dominabitur necessitas, & quæ procedit cum indifferentia potestatis ad oppositum: uno verbo: loquitur de voluntate, ut necessitati opposita. Præstat ad confirmationem annectere hic varia testimonia ex ipso libro de liber. arbitr., ex quo Janiënius argumentum desumpsit. Habet namque ibi lib. 2. motum aversionis ab incommutabili bono esse peccatum, quia est à necessitate liber, sequentibus verbis: *qui tamen defectus, quoniam est voluntarius, in nostra est positus voluntate, si enim times illum, oportet, ut nolis, si autem nolis, non erit.* Sic & in eodem libro in initio de eodem motu aversionis cum Evodio loquens, ait: *Dixisti enim, si ita data est voluntas libera, ut naturaliter habeat istum motum, jam necessitate ad hæc convertitur, neque ulla culpa deprehendi potest, ubi natura, necessitasque dominatur: nullo modo autem dubitare debuisti, non esse ita datam, quando istum motum culpabilem esse non dubitas.* Et inferius: *iste motus aversionis voluntarius est. Digna, & iusta eum miseria pœna subsequitur.* Et lib. 3. de liber. arbitr. cap. 1. *Animum vero peccati arguimus, cum eum convincimus superioribus desertis, ad fruendum, inferiora præponere.* In quibus voluntarium dicit motum istum, quia in nostra est positus voluntate, ut possit velle, vel non velle, eademque potestas non potest melius exprimi à necessitate libera, quam illis verbis: *superioribus desertis, inferiora præponere.* Et insuper ibi cap. 18. *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem: caveri igitur potest.* Licet ergo D. Augustinus in testimoniis in argumento adductis unam solam partem commemoret, nempe quod illud est in potestate nostra, quod, cum volumus, facimus, etiam oppositum includit, & cum nolumus, non facimus. Quo etiam modo explicat Divus Ambrosius lib. 2. de fid. cap. 3. illa verba Apostoli: *Omnia operatur unus, atque idem spiritus dividens singulis, prout vult, dicens: Hoc est pro libero voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio.* Maximè, dum D. Augustinus liberæ potestatis essentiam tradens, utrumque libertatis extremum exprimit. Sic lib. 3. contr. Felic. cap. 3. *qui legem servare non vult, in potestate ejus est servare, si velit.* Et lib. de spirit. & litter. cap. 31. *Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult, facit, si non vult, non facit.* Unde in prædictis testimoniis dum dicitur, quod nihil est tam in propria potestate, quam quod volumus, per ly *Volumus* solum debet intelligi ita velle, ut sit in nostra potestate non velle.

39. Non minus alienus est Janfenius à mente Angelici Præceptoris, cujus locutiones in sensu omnino alieno adducit, ut facile constabit ipsas attentè consideranti. Quare

respondetur ad primum ex q. citata de potent. quod Divus Thomas loquitur de libero, pro eo quod eliciatur à potentia libera. Constat primò, quia quod ibi libertatem nominat, 1. p. q. 41. art. 2. ad 3. nominat per modum voluntatis, dicens ad 3. *Quod etiam voluntas, in quantum est natura quedam aliquid naturaliter vult, sicut voluntas hominis naturaliter tendit ad Beatitudinem. Et similiter Deus naturaliter vult, & amat seipsum. Sed circa alia à se voluntas Dei se habet ad utrumque quodammodo, ut dictum est. Spiritus autem Sanctus procedit ut amor, in quantum Deus amat seipsum. Unde naturaliter procedit, quamvis per modum voluntatis procedat.* En ubi D. Thomas in utraque parte de eodem amore loquitur, nempe de appetitu naturalis felicitatis, & de amore, quo Deus seipsum amat: ergo dum asserit in q. de potent. utrumque esse liberum, debet intelligi de libertate per modum naturæ, vel per modum voluntatis, ut in præsentibus explicat, contraposita libero arbitrio; cum liberum arbitrium in Deo formaliter non agnoscat, nisi in ordine ad suos effectus, ut expressè asserit: *Sed circa alia à se voluntas Dei se habet ad utrumque quodammodo, ut dictum est, nempe in corpore articuli, & q. 19. art. 3. Quod etiam docet q. 16. de malo art. 5.*

40. Ad secundum testimonium ex 1. par. q. 82. art. 1. respondetur, D. Thomam loqui de voluntate, non ut formaliter est liberum arbitrium. Intendebat namque argumentum, quod voluntas nihil necessariò appetit, quia appetere est ei voluntarium, eò quod voluntas nihil ex necessitate appetat, sub hac forma: dicit enim Augustinus in 5. de Civit. Dei: *Quod si aliquid est necessarium, non est voluntarium; sed omne, quod voluntas appetit, est voluntarium: ergo nihil quod voluntas appetit, est necessariò desideratum.* Ad quod respondet D. Thomas: *Verbum Augustini intelligendum de necessario necessitate coactionis. Necessitas autem naturalis non auferit libertatem voluntatis.* Ubi solum loquitur de voluntate, quæ formaliter est natura, quæ destruitur per coactionem, non tamen per necessitatem naturalem, ut diximus. Quare in solutione ad secundum respondet: *dicendum, quod voluntas secundum quod aliquid naturaliter vult, magis respondet intellectui naturalium principiorum, quam rationi, quæ ad opposita se habet.* En ubi utramque formalitatem distinguit, & quod voluntas, secundum quod aliquid naturaliter vult, quod est intentum argumenti, magis respondet intellectui naturalium principiorum, quam rationi; nempe voluntati per modum naturæ, non tamen per modum liberi arbitrii, ut docet in solutione ad tertium, ubi dicit, *Quod appetitus ultimi finis non est de his, quorum Domini sumus; & quod sumus Domini nostrorum actuum, secundum quod possumus hoc, vel illud eligere. Electio autem non est de fine, sed de his, quæ sunt ad finem:* Quasi diceret D. Thomas, quod necessitas naturalis non

non auferit voluntatem, id est, non obest, quominus potentia sit libera, et si in illo actu non exercent libertatem.

41. Ad tertium testimonium ex 1. par. q. 33. art. 2. ad 3. respondetur, quod homo peccando, liberum arbitrium dicitur perdidisse, non quantum ad naturalem libertatem, quæ est à coactione, sed quantum ad libertatem, quæ est à culpa, & miseria. Sic loquitur D. Thomas, ut ostenderet, remanere post peccatum potentiam liberi arbitrii, cujus defectum intendebat argumentum sub hac forma: *Nulla potentia naturalis tollitur per peccatum; sed liberum arbitrium tollitur per peccatum: ergo liberum arbitrium non est potentia.* Ad quod respondet dicta solutione D. Thomas. Quare, ut statuatur potentiam liberi arbitrii, asserit, quod post peccatum remanet à coactione liberum. Quæ probatio efficacissima est, & procedit ex prædicato, quod ita essentialiter convenit voluntati, ut soli voluntati conveniat; petit namque ipsa essentialiter in suis actibus elicitis hujusmodi libertatem à coactione: Si enim cogi posset voluntas, destrueretur essentialiter ipsa, sicque non remaneret voluntas, nec potentia liberi arbitrii subjectivè, & in actu primo libera. Agnoscat ergo D. Thomas libertatem à coactione, ut primum libertatis fundamentum; non libertatis convenientis actibus voluntatis, sed libertatis propriæ potentie liberæ, cui positivè coactio repugnat. Hinc dicit q. 22. de verit. art. 5. ad primum. *Ad primum autem in contrarium dicendum, quod auctoritas illa est intelligenda de necessitate coactionis, quæ repugnat voluntati, non autem de necessitate naturalis inclinationis, quæ secundum Augustinum in 5. de Civitate Dei voluntati non repugnat.* Et ad secundum: *Dicendum, quod non pertinet ad impotentiam voluntatis, si naturali inclinatione in aliquid feratur de necessitate, sed ad ejus virtutem, sicut grave tantum est virtuosus, quantum majori necessitate deorsum fertur. Pertineret autem ad ejus infirmitatem, si ab alio cogereetur.* Quod ulterius ibi docet in solutione ad 3. *Dicendum, quod libertas secundum Augustinum opponitur necessitati coactionis, non autem naturalis inclinationis.* Et ad 4. *Dicendum, quod necessitas naturalis non repugnat dignitati voluntatis, sed sola necessitas coactionis:* Et expressius ad 5. ut diximus num. 35. Ex quo fit, quod D. Thomas in præsentibus, ut ostenderet, minimè destrui per peccatum liberum arbitrium, ad libertatem à coactione recurrit, non quia hæc immunitas constituat actum in ratione liberi, aliàs pari lege in generatione verbi Aeterni vera daretur libertas, sed quia per immunitatem istam melius explicatur libertas potentie, formaliter ut talis, tanquam ex radice intrinseca, quam per libertatem à necessitate. Hæc enim et si pugnet cum libertate actus, minimè tamen opponitur libero arbitrio, quantum ad naturam potentie, ut constat in ipso Deo, & in Angelis, in quibus datur li-

berum arbitrium, et si detur necessitas in ordine ad suam Bonitatem, quam Deus naturaliter vult, & non potest non velle. Cum ergo in citato articulo non agat D. Thomas de voluntate, secundum quod dicit actum voluntatis, sed secundum quod nominat potentiam (utrumque enim hoc nomine voluntas intelligitur, ut notat D. Thomas 1. 2. q. 8. art. 2.) hinc fit, quod, ut ostenderet, liberum arbitrium esse post peccatum veram potentiam, ad hujusmodi libertatem à coactione recurrit, quæ libertatem subjectivam, seu in actu primo manifestè convincit.

42. Vel fortè melius communi Thomistarum solutione responderi potest, D. Thomam ibi non accipere Coactionem, prout dicit Violentiam, sed pro necessitate, sive determinatione ad unum, ut ex contextu articuli constat; docet namque liberum arbitrium non esse habitum, ex quo indifferenter se habet ad bene eligendum, vel malè: Si ergo est essentialiter indeterminatum ad opposita, essentialiter dicit libertatem à necessitate, quæ libertas pro eodem usurpatur à D. Thoma, ac libertas coactionis, cum in phrasi D. Thomæ idem sit liberum arbitrium esse, quia non cogitur, ac quia non necessitatur. Duplex namque est coactio, inquit 2. sentent. dist. 25. q. 1. art. 5. in corpor. *Quaedam perfecta, quæ quidem simpliciter coactio dici potest; & quedam, quæ est imperfecta, quæ potius impulsio, quam coactio dicitur; si ergo consideretur libertas, secundum quod remouetur perfecta coactio, sic erit libertas à coactione, & à necessitate, quæ quidem per se, & semper liberum arbitrium consequitur.* En ubi expressè per libertatem à coactione intelligit libertatem à necessitate, sine qua peccatum imputari non potest. Et in eodem articulo asserit, habitus, & passiones aliquo modo cogere, cum tamen solum inclinent: ergo magis propriè cogere dicitur, quod necessitat. Et in articulo 2. ejusdem dist. assignans discrimen inter voluntatem, & intellectum, asserit, *quod intellectus compellitur objecto, quia vi demonstrationis cogitur; E contra voluntas, quæ nequè subjecto cogi potest, cum non sit organo affixa, neque objecto: quantumcunque enim aliquid ostendatur esse bonum, in potestate ejus remanet eligere illud, vel non eligere.* En ubi expressè asserit, coactionem compellentem non posse convenire arbitrio ex objecto, sicut convenit intellectui; dum vi demonstrationis cogitur; sed vi demonstrationis non cogitur coactione strictè tali, sumpta pro violentia, sed solum necessitate: ergo nomine coactionis non accipitur violentia, sed necessitas. Quod urgentius adhuc probari potest ex D. Thoma 2. 2. q. 2. art. 9. ad 2. *Dicendum, quod in scientia duo possunt considerari, scilicet ipse assensus scientiæ ad rem scitam, & consideratio rei scitæ; assensus autem scientiæ non subicitur libero arbitrio, quia sciens cogitur ad assentiendum per efficaciam demonstrationis, & ideo assensus scientiæ non est*

meritorius; Sed, dum sciens cogitur ad assentiendum per efficaciam demonstrationis, violentiam minimè patitur: Ergo D. Thomas *ly cogitur* non sumit pro *violento*, sed solum pro *necessitate*, cum sit assensus, qui non est ex violentia, sed ex necessitate dumtaxat.

43. Quis ergo non obstupescit, dum audit Novatores istos de se gloriosius prædicantes, nec latum quidem unguem à Doctrina D. Thomæ discedere? Contra quos justè exclamat P. Nicolai in notis marginalibus super testimonium ex Sententiariis deductum to. 8. dicens: *Quis non meritò indignetur, hæc tantum prima verba tam fraudulentè à Jansenio usurpari, ut libertatem soli coactioni, non etiam necessitati oppositam, velut ex mente D. Thomæ concludat? Audeatque interim subungere, quod in eadem distinctione hoc sæpius repetat S. Thomas? Nec duplicem coactionem tam expressè hinc indicatam, & expressè explicatam antea, vel tenuiter insinuet; ex qua peremptoriè non ejus tantum error, sed perfidia convincatur: cum superius art. 1. tam apertè dixerit S. Doctor, inferiores quidem vires cogi subjectivè, quia violentiam pati possunt, & intellectum cogi objectivè, quia necessariò assentitur; sed neutro modo voluntatem, quia in ejus potestate remanet eligere, vel non eligere. O fiduciam Jansenianam! Quasi mentem S. Doctoris verius intellexerent ipsi, quam universus toto Orbe tenet Sapientum, & Doctorum cœtus. Sed hoc habet hæresis, ut quas vestigat latebras, nusquam reperiat.*

44. Non meliori fide opponunt alia D. Thomæ testimonia. Et primò illud ex 3. cont. Gent. cap. 138. ibi enim loquitur D. Thomas de necessitate ex voto orta, an nempe minuatur rationem meriti, quam non esse inferiorem, imò esse magis laudabilem, ac meritoriam asserit ibi, quod & probat 2. 2. q. 88. art. 6. Et Opusc. de perfect. vitæ spirit. cap. 12. Et Opusc. contra Retrahent. à Relig. cap. 12. Quia est actus nobilioris virtutis nempe religionis; & quia magis se subjicit Deo, cui non solum offert actum boni operis, sed & potestatem, ac libertatem; & quia quod ex voto fit, ex voluntate magis stabili, magisque ad faciendum bonum firmata procedit. Non ergo necessitas, de qua ibi loquitur D. Thomas, est necessitas naturalis simpliciter libertati opposita, qualis reperitur in ratione carentibus, & de qua non loquitur Angel. Præceptor in citato argumenti textu. Nec est necessitas coactionis absolutæ, quæ ab alio imponitur contra voluntatem operantis, vel quæ cum ista habeat similitudinem, dum quis aliquid facit ex pudore, vel metu, quæ sanè laudem, & meritum virtuosi actus tollit, aut diminuit, quia contrariatur voluntario, & excludit devotionem; sed solum loquitur de necessitate, quæ ab interiori inclinatione procedit. Et hæc, inquit D. Thomas, laudem boni actus non minuit, sed auget: facit voluntatem magis intensè tendere

in actum virtutis, quia habitus virtutis est perfectior, & de qua dixit Augustinus Epist. 45. *Felix necessitas, quæ in meliora compellit.* Quæ cum ex propria nascitur voluntate, libertatem minimè destruit. Apponitque D. Thomas exemplum quantum ad majorem actus excellentiam, dum ex inclinatione procedit in Beatis, in quibus ex illo ineffabili intuitu Dei naturali consequentia sequitur amor, qui natura sua excludit omnem possibilitatem pravè agendi. In quo sensu dicitur, quod liberè amant, quia ex voluntate Deo infixâ id faciunt; & ideò opera illorum optima sunt, laude & honore digna, quamvis nullo pacto sint merita accumulanda mercedi, sed potius ipsa habeant rationem præmii.

45. Ad auctoritatem ex 3. dist. 28. q. 1. art. 2. ad 5. Respondetur primò D. Thomam non fuisse loquutum ibi ad tuam, sed ad aliorum illius temporis mentem; ex eo, quod aliam adhibet solutionem conformem doctrinæ traditæ in corpore articuli per hæc verba: *Dicendum (& est prima solutio) quod liberum arbitrium Christi non erat determinatum ad unum secundum numerum, sed ad unum secundum genus, scilicet ad bonum; & in malum non potest facere, & non facere: & hoc non excludit libertatem arbitrii, quia posse peccare, nec est libertas arbitrii, nec pars libertatis, ut dicit Anselmus in Dialogo de liber. arbitrii. cap. 1. Et hæc quidem determinatio ex perfectione liberi arbitrii contingit, secundum quod per habitum gratiæ, & gloria terminatur in eo, ad quod est naturaliter ordinatum, scilicet in bono: quia liberum arbitrium, quamvis in nobis se habeat ad bonum, & malum, non tamen est propter malum, sed propter bonum.* Hæc D. Thomas: quibus cum determinatione ad bonum statuit in Christo Domino liberum arbitrium, & perfectam libertatem à necessitate. Tum, quia potestas ad malum non ad constitutionem libertatis, vel ad ejus spectat perfectionem, sed potius illius imperfectio est. Tum, quia Deus necessitatus, & determinatus ad bonum perfectissimè liber est: sicut & Beati, ab intrinseco impeccabiles, erga plures actus liberi existunt. Cohæret ergo perfecta libertas cum necessitate, & determinatione ad bonum, & cum intrinseca impotentia ad malum. Hæc est propria Angelici Magistri solutio, qua utitur 3. p. q. 18. art. 4. ad 3. dicens: *Voluntas Christi licet sit determinata ad bonum, non tamen est determinata ad hoc, vel illud bonum.* Hæc prima D. Thomæ solutio displicuit Jansenio, ut minimè favens ipsi: unde ad secundam recurrit, quam ad suum dogma aliquo modo accedere falsò existimavit. Nam admissio, solutionem illam esse de mente D. Thomæ.

46. Respondetur primò juxta dicta, quod ibi libertatem à coactione usurpavit D. Thomas pro libero à necessitate; nam in communi modo loquendi D. Thomæ, *actus liber à necessitate dicitur actus non coactus, actus non*

vio-

violenter elicitus, actus spontaneus, actus voluntarius. Qui modus loquendi est maximè conformis SS. PP. ut eruditè probat P. Ripalda tom. contra Bajanos disp. 14. à num. 80. Comprobaturque ex ultimis verbis D. Thomæ, & ita est *actus sui Dominus.* Non enim stat dominium circa actum sine potestate ad non esse actus, quæ potestas impossibilis est tam cum violentia, quam cum necessitate. Utitur tamen sæpè sæpius D. Thomas hujusmodi locutione, non quia actus sit propriè meritorius, cum defectus coactionis non sit causa infallibiliter inferens meritum propriè acceptum, sed quia *ly non coactè* dicit conditionem, sine qua actus nequit esse liber à necessitate, secundum terminationem secundariam ipsiusmet actus; quia, ut actus secundum istam sit liber à necessitate, requiritur, quod secundum nullam sui terminationem sit coactus, vel violenter elicitus.

47. Quamvis hæc doctrina certissima sit, & nulli non nota, adhuc respondetur cum Illusterrimo Godoy tom. 3. in 3. p. disp. 40. n. 80. qui ingeniosè observat, non dixisse D. Thomam, dari libertatem per determinationem ad unum actum numero, sed per determinationem ad unum numero. Sic enim fuit necessitatus Christus Dominus ad diligendum Deum, quod amor iste, qui terminatus ad Divinam bonitatem in se ipsa, & ut est ratio diligendi Deum, necessariò est; terminatus ad eandem, ut est ratio diligendi creaturas, liber est. Ipsa namque Divina Bonitas amata, ut est ratio diligendi creaturas, sive ut finis exercitè movens ad earum amorem necessitate non potest ad amorem creaturarum: nec insuper creaturæ ipsæ necessitare possunt ad sui amorem. Non creaturæ, quia sunt bonitatis finitæ, & limitatæ, quæ voluntatem aliquam necessitare minimè potest. Non ipsa bonitas, ratione cujus amantur creaturæ, ut quo attacta, sive ut est ratio ipsas diligendi; in Deo enim perfecta libertas statuenda est; si autem amor Divinus, quod Deus creaturas ratione propriæ bonitatis, & ut est finis exercitè movens ad earum amorem, diligit, est necessarius, nullus sanè actus liber potest in Deo concedi: ergo actus creatus, vel amor Christi Domini eodem modo tendens in Bonitatem Divinam, necessarius esse non potest.



48. Accedit, quod Bonitas Divina, at quo attacta cum nulla creatura in particulari connectitur. Amor autem adhærens Bonitati Divinæ solum debet eadem necessitate ferri in objecta connexa necessariò cum Divina Bonitate. Unde quamvis propter Bonitatem Divinam, cui voluntas necessariò adhæreat, diligantur creaturæ, tamen creaturarum amor non evadit necessarius. Sive ergo loquamur de voluntate Divinâ, sive de humanâ Christi, quibus motivum diligendi est Divina Bonitas, extat simul determinatio necessaria ad unum diligendum, nempe Deum, & libertas in singularium dilectione propter Deum. Simili doctrina dicebamus supra, quod bonum in communi necessitat voluntatem quoad specificationem, cum unusquisque necessariò amet suam Beatitudinem; & quia cum nullo particulari bono est connexum, aut ab illo dependens, à nullo bono particulari necessitatur voluntas quoad specificationem, etsi ratio amandi, sive finis exercitè movens ad amandum bonum particulare sit bonitas illa in communi, sive Beatitudo objectiva.

49. Hæc ergo est ratio, cur D. Thomas asserit, quod etiam si Christus Dominus esset determinatus ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, ex hoc non amitteret libertatem, quia nempe cum tali determinatione salvatur libertas requisita ad meritum, secundum aliam ejusdem amoris terminationem secundariam. Dumque asserit, quod ita est actus sui Domini, quia in illud non coactè, sed spontè tendit, sic meliùs explicat libertatem talis terminationis secundariæ: si namque amor ille coactè, & non spontè tenderet in objectum primarium, repugnaret penitus, ut ex superius dictis constat, quod esset liber secundum terminationem secundariam. Hæc sufficiant pro intelligentia Doctrinæ Angelici Præceptoris, & ut fiat evidens, non solum quod nullum cum spurio hoc Jansenii dogmate est illi consortium, sed quantum ipsius auctoritate abutantur Hæretici isti ad suos errores confirmandos. Aliâ argumenta proponit Jansenius tam de necessitate Christi ad non peccandum, quam de necessitate ex physica prædeterminatione præveniente, de quibus in suis locis fiet specialis sermo.

DUBIUM III.

An ad indifferentiam liberi arbitrii requiratur, quod æquales sint in voluntate vires?

S. I.

Pro resolutione præsentis dubii, & ut omnis vitetur æquivocatio, maximè notandum venit, aliud esse libertatem, aliud vires liberi arbitrii. Quis enim Catholicus neget, quod propositis omnibus, quæ sunt fidei, remaneat in homine libertas ad assentiendum; & quis concedet, esse in homine vires naturales ad assentiendum, prout oportet, rebus fidei? Sic homo iustus non habet vires ad perseverandum sine auxilio Dei, vel ad non peccandum aliquando venialiter, ut fatetur ipse P. Molina, non tamen sequitur, carere libero arbitrio. Non ergo est idem, hominem habere liberum arbitrium, & eundem habere vires. Liberum arbitrium est proprietas naturæ rationalis, unde auferri non potest ab huiusmodi natura, nisi natura ipsa sit penitus abolita: nec potest intendi, vel remitti, cum sit potentia, quæ non suscipit magis, & minus. Unde secundum essentialia liberum arbitrium consideratum nihil aliud est, quàm ipsa voluntas, quæ propositum ab intellectu objectum indifferens potest, vel prosequi, vel non prosequi. Vires autem liberi arbitrii sumuntur, & consistunt in robore addito voluntati ad intentionem veri ultimi finis, in qua intentione cum liberè voluntas hominis careat, eò quòd peccatum, quo illa intentione privatur, est ipsi voluntarium, & liberum, impotentia illa, siue defectus virium ad superandas tentationes, vel, quòd idem est, infirmitas, in quam recidit, censetur ipsi etiam voluntaria, & libera, cum aliunde possit eam tollere convertendo se in ultimum finem, & petendo id, quòd eo defectu virium non posset, ut monet Tridentinum. Datur ergo in libero arbitrio vis electiva, vel potestas indifferentiæ, seu indifferentia potestatis. Habet ex gratia Dei, quòd potest eligere in ordine ad finem supernaturalem, quatenus elevatur ultra objectum sibi connaturale: habet ex se, quòd possit ad bonum commutabile se convertere juxta illud Osæ 13. *Perditio tua Israel: tantummodò in me auxilium tuum.*

2. Hoc est, quòd stateræ comparant frequenter Ecclesiæ PP. ut S. Basilii in Psal. 61. Tertullianus contra Marcion. lib. 2. cap. 6. Clemens Alexandrin. lib. 4. Stromat. D. Damascenus lib. 2. de Fide Orthodox. cap. 27. Quare D. Thomas q. 14. de verit. art. 4. ad 1. explicans nomen facultatis positum à D. Augustino in definitione liberi arbitrii, quoniam facultas videtur dici, quasi facilis potestas, sic habet: *Aliquid esse dicitur facile duplici-*

*ter: uno modo propter remotionem impedimenti. Alio modo propter appositionem adjutorii. Facilitas igitur pertinens ad habitum est per adjutorii appositionem, nam habitus inclinatur potentiam ad actum. Hanc autem facilitatem non nominat liberum arbitrium, eò quòd quantum est de se, non inclinatur in unum magis, quàm in aliud, sed nominat facilitatem, quæ est per remotionem impedimenti; eo quòd liberum arbitrium non impeditur ab aliquo cogente à propria operatione. Et idè Augustinus propriè liberum arbitrium facultatem nominavit, non facilitatem, quia facultas hoc importare videtur, ut aliquid sit in potestate facultatem habentis. Hæc D. Thomas, quæ plenissimè demonstrant, quàm falsò dixerit Jansenius, potestatem istam voluntatis in æquilibrio positam esse merum Scholasticorum figmentum. Sic enim habet lib. 3. de Grat. Salvatoris cap. 15. *Constat enim eodem planè modo, etiam peccata à non habentibus gratiam sufficientem posse vitari, non quidem illa proxima potestate, quæ dat simul velle, quòd possumus, & posse quòd volumus; nec illa, quæ potestatem voluntatis, velut in æquilibrio ad utrumque ponit, qualem libertatem solam Scholastici sibi conceperunt, solamque post lapsum, & hominum, & Angelorum, siue in bonis, siue in malis nusquam inveniunt; sed illa remotiore potestate, quæ possunt ea vitare, si voluerint; si enim noluerint, defectus est voluntatis, non potestatis, quam voluntas supplere non possit.* Ubi vides, quòd ille non admittit indifferentiam potestatis proximæ, quam S. Thomas docuit, & quam PP. specie æquilibrii explicant, sed tantum indifferentiam remotam. Sed, ut video, Jansenius Scholasticos non intellexit, & magna laboravit confusione; cum enim dicit, *quæ possunt ea vitare, si voluerint*, verè indifferentiam proximam potestatis verba significant; licet ille remotiorem libertatem nominet. Indifferentem ergo illam eliciendi potestatem semper habemus, vires ad actum non semper. Et idè liberum arbitrium nunquam petimus, etsi ad singulos salutis actus vires semper petere debeamus. Unde Augustinus Epist. 217. *Hæc est illa Pelagianorum mala malè diffamata meritoque reprobata, & ab ipso etiam Pelagiano damna, in Orientalium Episcoporum judicio damnata sententia, quæ dicunt, gratiam Dei non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege, atque doctrina. Et usque adeò frater, erimus graves corde, ut de gratia Dei, immo adversus gratiam Dei, eam Pelagianorum sententiam teneamus, quam peccatore quidem ficto, sed tamen Catholicos judices timens, Pelagius ipse damnavit?* Ecce liberum arbi-*

arbitrium: en gratia, quæ secundum fidem contra Pelagianam hæresim datur, & petitur, ut per ipsam Deus det vires, non solum, ut voluntas possit vincere, sed ut de facto vincat. Sic ajebat ad Deum David Psal. 17. ver. 30. *in te eripiar à tentatione*, quæ verba reddit Augustinus aliâ expressiori phrasi hoc modo legens: *à te eruar à tentatione, quoniam, à te, non à me eruar à tentatione.* Quid hoc est, à te, non à me? Numquid Propheta Regius libero arbitrio tentationibus non resistebat? Eas nonne superabat? Ità sanè. Cur ergo dicit Deo, interprete Augustino, *à te, non à me eruar à tentatione?* Nimirum, quia vires, earumque efficaciam quibus tentationum vi obstitebat, atque vincebat, non à se ipso profectas, sed à Deo esse sentiebat, dicente v. 36. *Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ, & dextera tua suscepit me.* Augustinus: *Et favor gratia tuæ suscepit me:* ergo defectus virium non arguit defectum liberi arbitrii: unde exponens illud Matth. 26. *Spiritus enim promptus est, caro autem infirma*, doctissimus Maldonatus, sic ibi num. 41. habet: *Causa redditio est, quomobrem orare debeant, qui etiam si illis non desit animus, ac voluntas, vires tamen desunt, nisi à Deo per orationem impetrent.* En iterum quomodo in libero arbitrio est eligendi potestas, non tamen robur, non vires, quarum defectum auxilio intrinsecæ gratiæ Deus in nobis supplet. Hujus clarissima ratio deducitur ex irrefragabili Angelici Præceptoris doctrina; nam ut docet 1. p. q. 111. art. 3. *Quinque sunt effectus gratiæ in nobis, quorum primus est, ut anima sanetur. Secundus, ut bonum velit. Tertius est, ut bonum, quòd vult, efficaciter operetur. Quartus est, ut in bono perseveret. Quintus est, ut ad gloriam perveniat.* Primus ergo, ut anima sanetur, & secundus effectus, ut bonum velit. Hucusque liberi arbitrii elevati formalis ratio, & exercitium, etsi adhuc non efficax, ad quòd constituitur potens per elevationem, quæ ipsi sit connaturalis tendentia in bonum supernaturale. Tertius effectus, ut id, quòd vult, efficaciter operetur. Hic exercetur robur animæ, & uti formaliter; quia ex efficaci electione arbitrii opus aggreditur. Unde & requiritur liberum arbitrium, & ultra requiruntur hæ vires gratiæ, ut dicit D. Basiliius serm. de liber. arbitr. *Nam quòd in hominis potestate situm est liberum arbitrium in eligendo, aut non eligendo, quòd Diabolo resistat situm est, non in eo, quòd possit penitus robur habere contra effectus.* Sed est observandum (ut nuper innuimus) quòd dum arbitrium eligit efficaciter bonum contra habitum, aut urgentem tentationem, jam non est simpliciter bonum velle, sed & efficaciter operari. Unde ad hoc, præter indifferentiam potestatis electivæ, requiruntur speciales vires, quas Deus sufficientes nulli negat, saltem ut petat, & quæ possunt esse majores, vel minores, ut postea videbitur. Quartus effe-

ctus est, ut voluntas perseveret in bono, & hoc majorum virium est, quas Deus specialiter confert, & idè donum perleverantiæ à D. Augustino computatur inter specialia beneficia. Quintus est, ut ad gloriam anima perveniat: in quo est totius itineris nostri consummatio. Non ergo natura, non liberum arbitrium illud in æquilibrio semper positum crescit; sed crescunt vires gratiæ in Anima, seu crescunt vires Animæ, voluntatis, arbitrii secundum gratiam confortationis Divinæ, ut à bono non avertantur; non quòd æquilibrio potestatis arbitrii deficiat, sed ut in electione boni confortetur.

3. Præterea: habituali gratia confert Deus hominibus participationem naturæ suæ, ipsos ordinans, & actum inducens ad participationem gloriæ, quæ est participationis naturæ consummatio. Hac gratia vivit supernaturaliter anima; hæc enim est quasi anima animæ, in hac gratia crescit secundum supernaturale esse. Quis audebit negare crescere vires, crescente homine secundum naturam, quam semper habeat ex Deo? Justus nè Dominus, qui & justitias dilexit, concessit Sanctis perfectiorem principii rationem, & negavit majorem agendi facultatem, virtutem, vires, quæ consequuntur principium? Quis hoc dicit? Hinc est, quòd tentationes eadem non sunt æquales ad vires omnium; quæ enim à robustioribus contemnantur, debilioribus graves sunt frequenter.

4. Hoc ergo supposito, ut omnis aliena, falsaque interpretatio, quæ occurrere menti in significatione hujus termini æquilibrio posset, penitus amoveatur, memoranda venit nova quorundam doctrina de æquilibrio, quam ad duas propositiones ejus A. A. reducunt, quas latinè damus, fideli ex Gallo idiomate traductione. Prima est, *ut liberè fiat supernaturalis actio, dum tentatio violenta opponitur, necesse est habere potentiam completam resistendi, vimque æqualem, aut proportionatam violentiæ tentationis.* Secunda: *Ut quis sit liber à peccato, necesse est habere potentiam completam eandem rejiciendi, viresque æquales, aut proportionatas attractivæ virtuti gratiæ.* Utramque propositionem adeò Fide Orthodoxâ certam putant, ut inquant, nullum Catholicum posse eam reprobare doctrinam, omnesque ad ei subscribendum teneri; nam aliter discurrere, errare est. Priorem ex prædictis propositionem probare conantur ex Apostolo 1. ad Cor. 10. dicente: *Fidelis Deus, & non patietur vos tentari supra id, quòd potestis.* Posteriorem verò ex Tridentino sels. 6. cau. 4. definiente, *liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum, posse dissentire, si velit.* Nec dissimulandum, in eum sentum, illos accepisse eam Concilii definitionem, ut idem sit dissentire, ac cuicumque gratiæ, quantumvis efficaci resistere.

5. Doctrina hæc viget in Gallia, putantibus quibusdam, hæc unicâ viâ Apostolicæ Se-

Sedis definitionibus omnes debitam obedientiam præstituros. Unde & in responsionibus adnotos duodecim Parisienses articulos editis Mechliniæ anno 1726. ad artic. 4. sic dicitur: *Distinguiimus Catholicæ inter propensionem, seu facilitatem, & inter vires. Vires significant potestatem simpliciter sufficientem ad bonum, & malum. Hæ potestates debent esse æquales, id est, tam debet voluntas habere potestatem simpliciter sufficientem resistendi gratiæ, quam habere potestatem simpliciter sufficientem resistendi tentationi. Hoc scilicet est, quod Apostolus docet 1. Cor. 10. Fidelis Deus est, qui non patitur, vos tentari supra id, quod potestis. Si nunquam tentatio concupiscentiæ est supra id, quod possumus: ergo adest semper potestas par resistendi. Atque hoc est, quod Catholici appellant æquilibrium virium, id est vires utrinque resistendo pares, vel aliis terminis potestatem physicam utrinque simpliciter sufficientem.*

6. Huius sententiæ Patronus Primarius in Hispaniâ nostrâ his nostris temporibus est P. Marin, qui tract. de iustificat. 13. disp. 3. sect. 6. num. 90. tale defendens æquilibrium propugnat, quod si Deus prævideat, exituram in homine inclinationem reddentem naturaliter impossibilem actum præceptum, potest in pœnam peccati præteriti discernere, ut existat gratia in actu primo proximo ad actum præceptum, ut cum inclinatione gratiæ liberè possit peccare. Et in alia hypothesi num. 90. quod Deus miraculose producat inclinationem malam in voluntate, ut fiat æquilibrium libertatis, sic enim habet: *Si ergo Deus aliquando potest causare per se malas inclinationes constituentes libertatem ad peccandum, maxime quando relinquunt voluntatem plenè indifferentem, & non magis inclinatum ad peccatum, quam ad carentiam, ut eam relinquunt in casu præsentis.*

7. Æquo animo ferre non possum, quod, ut ad doctrinam Fidei spectans, vel pro ipsa Fide tuendâ nobis æquilibrium proponatur necessarium. Ecclesiæ doctrina veritas est, non recens, nec nunc primum orta, sed ab Apostolis jam olim tradita, & in omnem terrarum orbem disseminata. Quando ergo doctrina hæc æquilibrii virium, vel ab Scholasticis, vel à PP. vel à Conciliis, ad conciliandam libertatem fuit edocta? Quando ad hæreses expugnandas ab ipsis fuit adhibita? Putant hujus novitatis auctores non sine injuriâ, necessariam ad assensum definitis veritatibus per Constitutionem *Unigenitus*, hanc doctrinam. Sed quomodo ipsa feliciter ad vinculum societatis, & debitæ Constitutioni *Unigenitus* obedientiæ firmiter adhiberi potest, ut celsæ in Galliis gravis illa animorum incitatio, studiorumque commotio? Numquid sic ab errore, Quæsnelli defensores educti, in viam poterunt dirigi salutis? Dum doctrina hæc tot inconvenientibus penè insuperabilibus irrita non in partes Religionis Christianæ inclinatur, sed potius multis argumentis convi-

cta ad dissentium sui inducit, & provocat. Hanc ergo ut adversus recepta Ecclesiæ dogmata pugnantem, PP. sententiis oppositam, & omnibus tam Theologiæ, quam Philosophiæ morali principiis penitus contrariam constantissimè sequentibus Conclusionibus rejiciam, quibus fiet perspicuum, non Fidei dogma, sed erroribus obnoxium dicendum esse hoc virium æquilibrium. Sit ergo

S. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Ut quis liber sit à peccato, dum ab eo retrahitur vis vitricis Gratia, necesse non est, habere potentiam eandem rejiciendi, viresque æquales, aut proportionatas attractivo Gratia.

8. **H**æc conclusio quoad utramque partem directè est contradictoria secundæ propositioni allatæ. Et quidem secundæ pars, nempe, quod ut quis sit liber à peccato, non debeat habere vires æquales, seu proportionatas attractivo gratiæ ei contrarias, ad evidentiam demonstrari potest ex doctrina Angelici Præceptoris 3. p. q. 62. art. 6. *Quod effectus gratiæ est reprimere concupiscentiam impellentem ad peccandum: quia minima gratia, potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & mereri vitam æternam.* Quam repetit q. 70. art. 4. ubi asserit, *Sufficere ad reprimendam concupiscentiam fomitis, & ad implendum mandata legis, quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in transgressione mandatorum legis: minima enim Charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri, & argenti.* Ex hoc Angel. Præceptoris principio habetur, minimam gratiam omnes vires concupiscentiæ superare, omnique tentationi, & peccato superiorem esse. Si ergo minima gratia tantum valet: ubi nam gratia illa, contra quam æqualitas virium fingitur? Vel si vires concupiscentiæ inferiores sunt semper minimæ gratiæ, quænam illæ sunt vires æquales attractivo gratiæ?

9. Crescit Argumenti robor ex superius expositâ ejusdem Præceptoris S. Doctrinâ verè Catholicâ, secundum quam triplicem charitatis gradum distinguit, nimirum incipientium, proficientium, & perfectorum, quam docet 2. 2. q. 21. art. 9., ubi sic in corpore habet: *Dicendum, quod spirituale augmentum charitatis considerari potest, quantum ad aliquid simile corporali hominis augmento. Quod quidem quamvis in plurimas partes distinguatur, habet tamen aliquas determinatas distinctiones secundum determinatas actiones, vel studia, ad quæ homo perducitur per augmentum. Sicut infantilis ætas dicitur antequam habeat usum rationis, postea autem distinguitur alius status hominis, quando jam incipit loqui, & ra-*

tio-

*tionem uti: iterum tertius status ejus est pubertas, cum jam incipit posse generare, & sic deinde quousque perveniat ad perfectum: ita & etiam diversi gradus charitatis distinguuntur secundum diversa studia, ad quæ homo perducitur per charitatis augmentum. Nam primò quidem incumbit homini studium principale ad recedendum à peccato, & resistendum concupiscentiis ejus, quæ in contrarium charitatis movent. Et hoc pertinet ad incipientes, in quibus charitas est nutrienda, vel fovenda, ne corrumpatur. Secundum autem studium succedit, ut homo principaliter intendat ad hoc, quod in bono proficiat. Et hoc studium pertinet ad proficientes, qui ad hoc principaliter intendunt, ut in eis charitas per augmentum roboretur. Tertium autem studium est, ut homo ad hoc principaliter intendat, ut Deo inhaereat, & eo fruatur: hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt dissolvi, & esse cum Christo. Sicut etiam videmus in motu corporali, quod primò est recessus à termino, secundum autem est appropinquatio ad alium terminum. Tertium est quies in termino. Quam doctrinam repetit q. 183. art. 1. & q. 189. art. 3. ad 2. Tenentur ergo AA. isti fateri, esse in incipientibus vires infantium, prout illos appellat Apostolus Petrus 1. cap. 2. vers. 2. *Sicut modò geniti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite.* In proficientibus vires adolescentium, prout ibidem dicit: *ut in eo crescatis in salutem.* Atque Apostolus Paulus ad Ephes. 1. vers. 15. *In charitate crescemus in illo per omnia, qui est Caput Christus.* In perfectis denique vires virorum, secundum quod ad virilem ætatem in vita supernaturali Sancti Dei veniunt, & malitia parvuli, sensibus autem perfecti sunt, ut idem Paulus hortatur 1. Cor. 11. vers. 20. & ibidem cap. 16. vers. 13. *Viriliter agite, & confortamini.* Undè nihil non possunt, dicente eodem Apostolo ad Philipp. 1. vers. 13. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* In hujusmodi autem necesse est fateri, quod secundum gratiam crescant, cum hæc habeat rationem naturæ in esse, & vitæ supernaturali.*

10. Ex his, inquam principiis deducitur secunda Conclusionis pars, quam primò probandam assumimus, ut prima dilucidior, & apertior fiat. Crescentibus hominibus in gratia, & charitate, non crescunt vires concupiscentiæ, vel quia charitas tam ex virtute Spiritus Sancti, quam secundum propriam rationem habet impeccabilitatem, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 21. art. 9. vel quia homo spiritualis, ex habitu charitatis habet inclinationem ad rectè judicandum de omnibus secundum regulas Divinas, ex quibus iudicium profertur, teste D. Thoma 2. 2. q. 60. art. 1. vel quia quilibet actus charitatis disponit ad charitatis augmentum, reddendo hominem promptiorem ad iterum agendum, & habilitate crescente, donec conetur ad perfectum, & tunc actu augetur, 2. 2. q. 24. art. 7. vel quia ideo charitas nominatur via ab Apostolo, qua

Deo appropinquamus, quia per ipsam mens Deo unitur, 1. p. q. 21. art. 1. Et tandem, quia ipsa est virtus, quæ concupiscentias trahat, affectus temperat, desideria sancta adauget, & multiplicat, vitiosa castigat, confusa ordinat, cogitationes pravæ removet, sanctas ingerit, ignem libidinosæ voluptatis extinguit, atque mentem ab omni vitiorum tempestate defendit. Non ergo secundum charitatem crescunt vires concupiscentiæ, sed minuuntur. Nam sicut semper ratio secundum naturam superior est concupiscentiæ, juxta illud Genes. 1. 7. *Sub te erit appetitus tuus*: ita crescentibus hominibus in vita spiritali, subjicitur magis, ac magis spiritualibus animæ viribus concupiscentia, viresque amittit, quibus tendit in actum peccati. Unde S. Thomas 2. 2. q. 24. art. 9. ad 2. egregie docet, quod incipientium principalior cura est, ut resistent peccatis, quorum impugnatione inquietantur. Sed postea hanc impugnationem minùs sentientes, jam quasi securius intendunt ad perfectum. Non quod à tentationibus securi sint; sed quod superiores sint animæ vires vigori tentationum. Undè non solum ad eas repellendas, sed ad alios profectus tendunt, *Ex una parte, inquit ibidem, facientes opus, ex alia parte habentes manum ad gladium*, ut dicitur in Esdra de ædificatoribus Hierusalem lib. 2. cap. 4. Et notandum, quod modo non loquimur de extraordinariæ providentiæ permissionibus, quas experti sunt Paulus Apostolus, Hieronymus, & alii: de quibus propriissimè dicendum: *Certamen forte dedit illi, ut vinceret, & sciret quoniam omnium potentior est sapientia.* Sap. 10. vers. 12. Ille enim fidelissimus Deus, qui ad gloriosiore victoriam certamen fortè dat, extraordinarias etiam vires animæ confert; atque ita facit cum tentatione proveniunt, ut dicitur 1. Cor. 10. Tandem in perfectis adeo superiores sunt vires animæ, ut homo ad hoc vehementissimè tendat, ut Deo fruatur, quod etiam Angel. Doctor notavit, ubi supra. Undè concupiscentia potest quodammodo dici victa, non prælio, sed bello. Et ideo Apostolus ad Philippen. 3. vers. 13. dicebat. *Quæ quidem retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt superiora extendens me ipsum.*

11. Dicant ergo hi Catholici, contra quos agimus, an vires concupiscentiæ crescunt, crescentibus hominibus secundum gratiam, & charitatem. Explicent principium, ex quo oritur, aut oriri potest hujusmodi augmentum. An ab ipsa gratia? Quis debet dicere, quod dum charitas carnales sub rationis imperio cohibet passionibus; dum anima media charitate, quæ sunt virtutis, honestatis, & meriti sectatur; dum animam incertamine roborat, & ad profectum virtutis impellit, quod ab ipsa in proficientibus, & perfectis augentur vires animæ contra ipsam gratiam? Quid enim sacrilegum magis audax

dax Hæreticorum genus attentavit usquam, quàm quod ipsa virtus Dei, qua elevamur, & liberamur à malo, augeat vires contra se ipsam? Sed si non à gratia, à quonam accipiuntur vires contra crescentem gratiam? An à naturâ? Natura bona est, & à bono, quod per gratiam perficitur, non oriuntur vires contra gratiam. An ab infirmitate, & deordinatione naturæ? Hæc per gratiam curatur: à medicinâ autem non conveniunt vires contra ipsam. Unde ergo hæc somniant vires æquales semper attractivo gratiæ?

12. Ponamus ergo D. Paulum Apostolum, virum perfectum, & hominem, seu infantem proficere incipientem in via Dei, eadem tentatione invafos: juxta istorum AA. sententiam, ut isti sint à peccato liberi, debent habere vires æquales, aut proportionatas attractivæ gratiæ virtuti, ut eam nimirum abjiciant: ergo dicendum est, vel quod vires illius excellentissimæ, & majoris gratiæ, & charitatis non perseveraverunt in Paulo, ut sic sint æquales tentationis motus, quibus posset resistere gratiæ; vel quod, quò magis mens ipsius uniebatur Deo, ardentiori, quàm in aliis, voluptatis vi fatigabatur; quod in graviores interius agebatur tentationes; quod novi perniciosissime proveniebant concupiscentiæ insultus, quibus ipsius mens æquè periclitaretur, ac aliis nimirum, ut tentationes ad gradum gratiæ ascendentes possint resistere ipsi gratiæ, nè pereat libertas. Quod si hæc dici non possunt, ut verè non possunt, dicendum, & certissimè tenendum est, quod ad libertatem non requiritur illa æqualitas virium, sed quod tam in perfectis, quàm in proficientibus sine tali æqualitate datur perfecta libertas. Quod si verum est de illis, qui differenter habent gratiam, & charitatem, quantò magis de illis, quorum alter habitualem gratiam possidet, alter non habet. Quod, quàm verum sit, unusquisque apertis oculis facile cognoscere potest.

13. Jam prima pars conclusionis, quod ut quis sit liber à peccato, dum ab eo retrahit vis victricis gratiæ, non necesse est habere potentiam rejiciendi hujusmodi gratiam victricem, non minori evidentia deducitur ex eo, quod quantò magis vires gratiæ in nobis excedunt, tantò magis libertas nostra est conformis libertati Capitis nostri impeccabilis Filii Dei, tantòque magis meritum nostrum ex illo augetur, & illi conformatur. Ad quid ergo requiritur posse repellere gratiam, vel posse peccare? Cum nec ad libertatem, nec ad meritum sit essentialiter requisitum. Non ad libertatem: unde D. Augustinus lib. 5. contr. Julianum cap. 18. ipsum graviter reprehendit. *Putas, inquit, ad liberi arbitrii pertinere naturam, ut possit utrumque, scilicet & peccare, & non peccare; & in hoc existimas hominem factum ad imaginem Dei, cum Deus ipse non possit utrumque.* Et lib. 6. cap. 10. *Te fallit definitio tua, qua liberum arbitrium*

definisti, liberum arbitrium non esse aliud, quàm possibilitatem peccandi; ut scilicet æquè utrumque pertineret ad liberum arbitrium, quod etiam in Massiliensibus D. Prosper. Epist. ad August. reprehendit. Quidquid enim in libris contra Julianum ab ipso sub hac questione objectum, potentissimè debellasti (Divum Augustinum alloquitur) hoc totum ab istis S.S. intentiosissimè conclamatur. Unde & eandem libertatis notionem esse volebant, ut quantum quisque ad malum, tantum haberet facultatis ad bonum: parique momento animum se, vel ad vitia, vel ad virtutes movere, quem bona appetentem gratia Dei foveat; mala sectantem, damnatio justa suscipiat.

14. Hoc similiter probat D. Thomas in 2. dist. 25. q. 1. art. 5. utrum in Deo sit liberum arbitrium? *Ad rationem, inquit, liberi arbitrii non pertinet, ut indeterminatè se habeat ad bonum, vel ad malum, quia liberum arbitrium per se in bonum ordinatum est, cum bonum sit objectum voluntatis, nec in malum tendat, nisi propter aliquem defectum, qui apprehenditur ut bonum; cum non sit voluntas, vel electio nisi boni, aut apparentis boni. Et ideo ubi est perfectum, & liberum arbitrium, ibi in malum tendere non potest: sed hoc ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere, vel non facere possit. Et hoc Deo convenit: bona enim, quæ facit, potest non facere, nec tamen malum facere potest. Idem docet supra dist. 7. q. 1. art. 1. & 1. p. q. 62. art. 8. & 2. q. 88. art. 1. ad 1. Dicendum: quod sicut non posse peccare, non diminuit libertatem; ita etiam necessitas firmatæ voluntatis in bono, non diminuit libertatem, ut patet in Deo, & Beatis. Et talis est necessitas voti, similitudinem quamdam habens cum confirmatione Beatorum. Unde Augustinus dicit in ead. Epist. 25. (nunc 127.) ad Armentarium, & Paulinam: *felix necessitas est, quæ in meliora compellit.* Quod totum fusiùs explicat q. 16. de malo art. 5.*

15. Hæc est ergo perfectissima libertas, quod sit immunis à peccato. Quid enim aliud est peccatum, nisi impeditivum, & corruptivum libertatis, ut dicit D. Thomas in 2. dist. 25. q. 1. art. 5. ad 2. ex quo principio probant D. Thom. & M. P. Augustinus majorem, & perfectiorem libertatem in Adamo, quàm in posteris fuisse. Sic iste lib. 1. cont. duas Epist. Pelagianor. cap. 2., inquit, *Libertas quidem perit per peccatum; sed illa, quæ in Paradisis fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam.* Et D. Thomas in 2. dist. 25. q. 1. art. 4. *Cum in statu innocentie nihil ad bonum impederet, videtur, quod liberum arbitrium augeatur, & minuatur.* Sic in justis datur perfectior libertas, quàm in peccatoribus, in Angelis, quàm in hominibus; in Angelo superiore, quàm in inferiore, & in Deo longè perfectior, quàm in Angelis.

16. Ratioque à priori desumitur, quia vera & perfecta libertas, qualis est filiorum Dei ex Divina gratia oritur, nec laudabili-

ter

ter est liberum, nisi quod fuerit Dei gratia liberatum. Sic August. lib. 1. oper. ultimi cont. Julianum cap. 78. quod deducit ex illo Joannis 8. *Si vos Filius liberaverit, verè liberi estis: quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.* Quod verians D. Thomas loco citat. non redimitur nisi quod in servitute fuit, sed per sanguinem Christi redempti sumus, ut dicitur 1. Petri: ergo per peccatum in servitute trahimur, & ita libertas minuitur. Ideo PP. Carthaginenses in Epist. ad Innocentium Papam, que est 90. inter Epistolas S. Augustini, dicebant, *Id agunt isti damnabilibus disputationibus suis, ut non defendendo, sed potius in sacrilegam superbiam extollendo liberum arbitrium, nullum relinquunt locum gratiæ Dei, qua Christiani sumus, qua & id ipsum nostræ voluntatis arbitrium verè sit liberum, dum à carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur, dicente Domino: si vos filius liberavit, tunc verè liberi estis.* Ideoque S. Thomas q. 22. de verit. art. 3. ad 2. sapienter dixit: *Quod posse eligere malum, non est de ratione liberi arbitrii, sed consequitur liberum arbitrium, secundum quod est in natura creata possibile ad defectus.* Non enim est aliqua repugnantia, quòd detur aliquis status, ad quem hæc peccandi potentia aliquomodo pertineat, ut expressè docet D. Thomas 2. ad Annib. dist. 25. q. unic. art. 5. ubi probat, eandem esse potentiam, qua quis est liber ad bonum, & malum. Et cum sibi tertio opposuisset: *Anselmus dicit, quod posse peccare, neque est libertas, neque pars libertatis; sed libertas à justitia est, secundum hoc, quod est posse peccare: ergo videtur, quod inconvenientèr libertatem talem assignet.* Respondet: *Ad tertium dicendum, quod non est libertas simpliciter, ut dictum est, libertas à justitia, sed secundum quid, & propter hoc etiam, non computatur inter partes principales, sed quasi per consequens reducitur ad alteram libertatem, ut dictum est.*

17. Dixi aliquomodo; non ut naturam, constitutum, sed ut defectus naturæ inherens, cujusmodi sunt defectus, qui in artibus, scientiis, potentiisque accidunt, ad quos nec potentia, nec scientia ordinantur, provenientes solum ex eo, quod potentia, scientia, & artes à suo ordine, suisque regulis deflecti possunt vel retrahi. Sic se habet potentia peccandi, ut ipsam explicat Divus Thomas in 2. dist. 44. q. 1. art. 1. dicens: *Potentia cognoscitur per actum. Unde ex consideratione actus peccati judicium sumendum est de potentia peccandi. In actu autem peccati sunt duo, scilicet substantia actus, & deformitas, vel defectus debitarum circumstantiarum. Unde oportet, quod etiam in ipsa potentia peccandi duo attendantur; scilicet ipsa potentia, quæ est principium actus ordinati, & inordinati, & hæc est à Deo. Consideratur etiam in ea defectus quidam; secundum quem actum deficientem producere possit. Potentia enim perfectissima nunquam defi-*

*ciunt ab eo, ad quod ordinatæ sunt, ut patet in necessariis. Unde quod potentia impediatur, vel retrahatur ab eo, ad quod naturaliter ordinata est, oportet quod sit ex defectu ejus, in quantum scilicet alteri agenti, quod impedit, succumbit. Unde cum potentia voluntatis humanæ sit per se ordinata ad bonum, defectus à bono in actu ejus oportet, quod causetur ex aliquo defectu in ipsa, per quem ab aliquo vinci potest, vel delectatione, vel suggestione, vel quocumque alio, ut ab eo, quod est naturale sibi. Notentur hæc ultima verba; Quod voluntas humana ab eo, quod sibi naturale est, ad id quod est innaturale pertrahitur, quia nempe à delectatione, suggestione, vel ab alio vincitur. Merito ergo dixit Theofilat. in 1. Marci. *Dicimus itaque peccatum non esse potentia, sed impotentia.* Et Euthim. in 19. Matthæi: *Dicimus, quod facere mala non est potentia, sed impotentia.* Sicut enim oculus non est in ratione potentia visiva perfectus, qui colores aliquos videt, ubi non sunt; immo tunc à perfectione potentie visivæ tantò magis deficit, quantum in illa colorum discretionem turpius hallucinandi est occasio, ita prorsus non est potentia perfectè libera, quæ bonum non ordinatum, ut verum bonum proficitur, sed est potentia libera deficiens, seu minus libera, quia nempe mali nec est intentio, nec finis. Ergo liberè, & perfectissimè liberi sumus per gratiam libertate supernaturali: Et quò major in nobis fuerit gratiæ vis, & efficacia, perfectior nostra erit libertas, secundum quod magis accedimus ad perfectissimam libertatem. Christi Capitis nostri.*

18. Hinc ergo fit, ut qui per peccatum à Deo avertitur, licet maneat liber ad bonum ex misericordia Dei, ad malum ex defectibili natura; optimam tamen perdit rationem libertatis. Quod profundissimè, & solidissimè conspexit M. P. August. dum lib. de corrept. & Grat. cap. 1. n. 2. dixit: *Liberum arbitrium & ad malum, & ad bonum faciendum confitendum est nos habere, sed in malo faciendo liber est quisque justitia, servusque peccati; in bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo, qui dixit: Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Et cap. 8. *Quod voluntas humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem.* Et 1. Retract. cap. 15. n. 4. *In tantum libera est, in quantum liberata est. Arbitrium voluntatis tunc est verè liberum, cum vitiis, peccatisque non servit.* Et Epist. 89. nunc 157. cap. 3. n. 16. explicans illud Pauli ad Rom. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Cur non dixit, inquit, *potius per meum liberum arbitrium, nisi quia libertas sine gratia, non est libertas, sed contumacia.* Et de spirit. & litter. cap. 30. n. 52. *Sicut lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, sed statuitur.* Si ergo perfectiori modo est liber, perfectiorique gaudet arbitrii libertate, qui

F

po-

potioribus viget viribus secundum gratiam, quam sint vires naturæ (quæ melius defectus naturæ dici debent ob tenuitatem, & imbecillitatem) quas exercere potest contra gratiam, ad quid illud æquilibrium virium?

19. Sed dices: requiri ad meritum. Nam si major fuerit vis gratiæ, ut moveat animam, voluntatemque contineat, quam fuerit vis voluntatis, ut gratiam repellat, videatur aut minui, aut destrui meriti ratio, & indifferentia voluntatis. Sed quis doctrinam istam patienter ferre potest? Si in doctrina gratiæ ponendum magis est, quod est consonum dictis SS. PP. & Conciliorum; certè non PP., non Concilia, non sacrarum Scripturarum doctrinam istam produxit autoritas, nec minùs definivit usquam sacræ Apostolicæ Sedis Judicium. In opere meritorio ordinariè reperitur ea libertas, qua possumus velle bonum, aut malum; sed non hæc libertas est essentialiter requisita ad meritum. In maxima excellentia, quæ haberi potest, & in maxima extensione ad omnis gratiæ effectus fuit in Christo Domino plenitudo gratiæ, ut illam explicat D. Thomas 3. p. q. 7. art. 10. Impeccabilis fuit, & tamen maximè meruit. Inferius, sed altissimum fuit B. Dei Genitricis Mariæ meritum, quæ peccati fomite caruit, & in qua vires gratiæ incomparabili virtute excedebant vires naturæ. Meruerunt & Angeli in primo instanti suæ creationis; & tamen non fuit illis illud æquilibrium virium, cum peccare non potuerint in illo primo instanti, ut docet D. Thomas 1. p. q. 62. art. 9. & 5. & q. 63. art. 5. In Sanctis augentur vires voluntatis, & gratiæ; ex gratiâ deficit æquilibrium, & non minuitur meritum.

20. Charitas ergo, excluso omni defectu potentia, est perfectio thesauri incomparabilis, cunctorumque meritorum principium, & præmium. Est maximum illud donum Dei gratuitum, de Divinæ bonitatis emanans fonte, accommodatum ad promerendam immortalitatis gloriam, ad cumulanda merita, ad virtutes perficiendas, ut docet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 16. dicens, quod Christus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in ipsos justificatos jugiter virtutem infudit, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent. Et D. Thomas 1. 2. q. 113. art. 3. Si autem loquamur de opere meritorio, secundum quod procedit ex gratia Spiritus Sancti, sic est meritorium vitæ æternæ ex condigno. Sic tamen valor meriti attenditur secundum virtutem Spiritus Sancti moventis nos in vitam æternam; secundum illud Joannis 4. Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Attenditur etiam operis pretium secundum dignitatem gratiæ, per quam homo conjors Divinæ naturæ, adoptatur in Filium Dei, cui debetur hæreditas ex ipso jure adoptionis, secundum illud ad Rom. 8. Si Filii,

& hæredes. Ubi maximè est notandum, quod dicit Erius Card. Cajetanus in corpor. art. Adverte, quod illa duo scilicet motio Spiritus Sancti, & gratia, non sunt duæ disparatæ causæ meriti, sed sunt causæ subordinatæ, motio quidem Spiritus Sancti, ut actio causæ primæ, & gratia, ut causæ secundæ operis in quantum meritorii. Movet tamen Spiritus Sanctus hominem ad merendum mediante gratia, propter quod littera de motione Spiritus Sancti loquens, affert illud Joannis 4. Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Et intendit Author, quod quia opus elicitur à gratia, habet quod sit meritorium ex condigno ex utraque sui propria causa, scilicet prima, & proxima. Nec altera superfluit, quoniam non sunt ejusdem Ordinis. Ipsa ergo charitas est radix meriti, ut iterum docet D. Thomas q. 6. de Potent. art. 9. in corpor. Et q. 26. de verit. art. 6. ad 8. ex qua asserit 2. 2. q. 82. art. 2. ad 2. quod quia in statu felicitatis futuræ homo pervenit ad perfectum: ideo non relinquatur locus proficiendi per meritum. Si tamen relinqueretur, esset efficacius meritum propter majorem charitatem. Sic juxta mensuram gratiæ, & charitatis datur meritum, crescit secundum ipsam. Causalitè loquimur, & potestativè, nam agitur de virtute, principio, & radice meriti, non de actu merendi, qui minor quidem potest esse cum majori potestate, ut docet D. Thomas in 2. dist. 29. q. 1. art. 4. Quando enim, inquit, majori charitate, & gratia actus informatur, tanto magis est meritorium. Non ergo potentia peccandi, vel posse repellere gratiam ad meritum pertinet; sed solum eo modo, quod ponitur à D. Thoma q. 24. de verit. art. 9. ad 5. Quod posse peccare non facit ad meritum, sed ad meriti manifestationem, in quantum ostendit opus bonum esse voluntarium. Et ideo inter laudes viri justi ponitur; quia laus est virtutis manifestatio.

21. Sed dices: majus debet esse meritum, ubi major est vincendi difficultas; ut enim, inquit Apostolus 1. ad Corinth. 3. Unusquisque propriam mercedem accipit secundum suum laborem. Ad quæ verba D. Thomas dicit: Quod ubi est potior labor, ibi sit potior merces; sed potior labor datur, ubi major reperitur carnis rebellio: ergo majus erit meritum, dum quis non peccando potens peccare, meretur. Ex quo dixit D. Thomas 1. p. q. 95. art. 4. Sed si consideretur quantitas proportionalis, major invenitur ratio meriti post peccatum, propter hominis imbecillitatem. Magis enim excedit parvum opus potestatem ejus, qui cum difficultate operatur illud, quam opus magnum potestatem ejus, qui sine difficultate operatur. Ad quod facilis est responsio, quod propter pugnam datur victoriæ palma, quæ profectò eminet super laborem certaminis, dicente Apostolo ad Rom. 8. Non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Ad conflictum subsequitur triumphus; non coronabitur (inquit Apostolus ad Thim. 2.) nisi qui legitime certaverit.

22. Sed

22. Sed imprudens judicandus ille, qui sine pugna credit reportare victoriam, & Hæreticus, qui de propriis viribus in hoc spiritali præsumit certamine; dicente Propheta Psalmo 17. Non in virtute mea, sed in Deo meo transgrediar murum. Augustinus ibi: Et non in me, sed in Deo meo transgrediar murum: quem inter homines, & cælestem Jerusalem peccata erexerunt; cum sola gratia vires minifret, & ad triumphum usque perducatur: qui enim sine charitate certare vult, nec in certamine fortis, nec possessor potest esse victoriæ. Laboriosa ergo, & ad superandum difficilis est concupiscentiæ illecebra; & quod major pulsat illecebra, eo sanè difficilior est triumphus: sed labor iste, non est labor ut-cunque pertinens ad augmentum meriti; non enim ex majori ut-cunque difficultate arguitur tale augmentum, ut dicit D. Thomas 2. 2. q. 27. art. 8. ad 3. Dicendum, quod plus facit ad rationem meriti, & virtutis bonum, quam difficile. Unde non oportet, quod omne difficilius sit magis meritorium, sed quod sic est difficilius, ut etiam sit melius. Intelligi namque potest laborem esse majorem, vel secundum formam charitatis, vel ex quantitate laboris: quod mirabiliter explicat D. Thomas 1. p. q. 95. art. 4. ad 2. Dicendum, quod difficultas, & pugna pertinent ad quantitatem meriti secundum quantitatem operis proportionalem, ut dictum est. Et est signum promptitudinis voluntatis, quod conatur ad id, quod est sibi difficile, promptitudo autem voluntatis causatur ex magnitudine charitatis. Potest autem contingere; quod aliquis ita prompta voluntate faciat opus aliquod facile, sicut alius difficile, quia paratus esset facere, etiam quod sibi esset difficile. Difficultas tamen actualis, in quantum est pœnalis, habet etiam quod sit satisfactoria pro peccato. Et 1. 2. q. 114. art. 4. ad 2. Dicendum, quod opus aliquod potest esse laboriosum, & difficile dupliciter. Uno ex magnitudine operis: & sic magnitudo laboris pertinet ad augmentum meriti, & sic charitas non diminuit laborem, imò facit aggredi opera maxima: magna tamen operatur si est, ut Gregorius dicit in quadam Homil. Alio modo ex defectu ipsius operantis, unicuique enim est laboriosum, & difficile, quod non prompta voluntate facit, & talis labor diminuit meritum, & à charitate tollitur.

23. En quomodo D. Thomas distinguit in quantitate laboris, & opus quod in se majus est, & opus quod ob defectum propriæ voluntatis, & charitatis est magis laboriosum. Et quod si priori modo res accidit, quantitas laboris pertinet ad meritum, non posteriori. Cum ergo difficultas vincendi in peccatoribus ex ipsorum defectu, vel ex defectu charitatis sibi ipsis imputabili oriatur; inde fit, quod minùs est meritum, licet comparative ad vires proprias major sit labor: de quibus nec intumescere audeat, nec se extollere humana præsumptio; cum nihil sibi metipsum sufficiat, ipsumque resistere meritorie tentatio-

ni ex gratia fit, secundum quam crescit ratio meriti. Ad quid ergo æquilibrium virium? Ad quid quod æqualium semper pareretur conflictus, quod æqualis gratiæ immineret tentatio? An quia ad meritum sine tali æquilibrio est impossibilis accessus? An quia sine ipso gratiæ adiutorio liberè hominem à peccati servitute, cupiditatumque dominio vindicare minimè potest? De doctrina ista judicent alii. Hoc certum scio, quod nihil horum nec Sacra Scriptura, nec SS. PP. docent. Nec, quantum scire potuimus, Ecclesia unquam audivit: & quod D. Augustinus totum, quod in Sanctis est, gratiæ, virtutis, bonitatis, & intelligentiæ Dei clementiæ adscribens, super illud Sap. 8. ver. 21. Et ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat Sapieniæ, scire, cujus esset hoc donum, adii Dominum, & deprecatus sum illum; hæc sequentia habet Epist. 118. Continentiam ne peccaret, optabat... Sed utique tantas voluntatis vires, tantum dilectionis ardorem volebat accipere Spiritus Sapieniæ, qui sufficeret ad implendam magnitudinem continentiæ. Gratiam habebat Sapiens, charitatem habebat: non exposcit æquilibrium, sed majores petebat vires, majorem charitatis ardorem, qui sufficeret contra majores vires, aut terribiliores duratione concupiscentiæ conatus: ergo sine istis peccaret succumbens, etiam si majores fuissent vires concupiscentiæ: & cum istis, quas postulavit, viribus, meritorie vicit, superantibus gratiæ viribus. Non ergo æquilibrium quidquam confert ad veram indifferentiam liberæ potestatis; ac proinde neque ad meritum, aut demeritum.

S. III.

SECUNDA CONCLUSIO.

Ut liberè fiat supernaturalis actio, non requiritur potentia completa, per hoc quod habeat vim æqualem, aut proportionatam violentiæ tentationis.

24. Quibus inconvenientibus obnoxium sit hujusmodi prætentum æquilibrium libertatis constitutum, facile demonstrari potest. Certum quippe est, quod varii sunt, & possunt esse cupiditatis gradus, cum crescere possit efficacia representationis, & inclinatio appetitus in bonum sensibile, & crescente ipsa, crescit & renitentia ad bonum rationis. Sunt itidem varii Divinæ gratiæ, & motionis gradus, quibus Deus ex æquissimis suæ providentiæ legibus hanc temperat, ut voluntatem pro libito moveat, excitet, vel omnino convertat; ut affirmat D. Thomas q. 1. de potent. art. 2. A Deo moventur quedam efficacius, & quedam minus efficaciter. Etenim charismata sunt alia aliis meliora. Interdum lenis, interdum

dum validus, & vehemens est Divini Spiritus impulsus. De plenitudine ejus omnes accepimus, & per Christum communicatur omnibus Dei gratia, & secundum esse, & secundum operari, dicente Apostolo ad Ephes. 4. *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Sicut ergo gratia inæqualiter participatur quoad esse, ita & quoad operandi virtutem. Non enim datur omnibus uniformiter, seu æqualiter, sed prout eam singulis distribuit ille, qui sine mensura eam accepit. Quare hujus distributio solius est Dei magnificentiae, & misericordiae: licet illius dignus usus, & Divinae miserationis, atque virtutis sit, & voluntatis, cooperationisque nostrae.

25. Hoc posito, quæ non sequitur ex hujus æquilibrii, & æqualitatis virium absurditas? Primum, Deus in ipsorum principiis, etsi velit efficaciter gratiam esse connexam cum effectu; at non infallibilem istam connexionem videt Deus, secundum quod per scientiam, quam dicunt mediam, prævidet bonum voluntatis usum, illam confert; cum gratia quæcumque, atque in quibuscumque circumstantiis, etiam in illis, in quibus homo prævidetur consenturus, suo possit effectu privari: ergo quod gratia sit victrix, victaque concupiscentia, si æquales ex utraque parte quoad gradus vires esse debent, non ex virtute ipsius gratiæ provenit, sed pendet omnino ex hominis voluntate. Quis autem victoriam voluntati tribuat? Dicente Augustino lib. 1. ad Simplicianum cap. 1. *Spiritus Dei est, qui pugnat in te, adversus te, & adversus illud, quod est in te.* Dicente, inquam Apostolo, & prædicante Catholica Fide: *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.* Et quomodo dedit victoriam, qui non magis dedit in nobis, quam quod est contra in nobis exercet contraria rebellio? Æque ergo nostra erit victoria spiritus, ac fuisset victoria carnis. Ubi est ergo gratia illa liberatrix, & liberans à servitute peccati, à corpore mortis, & à concupiscentiis? Ubi gratia illa, quæ arbitrium nostrum verè fit liberum à lege peccati? Sanè dum non relinquimus locum gratiæ Dei, in superbiam sacrilegum extolli poterit liberum arbitrium. Cur enim homines miseri jam de libero arbitrio superbere non poterunt, antequam liberentur, aut de suis viribus, si jam liberati sunt? Posito namque in æquilibrio, non charitas illa, quæ per Spiritum Sanctum diffusa est in cordibus nostris, vincit carnis concupiscentias, ne consentiamus eis ad mala faciendum; non ipsa est, quæ facit, ut bona faciamus; totum hoc est liberi arbitrii: consensus salutaris, non gratiæ, sed ipsi justè poterit attribui. Quid enim specialius gratiæ reperit in Petro consentiente, quod non sit in Paulo dissentiente? In utroque enim poterit reperiri eadem gratia constitutiva æquilibrii: ergo consensus, qui est in Petro sub

tali gratia constitutiva æquilibrii, rectius tribueretur determinationi Petri, quam ipsi gratiæ, cum desumi minimè possit ex principio, in quo unus convenit cum alio. Ratio namque convenientiæ non est ratio discretionis, sicut nec differentia unius ab alio procedit ex principio, in quo unum convenit cum alio. Inæqualitas in effectu exigit inæqualitatem in principio: ergo discretio Petri à Paulo in consensu salutari non est à gratia, quæ ut constitutiva æquilibrii est indiscernens, sed à libero exercitio, & determinatione voluntatis, quæ sibi efficit meritum: non enim ante ipsum consentire datur aliquid gratiæ acceptum à Deo, dans ipsum consentire: ergo quod existat consensus non dependet ex nutu Dei, sed magis creaturæ. Inquiro enim: victoria illa, vel est nova gratia distincta ab illa, ut dante posse, & constituyente æquilibrio, vel non? Si primum, ergo datur nova gratia distincta ab illa, quæ dat posse, vel constituit æquilibrio, adaugens proinde vires supra vires concupiscentiæ, & tentationis, ac æquilibrio destruens. Si secundum: cum victoria sit separabilis ab ista gratia æquilibrii constitutiva, & ultra id, quod confert ista gratia, quæ ab ipsis ut unicum statuitur donum Dei, ipsa sanè non est donum Dei: ergo ipsum credere præ non credere non est acceptum ex gratia, quæ non determinabat ad ipsum credere, magis quam è contra tentatio ad non credere.

26. Totum hoc expressit D. Augustinus de prædest. Sanctor. cap. 6. dicens: *Alii credunt: alii contradicunt, sed cum aliis præparetur voluntas à Domino, discernendum est utique, quid veniat de misericordia ejus, quid de judicio.* Quasi diceret Augustinus, verum est, alios liberè credere, & alios liberè contradicere verbo veritatis; sed non exinde est discretio credentis à contradicente, sed dum alii credunt, habent à Domino voluntatem præparatam per suam misericordiam: dum alii contradicunt, non habent suam voluntatem præparatam à Domino ob causas judicii justitiæ suæ: unde discretio non incipit ex sua liberâ electione, sed ex misericordiâ Dei præparante voluntatem, ut credat; sed quod voluntas in uno præparetur à Domino, & non in alio, non provenit, nisi quia donat ex sua misericordiâ gratiam, quam aliis negat per suum judicium: ergo discretio descendens de misericordia Dei in credentibus, est ex gratia aliqua Dei, non quæ sit constitutiva æquilibrii, sed determinante, & applicante voluntatem ad credendum. Quod expressit D. Paulus 1. ad Cor. cap. 4. *Hæc autem fratres transfiguravi in me, & Apollo, propter vos, ut in nobis discatis, nè supra quàm scriptum est, unus adversus alterum infletur præ alio, quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non accepisti?*

27. Secundò rejicitur hoc virium æquilibrio.

librium. Sumus etenim liberi, sed infirmi, dum sunt in nobis tot perniciosissimi motus, & quæ ex ipsis generantur tentationes, & insultus, ex infirmitate, ignorantia, consuetudine, & corruptâ naturâ. *Videte, inquit Augustinus serm. 43. de verbis Domini, quale bellum proposuit, qualem pœnam, qualem rixam intus intra te ipsum.* Sed quomodo, vel qualis est hæc lapsi hominis infelicitas, & in natura corrupta imbecillitas, ut spiritus pugnantem carnem non subjiciat, si voluntas non in unam magis partem, quam in aliam propendat, sed æqualiter-hinc, & inde afficiatur? Sit namque tentatio ut centum, non succumbet. Sint ut mille accensæ cupiditatis vires, resistet; cum in hac sententiâ, ne detur defectus ponderis, mens æqualibus Sanctis afflata desideris rectitudinem servare debeat; nec unquam erit, nisi voluntariè, peccati fomite superagitata; nec quantumvis propria sit infirmitate reverberata, relabi compellitur. Ubi est ergo infirmitas hæc? In quo primi Parentis peccato vulneratum, lauciatum, debilitatum, vitiatum, ac in deterius actum fuit liberum arbitrium? Quæ namque magis admirabilis virtus, quæ quantumvis augeatur tentatio, semper contra ipsam crescit æquâ lance, ut propriâ, solaque determinatione suâ, nullo ulterius expectato adjutorio, nulla peccandi necessitate, stare possit? Quid felicius, quàm quod in hoc conflictu Divina misericordia contra tentationem æquale præsidium omnibus de necessitate tribuat, alioquin non peccaturis ex defectu æquilibrii: atque virtutem æqualem resistendi, si velit, & lumen æqualiter roborans infundat, nè anima opera carnis peragat, ac nè actum perficiat, quod caro malè sana, & rationis ignara faciendum esse blanditur. Ergo nulla in hoc posito æquilibrio necessitas est ulterioris gratiæ, neque aliquid à Deo petere debemus, aut poterimus, ut tentationi resistamus, & ut fugiat à nobis. Consequentia est evidens: primò, quia in hoc æquali conflictu, illa superior erit pars, cui consensus voluntatis insistet, ut arguit D. Augustinus Epist. 186. ad S. Paulinum, cap. 10. *Aliquando enim ita paribus momentis potestatem voluntatis æquâ lance perpendit, ut quantum ad peccandum, tantum etiam ad non peccandum valere, definit Pelagius. Quod si ita est, nullus locus adjutorio gratiæ reservatur, sine qua nos dicimus ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere.* Secundò, quia vel sine speciali gratia remanet æquilibrio, vel non? Si hoc secundum? Cum sine æquilibrio non sit libertas, destrueretur libertas arbitrii. Si primum? Ergo sine distinctâ gratiâ adjuvante remanet æquilibrio ad libertatem requisitum: ergo adjutorium istud adjuvans, distinctum à sufficiente, seu dante illas vires necessarium non est ad vincendas tentationes; cum datâ libertate, debeat & dari juxta ipsos, quidquid requiritur ad operan-

dum, & vincendum: ergo in sensu composito gravis tentationis, est in potestate liberi arbitrii, quin Deo ultro indigeat, & agere, & non agere: ergo æquilibrio hoc sufficit; etsi non sufficit, aliquid deficit, vel aliud est necesse, ex quo necessario perit, & destruitur æquilibrio. Quod totum absurdissimum judicavit D. Augustinus lib. 3. contra Julianum n. 117. dicens: *Cur enim tu adminicula gratiæ supponis bonæ voluntati, cum voluntas mala nullo innitatur adminiculo, ut mala sit, & mala esse persistat? An hic libra tua, quam conaris ex utraque parte per æqualia momenta suspendere, ut voluntas quantum esset ad malum, tantum etiam sit ad bonum libera. Vergendo in unam partem te indicat delirantem?*

28. Sed præstius rem istam iterum examinemus. Imbecillis, & exigua est hominis fortitudo, ut toto suæ vitæ tempore sine speciali gratia in hoc spirituali certaminis stadio, absque peccato mortali, valeat perducere, ut unanimis tenet Theologorum consensus. Quod sanè falsificatur hoc posito æquilibrio. Eadem namque in ista hypothesi, & æqualis datur potestas cum vigore æquali, tam ad bonum, quàm ad malum, ut resistat gratiæ, & ut resistat tentationi: ergo si posset accidere, quod homo per longum tempus, & toto vitæ suæ tempore in amore Dei perseveret cum potestate illa proxima ad bonum æquilibrio constituyente, & cum eadem ad resistendum tentationi, cur non poterit sine peccato perseverare? Adest namque æqualis gratiæ læta societas, vi cuius in tali adversantium tentationum congressu, nec prosterni, nec concitari, nec usquam non volens, potest supra id, quod viribus suis valet, agitari. Stante æquilibrio nec ipsa vinci, nec in peccatum urgeri potest: Cum ut nec concupiscentia seducat, nec alliciat, nec sensum pervertat, ex opposito (ne pereat libertas) æqualis gratiæ præstet auxilium, æqualis charitas teneat affectum: æquè enim Deus stat adversus objectas voluptates, & hostium insidias, æqualibus quibus pulsamur tentationibus, & perturbamur passionibus, eisdem ad resistendum promovemur inspirationibus. Quænam ergo est ista, vel ex parte cuius tenet talis præsentia imbecillitas, ut sine peccato non possit homo toto vitæ suæ tempore in hoc perdurare certamine?

29. Elucidatur amplius, & efficacissimè urgetur. Natura in statu corruptionis est debilis, & infirma; liberum ejus arbitrium, quamvis non extinctum, viribus tamen est attenuatum; mens ejus, dum tot inimicorum patitur insultus, indiget indui virtute ex alto, ut victoriam obtineat, & ut propitiantie gratiâ, refrænetur concupiscentia, & ut natura rebellis reformetur in melius. Hoc supposito: ex parte cuius, rogo, stat infirmitas, vel virtus? Quis fortitudinem, virtutem, & efficaciam agnosceret ex parte gratiæ constitutiæ hujus æquilibrii, dum ipsa, quam-

quamvis major sit, æquilibrium excedere non possit? Dum in hoc spirituali stadio perseverat, quin spiritus prævaleat operibus carnis, & virtus vitio dominetur? Non ergo ex partæ gratiæ, sed ex parte voluntatis stabit omnis virtus, cum ab ejus determinatione unicè pendeat consensus, vel dissensus vocationi. Ad quid ergo Propheta Regius infirmus, & tentationum procellis obrutus, clamat ad Dominum de profundis, ut liberet ipsum Psal. 129: & in Psal. 34. *Judica Domine nocentes me, expugna impugnantes me, apprehende arma, & scutum, & exurge in adjutorium mihi, effunde frameam, & conclude adversus eos, qui tribulant me, dic anima mea, salus tua ego sum.* Et Psalm. 51. *Redde mihi leuitiam salutaris tui.* Ad quid & plorans exclamat Apostolus ad Rom. 7. *Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio, non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Et iterum inferius exclamando subinfert: *Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Quid conturbat ipsos? Et cur in tribulationum, & tentationum certamine positi, ad Dei gratiam petentes recurrunt; dum concupiscentia, juxta Auctores oppositos, nec vim suam induceret voluntati, nec delectationem majorem induceret, quæ ipsam, aliàs nolentem, sed tunc allectam ad peccati possit trahere consensum? Dumque Deus ipsi, ad libertatis æquilibrium, & æqualem virtutis lucem tenetur infundere, ut ipsum revocet ad se ipsum?

30. Dices cum P. Ramirez S. J. Primario Complutensi tract. de prædest. disp. 5. cap. 3. n. 226. Apostolum in illis verbis: *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum,* non loqui de gratia dante victoriam in agone hujus vitæ: Sed præcisè ibi desiderare gratiam resurrectionis. Quod nititur fundare in D. Augustino lib. 1. contra duas Epistolas Pelagii ad Bonifacium Papam cap. 11. (non secundo ut citat; immo & textu D. Augustini aliquantulum immutato) sic enim loquitur S. Doctor: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus: quis neget Apostolum, cum hæc diceret, adhuc fuisse in corpore mortis hujus? A quo utique impii non liberantur, quibus eadem corpora ad tormenta aeterna redduntur.*

31. Verùm hæc doctrina videtur expressè contra communem sensum, nedum S. Augustini, verùm & aliorum PP., & Theologorum. Etenim non negamus, quod S. Augustinus verbis citatis innuat, quod in illis verbis Apostolus inhiabat etiam pro gratia dante post dissolutionem corporis, perfectam libertatem ab agone, quem modò experimur. At negare, quod etiam ibi optet

gratiam dantem victoriam in agone, est expressè contra D. Augustinum in illo lib. 1. ad Bonifacium. Immo, quia S. Par. in libris anterioribus contra Pelagianos ex hoc textu manifestè probaverat, gratiam dantem victoriam in Agone, ut patet lib. 2. de peccat. merit. cap. 12. & lib. de natura & gratia cap. 53. 54. & 65. & lib. de gratia Christi cap. 39. idè inter alias calumnias, quas Pelagiani in illis duabus Epistolis sparserunt contra ipsum, altera fuit concepta his verbis: *Apostolum etiam Paulum, vel omnes Apostolos dicunt semper immoderata libidine fuisse pollutos*, ut patet ex dicto lib. 1. cap. 8. idè S. Parens versat hanc Apostoli sententiam in citato cap. 11. non recedens à sensu, quem tradiderat in prioribus libris. Fundat namque, hoc ab ipso fuisse dictum in sua etiam persona, & aliorum jam per gratiam Christi justificatorum, legem tamen carnis, seu fomitem peccati adhuc habentium, & indè clamantium, id propter quod, ut asserit S. Doctor cap. 10. *Dicta sunt omnia: miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Juxta quæ calumniam Pelagianorum retundens, & utrumque sensum complectens, sic concludit caput 11. *Et idè Apostolos, quia homines erant, & corpus, quod corrumpitur, & aggrovat animam in hujus vitæ mortalitate portabant, absit ut dicatur, sicut iste calumniatur, semper immoderata libidine fuisse pollutos, sed dicimus à consensione pravaram libidinum liberos, de concupiscentia tamen carnis, quam moderando frangebant, tanta humilitate genuisse, ut optarent eam non habere potius, quam domare.* Hæc S. Doctor in ipso loco, quem pro se adducit Doctor iste S. J. ex quo manifestè constat, quod S. Parens utramque gratiam intellexerit in hoc loco; & illam scilicet, quæ in hac vita det frangere concupiscentiam, & illam, quæ totaliter liberet à concupiscentia. Idè autem hujus potestatem meminit in hoc loco, quia hoc necessarium erat ad retundendam calumniam: cum tamen in prioribus locis supra citatis hunc textum adducens, ex illo præcisè suadeat gratiam dantem victoriam in agone; quia hic erat finis & scopus illorum librorum. Quocirca etiam in sequentibus libris ex hoc textu gratiam dantem exercitium salutare suadet, ut patet de corrept. & grat. cap. 11.

32. In eodem sensu, & de gratia dante in hac vita exercitium salutare intellexerat D. Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 6. & lib. 1. de Jacob cap. 4. D. Ciprianus lib. de Orat. Dominica, & D. Gregorius Nazianzenus de hoc laudati à D. Augustino lib. 2. contra Julianum cap. 3. Videatur ibidem cap. 9. ubi pro eodem sensu laudat D. Ambrosium in lib. 1. de poenit. cap. 2. Quocirca ex hoc textu gratiam adversus Pelagianos probarunt Divus Hieronymus lib. 2. Dialog. cap. 1. & Epist. ad Ctesiphontem cap. 4. D. Fulgentius in Epist. ad Probam, & quod magis est Zosimus Papa apud Coelestinum I. in Epist. ad Epi-

Episcopos Galliæ cap. 8. & PP. Concilii Carthaginensis in Epist. ad Innocentium I., & ab ipso approbata, ubi errorem Pelagianorum referentes, sic inquirunt: *Legem ad gratiam pertinere, quod illam Deus in adjutorium hominibus dedit. Illam verò gratiam, qua, ut dictum est, Christiani sumus, cujus Apostolus Prædicator est, dicens: Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis: miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum: nolunt omnino cognoscere, sed neque aperte quidem oppugnare audent:* ergo Apostolum intellexerunt de gratia dante victoriam tentationis. In eodem sensu postea intellexit D. Gregorius Magnus lib. 5. super 1. Regum Glos. interlinealis. Et D. Thomas in expositione hujus textus. Immo ipse P. Suarez in opere posthumo de auxiliis, dum agit de intelligentia auxilii efficacis cap. 35. §. Circa hoc donum.

33. Si autem quis opponat, quod D. Anselmus in expositione hujus textus tantum meminit liberationis, quæ fiet in resurrectione: quem morem sequuntur Estius, Cornelius à Lapide, & alii. Facilis est responsio, per hoc non exclusisse sensum, in quo, ut vidimus, intellecta est illa gratia optata ab Apostolo: maximè, quia non sunt sensus contrarii, sed ordine se habentes, victoriam nempe in agone, & liberationem ab agone, cum in sacris litteris reperitur, & detur multiplex literalis sensus. D. Anselmus ferè ad litteram exscribit expositionem hujus loci Apostoli ex illo cap. 11. lib. 2. ad Bonifacium, ubi, ut supra diximus, meminit gratiæ resurrectionis: sicut & in illis libris, in quibus ex professo agit de peccato originali, illud probans contra Pelagianos, utpote ad hoc maximè conducens illa perfecta sanitas, quam homo adipiscitur, cum ejus corpus resurget spiritale, jam non subjectum legi fomitis, ex qua probat Augustinus peccatum originale. Verum, quando ex professo probat necessitatem gratiæ Christi, quæ in presenti liberamur à malo, utitur sensu à nobis exposito. Nec ante hos recentiores, qui id excogitant, ut respondeant argumento ex oratione petito, inveniatur Doctor aliquis, qui talem rejecerit sensum. Et uno verbo dico, me nescire, quid sibi velit memorati auctoris responsio. Nam negantes quod à Deo est in tentationibus victoria, & quod à Deo illam petere debemus, Fides Catholica non patitur.

34. Quare rejecta hujus Scriptoris intelligentiâ, feliciter ex eodem testimonio obtinetur gratia distincta à gratia æquilibrii constitutiva, cujus desiderio, & ardore tenebatur Apostolus, dum ad Rom. 7. exclamabat, dicens: *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem.* En ubi erat in ipso, potestas constituta per gratiam interiorem suffi-

cientem; quod maximè in ipso per gratiam gratum facientem justificato, est certissimum: cum de fide sit, quòd justis sunt possibilis mandata Dei secundum præsentem, quas habent vires, ut patet ex Tridentino sess. 6. can. 18. & ex constit. Innocen. X., dum ut hæreticam damnat propositionem Jansenii: & tamen in agone positos ex lege membrorum contradicente legi mentis, adhuc exclamant, & peroptant aliam gratiam, quæ det agere juxta illam Apostoli condelectationem: ergo non gratiam constitutivam æquilibrii, cujus victoria pendeat ex libero arbitrio, sed gratiam dominantem voluntati exposcit Apostolus. Sed ad principale argumentum revertamur.

35. Novum elicitur ratiocinium efficaciter probans assertum nostrum, ex aliis, quæ in doctrinâ istâ, occurrunt improbanda. Quis enim mortalium credat, quod dum præcipuum vitæ christianæ fundamentum in id est, ut deprimatur cupiditas, & augmentetur charitas, doctrinx Dei Sapientia liberum arbitrium sic ad vitam spiritualem, ejusque incrementum accomodaverit, ut homo tot habere debeat mala desideria cordis, quot Deus infundit pia desideria, ut ita detur æqualis inter motus gratiæ, & concupiscentiæ proportio, quod ad augmentum gratiæ ascendat cupiditas, ad gradumque cupiditatis descendat ipsa gratia, ut suscepta in acie, liberè, & meritorie perseveret voluntas? Quæ non ex hypothesi istâ sequuntur falsitates?

36. Primò, quod homo currens ad Deum in odorem unguentorum suorum, si deficit æqualis tentatio, cum ad defectum æqualis tentationis deficiat æqualitas virium, ipse mereri minimè possit. Ulterius, quòd Sancti ad meritum tot experti fuerint cupiditatis motus, quot in ipsis erant Divinæ misericordiæ ineffabiles divitiæ. Res sanè miranda, nova, & hucusque Theologis inaudita. Excellentiam gratiæ, justitiæ, & virtutum patientissimi Job clarissimè docet Scriptura Job 1. & 2. Deo dicente, *Quod non sit ei similis in terra, vir simplex, & rectus, ac timeus Deum, & recedens à malo:* etiam Luc. 1. ad B. Virginem dicit Angelus: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Ubi manifestum est, significari, quòd B. Virgo omnes alias mulieres in gratia superaret. De Joanne Matthæi 11. legitur, *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista: qui autem minor est in Regno Cælorum, major est illo.* Sicuti & de Magdalena Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Et tandem in Apocal.: *qui justus est, justificetur adhuc.* Quis ergo ita cæcus erit, ut asserat, quod æquales ipsi gratiæ senserunt rebellionis effectus. Dicant justii viventes, (quamquam se justos scire non possint) an eisdem tentationum motus & in eodem gra-

du experiantur ipsi, quot sunt sanctæ inspirationes à Deo infusæ? An augeatur cupiditas ad proportionem gratiæ? Si ita est: ubi gaudium spirituale, ubi pax, ubi consolatio, ubi dulcedo, ubi illuminatio, ubi excessus amoris? Quomodo & poterunt hæc ab ipsis percipi, si æqualis debet esse ad libertatem tentatio? Non jam Ecclesia pro justis orare debet augmentum Fidei, Spei, & Charitatis, nec cum tali affluentia bonorum perdat gloria meritum. Non fideas rogare debent, non induci in tentationem, ne si deficiat æqualis cupiditas, deficiat ex consequenti bonorum operum præmium. Non plorare omnes pondus hoc, quod aggravat animam: hoc conservari debet, ex quo accendi debeat cupiditas, nè ob maximam gratiam in hac vita nihil in alia mereri possimus. Quod quam falsum sit, nemo est, qui non videat.

37. Quid magis absonum, & veritati Catholicæ contrarium, quam quòd Deus, cui nullus miserendi est finis impositus, cujus incomprehensibilis affectus, & omnipotentia, non induxit mensuram, neque consequendæ gratiæ terminavit locum; quod, inquam, non affluentius humiliter petentibus largiatur dona, quam sunt concupiscentiæ vires, ne gratia ab ipso conferenda, superexaltet, atque excedat, & sic libertas ipsa destruat? Quod saveat plus peccatoribus, quam justis, hoc solo titulo, quod peccatores illi, isti verò justi sunt. Clarius dicam, quod peccatores, qui delictorum onere quotidie magis, ac magis sunt depressi, Diabolique tentationibus, & mundi illecebris irritati, ad libertatem Divinæ miserationis æquales debeant habere motus. Quis credet, quòd dum in homine superbia se contra Deum erigit, dum voluptuosa carnis delectatio adversus spiritum animum excitat; dum avaritia in amorem temporalium accendit animum, dum iræ impetus irascentem ad odium commovet, dum repente cupiditatis fræna laxantur, dum in mente tumultuosa vitiorum contentio oritur, dum concupiscentiæ carnis mentem importunè exagitat; quod, inquam, ut detur in omnibus æquilibrium, sintque æquales ex utraque parte quoad gradus vires, Deus semper est æqualibus auxiliis favens, quodque eodem humilitatis gradu comprimatur homo, æquali pudicitæ vigore refrænatur, eodem patientiæ fræno coarctetur, æquali Cœlestis Patriæ desiderio repercutiatur, semperque æqualibus, ne pereat æquilibrium, piis desideriis stimuletur? An Barbari, Athei, Hæbrei, an Tyranni ipsi dum in tot crudelitatis, & infidelitatis prorumpunt actus, eosdem clementiæ, sanctitatis, Justitiæ, & Religionis sentiunt vires, & motus? An Deus, qui superbis resistit Act. 9. & è contrario humilibus dare gratiam perhibetur, eadem spiritualia bona superbienti, & cœlestia præcepta contemnenti, & in eadem pertinacia perseveranti confert &

illam, quæ in justis profluit, affluentiam donorum? Hoc tanè falsum, falsitatemque ejus rectissima Fidei veritas improbat. Denique tandem: dantur peccatores obstinati, cœci, vitiisque dediti: hoc est certum secundum fidem, & experientiam: si ergo habent eisdem gradus gratiæ actualis, quot ipsi cupiditates; si & justus eisdem habet concupiscentiæ gradus, quot gratiæ, cur magis peccator ille debet dici magis obduratus, quam Justus? cum in omnibus debeant, ad excogitatum æquilibrium, esse æquales concupiscentiæ vires, semperque sit æqualis cum cogitationibus sanctis compensatio. Ulterius: ex consuetudine peccandi, quæ tentationum bella non moventur adversus spiritum? semper namque ad id, quod reliquit consuetudo, reflectitur: hincque tali consuetudini præva natura rebellis copulata, insuperabilis absque dubio est ipsi pugna, & tentationum indefessa rixa, quibus, quasi quodam arenæ agere obruta mens, nisi grandi, ac terribili voce excitetur è monumento, surgere nequit: ex quo hujusmodi peccatoribus neganda est absolutio, ut definivit Innoc. XI. hanc inter alias damnans propositionem. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, & si emendationis spes nulla appareat, nec est deneganda, nec differenda absolutio, dummodò ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.* Sed hoc admisso virium æquilibrium potest verè compunctionis, ac emendationis judicium, & spes formari, nec est ratio, cur æstimari debeat falsa pœnitentia, dum adsunt æquales vires gratiæ: ergo vel ipsis concedenda erit absolutio, vel rejicendum hoc virium æquilibrium.

38. His addimus, quod si dum in anima tot sævientium diversarum tentationum discurrunt agmina, ad libertatem æqualis ipsi requiritur gratia: ergo vel minori gratiæ deficiente gradu, si ab ipsis voluntas vincitur, non liberè, sed necessariò peccaret. Ergo in illa hypothese essent homines rei offensæ inevitabilis, quod est error Manichæorum; vel peccarent peccato philosophico, quod etsi esset offensa Dei, non mereretur pœnam æternam, quod damnatum est: quinimò quid absurdius sequeretur. In peccati philosophici errore, ignorans dum peccat, excusatur à poena ratione ignorantia; sed in præsentem peccator sciens bonum, & non faciens, excusabilis erit à peccato, etsi reclamante conscientia, totque cogitationibus in secreto conscientiæ ipsum accusantibus, benè agere nolit: quia deficiente vel minimo gradu gratiæ, deficit æquilibrium libertatis: ergo nè incidamus in errores istos, debet absolutè concedi, quod æqualitas virium minimè requiritur ad veram potestatem libertatis. Quæ omnia de æquilibrium dicere paulò fufius placuit, ut, quæ exurgunt inconvenientia, distinctius annotarem.

§. IV.

§. IV.

TERTIA CONCLUSIO.

Non requiritur ad libertatem, nec juxta veritatem, nec minus secundum fidem, potestas rejiciendi victricem gratiam, vel gratiæ ab intrinseco efficaci resistendi.

39. **G**Ratia potest considerari, vel secundum potentiam, vel secundum actum: secundum potentiam est gratia constituens sufficientiam potestatis ad victoriam tentationis, benèque operandum, excitans voluntatem, ut vincat. Hæc gratia in victoriâ tentationis verè vincit, & verè victrix est, vincitque homo secundum virtutem hujus gratiæ: nam illius est victoria, cujus est pugnandi, & vincendi potentia. Fateor tamen, victricis gratiæ nomine non hanc vulgò significari, sed illam dumtaxat, quæ Deus dat victoriam, sine qua non nisi vincens est, id est efficax. Expediit autem nunc, gratiam dantem posse nomine sibi conveniente non privare. Si de hac gratia, seu de gratia secundum hanc considerationem loquantur æquilibrii Auctores, nulla nobis est difficultas. Nam licet homo nunquam à se ipsam amoveat secundum esse, eam tamen rejicit secundum operandi virtutem, avertens se ab hoc adjutorio semper sibi præsentem, quo verè potest, aut vincere, aut Deum orare. Hæc sanè est resistibilis à voluntate, ut testantur Sapientiæ verba Prover. 1. quæ contemptoribus suis loquens: *Vocavi, inquit, & renuistis. Extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret: despectistis omne consilium meum, & inclinationes meas neglexistis.* Hoc similiter probant alia Scripturæ testimonia Matth. 23. *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & voluisti? Et Act. 7. Vos semper Spiritui Sancto resististis. Et Paulus ad Rom. 2. An divitiis bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnitis? Ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. Et Apocalyp. 3. Ego sto ad ostium, & pulso; si quis aperuerit mihi, intrabo ad eum. Unde meritò proscriptus est error ille Janse- nii: *interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.**

40. Non cunctamur etiam, veritatem istam à Concilio Tridentino sess. 6. can. 4. definitam profiteri. At nec gravatè nobis concedi debet, quòd gratia formalitèr ut efficax, & victrix, irresistibilis est, cum hoc certò certius constitutum sit, & debeat esse in utraque Schola. Verissimum est apud Thomistas; nam gratia, quam propugnant ab intrinseco efficacem, est ab intrinseco connexa cum salutari velle: sed gratia ab intrinseco connexa cum salutari velle, est irresistibilis; alias possent simul stare nolle, & velle: ergo gratia, ut formalitèr efficax, est irresistibilis.

41. Eadem claritate probatur assertio ex principiis Jesuitarum. Resistere gratiæ efficaci formalitèr sumptæ, ac reduplicatâ efficaciâ, est conjungere dissensum cum prædicato illo, seu ratione formali, qua gratia constituitur efficax formalitèr: sed hoc in sententia ipsorum est impossibile: ergo & hujusmodi resistentia. Min. probatur: gratia apud Doctores Societatis constituitur efficax per ipsum consensum, vel futurum, vel existentem, vel per illius infallibilem prævisionem, vel per utrumque: ergo si posset liberum arbitrium conjungere dissensum cum gratia formalitèr ut efficaci consensus, reduplicatâ ejus efficaciâ, posset conjungere dissensum cum consensu, quod non est minus chimæricum, & impossibile.

42. Firmatur secundò ex suppositione, quòd Deus præviderit, Petrum sub hoc auxilio fore consenturum: si illi detur in tali occasione, jam est infallibilitèr verum, quòd tali conditione purificata consentiet Petrus; est enim objectum scientiæ Divinæ necessitate metaphysica veræ, & per omnem potentiam infalsificabilis; vel ergo cum hac prævisione consensus potest liberum arbitrium conjungere dissensum, aut, quod idem est, potest dissentire in sensu composito illius prævisionis, vel non potest: si primum: poterit liberum arbitrium scientiam Dei falsificare, quod non dicent: si secundum, quidquid sit de auxilio entitativè, & materialitèr sumpto, cum illo ut formalitèr efficaci non poterit dissensum conjungere, quod in hac assertione contendimus.

43. Tertio: nam licet in libero arbitrio consentiente sit potestas ad dissentendum, nulla tamen est, aut fuit in illo potestas ad dissentendum dissensu composito cum consensu: ergo nulla est, aut fuit in illo potestas, ut auxilium efficax, quæ formalitèr efficax, efficaciâ reduplicatâ, faciat inefficax. Patet consequentia, quia ut tale auxilium redderet inefficax pro tempore, quo efficax est, erat necesse, vel quòd dissensum conjungeret cum illius efficaciâ, ac subindè cum consensu, illiusve prævisione; vel quòd carentiam consensus conjungeret cum consensu. Quod evidenter est ponere contradictoria esse vera.

44. Præterea. Admitti non potest, quòd frustrari possit auxilium semel efficax, hoc enim ex terminis est impossibile; auxilium namque in illorum principiis non est efficax à determinatione possibili, sed à determinatione voluntatis præterita, præsentem, vel futura, ita quòd auxilium, si fuit efficax, involvit determinationem voluntatis præteritam; si de præsentem est efficax, involvit determinationem præsentem; quod si futurum sit efficax, determinationem sanè involvit futuram: sed licet voluntas potuerit facere, quòd determinatio non fuerit, ex suppositione tamen quòd fuerit, facere non potest, quòd non sit præterita; & licet possit facere, quòd

G

de-

determinatio sua non sit præfens, facere tamen non potest, quòd determinatio præfens non sit præfens, nec quòd futura non sit futura; eò quòd præteritum, præfens, & futurum illas suppositiones includunt: ergo admitti nec debet, nec potest, posse à voluntate reddi inefficax auxilium illud, quod est, fait, aut erit efficax pro tempore suæ efficaciam. Ex quo luce meridiana fit clarius, longissimè distare à mente, & veritate Concilii eos, qui asserunt in citato Canone definiri, esse potestatem in libero arbitrio composito cum gratia efficaci, aut sub illa formaliter sumpta existente, ad conjungendum cum Dei motione efficaci disensum, definitivè enim contradictoria esse vera. Quod fatetur P. Herrera q.6. de prædest. num. 17.

45. Sed quia æquilibrii inventores ad suam probandam sententiam locum ex Tridentino citatum adducunt de quacumque gratiâ, quantumvis efficaci, loquuntur, ut supra notavimus, intendentes excludere, tanquam contrariam Fidei gratiam ab intrinseco efficacem, quæ dat infallibiliter agere, ita ut ei nulla voluntas possit resistere: eundemque sensum inducere satis fidenter procurat, nescio quis, in quibusdam manuscriptorum responsionibus ad articulos Parisienses ad art. 3. dicens: *Cavendum, ne dum dicitur: absolutæ Dei voluntati nemo resistit, velint Novatores gratiam fraudulenter confundere cum voluntate, & neque resisti posse gratiæ efficaci, inferant; ipsi sanè, dum novam istam labefactandæ prædeterminationis viam, pro nutu dispensant ut quid Catholicum, suo de controversia ista iudicio præcipiti sententiâ contraria dogmata damnantibus accommodari potest illud Epist. D. Judæ vers. 20. Hi autem, quacumque ignorant, blasphemant: vel quod dicit D. Augustinus lib. 12. Confess. cap. 25. n. 34. Nec noverunt Moyses sententiam, sed amant suam, non quia vera est, sed quia sua est.* Postulat ergo justæ defensionis titulus, ut totis viribus huic fallaci suggestioni resistamus: *Nolo enim, inquit Hieronymus, in suspitione hæreseos aliquem esse patientem: maximè cum assertum hoc sit concors omnium Thomistarum tam antiquorum, quam modernorum doctrina. Ad cujus evidentiam sciendum est, Thomistas cum S. Doctore in 4. dist. 11. q. 1. art. 3. q. 3. 2. duplicem distinguere resistantiam, unam strictè, ac rigorosè talem, qua videlicet virtus alicujus agentis debilitatur, aut vincitur ab alio agente. Alteram in latiori sensu acceptam, quæ quidem potestatem dicit supra effectum, quem causa libera producit, at non supra virtutem, ac motionem Divinam. Resistentiam priori modo sumptam aliis terminis Thomistæ vocant formalem, alteram verò materialem. Hac ergo duplicis resistantiæ distinctione supposita, fateor, aliquos inveniri Thomistas, qui affirmant, hominem posse resistere gratiæ per se efficaci in sensu diviso, sed non*

in sensu composito; sed apertè loquuntur de resistantia latè sumpta, sive de resistantia materiali; id est ex parte rei, ad quam Deus movet, ita ut sensus sit: homo potest motionis Divinæ, sive gratiæ per se efficaci effectui resistere; id est, potest rem illam, ad quam Deus efficaciter movet, non ponere. Et hoc usque ad eò verum esse dicimus & nos; nam si posse illud non haberet respectu oppositi, ad quod Deus movet, revera homo sub illa motione non moveretur liberè, sed de necessitate. Illi verò Thomistæ, qui negant hominem gratiæ per se efficaci posse resistere, de resistantia in rigore sumpta, seu formali loquuntur: cum enim voluntas creata potestatem non habeat supra virtutem, aut motionem Divinam, nec eam ullo pacto debilitare, aut infringere possit, planè nequit humana voluntas habere aliquod verum, posse respectu hujus resistantiæ formalis, seu strictè dictæ.

46. Sic attentè observat M. Maria Cavino tom. 2. disp. ultim. q. 1. §. 5. dicens: *In forma ergo, nè fiat equivocatio in voce illa resistere, disting. & explicio antecedens: non resistit, nec potest resistere, loquendo de resistantia propriè dicta pro eo, quod est frustrare, conc. ut multis probat Alvarez ibidem disp. 42. Sumpto resistere pro dissentire, subdividit quoque in sensu composito, iterum conc. in sensu diviso, neg. Nam in hoc sensu dissentire potest, quia efficacia decreti non ponit impedimentum capacitati ad oppositum, neque hanc tollit, sed solum dat infallibilitatem ad unum, salva eadem sive potentia ad aliud. Quod etiam animadvertit Illustriss. Castell. d. disp. 2. q. 4. sect. 9. ut probet, nullam esse inter Thomistas discordiam, aut divisionem, sic loquens num. 610. Discordia est, quia aliqui absolutè concedunt, voluntatem posse resistere gratiæ efficaci, & cum gratia hanc potestatem resistendi componunt: sed per ly resistere, minimè intelligunt resistantiam formalem, sed purè materialiter pro eodem, ac posse dissentire, seu posse terminum, qui si existeret, resistantia foret; quod colligitur primò, quia semper componunt hæc duo, resistere, seu dissentire. Secundò, quia in eodem sensu loquuntur de decreto efficaci, de quo intelligi non potest, viros doctissimos resistantiam formalem, & strictam, possibilem affirmare. Et Philippus à Sancta Trinitate disp. 4. de Grat. Dei cap. 5. ita exponit omnes Thomistas. Hanc expositionem fundat in D. Thoma P. Massoulié ubi supra art. 9. ut defendat P. Gonet à censura RR. Thyrso, ita enim scripsit Angel. Doctor in 4. dist. 11. q. 1. art. 3. q. 3. 2. potest esse resistantia dupliciter: uno modo ex parte agentis, quando scilicet ex contrario agente virtus ipsius debilitatur: alio modo ex parte ipsius effectus, quando ex contraria dispositione impeditur effectus. In omni actione, ubi agens non patitur, prima resistantia non habet locum, sed secunda solum; unde in operationibus Divinis non attenditur difficultas secundum resistantiam ad agentem, sed secundum impe-*

impedimentum effectus. Undè quando Thomistæ asserunt, voluntatem posse resistere decreto efficaci, aut gratiæ efficaci Dei in sensu diviso, non sumitur propriè resistantia per respectum ad agentem, sed impropriè secundum impedimentum effectus, quod est idem, ac asserere, voluntatem posse dissentire.

47. Hæc ad longum retulimus pro vera Thomistarum intelligentia, cum quibus unius animi, & unius sententiæ sumus, negantes veram potestatem resistendi gratiæ per se efficaci, loquentes de resistantia in rigore sumpta, sive de resistantia formali, tum in præfenti, tum aliis locis passim, ac signanter, ubi erit mentio de Concilio Tridentino.

48. Hoc supposito probatur Conclusionis nostræ veritas ratione inconcussa, & penitus insuperabili. Hæc enim propositio: *Voluntas gratiæ ab intrinseco efficaci potest formaliter, & in rigore resistere*, est locutio, quæ sensum compositum implicat; sed impossibilis est compositio gratiæ ab intrinseco efficaci cum resistantia formaliter, & in rigore tali: ergo implicat, quòd gratiæ ut formaliter efficaci possit liberum arbitrium formaliter, & in rigore resistere. Major est Thomistarum doctrina, quam & explicuit M. Lemos tract. 4. cap. 13. sic dicens: *Tertia propositio potest sic formari: efficaci Dei motiōi potest resistere hominis arbitrium; & ista componit resistantiam tanquam comparabilem, seu compossibilem cum efficaci Dei motione: & quia illa duo impossibilia sunt, nec enim fieri potest, quod sit efficaciter motum arbitrium, & resistat ob efficaciam motiōis; idè illa affirmativa est falsa, & sua opposita negativa vera, sicut de voluntate Dei efficaci dictum est. Quantum enim ad hoc idem est posse, vel non posse resistere efficaci Dei motiōi, & efficaci Dei voluntati, in cujus virtute motio efficaciam habet. Quod & repetit cap. 21. sequentibus verbis: *Posse resistere, ut supra ostensum est, sensum importat compositum cum eo, cui resistitur; sed liberum hominis arbitrium non potest componere, vel resistantiam simul cum Deo efficaci motente, vel cum efficaci motione, secundum quod venit ex Deo, & ex ejus efficaci voluntate: ergo non poterit liberum hominis arbitrium à Deo efficaci moter motum, & excitatum, resistere Deo efficaci motenti.* Quibus verbis non solum major, sed totus discursus probatus manet.*

49. Audiatur iterum sapientissimus iste Magister lib. 4. p. 2. tract. 4. cap. 25. qui negationem resistibilitatis, tam in sensu composito, quam in sensu diviso prædeterminationis, esse omnium Thomistarum sententiam affirmat sequentibus verbis num. 359. *Quod autem secundò adhibent, nos, quos Adversarios passim vocant, concedere, quòd prædeterminationibus potest arbitrium resistere in sensu diviso, id in nullo, ut arbitror, Discipulorum S. Thomæ legere potuerunt: nullus enim dixit, aut dicere potuit, prædeterminationibus arbitrium posse resistere in sensu diviso, quia ista*

propositio: *prædeterminationibus potest arbitrium resistere, essentialiter est composita, & sensum facit compositum, ut patet ex dispositionibus terminorum, quod & accuratius dedimus manifestum primo nostro libro. Undè illa non potest sumi in sensu diviso. Quod Discipuli omnes S. Thomæ asserunt, est, quòd arbitrium positum sub prædeterminationibus extrinseca, & intrinseca, potest aliud velle, vel potest facere oppositum actum in sensu diviso. Si autem ex hoc inferant ii Auctores, quod si potest aliud velle, & facere in sensu diviso, potest illis prædeterminationibus resistere in sensu diviso. Respondemus, nullam esse istam illorum illationem, quia fit in argumento isto transitus à sensu diviso ad sensum compositum: sicut non sequitur in illorum etiam præfentia, quòd si arbitrium positum sub præfentia potest aliud velle in sensu diviso, quàm sit à Deo præfentum; hinc sequatur, quòd possit falsificare Divinam præfentiam, quæ falsificari non potest; quia etiam in ista fit transitus à sensu composito ad divisum.... Similiter concedunt S. Thomæ Discipuli, liberum arbitrium à Deo prædeterminatum posse dissentire Deo vocanti, non autem Deo prædeterminanti. Tandem quod tertio asserit, idem esse in his propositionibus, posse gratiæ resistere, & dissentire: respondemus, quod sicut auxilio sufficienti dissentimus, ita & illi resistimus, cum illo componendo contrarium disensum, & quod in allatis Scripturæ testimoniis, vocavi, & renuistis, & vos semper Spiritui Sancto resistitis (quæ solum de voluntate Dei inefficaci, & vocatione sufficienti procedunt) id palam habetur: respectu autem efficacis Dei voluntatis, vel efficacis motiōis, nunquam vel in Divinis Litteris, vel Sacris Conciliis affirmatur, quòd efficaci Dei voluntati, vel motiōi, vel resistamus, vel dissentiamus.*

50. Hanc ergo meritò omnium Thomistarum sententiam dixerim. Enim verò, sicut dissentire testimonio dicentis est conjunctio disensus cum testimonio; resistere præcepto superioris est conjungere defectum obedientiæ cum superioris præcepto; & resistere voluntati Divinæ est ponere oppositum illius, quod Deus vult in sensu composito Divinæ voluntatis: unde quia simul cum voluntate prædefinitiva Dei non potest oppositum ejus poni, dixit Scriptura: *Non est, qui Dei possit resistere voluntati, Esther 13.* nec Christus potuit dissentire præcipienti Patri: nec nos possumus simul cum Fide dissentire revelationi Divinæ de Fidei Mysteriis: quia hoc esset frustrare voluntatem Dei efficacem, transgredi præceptum Patris, & actu esse infideles: ita & resistere prædeterminationi, seu gratiæ efficaci, quod includit compositionem disensus cum ipsa prædeterminatione, chimericum est. Chimericum dixi: quomodo namque verè, & propriè dici potest, resistere motiōi, quæ non est? Cum resistantia dicat quasi pugnam, & oppositionem inter duo, in qua, qui resistit efficaciter, superat,

& vincit alterum : ubi autem non est, qui pugnet, nec resistentia, nec victoria est : ergo cum impossibilis sit coexistentia dissensus cum prædeterminatione consensus, chimærica est hujusmodi resistentia. Vel aliter : gratia ab intrinseco efficax est infallibiliter connexa cum consensu, datque ipsum consensum; ergo si cum gratia ab intrinseco efficaci, efficaciterque movente posset liberum arbitrium conjungere dissensum, vel posset essentialiter connexa separare, aut conjungere dissensum cum assensu, quod quàm implicatorium sit, nemo est, qui non videat.

51. Secundò, & magis efficaciter roboratur conclusio : quia non est necessaria hujusmodi resistendi potentia gratiæ ab intrinseco efficaci ad conciliandam libertatem, consensus cum gratia Dei. Assignent enim nobis locum, in quo SS. PP. vel minimum verbum talis resistibilitatis proponant, cum tamen perfectissimè conciliauerint cum libertate consensus gratiam ab intrinseco efficacem. Quinimò tantum abest, quòd ad hoc recurrant, quòd potius D. Augustinus expressè asserat, quòd velle, & nolle in volentis, aut nolentis est potestate, ita ut Divinam voluntatem non impediatur, nec superet potestatem. Sic Sanctus de Corrept. & Grat. cap. 14. *Quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi Deus, cui volenti salvum facere, nullum hominum resistit arbitrium? Sic enim velle, & nolle in volentis, aut nolentis est potestate, ut Divinam voluntatem non impediatur, nec superet potestatem. Et infra: Non est dubitandum, voluntati Dei voluntates humanas resistere non posse.* En ubi asserit D. Augustinus, quòd Deus operatur in nobis salutem; quòd velle, aut nolle est sub potestate nostræ libertatis, quin voluntas nostra possit resistere ejus voluntati. Et cap. 11. & 12. distinguit M. P. adjutorium sine quo, seu sufficiens, & quo, seu efficax : & de primo, seu de adjutorio sine quo, quod habuit Adamus, asserit, quòd (gratiam, scilicèt) per liberum arbitrium deferere posset; tale quippe erat adjutorium, quòd desereret, cum vellet, & in quo permaneret, si vellet; non quo fieret, ut vellet. De adjutorio verò quo asserit, illud esse, quo fit, ut velit, quia illud dat posse, quòd volumus, hoc verò velle, quòd possumus. Ex quibus verbis fit sequens argumentum : idèò voluntas potest deferere auxilium sufficiens, quia non est tale, quo fit, ut voluntas velit; sed auxilium efficax tale est, quòd dat velle, quòd possumus : ergo voluntas non potest deferere auxilium efficax : ergo nec illi resistere. Quid enim est aliud deferere auxilium, quàm resistere auxilio? Ad hæc. Adjutorium sine quo comparat Augustinus alimentis, sine quibus non possumus vivere; adjutorium verò quo Beatitudini, qua fit quilibet Beatus, & sine qua non fit : ergo sicut Beatitudine non potest quis ita facere, ut non sit Beatus per illam, & adjutorio quo non potest quis face-

re, ut non velit cum illo. Hæc enim est illa gratia, inquit Augustinus de prædest. Sanctor. cap. 8. *Quæ à nullo corde respuitur, idèò enim datur, ut cordis duritia auferatur.* Si ab ipsa auferatur durities cordis : ergo non resistere gratiæ efficaci non provenit ab extrinseco ex cordis nolitione, sed ab intrinseco ex ipsius efficacia, qua auferatur durities. Sic idem Augustinus ex illis Apostoli verbis ibi num. 423. *Elegit nos in ipso, ut essemus Sancti, infert contra Pelagianos: ergo non quia eramus Sancti.* Ergo nobis efficaciter ex verbis Augustini inferre licet, quòd gratiæ non resistitur, quia ipsa est efficax; si detur, ut cordis duritia auferatur, vel aliis terminis, ut non resistatur.

52. Sed arctissime menti S. Doctoris inherentes audiatur magnus, & acerrimus iste gratiæ defensor lib. de Corrept. & Grat. cap. 8. ubi sic elegantissimè : *Tu autem quisquis inimicus ejus gratiæ sic interrogas, ipse quid dicis? Bene, quòd te non negas esse Christianum, & Catholicum jactas. Si ergo confiteris, donum Dei esse perseverare in bono usque in finem, cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, puto, quòd mecum pariter nescis, & ambo hic inscrutabilia judicia Dei penetrare non possumus. Aut si ad liberum arbitrium hominis, quòd non secundum Dei gratiam, sed contra eam defendis, pertinere dicis, ut perseveret in bono quisque, vel non perseveret, non Deo donante, si perseveret, sed humana voluntate faciente, quid moliturus es contra verba dicentis, rogavi pro te Petre, nè deficiat fides tua? An audebis dicere etiam rogante Christo, nè deficeret fides Petri, defecturam fuisse, si Petrus eam deficere voluisset, hoc est, si eam usque in finem perseverare noluisse: quasi aliud Petrus ullo modo vellet, quàm pro illo Christus rogasset, ut vellet. Nam quis ignorat, tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea, quæ fidelis erat, voluntas ipsa deficeret, & permanerem, si eadem voluntas maneret? Sed quia preparatur voluntas à Domino, idèò pro illo Christi non posset esse inanis oratio. Quando rogavit ergo, nè fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseveratissimam voluntatem? Ecce quemadmodum secundum gratiam Dei, non contra eam libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam; sed gratia potius libertatem, & ut perseveret delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem. Hæc D. Augustinus, ubi primò observandum, non spectare ad liberum arbitrium perseverare, & non perseverare, voluntate faciente, nisi Deo donante. Secundò, non posse deficere effectum orationis, quando rogavit, nè deficeret fides Petri, licèt voluntas fidelis Petri libera sit Petro: non ex eo, quòd Petrus potuit impedire effectum, vel existentiam orationis Christi; sed quia preparatur voluntas à Deo, non potuit esse inanis oratio: & quia Christus non solum rogavit, ut Petrus habe-*

haberet voluntatem fidelem, sed rogavit, ut hanc voluntatem haberet liberrimam, & perseverantem. Sic componitur libertas voluntatis cum gratia Dei, non quia voluntas sua libertate consequatur hanc gratiam præalia, vel quia ipsa voluntas possit resistere gratiæ, sed quia gratia præstat libertatem perseverando, & insuperabilem fortitudinem. Undè eo modo componit D. Augustinus efficaciam orationis Christi, sicut D. Thomas ab Augustino edoctus composuit efficaciam propositi Dei, & Divinæ gratiæ cum nostra libertate absque resistibilitate ipsius gratiæ. Si ergo nullum invenitur gratiæ efficacis resistibilis vestigium, dum libertatem cum gratia componit: si illius nulla est mentio, quis in animum inducat, S. Augustinum hoc medio ad concordiam libertatis usum fuisse? *Credant, inquit ille, Divinis eloquiis, & piè credant, ut etiam sapienter intelligant; & nos cum ipso veritatem istam constantissimè profiteamur tanti Doctoris præsidio sussultis; quidquid in contrarium dicant alii, exemplo D. Prosperi sic in Epist. ad Augustinum hujus S. Doctoris auxilium implorantis sequentibus verbis: Quod cum perverissimum esse, revelante Dei misericordia, & instruente nostra Beatitudine, noverimus, possumus quidem ad non credendum esse constantes; sed ad auctoritatem talia sentientium non sumus pares, quia multum nos, & vitæ meritis antecellunt, & aliqui eorum adepti nuper Sacerdotii honore supererminent, nec facile quisquam præter paucos perfectæ gratiæ intrepidus amatores tantis superiorum disputationibus ausus est contraire. Sic & nos ad hanc stare anchoram, navimque firmare tutius arbitramur. Sed de his satis: cum difficultatem istam disp. 6. dub. 3. diligentèr, & accuratè iterum ponderaturi sumus.*

S. V.

Contraria solvantur argumenta.

53. Argumenta omnia, quibus memorati æquilibrii inventores innuntur, ad duo testimonia Apostoli nimirum, & Concilii Tridentini contrahi debent. Primùm quidem ex Apostolo 1. ad Cor. 10. *Fidelis autem Deus, qui non patietur, vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Quòd explicans D. Thomas ad illa verba *fidelis Deus* sic habet: *Quasi diceret: ad hoc hortor, & moneo, quòd potestis. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, qui non patietur vos tentari supra id, quòd potestis; quòd utique posset Diabolus, si permitteretur, quia non est potestas super terram, quæ ei comparetur: quasi diceret Apostolus, quòd nulla est tentatio, ad quam vincendam non sit actu potestas in homine, si namque deficeret hujusmodi potestas, Deus non esset fidelis in omnibus verbis suis, cum tentaretur homo*

supra id, quòd potest. Secundò, quia D. Thomas contraponit modum, quòd Deus permittit, hominem tentari cum modo illo, quòd potest Diabolus, si permitteretur; sed si permitteretur, Diabolus tentaret supra id, quòd possumus, quia non est potestas super terram, quæ ei comparetur: ergo nulla est tentatio ad quam vincendam non sit actualis potestas in homine.

54. Hic sanè quàm mendaces sint filii hominum in stateris suis, vel ex hujusmodi intelligentia cognosci potest: dum enim, æquilibrium propugnant, minùs æquabilem libram tenent adversarii; cum testimonium hoc, si in veritate, prout expedit, intelligatur, ut ipsum intelligunt Theologi cum SS. PP., non in altera lancis parte ponat vires, quæ actu sint proportionatæ violentiæ tentationis; sed vires, quæ aderunt nobis ad Deum confugientibus, per Gratiam à Deo paratam, & oblatam. Ex quo asserit Apostolus: *Deus non patietur, nos tentari supra id, quòd possumus*, quia omnia in Domino possumus per gratiam, si humiliter oremus: quare licèt aliquando tentatio superet potestatem actualem, semper tamen est paratum auxilium Dei, & ejus gratia. In quo sensu intelligendum est, quòd additur, scilicèt, *faciet cum tentatione proventum*; hoc est, nisi per nos steterit, & voluntariè, & liberè tentationi succumbamus, non postulando ab ipso, ut oportet, gratiam, ut vincamus.

55. Sic textum istum explicat D. Chrysostomus tom. 4. homil. 24. sequentibus verbis: *Sunt ergo tentationes, quæ ferri non possunt. Et quæ sunt hæc? Omnes, ut semel dicam. Posse enim ferri situm est in Dei nutu, si per nostram mentem eum atroxerimus. Quamobrem, ut dicas, & videas, quòd non solum illas, quæ nostram superant potestatem, sed neque humanas licet facile ferre absque Divino auxilio, subjunxit; sed etiam faciet cum tentatione proventum.* En ubi Chrysostomus ad omnem tentationem esse necessarium adjutorium, & auxilium Dei affirmat. Ad omnem dicit: omnis namque, quantumcumque levis, tentatio comprehenditur in eo, quòd dicimus: *Et nè nos inducas in tentationem*: sicut enim peccata levia verè, & propriè sunt peccata, ita omnis motus ad peccandum etiam levissimus, vera tentatio est; contradistinguit tamen tentationes graves, quæ nostram superant potestatem ab aliis levibus, scilicèt humanis, quæ licèt non superent nostram potestatem, sicut aliæ, non possunt facile sustineri: vel quia loquitur de pluribus tentationibus continuatè vincendis, vel quia si loquitur de singulis, & si in nobis sit expedita potentia ad victoriam, dependet tamen victoria ex nutu Dei. Potest namque dari expedita potentia, & sufficientia ad actum, & adhuc esse difficilis; non quia difficultas sit in actu primo, in sufficientia, aut potentia, sed quia ejus reductio ad actum secundum ab alio de-

pendet, nempe ab adiutorio Dei. Nobis ergo adiutorium necessarium est ad cujuslibet tentationis victoriam ex nutu Dei dependentem. Speciale tamen auxilium requiritur ad illas, quæ nostram superant potestatem, ut in nobis sit vera potestas, cui debita sit victoria tentationis. Chryostomum sequuti sunt Theophilactus, & Cæcumenius in eisdem loci Comment. *Fidelis Deus, qui non sinet, vos tentari. Non sinet*, inquit Theophilactus, *vos tentari ultra vires vestras, sed tentationem viribus vestris tolerabilem adoriri vos faciet. Immo quævis tentatio vires nostras exuperat, nisi ille auxilietur nobis, & felicem eventum præbeat.* Et Cæcumenius: *Quævis tentatio vos everteret, nisi Christus auxiliaretur,*

56. Hujus Catholicæ doctrinæ, quam Apostolica nos docet autoritas, explicatio fundamentum præcipuum posuerunt SS. PP. asserentes ad victoriam gravis tentationis Deum adiutorem, & protectorem orandum, ut humanos possimus vincere errores. Sic Augustinus in Psal. 89. *Sine Dei adiutorio per liberum arbitrium tentationes hujus vitæ superare non possumus.* Et in Psal. 106. *Deo desistente ab adiutorio, laborare potes; vincere non potes.* Serm. 9. de divers. *Sine dubio vinceres, si illum adiutorem non habueris, si te deseruit, idèd petis in oratione: Ne nos inferas in tentationem.* Et lib. de Grat. Christi cap. 27. agens contra Pelagium: *Quantum detrimentum hoc additamento fecerit, quis non intelligat? Volens utique credi, tantas esse naturæ vires, quas extollendo præcipitat, ut etiam sine auxilio Spiritus Sancti, & si minus facile, tamen aliquo modo, nequam spiritui resistatur.* D. Prosper lib. contra Collatorem cap. 35. *Quisquis igitur in tribulatione non deficit, ab illo se non dubitet adjuvari, ad quem quotidie corda universorum fidelium clamant: Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo.* D. Gregorius in Exposit. Psal. 3. ad vers. *Ne derelinquas me Domine Deus meus.* Illos, inquit, *proculdubio Dominus reliquit, quibus constantiam in tribulatione non tribuit. Necessariè enim sequitur, ut omni tentationi sit subditus quicumque à Deo fuerit derelictus.* Si ergo juxta SS. PP. tentationi est subditus quicumque à Deo est derelictus: si reduci in pulverem dicitur juxta eundem Gregorium lib. 9. Moral. cap. 7. qui dimissus sibi cujuslibet tentationis aura raptatur; si adiutorium debet sperare anima, quæ verè, & salubritèr de insidiis, & tentationibus malignorum spirituum eripi desiderat; si, nè superetur in tentatione, est speciale donum Dei, pro quo orare tenemur; ubi est illa actualis æquilibrii stabilitas ad constitutum libertatis requisita, quæ in nobis deficere non potest? ubi sunt vires proportionatæ violentiæ tentationis, quas actu nos habere asserunt adversarii? *Nonne Fidelis erit Deus, & non patietur, nos tentari supra id, quod possumus, si aut vires voluntati dederit, aut petenti concesserit?*

Fidelem agnovit Deum Propheta, dum Psal. 17. dixit: *Quoniam in te eripiar à tentatione.* Et 26. *Adiutor meus esto ne derelinquas me.* Et 30. *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum: avertisti faciem tuam, & factus sum conturbatus.* Et 117. *Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Et ibi: *Impulsus everfus sum, ut caderem, & Dominus suscepit me.* Fidelem agnovit Deum Apostolus, dum dixit: ad Rom. ultimo: *Deus conterat Satanam sub pedibus vestris.* Et 1. Cor. 15. *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.* Et 2. ad Cor. 2. *Deo gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu.* Et 2. ad Timoth. 4. *Liberavit me Dominus ab omni opere malo.* Non enim tentatur homo supra id, quod potest, cum omnia debeat posse in eo, qui illum confortat. Undè verè potest, si potentiam habeat faciendi, quæ potest, & petendi, quæ non potest.

57. *Fidelis Deus*, iterum dico, omnibus petentibus, quia nullus de infirmitate, ignorantia, & natura excusationem accipiet; nec conqueri potest, quia tentatur, cum nulli nisi ignavo, & resistere nolenti tentatio noceat, ut inquit Hieronym. lib. 2. contra Pelagianos citatis Domini verbis: *Surgite, vigilate, & orate, nè intretis in tentationem;* subiungit: *Debuisset dicere juxta vos, surgite, & resistite, liberum enim habetis arbitrium, & semel vobis concessa à Domino potestate, nullius alterius indigetis auxilio.* Idem & nos AA. æquilibrii dicere possemus; vel potius contra ipsos cum Augustino de prædest. Sancto. cap. 11. n. 21. *Cum Apostolus dicat, idèd ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio; miror homines infirmitati suæ se malle committere, quàm firmitati promissionis Dei.* Sed incerta est mihi, inquit, *de meipso voluntas Dei. Quid ergo, tuane tibi voluntas de te ipso certa est, nec times, qui videtur stare, videat ne cadat? Cum igitur utraque incerta sit, cur non homo firmiori, quàm infirmitati fidem suam, spem, charitatemque committit? Et in Psal. 91. Spes nostra incommutabilis sit, & figatur in illo, & non mutet, & fluctuet; non agitetur, sicut ipse Deus, in quo figitur, non potest agitari. . . . Spes nostra tam certa est, quàm si jam perfecta sit, neque enim timemus promittente veritate.* Et tandem quia ut inquit Augustinus ex Psal. 61. *Quoniam qui dat potestatem tentatori, ipse tentat præbet misericordiam; hoc est gratiam.* Fidelis Deus, quia neminem spernit, nulli se subtrahit, nemo est expers beneficiorum ejus, omnes diligit, omnium salutem paterno vult affectu, & si quosdam ultra humanas vires, & supra communem modum Dei sapientia tentari permittit, ex Divinæ miserationis æterno fonte, semper humilibus præsto est gratia, ut faciat cum tentatione proventum. Est namque vincendi singularis fiducia, cum quis, in tribulationum, vel tentationum certamine positus, novit ad quem tutum possit habe-

habere confugium. Quid ergo felicius hominibus, aut quid magis Dei commendat fidelitatem? Major est misericordia ejus, magisque nobis prodest, si petentibus, tentationique imparibus assistat, quàm si cum semel vires dederit, usum omninò nostræ imbecillitati relinquat. Nos enim à viribus, quas secundum gratiam habemus, deficere possumus; sed Deus potest ulterius assistere, & exoratus abs dubio assistet, nè deficiamus. Satius est à Deo petere, quàm de nostro bono usu virium considerare. Et idèd Dominus talem fiduciam non docuit; orare docuit: *Et nè nos inducas in tentationem.* Et Matth. 26. *Orate, ut non intretis in tentationem.* Et ad Rom. 8. *Sed in his omnibus superamus per eum, qui dilexit nos.* Non enim pertinet ad fidelitatem Divinam specialiter assistere, viresque augere nolentibus, ne cadant. Potest quidem facere, non ex fidelitate, sed ex misericordia suâ, quæ est super omnia opera, ejus. Hæc enim est lex sapientiæ: qui cadit cum eo justè, & qui stat, cum illo agitur misericorditèr. Idèd Apostolus verba illa *Fidelis Deus*, & dicens, admonet simul: *Qui se existimat stare, videat, nè cadat.* Unde dicit Bernardus in Psal. *Qui habitat* serm. 9. num. 13. *Quidquid igitur agendum sit, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum: tu es Domine spes mea.* Hæc mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ expectationis, præterdat alter meritum, sustinere se jactet pondus diei, & æstus, jejunare bis in Sabbato dicat. . . . *Mibi autem adherere Deo bonum est, ponere in Domino meo spem meam.* Et ibidem n. 6. *Quare, quibus meritis? Quia speraverunt in eo. Dulcis causâ, attamen effracax, attamen irrefragabilis. . . . Speravit, ait Deus, in me, liberabo eum.* Et in eundem Psal. serm. 16. n. 1. *Non dicit, dignus fuit, justus, & rectus fuit, innocens manibus, & recto corde propterea liberabo, protegam, & exaudiam eum.* Et serm. 15. n. 5. *Quoniam in me speravit, liberabo eum. Dulcissima liberalitas, in se sperantibus non deesse. Hoc enim totum hominis meritum, si totam spem suam ponat in eo, qui totum hominem salvum fecit.* Et serm. 3. in festo Annunciationis num. 3. *Hæc vera fiducia, cui misericordia non denegatur: hæc vera hominis fiducia à se deficientis, & innitentis Deo suo.*

58. Nihilò felicius interpretatio D. Thomæ pro statuendo æquilibrio ad trutinam vocari potest. Loquitur namque D. Thomas de potentia morali, quæ adest nobis in omni tentatione gravi, non ex nobis, sed per gratiam à Deo paratam, & oblatam. Unde Deus non permittit, nos tentari supra id, quod possumus potentia morali: Diabolus

autem, si permitteretur, posset tentare supra id, quod possumus moralitèr, si Deus non haberet paratam, & oblatam gratiam, qua possumus resistere. Cum enim malitia ipsius, & invidia in hominem tam seva sit, & aliunde ex parte hominis tanta sit pronitas ad malum, tam effrænis in bona sensibilia concupiscentia, tanta mentis cæcitas, & infirmitas, meritò asserit D. Thomas, quòd omnes aut vi, aut artibus, & fallaciis suæ servituti subiceret, ut nisi Deus potentissima sua gratia succurreret, nemo Diaboli laqueos evadere, nemo semel ab his irretitus se se posset expedire. Hæc est Angel. Magistri doctrina, cui consonat D. Justinianus explicans illud Apostoli testimonium Opusc. de contempt. Mundi cap. 18. *Adversarii etenim nostri assueti in prælio spirituales spiritualibus, & carnales carnalibus oppugnant insidiis. Nullum eximunt, nemini parant, nulliusque pertimescant virtutem. Verum, si minime veriti sunt ipsum mundi Salvatorem oppetere, in quo nihil suum esse sciebant, cujusquam nè sanctitatem formidare valebunt? Tantæ siquidem versutiæ sunt, tantaque perspicacitate naturalis polent ingenii, ut cunctorum mortalium facillimè sensum everterent, si non repercussit Divina labefactarentur virtute.* Eos quippè, nè ad libitum noceant, providentia superna refellit, sicut Apostolo perhibente didicimus. *Fidelis, inquit, est Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Hinc est, quod savitiam illorum sentimus, bacchantem furorem novimus, tentationumque perambulamus laqueos, & tamen, cælesti nos protegente gratia, minime superamur: *quoniam sic justè disposuit Deus, ut non nisi consentientibus nobis, laqueos pedibus nostris iniicere queant.* Nullo sanè luculentiori, explicatioreque testimonio colligi potest mens Apostoli, & quòd ad vincendam gravem tentationem, non habet homo in statu corruptionis sufficientiam omninò expeditam, & moralem, sed indigere adiutorio, & munere Dei sanante, & roborante debilitate, & infirmitate naturæ.

59. Secundum testimonium, quo veluti Achille utuntur Adversarii, sumitur ex verbis Concilii supra citatis sess. 6. can. 4. ubi dicitur, liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum posse dissentire, si velit: quod tanti momenti ad intentum, videtur ipsis, ut ex ejus littera facilis, & manifesta evadat propositæ controversiæ solutio. Sed quoniam hinc nasci inter nos prolixior quæstio, potissimum videtur, aliquantò prolixius mentem Concilii perquirere, & disputare credimus operæ pretium. Sit ergo pro clariori ejus intelligentia.



DUBIUM IV.

An liberum arbitrium constituatur per hoc, quod possit resistere Gratiae victrici.

§. I.

Explicantur termini Canonis 4. Sess. 6.

DAMNAT Concilium eos, qui dixerint, liberum arbitrium motum à Deo, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo vocanti, & excitanti. Ac primo quidem illud ponderandum occurrit, quòd Concilium datà operà noluit in hoc Canone apponere: *Si quis dixerit, mentem hominis motam*, ut P. Salmeron, & nonnulli alii apponendum censebant; id constat ex Actis Concilii. Dixit: *Liberum arbitrium*; quòd si propriè loqui velimus, non solum rationem, seu mentem, quam illuminationibus, & illustrationibus moveri certum est; nec solum voluntatem importat: cum & ipsa voluntas aliquando etiam ut natura operetur, sed utramque facultatem, intellectum, ut libertatis radicem, & libertatem ipsam significat; sicque duplicem motionem, sive gratiam ipsi ad agendum necessariam Concilium mox expressit, dum subdit: *Motum à Deo, & excitatum*: motum nempe ad agendum, sicut etiam excitatum ad assentiendum. Loquitur ergo de motione illa secundum quam causæ secundæ etiam in ordine supernaturali, atque adeò & ipsum liberum arbitrium reali, & universali Dei dominio subduntur. Et cum movere, & moveri sint correlativa, & instantaneis simul sit moveri, ac motum esse, planè sequitur Concilium loqui de libero arbitrio præmoto physice, & efficaciter. Et dum dicit, liberum arbitrium motum cooperari, loquitur sanè de libero arbitrio ad agendum moto, cum liberum arbitrium esse motum ad operandum, ipsumque operari eodem sint momento; & cum adfit motus, quo liberum arbitrium à Deo movetur, simul sit motus, quo se movet, & operatur.

2. Hic etiam maximè notandum, quòd liberi arbitrii cooperatio, & assensus Deo vocanti, & excitanti, ipsaque ad gratiam justificantem prima dispositio, nihil planè aliud sunt, quàm actus illi, ad quos à Deo movetur, & excitatur. Sic dum liberum arbitrium movetur ad diligendum Deum super omnia, illa ipsa dilectio Dei est cooperatio, est assensus, est dispositio, & preparatio: ita ut unus, & idem actus, sub diverso respectu has diversas rationes nominum sortiatur. Quatenus enim actus dilectionis elicitur à libero arbitrio, ut moto à Deo movente, & operante, dicitur cooperatio: quatenus elicitur à voluntate invitata à Deo ostendente ipsi bonum per excitationem, & illumina-

tionem, dicitur assensus: quatenus verò idem actus elicitur à libero arbitrio moto à Deo per gratiam tanquam principium elevans ipsam voluntatem ad ordinem supernaturalem, est dispositio, & preparatio ad gratiam justificantem.

3. Tandem asserit Concilium, *liberum hominis arbitrium motum à Deo posse dissentire, illuminationemque abjicere*. Ubi maximè in præsentì notanda significatio propria verbi, *dissentio*. Si Ambrosium Calepinum consulas, ut in eum sensum, quem Grammatici præcipui ipsam usurpant, intelligas, idem est, & significat, ac *diversè, seu aliter, quam alii, sentio*. Quod si istam à mero Grammatico nolis acceptare, nè videamus ipsorum significationibus uti, dum Sacros Canones intelligere volumus, audi Theologorum Principem D. Thomam q. 6. de malo art. unic. ubi sic proponit 14. argumentum: *Assentire pertinet ad intellectum, sicut consentire ad voluntatem; sed assentire significat motum in rem, cui assentitur; sicut & consentire in rem, cui consentitur: ergo non magis est motus voluntatis ab anima, quam motus intellectus*. Cui argumento sic D. Thomas respondet: ad 14. dicendum, *quod assentire non nominat motum intellectus ad rem, sed magis ad conceptionem rei, quæ habetur in mente, cui intellectus assentit, dum judicat, eam esse veram*. Cum ergo propria significatio illius verbi *dissentio* ex opposito ad *ly assentio* accipienda sit, idem erit dissentire, atque contra conceptionem alterius sentire. Quod si *ly dissentire* accipiatur ut contrarium ad *ly consentire*, sicut videtur docere D. Thomas 1. 2. q. 15. art. 2. ad 3. etiam est significatio propria; nam 1. 2. q. 74. art. 1. sic dicit: *Consentire est actus appetitivæ virtutis, non absolute, sed consequens ad actum rationis deliberantis, & judicantis; in hoc enim terminatur consensus, quia voluntas tendit in id, quod est jam ratione judicatum: unde consensus potest attribui & voluntati, & rationi*. Ex quibus sit evidens, quòd consentire nominat actum voluntatis, acceptantis objectum propositum ab intellectu: è contra verò dissentire est actus voluntatis respicientis objectum ab intellectu propositum: & quòd verbum *dissentio* in propria significatione acceptum semper importat repugnantiam ad proprium iudicium, at non semper ad extrinsecum suadentem, consulentem, invitentem, aut præcipientem, sed tunc tantum cum accipitur contrapositive ad verbum *assentio*. In hoc ultimo sensu accipi à Concilio est mihi argumento, & quidem manifestum; nam postquam in prima parte Canonis

nis

nis damnat eos, qui dicunt, arbitrium nihil cooperari, statim explicat, in quo sita sit hæc cooperatio, & ait: in eo esse, quòd assentit Deo excitanti, atque vocanti. Undè cum in secunda parte Canonis definit *posse dissentire*, non dubitandi relinquatur locus, quòd verbum *dissentio* usurpat, ut contrapositive ad verbum *assentio*. Quæ acceptio est propriissima, & est sensus; liberum arbitrium aliquid cooperatur, cum assentit Deo excitanti, atque vocanti; potestque, si velit, dissentire Deo excitanti, atque vocanti.

4. Tertio etiam animadversione dignum arbitramur pro intelligentia textus Concilii, multiplicem gratiam auxiliantem fuisse hic à Concilio assignatam, quas omnes gratias ad prævenientem pertinere constituit. Nam cap. illo 5. in primis mentionem fecit gratiæ vocantis, sive gratuita vocationis, his verbis: *Hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur*. Deinde meminit gratiæ excitantis, & gratiæ adjuvantis; nam ait: *Per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam*. Tertio assignat gratiam illuminantem, ibi: *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem*. Quarto ponit gratiam inspirantem, seu inspirationis, dum ait: *Inspirationem illam recipiens*. His addit Can. 4. gratiam moventem, dicens: *Liberum arbitrium à Deo motum*, motum utique per illius gratiam. Igitur ex Concilio habentur gratia excitans, gratia vocans, gratia illuminans, gratia inspirans, gratia adjuvans, gratia movens. Tres priores, nimirum excitans, illuminans, ac vocans, sine dubio pertinent ad intellectum, nec de hoc ulla potest esse controversia. Gratia inspirans maximè ad voluntatem, idque vox ipsa inspiratio præferre videtur, ut constat 1. p. q. 27. art. 4. ubi processio Spiritus S. sive impulsus à voluntate procedens dicitur spiratus, & illius processio vocatur spiratio. Aliquando tamen significare videtur motionem receptam: nam dicitur Job 39. *Inspiratio omnipotentis dat intelligentiam*. Gratia movens, & gratia adjuvans potissimum ad voluntatem pertinent. Omnia hæc comprehendit D. Thomas 1. 2. q. 109. art. 2. in fin. corp. art. 3. & art. 6. ubi de gratia, qua voluntas hominis præparatur ad justificationem, de qua in citatis locis loquitur Concilium, inquit S. Doctor: *Oportet præsupponi aliquod auxilium gratuitum Dei interius animam moventis*. Et in fine ipsius articuli: *Unde patet, quòd homo non potest se præparare ad lumen gratiæ suscipiendum, nisi per auxilium gratuitum Dei interius animam moventis*. Insuper necessitas specialis motionis voluntatis præter gratias pertinentes ad intellectum patet; quia per peccatum primi hominis majus vulnus illatum fuit voluntati, quam intellectui: tum etiam

quia, ut optimè Augustinus dixit contra Pelagium, ridiculum est, quòd homo indigeat auxilio ad capiendam scientiam, quæ inflat, & non ad habendam charitatem, quæ flatum comprimit scientiæ. Nec minus est certum, præquiri gratiam in intellectu; cum damnaverit sacrosancta Synodus Calvinum, hanc gratiam ad intellectum pertinentem putidè negantem, & solum gratiam moventem concedentem, atque adeò rapientem, & necessitantem voluntatem; sicut è contra damnavit Pelagii errorem, qui gratiâ intellectus concessa gratiam negavit voluntatis, & effectricem, ut statim dicendum.

5. Illud etiam quarto diligenter observandum, quòd omnes istæ gratiæ inter auxilia gratiæ prævenientis à Concilio computantur, quod ex verbis Concilii sit manifestum. Etenim in cap. 5. agit de gratia, qua Deus nos prævenit, ut convertamur. Hoc ex titulo, & ex contextu capituli probatur. Titulus capiti præfixus ita habet: *De necessitate præparationis ad justificationem in adultis, & unde sit*. Ly, unde sit satis, superque demonstrat, toto in capite sermonem esse de gratia præveniente: quare statim nos docet, à Dei, per Jesum Christum, præveniente gratia exordium justificationis sumi in adultis. Quam prævenientem gratiam variis postmodum nominibus appellat, modò excitantem, modò vocantem, adjuvantem modò; ac in Can. 4. tandem moventem. Deinde in progressu capituli ait de peccatoribus: *Ut qui per peccata à Deo averfi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur, ac præparent*. Et constat apertè, quòd gratia adjuvans, ut præparemur, præparationem ipsam prævenit. Præterea caput concludit his verbis: *Cum respondemus, converte nos Domine ad te, & convertemur, Dei nos gratiâ præveniri confitemur*: ergo totius capituli doctrina procedit, & loquitur de gratia præveniente, cum qua gratiam adjuvantem connumerat. Ultimo constat ex verbis Can. 3. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*. Quibus verbis gratia adjuvans, sive adjutorium gratiæ reponitur cum gratia præveniente. Quod & constat ex D. Thom. 1. 2. q. 109. per tot. Et ex illa August. sententia: *Deus præparat voluntatem adjuvandam, & adjuvat præparatam*: & illam utique adjuvat, ut bene operetur, non quia bene operatur: ut velit, non quia vult. His ergo pro germana textus Concilii intelligentia positus, sit Conclusio.

H

§. II.

§. II.

Potestas, quæ juxta Concilium est in libero arbitrio est potestas resistendi, ac dissentiendi Deo excitanti, atque vocanti.

UT certius, & ordinatius probetur Conclusio, repetenda est doctrina Concilii Tridentini, distinguentis in præsentibus gratiam prævenientem: aliam, ut diximus, vocantem, excitantem, seu inspirantem vocat, & aliam adjuvantem, seu moventem. Constat ex textu ipsius Concilii, tum in Canone 3. *Siquis dixerit, sine Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio &c. ubi gratiam inspirantem, & adjuvantem distinguit.* Et in Canone 4. *Liberum arbitrium motum, & excitatum à Deo.* Et in Cap. 5. *Per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam.* Et explicando inferius modum, quo homines ad justificationem per gratiam hanc disponantur, dicit: *Ita ut tangente cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem.* (Ecce gratiam illuminantem:) *Neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam possit.* (Ecce gratiam moventem.) Et cap. 6. ubi agit de modo præparationis, sic incipit: *Disponuntur ad Divinam justitiam, dum excitati Divina gratia, & adjuti liberè moventur in Deum.* Ubi, ut liberè moveantur in Deum, qui ad justificationem se disponunt, exigit & gratiam excitantem, & Divinam gratiam, qua adjuvantur: sed ex Tridentino solum habetur, quòd liberum arbitrium potest dissentire gratiæ excitanti; non tamen habetur, nec nisi magnâ sermonis improprietate haberi poterat, quòd possit dissentire gratiæ voluntatem adjuvanti, vel moventi: ergo gratia, cui voluntas potest per dissentium resistere, est gratia excitans, non verò gratia efficiendo movens. Minor ex ipsa littera Concilii fit evidens. Primò ex Cap. 5. ibi: *Neque homo nihil omnino agit inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere potest.* Hic sanè declarat Concilium, quòd cum Deus cor tangit per Spiritus Sancti illuminationem, liberum arbitrium potest illam abjicere, illam scilicet inspirationem, illuminationem, seu gratiam vocantem, qua Spiritus Sanctus tangit cor, de qua hoc asserit; quod nusquam de gratia adjuvante, aut efficaciter movente dictum à Concilio invenitur. De gratia namque vocante esse resistibilem, constat ex illo: *Quia vocavi, & renuistis, & ex parabola Cœnæ, ad quam pluries invitati, &c.*

7. Constat secundò ex ipso Cap. 5. ubi sic dicitur: *Ut qui per peccata à Deo averti erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem eidem gratia liberè assentiendo, & ad-*

perando disponant. Ubi ly *assentiendo*, ad gratiam recollit excitantem, ly *cooperando*, gratiæ adjuvanti adaptavit. Hoc quippè constructio exigit grammaticalis, & propria verborum supra explicata significatio. Propriè enim dicimur, assentiri exhortanti, vel suadenti, illi verò non dicimur cooperari. Sicut è converso, adjuvanti propriè dicimur cooperari, ac non nisi impropriè diceremur, cooperanti assentiri. Moventi namque, & impellenti aliquando cedimus, quia non possumus obniti; aliquando resistimus, quia viribus prævalemus; nunquam tamen cum proprietate dicimur assentire, vel dissentire, nisi cum motione, & impulsu sit conjuncta suasio, præceptum, vel adhortatio. Similiter adjuvanti propriè dicimur cooperari, quando in actu secundo juvatur, quòd si offertur adjutorium, & despicitur, propriè dicimur nolle cooperari: nunquam tamen propriè dicimur assentire, vel dissentire, nisi suasioni, & exhortationi: ergo si Concilium propriissimis verbis doctrinam tradens Catholicam usum fuit expressionibus *assentio*, & *dissentio*, quæ non aptantur congruè ad significandam potestatem nitendi contra moventem, & adjuvantem, & quæ sunt propriissima ad significandam potestatem assentiendi, & dissentiendi excitanti, atque vocanti; dicendum est, potestatem dissentiendi, & abjiciendi assignatam à Concilio, adequatè respicere, atque versari, circa gratiam excitationis, vocationis, & illuminationis, necnon inspirationis, quam homo potest abjicere; non verò circa gratiam efficaciter moventem, atque adjuvantem, secundum quòd gratia hæc à reliquis distinguitur, aliquando do namque moventis, & adjuvantis nomine significatur.

8. Tertiò ex Can. 4. cujus si expendantur verba, tot pro probanda conclusione erunt argumenta. Duo namque ex parte arbitrii posuit Concilium, nimirum & gratiam moventem, cum ait, *à Deo motum; & gratiam excitantem, cum dicit, & excitatum.* Deinde cum accedit ad verbum *assentio*, quod contrarium est verbo *dissentio*, gratiæ moventis non meminit, sed gratiam commemorat vocantem, & excitantem, dicens: *Aliquid cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti:* ergo dum asserit, posse dissentire, proculdubio subintelligendum, posse dissentire excitanti, atque vocanti. Primò, nam illi posse dissentire docet, cui cooperatur assentiendo, sed cooperari dicitur assentiendo Deo excitanti, atque vocanti: ergo Deo excitanti, atque vocanti dicitur posse dissentire, si velit. Secundò, quia cum assensus, & dissensus sint actus contrarii, est consequens, ut circa idem sit assensus, circa quod & est dissensus; sed assensus juxta verborum proprietatem, & ipsum contextum Concilii est Deo excitanti: ergo Deo vocanti liberum arbitrium potest dissentire, minimè tamen gratiæ moventi, & ad-

& adjuvanti. Hanc insuper esse mentem Concilii deducitur ex his, quæ ex Actis ejusdem Concilii refert sapientissimus M. Lemos, qui acta Concilii Romæ ex particulari commissione se vidisse ait. Hic lib. 4. p. 1. tract. 7. cap. 20. asserit, quòd in Congregatione die Lunæ 28. Junii fol. 9. pag. 2. fuit in responsione Theologorum communi suffragio decisum: *Ex parte Dei requiritur concursus, non solum generalis, sed etiam specialis, qui non destruit, sed perficit liberum arbitrium.* Ex parte nostra requiritur bonus motus voluntatis, & non resistere Deo moventi. Et in Congregatione Generali die Veneris 9. Julii fol. 43. pag. 2. sic dicitur: *Homo misericorditer prævenitur à Deo gratia sua, quæ primum excitat ad fidem, huic autem vocationi potest homo adjutus obedire, & reniti.* En ubi expressè distinguit adjuvantem gratiam à gratia vocante, & quòd potest huic vocationi obedire, & reniti, non tamen adjutorio, quod ad obediendum exigitur. Sed dices, quòd assensus correspondet etiam gratiæ moventi; hæc enim habet veram rationem vocationis, ut expressè docet D. Thomas 1. 2. q. 113. art. 1. ad 3. dicens: *Vocatio est auxilium Dei interius moventis, & excitantis mentem ad deserendum peccatum.* Unde & ibi definit vocationem per auxilium Dei moventis, & excitantis. Et in 4. dist. 27. q. 1. art. 1. quæstiunc. 2. *Vocatio interior nihil aliud est, quàm instinctus, vel motus ad bonum à Deo immixtus.* Et ad Rom. 8. lect. 6. *Vocatio est mentis instinctus, quo homo movetur à Deo: sed gratia adjuvans ab intrinseco efficax, quoad sui essentiam est instinctus, motus voluntatis ad bonum, & auxilium Dei interius moventis: ergo est propriè interior vocatio, cui correspondet assensus, sicut dicit D. Thomas loco citato ad Rom. In his significatur vocatio interior, quia cor nostrum non se converteret in Deum, nisi Deus nos ad se traheret, & hæc vocatio est efficax in prædestinatis, quia ei assentiunt.* Cui consonat D. Augustinus lib. de prædest. Sanctor. cap. 16. distinguens duplicem vocationem, unam, qua vocati fuerunt Judæi, qui noluerunt venire ad Christum, alteram, qua vocantur electi. Et rursus, per hanc vocationem, quæ nempè est secundum propositum Dei, fuit homo credens, & credidit; quia assensum præbuit: ergo non solum gratiæ excitanti, sed & adjuvanti assentimur. Idem deducitur ex Concilio Moguntino cap. 7. de justificat. dicente: *Talis autem justificationis initium ex Dei gratia provenire, qua ante omne meritum, dum adhuc inimici, & peccatores sunt, excitati, & adjuti, eidem gratiæ sic excitanti, & adjuvanti consentientes, & operantes ad justificationem disponuntur.* Et Concilium Coloniense, quod celebratum fuit post seisc. 6. in tract. de pœnit. sic dicit: *Duplex est gratia, una qua Deus prævenit peccatorem, ut resurgat, altera verò, qua peccator prævenienti Deo assentiens resurgit.* Quibus verbis assensum gratiæ prævenienti,

& adjuvanti utrumque Concilium affirmat. 9. Respondetur cum Ss. M. Lemos lib. 4. p. 1. tract. 7. num. 376. *Vocationem in quoad sui essentiam adequatè consistere in gratia excitante, & solum denominari efficacem vi gratiæ prædeterminantis, qua præveniente determinatur voluntas ad actum salutarem, ad quem vocatur.* Unde inquit: *Vocatio autem efficax, sicut duo sonat expressè & vocationem, & efficaciam, ita vocatio, quæ in excitatione essentialiter consistit, habet sibi adjunctam efficacem gratiam adjuvantem, per quam & ipsa vocatio suum sortitur effectum, & efficax fit, ac efficax redditur, quam esse expressè sententiam D. Augustini, infra agentes de efficacia gratiæ, ex plurimis testimoniis ejusdem S. Doctoris dabimus manifestum.* Hæc M. Lemos. Non aliter, ac in hoc complexo *vocatio congrua* duo includuntur, & id à quo provenit, quod sit vocatio, & aliud, ex quo fit, quod sit congrua: sic *vocatio efficax* utrumque complectitur, & motionem sufficientem, quæ est ipsa vocatio, & gratiam adjuvantem efficacem, qua redditur efficax. Hoc est, quod S. Thomas dicit, & de hoc nemo Catholicus dubitat. In præsentem autem controversiâ non loquimur de motione sufficiente, quam nemo dubitat esse resistibilem; sed de efficaci, quâ Deus dat, ut non resistatur.

10. Secundò probatur Conclusio efficacissimo argumento ex ipsa doctrina Concilii. Inconjungibile est cum dissentiu auxilium gratiæ voluntatem efficaciter adjuvanti ad consentium; sed hoc auxilium est auxilium gratiæ voluntatem prævenientis ad consentium: ergo datur auxilium gratiæ voluntatem prævenientis ad consentium inconjungibile, cum dissentiu; sed non est inconjungibilis gratia excitans: ergo solum gratia efficaciter adjuvans est inconjungibilis cum dissentiu, sed gratia inconjungibilis cum dissentiu est gratia, cui nequit resistere voluntas: ergo gratia irresistibilis (per quam Deus dat consentire) est gratia efficaciter adjuvans. Min. primi discursus eruditissimè demonstrat M. Lemos loco citato cap. 17. ubi asserit, quòd defensores concursus indifferentis, qui causam Societatis agebant, illam apertè confessi fuerint: sic ille: *In summa hujus doctrinæ defensores hoc jaciunt fundamentum, quia vident, quòd si adjuvantem gratiam etiam prævenientem constituent, ac excitantem, penitus illorum doctrina ruit, & efficacia auxilii prævenientis gratiæ, prout venit à Deo manifestè firmatur, adeò enim hoc est manifestum, ut aliquando qui hanc defendebant doctrinam, spontè confesserint, quòd si adjuvans gratia, qua ratione distinguitur ab excitante, convinceretur esse præveniens, etiam convinci, & nullo modo posse negari efficaciam prævenientis gratiæ, ut venit à Deo independenter à nostra cooperatione arbitrii, & auxilium physicè prædeterminans. Unde quæ ratione negant auxilium gratiæ verè efficienter*

prædeterminans voluntatem ad actum, negant, adjuvantem gratiam esse prævenientem, argumenta opponunt contra illam. Hæc ille: de cuius testimonii veritate non dubitabit qui doctissimi huius viri pietatem cum summa Sapientia conjunctam perspectam habuerit; necnon fundamenta, quibus innititur toto illo citato capite. Major ergo intellecta de gratia adjuvante, & re ipsa dante consensum, negari non potest. Sicut enim verba ista *assentio, & dissentio* important compositionem actus cum gratia vocante, ita verbum *adjuvo* importat actum adjuvantis compositum cum alterius cooperatione. Non enim stat Petrum juvare me re ipsa, & quod ego Petro juvanti non cooperer. Aliud quippe est adiutorium oblatum, aliud verò re ipsa juvare me: illud componitur cum carentia operationis, hoc verò ab operatione nec separatur, nec separari potest: ergo nec gratia adjuvans voluntatem ad consensum salutarem valet à tali consensu separari. Unde Paulus ad Rom. 8. cum dixisset: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus, sicut oportet, nescimus*, statim intulit effectum huius adiutorii subdens: *sed ipse spiritus postulat pro nobis*, id est postulare nos facit, nempe quia gratia adjuvans ad postulandum à postulatione separari non potest.

S. IV.

Solvuntur argumenta ex opposito.

11 **A**rguitur primò: Concilium Tridentinum sels. 6. cap. 5. asserit, peccatorem per adjuvantem gratiam illi liberè assentiendo, & cooperando se ad justificationem disponere liberè, quippe qui illam abjicere potest, & postea Can. 4. hæc habet: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad justificationis gratiam se disponat, ac præparet; neque posse dissentire, si velit, anathema sit.* Ex quibus verbis hoc conficitur argumentum. Peccator, quia liber est, potest vocationi, & motioni Divinæ resistere (quod etiam significatur per *abjicere*; etenim abjicere vocationem est dissentiendo, quasi eam despiciere, parvipendere, & abjectè tractare:) ergo motio, cui resistere non potest voluntas destruit libertatem arbitrii: ergo de ratione indifferentiæ arbitrii est excludere omnem determinationem alterius, cui voluntas dissentire non valet; atqui determinatio efficax absoluta, & omnino antecedens, est voluntatis motio, cui voluntas dissentire non valet: ergo pugnat cum libertatis indifferentia voluntatem ad suam operationem absolute efficaciter, & omnino antecedenter determinare. Primum antecedens est conclusio Tridentini. Prima autem, & secunda consequentia legitimè ex antecedenti deducuntur.

Hæc ad verbum P. August. Herrera de Prædest. q. 6. sect. 2. n. 6.

12. Pro responsione ad hoc argumentum plura desidero maximè necessaria ad veritatem, mentemque Concilii sincerè investigandam, quæ tamen in eo Auctore deficient. Dicit quippe quasi ex doctrina Concilii, peccatorem per adjuvantem gratiam illi liberè assentiendo, & cooperando se ad justificationem disponere liberè. Et huic propositioni conjungitur illa Concilii cap. 5. *Quippe qui illam abjicere potest.* Ubi de gratia adjuvante hæc duo vult prædictus author dixisse Tridentinum, nimirum, & quòd illi posset dissentire liberum arbitrium; & quòd illam abjicere potest. Deindè asserit ex mente Concilii, peccatorem, quia liber est, posse resistere motioni Divinæ, quod proponit, ac si elset in Can. 4. definitum. Et id asserit à Concilio significari per *abjicere*, quo utuntur PP. dicto cap. 5. Ac tandem pro eodem accipit *dissentire, abjicere, & resistere.* Ex his imaginationibus procedit argumentum toto aberrans Cælo à mente Concilii. Verbum *resisto* ad vires liberi arbitrii explicandas non legitur in Tridentino; cum tamen diligentissimè ad regulas Fidei Orthodoxæ tradendas voces proprias exquisierit. Huic Oecumenico Concilio affingitur usus verbi *resisto*. Sanè dicimur propriè resistere moventi, sicut propriè dicimur dissentire excitanti, iuadenti, vocanti. Unde Tridentinum cum cap. 5. meminisset gratiæ excitantis, atque adjuvantis, actus nostros, quibus his gratiis obsequimur, per *ly assentiendo, & cooperando* expressit. Deindè cum asserit ex Concilio, posse hominem abjicere gratiam adjuvantem, neicio unde id probare valeat, nisi aliud nobis offerat Tridentinum. Enim verò hæc Sacrosancta Synodus, ut supra diximus, dissentis verbis statuit, & docuit, posse hominem abjicere inspirantem gratiam, cum ait: *Neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam, & abjicere potest.* illam quippe illuminationem, de qua in verbis immediatè præmissis loquitur Concilium: *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo iste* &c. Ergo *ly abjicere* ad illuminationem, & inspirationem refert, non tamen ad gratiam adjuvantem. Et tandem quod asserit num. 7. Illud antecedens ab ipso assumptum esse ipsam Tridentini Conclusionem, quàm falsum sit, nemo est, qui rem attentè considerans, non cognoscat. Nihil enim à mente Concilii magis distans excogitari potuit. Eandem æquivocationem, quam hic P. Herrera patitur, affectat P. Michael Avendaño tom. 3. disp. 22. cap. 1. §. 2. ubi quibusdam verbis relatis ex cap. 5. Concilii, & ex can. 4. supponit, dixisse Concilium, posse hominem dissentire gratiæ, seu motioni excitanti, per quam convertitur, & ad justificationem disponitur: ubi confundit excitantem gratiam, & disponentem cum effi-

efficaci, per quam homo convertitur: & eandem confusionem imponit Concilio. Cum ergo constet, Concilium minimè potestatem dissentendi ad gratiam moventem, vel adjuvantem astruere, sed solum ad vocantem, & excitantem, quo nihil apertius est in ejus littera, nollem hoc ab ipso dictum, ut nebulas offunderet lucidissimæ veritati.

13. Secundò arguitur ex P. Avendaño loco citato num. 5. Hominem ita recipere gratiam, per quam convertitur, & disponitur ad sui justificationem, ut possit illam abjicere. Quod argumentum sic ex Tridentino format: juxta Concilium homo ita recipit gratiam, seu motionem efficacem, per quam Deus infallibiliter facit, ut faciamus, ut illam possit abjicere; at si gratia, seu motio ista, elset talis, ut per eam prædeterminando faceret Deus, ut faciamus, eo ipso ita reciperemus illam, ut non possemus eam abjicere: ergo gratia, seu motio efficax est talis, ut non prædeterminando, sed præfiniendo dependenter à Scientia media, faciat Deus infallibiliter, ut faciamus. Major. constat ex ipso Tridentino, quia loquitur de gratia, seu motione, & ait: *Ita recipi in nobis, ut possimus eam abjicere.* Min. probatur: quamlibet gratiam prævenientem, sive efficacem, sive merè sufficientem, aut recipere, aut abjicere quoad entitatem non est in nostra potestate; nam cum Deus eam nobis causet sine nobis libertatem exercentibus, seu pro priori ad exercitium nostræ libertatis, ut eam exerceamus; & eam Deum in nobis causare sit perindè, ac illam nos quoad entitatem recipere, consequenter sicut nulla est in nobis libertas in eo, quòd Deus eam in nobis causet, sic & nulla in eo, quòd nos illam quoad entitatem recipiamus. Cæterum neque in receptione illius quoad efficaciam, elset ulla nobis libertas, si illa elset prædeterminans; siquidem, si elset prædeterminans, eo ipso efficacia ejus elset omnino indistincta ab ipsius entitate: & consequenter, sicut quoad entitatem, sic & quoad efficaciam, ejus receptio, & abjectio, non elset nobis libera, nec pendens à nostro exercitio libero. Hæc P. Avendaño, quod in tribus sequentibus numeris latè explicat.

14. Unum in hoc argumento verè dicitur, quod & potentissimum est apud S. Augustinum, scilicet, gratiam excitantem, vocantem, illuminantem, atque inspirantem esse in nobis sine nobis, id est, independenter ab exercitio libero nostræ libertatis. Unde perspectum debet esse, potestatem bene agendi esse in nobis à Deo, atque esse in nobis etiam si nec velimus, nec agamus: est tamen in potestate nostra usus istius quadruplicis gratiæ; cujus ratio est manifesta: quia per illas constituitur potestas proxima bene agendi, ac pròinde se tenent ex parte actus primi conjungibilis cum quolibet extremo libertatis. Tota ergo difficultas reducitur ad gratiam efficaciter moventem, & ad gratiam adju-

vantem, quas P. Avendaño unà cum suis vult arbitrio libero esse subjectas quoad efficaciam, & usum, quod tamen esse falsissimum inferius demonstrabimus, & proprio loco magis enucleabitur. Nam si adjuvans gratia elset arbitrio nostro quoad usum subjecta, sequitur inevitabiliter, nos ideo juvari, quia volumus; non verò ideo nos velle, quia adjuvamus; quod tamen esse falsissimum constat ex Epist. D. Prosper. ad S. Augustinum, ubi referens Massiliensium errores, sic dicit: *Unde quia in istis Pelagianæ pravitatis reliquiis non mediocris virulentia fibra nutritur, si principium salutis male in homine collocatur: si Divina voluntati impie voluntas humana præfertur, ut ideo quis adjuvetur, quia voluit, non ideo, quia adjuvatur, velit.* Et D. Fulgentius lib. de Incarnat. pag. 751. *Non dicat (scilicet voluntas humana) meum est velle credere, Dei autem gratia est adjuvare. Sed dicat: gratia Dei est adjuvare, ut sit meum velle credere. Tunc enim verè, restèque erit hoc velle, cum eum gratia præveniens ceperit adjuvare. Quare non ideo voluntas adjuvatur, quia vult, sed ideo vult, quia adjuvatur.* Existit ergo gratia adjuvans pro dominio Dei, non pro determinatione nostræ voluntatis. Si ergo motivum, seu fundamentum, cui innititur discursus argumenti est penitus falsum, parum negotii nobis illius solutio faceffit. Nego itaque asserere Concilium, *hominem ita recipere omnem gratiam, per quam convertitur, & disponitur ad sui justificationem, ut possit illam abjicere.* Hoc enim, ut toties diximus, correspondet gratiæ excitanti, minimè tamen gratiæ efficaciter moventi, & adjuvanti. Aliud namque est juxta Concilium, quòd nullum sit auxilium gratiæ, cum quo voluntas non possit dissentire, aliud verò, quòd nullum sit auxilium gratiæ, quod voluntas non possit abjicere. Primum est verum, & de mente Sacri Concilii hæresim Calvini damnantis, dum definit, cum omni gratia componi potestatem dissentisus, & libertatem consensus. Secundum est falsum, & à mente Concilii longissimè distans; non enim exposcit potestatem abjiciendi omnem gratiam, sed solam inspirationem; nec potestatem resistendi omni gratiæ; sed Deo excitanti, atque vocanti. Quod duplici exemplo declarat Illustrissimus Castell Primarius Complutensis de libero arbitrio disp. 2. q. 4. sect. 7. hanc nostram sententiam propugnans. Primum: cum gratia efficaci adhuc reduplicativè, ut efficaci, componitur potestas ad dissentium, & tamen in principiis contrariis non est potestas ad dissentendum gratiæ efficaci, ut efficaci, quia cum dissentisus conjungatur cum eo, cujus est dissentisus, elset componibilis cum gratia efficaci, qua ratione includit contentum: cur ergo de gratia efficaci specificativè sumpta non possumus eodem modo distinguere, quod scilicet, cum gratia efficaci specificativè est potestas ad dissentendum, & resistendum, sed

sed non gratiæ efficaci? Secundo: loquamur de gratia Dei, non solum interiori, & intrinseca; sed prout comprehendit etiam gratiam externam, & interiori; hæc propositio est vera, & indubitabilis: *Omnis gratia, quæ de facto datur est talis, ut cum ea possit voluntas dissentire, & resistere*; aliàs de facto aliqua gratia tolleretur libertatem consentiendi, si non componeret potestatem dissentendi: hæc verò propositio: *Omnis gratia, quæ de facto datur est talis, ut ei possit voluntas nostra dissentire, & resistere*, est omnino falsa, quia inter gratias, quæ de facto dantur, una est prædefinitio efficax bonæ operationis, gratia enim fit contentienti, dum Deus decernit conferre, auxilium, quod scit efficax; & tamen huic gratiæ non est voluntas potens resistere, ut nullus dubitat: si ergo fiat, quod cum omni gratia externa voluntas dissentire, & resistere possit, licet non omni gratiæ externæ; cur non stabit, quod cum omni gratia interna possit resistere, licet non omni gratiæ internæ?

15. Hoc sanè intelligere deberent AA. oppositi, quod potestas dissentendi dicitur per respectum ad excitantem, vocantem, illuminantem, atque inspirantem, non verò per respectum ad moventem physicè: quia dissensus neque in Grammaticorum loquutionibus, neque in Philosophorum investigationibus, neque in Theologorum sensibus, correspondet unquam motioni. Respectu ejus negant Thomistæ talem resistendi potestatem, quia didicerunt ex fide, voluntati efficaci Dei arbitrium nullum posse resistere, resistentiã scilicet formali, ac rigorosè sumptã. Ut quid ergo tanto argumentorum apparatu probant veritatem, quam Thomistæ non solum concedunt, sed pro viribus tuerentur? Ut quid iterum rogo, insistunt semper in probatione illius non reluctantiæ gratiæ efficaci, quam omnes unanimiter asserunt, cum solum in libero arbitrio sit potestas dissentendi gratiæ excitanti, atque vocanti; non resistendi gratiæ, per quam habet non dissentire.

16. Tertio arguitur ex P. Avendaño ibi num. 9. Gratia, seu motio efficax, qua juxta Concilium Deus facit infallibiliter, ut faciamus, est gratia, cui verè competit, esse illuminationem, inspirationem, vocationem, atque excitationem; sed gratia, cui verè competunt hujusmodi proprietates non est physicè prædeterminans, sed moraliter movens: ergo gratia juxta Concilium per quam Deus infallibiliter facit, ut faciamus, non est physicè prædeterminans. Probatur min. Gratia physicè prædeterminans est qualitas non vitalis, ut Dominicani statuunt; sed illæ proprietates verificari nequeunt nisi de qualitate, aut actione vitali, quæ sit cogitatio intellectus, aut pia affectio voluntatis, & hoc præsertim cernitur in proprietate illuminandi, quæ planè competere nequit, nisi cogitationi; siquidem per solam istam illustra-

tur, seu illuminatur anima nostra: ergo.

17. De hoc argumento sic fatur P. Avendaño: *Hoc mihi ingenuè consideratum sine diffuso discursu adeò solidè persuadet, ut vel ab hoc, unum esset mihi firmum, mentem Concilii eam esse, ut censent gratiam, seu motionem efficacem, per quam Deus facit infallibiliter, ut faciamus, non esse qualitatem mortuam physicè prædeterminantem, sed qualitatem, seu actionem vitalem moraliter moventem. Nam cum proprium illius sit illuminare animam, & anima nequeat illuminari, nisi ab aliquo, quod verè sit lux spiritualis, profectò gratia, seu motio efficax debet juxta Concilium consistere in aliquo, quod sit lux spiritualis; at esse lucem spirituales sequit verè competere ulli qualitati mortuæ, sed tantum qualitati, seu actioni vitali moraliter moventi, qualis est cognitio, qua intellectus illustratur: & hac ratione potius potentia volitiva, quam intellectiva dicitur potentia cæca, quia nimirum anima ad volendum cæca esset, nisi prius per intellectum illuminaretur. Et ad marginem ait: *Solum eget ingenua consideratione.**

18. At videtur, non esse plenè informatum de Doctrinâ Thomistâ, um, cujus certè ignorantia plurimum ipsium fecellit. Assumit namque, ut per se notum, id, in quo solum est difficultas. Negatur ergo major, quam non probat, sed supponit argumentum. Gratia enim, qua Deus infallibiliter facit, ut faciamus, est distincta à gratia excitante, aut vocante. Multi enim excitati fuere, & vocati, atque illuminati, qui ad consensum salutarem non pervenerunt: multi Divinas inspirationes receperunt, qui tamen eas abjecerunt. Gratia, quæ consensum nostrum infallibiliter obtinet, est gratia physicè movens, est gratia adjuvans, quæ infallibiliter cooperationem nostra efficit, & cavat. Ex quo non superfluum reliquæ gratiæ: sicut enim in ordine naturali dispositiones præviæ, ac remotæ superflue non sunt ad formæ substantialis introductionem, sed maximè necessariæ ad suavitatem providentiæ: unde in generatione substantiali dispositiones remotæ præcedunt alias proximiores, & istæ ultimam præcedunt dispositionem, quæ est necessitas formæ. Sic in præsentem, quem Deus vult efficaciter ad fidem convertere, prius instruit de Mysteriis, de eorum credibilitate; deinde immittit pium affectum erga bona reposita credentibus, ipsumque sic dispositum, & præventum excitatione, vocatione, illuminatione, atque inspiratione, efficaciter movet, & adjuvat, ut insuperabiliter, & indeclinabiliter agatur voluntas, quæ quantumvis sit per gratias priores disposita, si tamen sibi relinqueretur, ut ipsa sola determinaret assensum, deficeret, nec unquam fidei obedientem præberet auditum.

19. Hic sanè me in maximam admirationem traducit Auctor argumenti, Primò, quod recensens tanta cura gratiam excitantem,

tem, vocantem, illuminantem, & inspirantem ex mente Concilii, omisit, & silentio præterivit gratiam moventem assignatam in Can. 1. nec non missam facit gratiam adjuvantem, quam statuit Concilium in cap. 5. & can. 3. Hanc sanè prævenientem gratiam, moventem, & adjuvantem minimè favere, propriæ sententiæ vidit, quæ, ut diximus ex M. Lemos, destruit oppositam sententiam, illiusque auctoritatem, & veritatem penitus infirmat. Est ergo præter illas gratias, quas ipse commemorat, alia statuenda ex Concilio, nimirum gratia movens, vel ut 1. 2. qu. 109. loquitur D. Thomas, auxilium Dei moventis: & insuper gratia adjuvans, quæ passim in sacra Scriptura commendatur. Secundo, quod dum non minori studio, ac diligentia exquisivit proprietatem illius vocis illuminationis, ut illuminantem gratiam inter eas, quæ pertinent ad actus intellectus, reponeret, cur eandem non adhibuit curam, ut reliquarum vocum, quibus utitur Concilium, nobis exponeret intelligentiam? Cur non dilucidè, & significanter explicuit propriam significationem verborum *assentior*, atque *dissentio*? Cur & siluit significationem, & proprietatem istius verbi *moveo*? Cur tandem non nobis significantissimè exposuit verbum hoc *adjuvo*? Sanè, ut intelligentiam Concilii traheret, quod expediebat ipsi, & acrius, apertius, significantius propriam defenderet sententiam, & impugnaret nostram: cum ex rebus, quæ primo aspectu minus Sapientibus videntur infimæ, ac tenuissimæ pendeat sublimiorum difficultatum resolutio. Quod autem dicit de illuminationibus, significans, eas debere esse actus vitales nostros, nescio quid sibi velit. Nec vacat modo de hoc disserere: satis sit lectorem remittere ad tractatum de illuminationibus naturalibus Angelorum, & animæ humanæ.

20. Quarto arguitur: si potestas manens in libero arbitrio moto à Deo, & excitato est potestas ad conjungendum dissensum cum Deo excitante, atque vocante, hæc propositio Concilii erit absolutè falsa; quia verbum *potest* in illa propositione rectissimè collocatum enuntiat potestatem exercendi actionem, quam propriè significat verbum *dissentio*, quæ essentialiter importat compositionem cum Deo excitante, atque vocante; sed cum motione efficaci Dei afficiente liberum arbitrium non manet in ipso potestas ad conjungendum dissensum cum Deo excitante, atque vocante: ergo vel negandus est hujusmodi dissensus Deo vocanti, & excitanti, vel concedendus etiam gratiæ juvanti, & moventi.

21. Respondetur, quod illa propositio Concilii affirmat veram potestatem in libero arbitrio ad conjungendum dissensum cum Deo excitante, atque vocante, si attendantur præcisè, quæ ex intrinsicis habet potestas, & ipsa Dei vocatio, cum voluntas possit cuilibet ex his auxiliis moraliter attrahenti-

bus obstitendo dissentire. Cæterum non dixit Concilium, potestatem, quæ remanet in arbitrio moto, & excitato, esse ad conjungendum dissensum cum excitatione simul, atque motione efficaci: hæc enim potestas non est tantum potestas dissentendi; cum potestas ad conjungendum dissensum cum excitatione, & vocatione in sensu composito motionis sit potestas renitendi, frustrandique motionem, quæ non solum non fuit, nec esse potuit in libero arbitrio, ut remanere posset, sed est toto Cælo diversa à potestate dissentendi. Hoc ut clarius intelligatur maxime notandum, quod in propositione Concilii *liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum potest dissentire* duo ponuntur ex parte subjecti, scilicet motio Dei, & excitatio. Rursus potestas dissentendi, ut diximus, totaliter versatur, ac respicit excitationem, vocationem, & reliqua auxilia spectantia ad intellectum, nec nisi improprie potest accipi pro virtute nitendi contra motionem; respectu cujus potestas potens prævalere illa est præcisè, quæ potest resistere, aut superare resistendo, ac reluctando vim, efficacitatemque motionis. Undè ad conjungendum dissensum cum excitatione, & vocatione Dei in sensu composito motionis efficaci ad consensum, non iussit potestas dissentendi excitationi, atque vocationi, quam asserit Concilium in libero arbitrio à Deo moto relinquere; sed ulterius requiritur potestas resistendi, atque superandi efficaciam motionis: cujus nec in dicto Canone, ne in cap. 5. ex quo sumptus est Canon mentionem fecit; quia nempè sentit, illam sufficere ad libertatem arbitrii, hanc verò, utpotè chimericè fictam, penitus esse repugnantem. In forma ergo respondendo, nego minorem, quia gratia efficax non auferit potestatem quam dicimus antecedentem; sed illam perficit in hoc exercitio, supponens, & servans indifferentiam ad exercitium oppositum, cum excitatione hac, & vocatione componendum, si voluntas velit: modò autem non vult, quia vult hoc exercitium, quod per gratiam Dei, seu Deo efficaciter dante, habet.

22. Si dicas: ergo attempta motione non manet potestas ad illam conjunctionem: disting. consequ. non manet potestas consequens conced. consequ. non manet potestas antecedens, neg. cons. hoc solum probat, quod quia habeo consensum, non possum simul cum illo habere dissensum. Et quod consensus, quem habeo est donum Dei, & ab illo dependet: quod est verissimum & Catholicissimum. Non enim in voluntate datur potestas ad eliciendos suos actus per hoc, quod sibi Deum subiciat, & ille, non pro suo, sed pro nostræ voluntatis arbitrio, concurrat. Illos solum, elicit ex dominio, & potestate Dei voluntatem creatam sibi in elicientia illorum subicientis, cum omnis potestas voluntatis creatæ ad proprios actus sit potestas domini inferiorio-

rioris, & essentialiter subordinati Deo. Si ergo consideretur, quid possit voluntas sic Deo subordinata, potest sane cum excitatione, & vocatione Divina consideratis secundum se, & secundum suam adequatam essentiam, id est prescindendo à quovis extraneo, conjungere dissentium vocationi, vel ab ipsa dissentire. Quod si voluntas hoc potest, potest quoque Deus in sensu composito suæ excitationis, & vocationis constituentis potestatem assentiendi non movere voluntatem ad assensum: unde ex nullo capite impeditur potestas, qualis debet tribui voluntati, ad dissentiendum, si tantum attendantur intrinseca vocationis, & excitationis: Quod circa in voluntate mota manet potestas antecedens ad illam conjunctionem.

23. Non enim (de quo jam actum, potius putamus, quam dictum) asserit Concilium, quod omnis gratia, cum qua de facto operatur voluntas, est talis, cui voluntas possit ei resistere; hoc solum dictum de excitante, & sufficienter movente, non de movente efficaciter; cum hujus resistentia minimè ad intentum Concilii conducatur. Hæretici negabant potestatem ad dissentium in sensu composito gratiæ efficacis: hoc est, affirmabant ipsi, non solum quod dissentium non componitur cum gratia efficaci (in quo verum assererent) sed quod cum gratia efficaci erat inconjunctibilis potestas ad dissentium: Hic fuit ipsorum error. Clarius: Non erat Hæresis Calvini in hac propositione particulari; aliquid est auxilium, cui voluntas non potest dissentiendo resistere: quæ est essentialiter vera, sed in ista particulari: aliquid est gratiæ auxilium, cum quo voluntas non habet potestatem dissentendi; quod aperte negant Thomistæ, non agnoscentes auxilium tollens libertatem consensus, sed solum auxilium, quod ratione consensus, quem infert, pugnat cum dissentiu; & ideo, etsi non possit conjungi cum dissentiu, & resistentia, non tamen pugnat cum potestate dissentius. Unde nullum est necessitans, ut perperam ab adversariis affingitur.

24. Sed, ne sinistra fallat intelligentia, utque omnis præmuniatu responso, & quæstio ista à Sophismatum nugis, atque à Dialecticorum vanis arguendi modis repurgetur, sciendum primò, quod propositio illa Concilii *liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum potest dissentire*, licet in aliquo sensu debeat *ly potest* sumi compositè, quæ formaliter explicat potestatem conjungendi dissentium cum gratia excitante, absolutè tamen, & simpliciter est modalis divisa; tum quia illa dicitur modalis divisa ex regula Dialecticorum, cujus subjectum, & prædicatum intersectat modus inter utrumque medians; & in præsentia *ly potest* mediat inter arbitrium motum, & excitatum, quod est subjectum, & prædicatum, quod est *ly dissentire*. Tum quia ex alia regula Dialecticorum, illa est

modalis composita, quæ immediatè est reducibilis ad suam officiantem, & quæ ad officiantem reduci non potest, modalis divisa; sed propositio modalis, quæ ex verbis Concilii conficitur, non potest immediatè reduci ad suam officiantem; cum propositio officians sit ista: *liberum arbitrium à Deo efficaciter motum & excitatum dissentit, est propositio possibilis*, quæ est ex terminis repugnans: ponitur namque ex parte subjecti gratia efficaciter movens, cum quæ implicat poni dissentium. Vel aliter: propositio, in qua ex parte subjecti ponitur gratia efficax, & de subjecto tali gratia affecto affirmatur potestas ad actum contrarium gratiæ efficaci necessariò est divisa, vel non erit vera; sed in præfata propositione Concilii ponitur ex parte subjecti gratia efficax, quæ est motio significata per *ly motum*; alioquin non definisset Concilium, gratiam efficacem componi cum libertate arbitrii, compositionemque solam faceret cum gratia sufficiente, & arbitrio subjecta, quam concordiam nec Pelagius, nec Hæreticus aliquis negare potuit: ergo ut sit vera, debet esse divisa. Quare ut bene advertit M. Lemos tom. 1. tract. 4. cap. 14. vers. *Insuper*; etsi ex parte subjecti unà cum gratia movente ponatur etiam gratia excitans, & cum hac possit arbitrium dissentium componere: gratia tamen excitans non est id, de cujus discordia cum libertate principaliter dubitabatur, cum illam non opponi libertati disertis verbis fateatur Pelagius admittens auxilia moralia; quapropter principalis affectio subjecti, & principaliter à Concilio attendita est motio, respectu cujus facit sensum divinum.

25. Hinc clarissima, & pervia omnibus fiet solutionis doctrina, etsi in illa persuadenda non obscure processerimus; ex qua observandum, quod aliud est conjunctio dissentius Deo vocanti cum assensu Deo movente efficaciter, & aliud conjunctio potentia ad dissentium Deo vocanti cum assensu Deo efficaciter moventi. Primum est impossibile; tum ex ratione actus secundi intensivè, & extensivè perficiente potentiam pro tempore, vel signo suæ existentia, sicut formam materiam pro tempore suæ informationis. Tum ratione immediatæ contrarietatis consensus, & dissentius ejusdem voluntatis respectu ejusdem objecti: quare ex utroque capite repugnat talis conjunctio dissentius Deo vocanti cum assensu Deo moventi efficaciter; cum nulla potentia duobus actibus secundis oppositis actuari possit, quod etiam de non oppositis Schola nostra tenet, juxta quam nec natura duabus subsistentiis absolutis, nec corpus duabus quantitatibus; indè est, quod stante judicio determinato intellectus, & gratia efficaci dante actum repugnat exercitium illius antecedentis potestatis ad dissentiendum, quæ simul manet in libero arbitrio cum isto actu secundo. Etenim potentia acti-

va

va dicitur transcendentaliter per ordinem ad possibile in omni creato; & cum dissensus sit impossibilis simul cum consensu, & si actu maneat potentia, non est ad dissentium simul ponendum cum assensu, quia talis potentia est impossibilis. Quid enim magis repugnans, quam potentia, quæ essentialiter sit impotentia? Sed potentia ad actum impossibilem est essentialiter impotentia: sicut enim potentia non est conceptibilis nisi per ordinem ad possibile, ita impotentia nisi per ordinem ad impossibile: ergo quod non possit ponere dissentium compositum cum gratia efficaci ad assensum nihil diminuit de ratione, & perfectione reali potentia antecedentis, quam liberum arbitrium conservat ad dissentium: sicut & Auctores gratiæ congruæ debent fateri de arbitrio, vel voluntate sub illa gratia collata in occasione consensus prævisi per scientiam mediam. Quæ doctrina desumitur ex Philosopho 9. Metaph. cum suo Commentat. Comment. 10. & 19. & ex Angelico Magistro super eisdem locis lect. 4. in fin.

26. At quod secundo loco posuimus, nempe, quod licet conjunctio dissentius Deo vocanti cum assensu, Deo movente efficaciter, sit impossibilis, conjunctio tamen potentia ad dissentium Deo vocanti cum assensu, Deo efficaciter movente, possibilis est, est omnino verum, immò necessarium; vel destruenda erit illa perfectio collata voluntati à Deo, quam conservat, eo vocante, media propositione objecti ab intellectu sub ratione boni contingentis, vel non undecumque, eam excitantis, quæ si destruitur, certè esse non potest, nisi per contrariam dispositionem, quæ non est aliàs assignabilis, cum non possit alia esse nisi assensus: ipsi Adversarii inciderent in errorem negantium libertatem; cum tamen è contra, & bene, secundum illos libertas perficiatur reducta ad actum secundum, & ultimam perfectionem, per assensum. A Deo destrui, non potest similiter dici; quia nihil odit eorum, quæ fecit: & implicat contradictionem, quod perfectio formaliter sit destructio: sed motio efficax est perfectio ipsius voluntatis formaliter, & reduplicativè ut subjectum constitutum in actu primo proximo, cum sit motio formaliter ad actum secundum, aliàs reduceret solum formaliter potentiam remotam ab hoc extremo ad actum secundum, relicto medio, quod & est contra ordinem naturalem ab eodem statutum; & quod magis est, ipse Deus frustra daret perfectionem proximitatis potentia, qua post nullo modo uteretur in quotidiana, & continua providentia actuum humanorum: ergo perfectio illa, actus primi proximi non destruitur, & consequenter tota, & totaliter manet quoad id, quod est perfectio: & consequenter voluntas etiam attenda motione habet potestatem antecedentem ad conjungendum dissentium cum Deo vocante, & excitante.

27. Id incunctanter pronuntiat Antonius Reginaldus p. 1. cap. 56. dicens: *Hoc igitur sensu manifestè loquitur Sancta Synodus, cum aperte dicat, liberum arbitrium motum à Deo cooperari, & posse dissentire, si velit, hoc est, liberum arbitrium, etiam dum movetur à Deo, & dum cooperatur, habere potentiam ad dissentiendum Deo vocanti. Unde ridendus planè ab omnibus eruditiss, & explodendus est sensus, quem Adversarii affingunt Concilio, videlicet, liberum arbitrium motum à Deo posse dissentire, hoc est, posse componere dissentium cum motione illa, quæ movetur à Deo: ridendus, inquam, quippe qui manifestam involvat contradictionem; quia definitio Concilii non est absoluta, quod voluntas à Deo mota possit dissentire, sed cum illo addito; quod voluntas mota cooperatur assentiendo Deo vocanti, & excitanti, & potest dissentire: quod profectò alium longè diversum sensum representat; significat siquidem voluntatem motam cooperari assentiendo, & eandem motam etiam cooperando, atque assentiendo posse nihilominus dissentire, hoc est stare cum tali motione, sicut & cum ipsa cooperatione, & assensu potentiam ad dissentiendum. Si verò sensum compositionis his verbis attribuerimus, ridicula planè fuerit definitio Concilii, cum ille sensus nihil sit aliud, nisi quod voluntas simul, & semel componere possit motionem Dei, atque adeò suam cooperationem, & assensum (qui in eodem planè est instanti cum motione) cum dissentiu; quod est dicere, voluntatem posse elicere simul, & semel assensum, & dissentium respectu ejusdem, hoc est respectu vocationis, & excitationis Dei, ad quam Concilium dissentium comparat, sicut & assensum: quod ridiculum esse, & implicans nemo non videt. Quod sanè ipsa phrasis, & ipse contextus canonis clarissimè convincunt.*



28. At hic pro complemento dubii silentio præterire non possum, quantum allucinatiss sit Jansenius credens, verbis Concilii hujus Canonis 4. posse confundi liberum, & voluntarium, dum de gratia Christi Salvatoris lib. 6. cap. 35. sic scribit: *Itaque, sicut Scholastici quando audiunt Synodum Tridentinam dicentem, voluntatem posse dissentire si velit. . . putant, & rectè, significari humani arbitrii libertatem; sic etiam intelligunt eadem prorsus ratione, libertatem indicari, si diceretur, voluntas posse velle, si velit, posse non velle, si velit. Nam quid est posse dissentire, nisi velle? Quid est dissentire, nisi non velle? Quibus errorem simulat, eoque periculosius, quod sub verbis in speciem Catholicis delitescit. Quare ut punctum difficultatis aperiatur, & mens Concilii dilucidetur, diligentè observandum cum Angelico Præceptore quodlibet. 5. q. 2. art. 2. quod conjunctio si duplicem ordinem importare potest, scilicet causæ, seu principii, & consequentiæ. Primo modo dicit principium, & causam, qua ratione probat D. Thomas, quod hæc propositio, *Deus potest peccare, si vult, est falsa*; cum hoc ipsum, quod est posse peccare, non sit sub-*

I

ctum

cum Divinæ voluntati; alioquin voluntas Divina esset principium immutationis Divinæ naturæ, quod est impossibile. Alio modo importat ordinem consequentiæ, seu connexionem antecedentis cum consequenti, antecedente existente vero, vel falso, contingente, vel necessario, possibili, vel impossibili ratione inquit D. Thomas, quod hæc locutio est vera, si Deus vult peccare, potest peccare; sequitur enim sine conditione si argumentamur ex impossibili posito, Deus vult peccare: ergo potest peccare. Et ad primum: Cum dicitur sic: si Deus vult peccare, potest peccare, antecedens est impossibile: unde nihil prohibet conditionalem esse veram, consequente existente impossibili. Quo supposito, conjunctio illa si posita à Concilio non intelligi debet purè conditionaliter modo dicto, quatenus importet formaliter ordinem causæ, seu principii, & consequentiæ, cum voluntarium utcumque non sit causa libertatis, nec actus, hoc ipso quod voluntarius est, sit liber; sed supponit Concilium ex parte liberi arbitrii indifferentiam activam, & dominium, quod habet voluntas supra suos actus, excludens determinationem virtutis ad unum, & violentiam causæ exterius agentis, per quod in ejus potestate est velle, vel non velle, operari, vel non operari, consentire, vel dissentire gratiæ vocanti, retinens, dum movetur, potentiam dissentendi, si velit; in quo solum Concilium exprimit dominium liberi arbitrii supra suos actus, quod apertè negat Jansenius, ut supra annotavimus, dicens de grat. Chri-

sti lib. 6. cap. 3. *Nihil aliud existimamus, quam cognitionem, ac delectationem, seu delectabilem objecti complacentiam esse id, quod tantam potestatem in liberum arbitrium habet, ut eum faciat velle, vel nolle, seu ut eâ presente actus volendi sit re ipsa in ejus potestate, absente non sit.* Et cap. 7. *Dico igitur S. Augustini principiis insistendo, aliquid omnino esse præter nudam facultatem voluntatis, quod eam facit velle, vel nolle, quo omnino absente sit impotens, sive ad bonum, sive ad malum.* Quod ut salvet ipse, hanc pravam Concilii intelligentiam amplectitur, quasi diceret: liberum arbitrium potest resistere gratiæ, supposito, quod velit ipsa resistere, & quamvis non possit refragari, posset tamen, si actu vellet, cum velle, & operari sint idem respectu voluntatis: *Nihil enim, apud ipsum ibi cap. 5. Magis facimus, quando volumus, quam ipsam volitionem: & ided nihil magis in potestate nostra, quam ipsa voluntas, id est volitio, constitutum est:* ut ex hoc inferat, quod posset liberum arbitrium velle, si vellet, & nolle, si non vellet; ac per consequens, quod potest dissentire, si velit, & resistere, si actu nolit, ut sic componat libertatem cum gratia necessitante. Hæc sufficientiant, quia non omnia hic perfecti statuimus, multaque sunt addenda inter discernendum de irresistibilitate gratiæ efficacis, & concordia libertatis. Multa namque hic attingimus, quæ sunt adhuc ibi exigenda: sicut & plurima sunt illic ex hoc loco petenda, cum ita maximè complexæ sint hujusmodi difficultates.



DISPUTATIO II.

De subjectione liberi arbitrii creati Deo naturæ, & gratiæ auctori.



MENTIS industria, omneque studium inesse debet cunctis ad altissimam hujus difficultatis celsitudinem ascendere volentibus prius discernere scire se, ut erudita mens ad cognitionem gratiæ valeat pervenire. Hac profectò cognitione nil melius, nil utilius, nil excellentius, nil æstimandum charius. Est namque gratia Dei prima cognitio nihili nostri, ut testatur Apostolus ad Galatas cap. 6. v. 3. *Nam si quis existimat, se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* Nihil etenim sui non cognitione fallacius, nihil ad spiritualem cæcitatem inferendam funestius. Humilior debet esse homo ex eo, quod deest, ne superbiat ex eo, quod adest; ut insignitè expressit D. Augustinus in Psalm. 38. num. 8. & 18. *Nam qui putant, inquit ille, se aliquid habere, cum hic vivunt, superbiendo non accipiunt, quod deest: quia magnum putant esse, quod adest. Qui enim putat, se esse aliquid, cum nihil sit, semetipsum seducit. Nec isti ex hoc magni sunt. Nam & inflatio, & tumor imitatur magnitudinem, sed non habet sanitatem. . . . Ipsa est ergo gratia beneficii Dei prima, redigere nos ad confessionem infirmitatis, ut quidquid boni possumus, quidquid potentes sumus, in illo simus: ut qui gloriatur, in Domino gloriatur.* Hinc, superius ostenso, liberum arbitrium esse facultatem rationis, & voluntatis, qua eligitur bonum gratiæ existente, dignoscenda, & examinanda venit tam excellentia, & dignitas, quam subjectione liberi arbitrii summo Deo, ut cognoscamus, quid sumus ex nobis, quid ex gratia Dei, ut nullus gloriationi inani, jactantiæ, ac fiduciæ, & propriis viribus relinquatur locus; ut non infletur voluntas, nec altum sapiat, sed gratiam Dei donum confiteatur, largitori gratias agens cum Apostolo 1. ad Corinth. 15. dicente: *Gratia Dei sum id, quod sum.* Non enim potest gratiæ Dei non esse subjectus, qui propriæ infirmitatis est conficius, propriæque conditionis gnarus.

Hæc est vera illa sapientia, quæ à Domino Deo est, ut cognoscamus, totum à Deo accepisse, quod in nobis est. Hoc & erit summæ dementiæ signum, & superbiæ vitium de alieno intumescere, vel Dei gloriam nobis vindicare. *Quid enim habes, inquit Paulus 1. ad Corinth. 4. quod non accepisti: quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ut in Dei misericordia confidat homo, & non in viribus suis; fortitudo etenim liberi arbitrii non ex nobis quasi ex nobis, sed ex Deo est. *Deus Dominus fortitudo mea.* Psalm. 42. *fortitudinem meam ad te custodiam; quia Deus susceptor meus es, ut ait Psalmista Psalm. 58.* Et Augustinus ibi: *Quia ergo fortitudine opus est, imploranda ab illo est, qui jussit, ut fortes simus, & nisi fortes ipse fecerit, non erimus, quod jussit; ab illo, qui dixit, qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Ne sibi ipsa anima arrogando fortitudinem debilitetur, ait Propheta, tu es Deus fortitudo mea.* Et iterum in Psalm. 117. *Nemo cadit, nisi qui sua sibi vult esse fortitudo, testatur ipse Augustinus.* At cum Deus hominibus liberum dederit arbitrium, ut, quod volumus, eligamus, præbueritque rationis judicium, ut, quod præstantius sit, discernere valeamus: sitque libertas, ut inquit Bernardus serm. 81. in Cantic. *Divinum quiddam esse præfulgens in anima, tanquam gemma in auro inclusa, qua Dei potissimum imaginem homo exprimit, ut est communis PP. sententia cum D. Thoma 1. p. q. 83. art. 4.;* propterea, ut integra, perfecta, ac suis omnibus partibus absoluta sit libertatis notio, disputandum secundò duximus, an detur in actibus liberis subordinatio dependentiæ, & causalitatis à Deo, qua nempe creaturæ in suis actibus liberis dependeant, & moveantur ab ipso? Ne quem animus fallat, & noxiæ, ac infelicis aliàs libertatis superbus amor, & falsa cognitio causam præbeant, ut dicatur ipsi, quod aliis olim reponebat Augustinus de spirit. & litter. cap. 3. *Adedne liberi esse volunt, ut nec Deum velint habere Dominum?*

DUBIUM I.

An liberum hominis arbitrium in suis prædicatis essentialibus importet subordinationem Dei ad nos ?

§. I.

Deum subjici, aut subordinari creaturæ nullo sensu dici potest.

Rejiciuntur modernæ aliquorum locutiones.

S Anctus Thomas 3. p. q. 20. art. 1. tripliciter docet humanam naturam Deo subordinatam, seu subiectam. Primam subjectionem nominat secundum gradum bonitatis, quam habet à summo bono, & illi hac ratione necessariò subiecta est. Secundam dicit esse quantum ad Dei potestatem; quatenus humana natura subjacet operationi Divinæ dispositionis. Tertiam denique quantum ad proprium actum; quatenus propria voluntate obedit eadem natura Divinis mandatis. Hæc doctrina altas habet radices in Scripturis Sanctis, eamque Ecclesiæ Patres religiosissimè coluere, ut nemo, qui in illis aliquantò versatus sit, inficiabitur. Pertinet autem ultimum ex iis obedientiæ genus ad morale dominium; soli enim Deo debet obedientiam homo, in quantum homo. Secundum verò ad providentiam. Primum denique ad operandi virtutem. Circa postremum nulla unquam orta est, aut oriri potuit dubitationis umbra. Quis enim cogitare audebit, non teneri nos omninò obedire Divinis mandatis? Aut quis adeò erit sacrilegus, ut Deum subjiciat nostris? Æquè certum deberet esse secundum, nisi aliquatenus modernorum cogitationes germanum illius veritatis sensum confunderent. Nam operationem Dei nostræ subjicientes, & rerum humanarum ordinationem à nostris actionibus dependere existimantes, tantum subtrahunt Divinæ potestati, quantum nostro tribuunt arbitrio. Eorum autem doctrinæ, & nostræ apertius diffidium apparebit, dum ad primum ex memoratis subjectionis genus consideratio ascendat. Nos enim majorum vestigiis insistentes, & sacris eloquiis, atque definitionibus, ut statim apparebit, omnino adhærentes, firmissimè tenemus, nihil in nobis boni esse, seu physicum, sive morale in ordine, æquè naturali, ac supernaturali rerum, quod à Deo non sit, ut à principio, & causa, à qua illud suscipimus, ipsumque suscipere à Deo in nobis esse, quia bonum est. Ideò fingi non potest determinatio aliqua nostra, qua determinetur à nobis Deus; quia si determinatio est, actus est, & bonitatem habet; si autem bonitatem habet à Deo est: itaque semper operatio Dei debet præcedere. Unde

nulla est actio nostra, qua Deo subiecti non sumus. Si enim quæcumque sit, actio est, hac ratione bona est; nec nisi ab illo bonum habere possumus; nec, cum bonum habeamus ab illo, possumus illi non esse subiecti, à quo illud habemus.

2. Huc spectat, quod dictum est ab Apostolo ad Hebr. 1. v. 3. *portans omnia verbo virtutis suæ*. Quod virtutem Dei activam significat, ut nemo nescit, ac æquè omnia eidem virtuti subijci, & subordinari manifestè prædicat. Id enim est, *portare omnia*; omnia causare, & omnibus transcendentali actionis virtute conferre esse, & bonitatem. Simile est illud 1. ad Corinth. 12. 6. *qui operatur omnia in omnibus*. Et iterum ad Ephes. 1. 11. *qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*. Omnia ergo in nobis operatur; non secundum determinationem, quam virtus ejus expectat à nobis; sed secundum consilium voluntatis suæ. Ecquid aliud est, omnia eidem secundum operationem subijci? Si autem omnia in hoc genere causandi, operandi, seu agendi Deo subijciuntur: ergo nihil excipitur: ergo Deo subijci, & subordinari est libertati creatæ essentialiter: nequit enim non esse essentialiter Deo subiectum, quod Deus essentialiter sua operatione subijcit: ergo vel neganda est contra Apostolum, quòd de essentia actionis Divinæ sit Deo subijcere omnia, vel asserendum, quòd de essentia, vel essentialiter est libertati creatæ subijci Deo per operationem Divinam; non enim libertati creatæ, si existit, accidit subijci, & subordinari Deo, quod enim accidit alicui, si existit, potest illi existenti non convenire, & libertati creatæ defectus hujusmodi subjectionis est penitus impossibilis: sicut & impossibile est, quòd ipsa actio Deo non subijciat libertatem creatam. Immò quod principaliter includitur in ipsa est hujusmodi Deo subordinatio. Teste namque D. Thoma 1. p. q. 60. art. 5. *Unumquodque, quod secundum naturam hoc ipsum quod est, alterius est, principaliter, & magis inclinatur in id, cujus est, quam in se ipsum*. Ergo cum creatura secundum id, quod est, Dei sit, non potest non inclinari principaliter, & magis in Deum, quam in se ipsam; quod nihil est aliud, quam ex sua essentia esse Deo subiectam, & subordinatam: quæ vera subiectio est penitus ab ipsa inseparabilis, non solum in ordine naturæ, sed & in ordine gratiæ. *Ipsius enim sumus factura*, inquit Apostolus ad Ephes. cap. 2. *Creatus in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*. Hæc enim opera Deus in nobis operatur gratiæ suæ virtute, effi-

efficacissima, quæ prædestinatione sua præparavit, ut illa liberè exerceamus, & in illis proficiamus absque suæ omnipotentis subordinatione ad creaturam: *Cum non solum à Deo facti simus, quod sumus, sed & quòd liberi sumus*, ut dixit M. P. Augustinus in Enchir. cap. 30. Tunc ergo efficimur verè liberi, cum Deus nos creat, non ut homines, quos jam fecit, sed ut boni homines simus, quos nunc gratiâ suâ facit, ut simus in Christo nova creatura; semper nempè dependens ab ipso, & ei verè subiecta in esse, & operari. Unde & Psalm. 61. *Nonnè Deo subiecta erit anima mea? Ab ipso enim salutare meum*. Legatur integer Psalmus, ubi tot sunt hujus veritatis præconia, quot versus. Huc etiam spectat illud ejusdem Pauli, quod habetur Actor. 17. *Non longè Deus est ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, movemur, & sumus*. Ut enim explicat D. Thomas 1. p. q. 18. art. 2. *Nostrum vivere, & nostrum esse, & nostrum moveri causatur à Deo*. Ipsum esse Deus influit in unoquoque nostrum, quia in ipso sumus: etiam operari Deus efficit in nobis, quia in ipso movemur. Efficit & omnes vitales motus, quibus etiam liberi voluntatis actus comprehenduntur, quia in ipso vivimus: quod totum ibidem exprimit D. Paulus, dum inquit: *Ipsè dat omnibus vitam, & inspirationem, & omnia*. Ex quibus constat, recta ratione doceri dependentiam essentialiter creaturæ à Deo tam in ipso esse, quam in operari.

3. Hinc meritò SS. D. Innocentius Papa XI. fer. sexta die 23. Novemb. anni 1579. damnavit has duas propositiones: *Deus donat nobis omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam, aut librum: & Deus subijcit nobis suam omnipotentiam; quas, ut temerarias ad minimum, & novas damnat, & prohibet*. Errore procul dubio sese obstringerent quicumque affirmarent, libertatem constitui per hujusmodi subjectionem Dei ad nos. Nihilominus tamen non desunt AA. S. J., qui pro tuenda libertate pro certo affirmare non verentur subordinationem quandam Dei ad nos. Quæ subiectio, & subordinatio duplici modo ab ipsis excogitatur. Primò per hoc, quòd Deus omnipotentiam nobis liberè subijciat per decretum, quo illam applicat voluntati ad concurrendum, quæ est sententia omnium Recentiorum, qui tale Decretum asserunt necessarium. Secundo modo hæc subiectio ab ipsis excogitatur; quia natura ipsa voluntatis hanc pro suæ complemento potestatis subjectionem omnipotentis requirit, quod videtur ab his AA. omninò esse dicendum. Sicut expressè propugnat P. Michael Avendaño, qui lib. 4. disp. 17. §. 14. Characteribus Majusculis talem expressis verbis apponit titulum, §. 14. cap. 2. *Subordinatio Dei ad nos constituit libertatem nostram, eoque titulo pugnat cum illa decretum, sive prædeterminans, sive concomitans ex se efficax*. Hæc ad verbum P. Aven-

daño: quæ legens obstupui; nec scire potui, quo sano sensu id unquam dici potuerit. Priorum autem Catholicorum sententias, & loquendi candorem intuitus, miratus sum resonantem in Ecclesia Dei tantæ novitatis vocem. Existimat ergo Scriptor iste (nec solus) subordinationem Dei nobis ita esse de essentia libertatis creatæ, ut, ea deficiente, deficeret & essentia libertatis. *Quid enim aliud est quidditati-vè libertas*, inquit ille, *quam potestas eligendi, seu potestas se determinandi per suam actionem pro libito suo ad hoc potius, quam ad oppositum; sed hæc penitus deficeret, deficiente hujusmodi subordinatione Dei ad nos: cum repugnet dari in voluntate nostra potestatem utendi pro libito suo concursu alterius causæ, sive Divinæ, sive creatæ, nisi talis causa sit in concurrente subordinata nostra libertati: ergo deficiente subordinatione deficeret libertas*. Hoc ita certum credidit, ut asserere non dubitaverit, esse lumine ipso naturali notum, quod latissimè probare conatur. Semper tamen fugit hunc loquendi modum, *Deus est nobis subiectus, subiectio Dei ad nos, asserens, Deum subordinari, non verò subijci; licet aliquando confundat, vel pro eodem accipiat subordinare, & subijcere, ut constat ex disp. 17. §. 21. n. 2. ubi sic habet: Stante autem ista subiectione nostri ad Deum in operando, intellecta in eo sensu, potest simul adesse in Deo subiectio, seu subordinatio ad nos in operando*. En quomodo apud ipsum voces istæ subiectio, & subordinatio sunt synonymæ, quidquid alibi dissimulaverit. Et citatum numerum secundum concludit: *Et simul Deus est nobis subiectus, seu subordinatus in operando subiectione, seu subordinatione contingente ex dignatione Dei libera*. Et n. 3. circa fin. ter admittit in Deo subiectionem ad nos. Idem repetit num. 4. circa fin. & sanè verbum subordinatio nihil aliud videtur importare, quod ad præsens attinet, quam subiectio, quia aliquid, vel aliquem alicui subordinare, est illum sub ordine, & dispositione illius ponere, ut nempè, illo jubente, iste obediat: quod planè est unum alteri subijcere.

4. Non absimili modo sentit P. Marin tract. 3. de prædest. disp. 5. sect. 4. Hic enim postquam n. 36. vitandas docet voces istas *subordinatio, & subiectio*, quia sonant inferioritatem respectu causæ, cui subijcitur, & subordinatur, quam inferioritatem non habet Deus dans Creaturæ esse, vires, & libertatem, quæ non posset exire in actum, nisi Deo immediatè concurrente, tamen communem suorum doctrinam commemorans, & prædictum eorumdem sensum involvens, atque ad luculentiorum illius explanationem viam sternens, dicit, *Quod Deus dando libertatem, relinquat creaturam in manu consilii sui, ut sola voluntas determinet, quid teneat, ut dicunt SS. PP. relati, & D. Thomas*. Unde numero sequenti statuit, quòd Decretum applicativum omnipotentis debet esse indifferens, ut se-

femel posita libertate, solum maneat in dominio voluntatis se determinare ad unum exercitium præ alio: Postea mentem suam distinctius aperit in responsione ad quintum argumentum n. 47. ubi objiciens sibi duas illas propositiones ab Innocentio damnatas, sic respondet: *Cont. Maj. & neg. min. Quia illæ propositiones jure sunt damnatae, ut jacent, & in nullo ex nostris AA. reperiuntur, ut jacent, similes propositiones. Quod unus, vel alter dicit, est, Deum quasi subdicere nobis suam omnipotentiam; quod limitativum quasi, valde alienat ly subdici. Cui locutioni fortè occasionem dedit Isai. 43. servare me fecistis in iniquitatibus. Anselmus de casu Diaboli cap. 18. Non solum habet aliquis à Deo, quod Deus sponte dat, sed etiam, quod sponte rapit, Deo permittente. Et ex Bernardo dicente: Deum quasi invitum damnare, ut vidimus disp. 3. sect. 4. Et quidem potius denotat, subjectionem esse obligationem ex justitia ad faciendum, quod velit Creatura, quam parare indifferenter omnipotentiam, ut Creatura determinet. Et Thomistæ communiter dicunt, ut videmus disp. 5. sect. 1. Deum non solum esse obligatum ex justitia ad acceptanda merita Christi, sed esse obligatum ex justitia ad præmianda merita Sanctorum. Verius tamen, & decentius judico, non esse utendum his terminis, Deus quasi subdit omnipotentiam, quia videntur malè sonare: quæ solum ratione fortè jure damnaretur non solum hic modus loquendi, subdit, sed etiam hic, quasi subdit. Satis est cum Scriptura dicere, quod parat omnipotentiam, relinquendo nos in manu consilii nostri. P. Herrera de prædest. q. 8. sect. 3. n. 53. cum aliis asserit, omnipotentiam non indigere alia sui applicatione, quàm exclusione, tum prædeterminationis, tum decreti efficacis, unius extremi ab illo extremo omnino independentis. Hic prudens Lector animadvertat, qua veritate P. Marin asseruerit, in nullo ex suis hanc assertionem reperiri.*

5. Ab eadem subjectione omnipotentiae non dissentit Reverendiss. P. Thyrsio, qui tom. 1. suarum select. disp. 11. n. 14. sic scribit, *Quia tamen vult, ut operetur liberè, illud decretum (indifferens nempe) manet expositum, ut pro nutu voluntatis conjungatur cum carentia actus; quia licet ex se sit efficax ad subdiciendam omnipotentiam arbitrio creato, non tamen ad inducendum concursum simultaneum. Et n. 15. ibi. Nam hoc ipso, quod Deus voluit producere voluntatem, eique conferre cognitionem sufficientem ad honestè, vel pravè operandum, voluit illi subdicere suam omnipotentiam in ordine ad utrumque extremum. Uno verbo P. Avendaño disp. 13. cap. 3. p. 3. asserit, esse communio-rem sententiam inter Jesuitas, & re vera recentiores Jesuitas considerantes, apud omnes fermè, quos novimus, iste discurrendi modus propugnatur. E contra verò Thomistæ hanc Dei nobis subjectionem quomodocumque ab ipsis explicatam rejiciunt.*

6. Ante omnia autem observandum pro

intelligentia memorati decreti Innocentii XI. falsissimum esse, propositiones istas fuisse ab ipso damnatas, quia, ut jacent, significant dominium proprietatis in Creaturis respectu omnipotentiae, ut sentit P. Marin loco citato, quod evidenter ostenditur sequenti discursu. Propositiones illæ fuerunt à Sede Apostolica, ut temerariae, non tamen, ut hæreticae, & blasphemæ proscriptæ: sed si in ipsis exprimeretur dominium proprietatis in Creaturis respectu omnipotentiae, ut hæreticae, & blasphemæ pronuntiarentur ab Ecclesia: ergo non fuerunt damnatae, quia ut jacent, explicant dominium proprietatis in Creaturis respectu omnipotentiae. Minor de fide est, secundum quam, sicut Deus non facit nobis propriam sanctitatem suam (quod definitum est in Concilio Tridentino) ita nec virtutem, aut potentiam suam. Nec eum, qui solus Dominus est, dicit aliquis nisi blasphemus, dare nobis dominium supra se: quod prædicat perpetuus Sacrarum Scripturarum sermo, per quas non solum Aeterna Veritas hoc nos docet, sed & D. Thomas 1. p. q. 23. art. 5. asserens: *Nemo fuit tam insanae mentis, qui diceret, merita esse causam prædestinationis ex parte actus: quia actus iste est ipse Deus; sed etiam omnipotentia Dei est ipse Deus: ergo non minus insanae mentis, sive fanaticus esset, qui diceret, Deum transferre dominium in voluntate creata, ut habeat verum proprietatis dominium supra ipsam. Non ergo in propositionibus damnatis significatur hoc verum proprietatis dominium, sed solum libera omnipotentiae subordinatio in concurrente cum voluntate creata ad actus liberos; aliàs non temerariae, sed ut diximus, blasphemæ, & hæreticae essent damnatae propositiones.*

7. Huic primæ observationi affinis est altera contra R. P. Thyrsio loco citato dicentem: *Undè patet, quo sensu dixerit, Deum quasi subdi, & subordinari arbitrio creato ex indulgentia, & benignitate sua, nempe cum addito distrabente verbum subdicio, & subordinatio à significatione ad aliam, scilicet quoad determinationem, quatenus se sinit, determinari à voluntate creata, quod non est subdicere, & subordinare omnipotentiam arbitrio creato, sed subdicere actionem quandam omnipotentiae, scilicet in fluxum actualem illius in actionem liberam Creaturae, in quo sensu primam propositionem explicat. Cui doctrinæ consentit P. Marin judicans, ut verius, ac decentius non esse utendum his terminis, Deus quasi subdit suam omnipotentiam, quia videntur malè sonare, & qua solum ratione forte jure damnaretur non solum hic modus loquendi, sed hic, quasi subdit. Hoc autem falsum penitus judicamus; temerariè namque uteretur quis illis vocibus, & expressè contra damnationem factam, cum nihil aliud dixerint Auctores illarum propositionum, qui per hæc verba, dono, ac subdicio, rigorosum domi-*

nium

nium non intellexerunt: nam ut diximus, id esset hæreticum, & blasphemum, & dum Sanctissimus ab his censuris abstinuit; illa quasi subdicio est, quam fulmen Apostolicum comprehendit.

8. Si tamen verè, & ut par est, sincerè horum Auctorum principia, & sensus scrutemur, nescio, quid faciat temperamentum illud adverbii quasi. Nam si veræ subjectionis significationem non avertit, quid aliud est quod damnatum est? Verbis, & sensibus sole meridiano clarioribus damnatum est dicere: *Deus subdit nobis suam omnipotentiam.* Quid è contrario faciet temperatio vocis per adverbium quasi; dum maneat integritas sensus? Quod si velint abalienari non modò vocem, sed etiam rem; ut adjuncto adverbio quasi non maneat vera subdicio, scire amabo, quomodò id cum eorum principiis, & doctrinis cohæreat? Etenim influxus Dei in actu secundo juxta ipsos est nobis verè, & propriè subordinatus; & non potest influxus Dei in actu secundo esse nobis verè, & propriè subordinatus, quin verè, & propriè subordinata sit nobis Dei omnipotentia: implicat quippè, influxum alicujus causæ, prout ab ipsa fluit, esse nobis subdicitum, & subordinatum, quin ipsa causa, & influens, sit nobis subdicitum, & subordinatum: quod inductivè constat, tum in habitu, cujus influxus, quia prout ab ipso profluit, nobis subdicitur, etiam ipse habitus, ut influens, & ut influat, nobis est subdicitum; tum in potentiis inferioribus, quæ operantur ex motione, & imperio voluntatis; tum in instrumento etiam quoad actionem particularem, & propriam: immò & in causis naturalibus, quæ influunt in opus artificiale ex imperio, & directione artis: ergo si influxus omnipotentiae est nobis verè, propriè, & absolutè subdicitum, & ipsa Dei omnipotentia. Ad quid ergo illud quasi, si explicativum non est veræ subjectionis absolutè talis, quam reapse doctrina continet? Ergo illo posito, vel omisso, doctrina illarum propositionum, quæ tot annorum lapsu oblitterata, & quasi extincta debebat esse, jam restrictione illa revivificat, cum semper quibuscumque vocibus illa omnipotentiae applicatio, sive concursus Dei hominis determinationi relictus, explicetur, semper vera, & absoluta subordinatio Dei Creaturis ab ipsis concedenda videatur, qua semel concessa, credet quis facilè, ægrè posse Auctores hanc propugnantes prohibitionis fulmen effugere. Nec ob id assertivè pronunciamus, damnatum esse in illis propositionibus applicationem omnipotentiae per decretum indifferens. Absit, dum controversiam istam attingere spiritu pacis, & lenitatis intendimus; nec nostrum ultra dicere est, donec expressus judicium Summi Pontificis accedat. Ad inconveniens tantum sententiam istam deducere conamur, quod longissimè distat à censura, alioquin nulla sententia ab inconve-

nienti contra fidem ex illa secuto, impugnari posset; cujus contrarium passim apud Theologos inter se disputantes legitur. Hoc ergo solum proponimus, ut, qui veritatem amant, certius instruantur: cum hoc sit hujus gravissimæ disputationis initium, hoc prolixo litigii caput, hincque nata est acrior utriusque Scholæ concertatio, quæ per tot annos Theologorum omnium exercet ingenia.

S. II.

Repugnat aliquod decretum liberum in Deo omnipotentiam à libertate creata determinabilem, vel ipsi subordinatam statuens.

9. Fundatur primò assertio ista, sequenti satis efficaci discursu. Idem est, omnipotentiam esse à libero arbitrio determinabilem, ac esse libero arbitrio subdicitam: sed ex dictis repugnat hujusmodi subdicio: ergo & quod omnipotentia sit à libero arbitrio determinabilis. Major probatur: concurrentibus duabus causis, illa verè, & propriè subdicitur aliam, à qua incipit verè, & propriè alterius efficientia, & sub cujus dominio ita est alterius concursus, prout ab ipsa profluit, ut in effectum non possit influere, nisi ex dominio, applicatione, & determinatione talis causæ: sed à determinatione creatae voluntatis, ut fatentur Adversarii, incipit verè, & propriè concursus Divini efficientia, & Deus ut actu operans, sive concursus illius ad aliquem actum liberum non existit proximè, & formaliter ex determinatione Dei, sed ex determinatione voluntatis creatae: ergo idem est, omnipotentiam esse à libero arbitrio determinabilem, ac esse libero arbitrio subdicitam. Vel aliter. Omnipotentia, taliter applicatur voluntati creatae ex vi decreti indifferens, quod voluntas creata, & Deus cum ipsa non operetur id, quod Deus voluerit, vel in quod inclinaverit, & direxerit voluntatem creatam; sed potius indifferens Deus operatur id, quod voluntas creata voluerit, & in quod ipsum inclinaverit. Etenim hominem esse relictum in manu consilii sui juxta ipsos est tali sensu verum, ut omnino repugnet, salva libertate, Deum voluntatem creatam movere, inclinare, & determinare ad aliquod agendum; sed hoc est vera subdicio ex parte Dei, verumque dominium ex parte Creaturae: cum dominium rei definitivè sit, facultas utendi re ad quos voluerit usus: ergo idem est, omnipotentiam esse à libero arbitrio determinabilem, ac esse libero arbitrio subdicitam.

10. Doctrinam istam assumit ut principium notum P. Augustinus Herrera q. 9. de prædest. ubi, excludens decretum comitans propugnatum à P. Ribadeneira: dicit, *Quod sicut*

sicut vera potestas determinandi consensus est verum dominium; ita vera determinabilitas ab alia causa libera ad eundem consensus est vera subjectio physica in ordine ad predictum consensus. Verba sunt hujus primarii Complutensis, qui iterum ibi hoc ipsum docet sequenti discursu. Subjici causam A alteri potestati liberæ, v. g. causæ B in ordine ad aliquem effectum, nihil est aliud, quam ita esse causam A, sub potestate libera causæ B, in ordine ad illud opus, ut causa A nequeat transgredi determinationem liberam causæ B, si enim causa B ita habet in sua potestate effectum causæ A, ut possit determinare causam A, ut eliciat suum effectum, & causa A nequeat ponere illum, nisi determinante causa B, causa A subjicitur causæ B in ordine ad predictum effectum. Quid enim est aliud subjectio physica, quam physica necessitas conformandi se determinationi alterius? Sicut enim subjectio moralis per moralem obligationem hujusmodi necessitatis explicatur; pari ratione subjectio physica per physicam conformitatis obligationem explicari debet. Hæc P. Herrera, & ut vera ex lumine naturali. Ecce quomodo vera potestas in voluntate creata ad determinandam omnipotentiam, & vera determinabilitas in omnipotentia à potestate voluntatis creata in ordine ad concurrendum ad consensus est verum dominium in voluntate creata supra omnipotentiam, & in omnipotentia vera subjectio ad voluntatem.

11. Hoc & fateri tenentur Adversarii. Primò, quia juxta principia, quibus nititur scientia media, omnipotentia ita est sub potestate voluntatis creata in ordine ad efficiendum consensus, ut concursus omnipotentia unice existat pro determinatione voluntatis Divinæ, quæ nec potest resistere voluntati creata, neque suæ omnipotentia concursum impedire, si voluntas creata eam ad concurrendum applicare voluerit; alioqui non manebit, ajunt, libera. Sed si concursus Divinus unice existit pro determinatione voluntatis creata, & nullatenus pro determinatione voluntatis Divinæ, & voluntas Divina resistere non potest voluntati creata omnipotentiam ad concurrendum determinanti, datur vera omnipotentia subjectio, verumque in voluntate creata concursus Divini dominium: ergo determinabilitas omnipotentia à voluntate creata est vera omnipotentia subjectio voluntati creata.

12. Secundò: decretum indifferens saltem inadecuatè constituit voluntatem creatam expedite potentem ad operandum liberè, & cum dominio supra suos actus, ut asserunt ipsi; sed juxta ipsorum principia, ut voluntas sit liberè potens elicere actum, debet habere sub dominio, & potestate ipsius, quidquid necessarium est ad existentiam actus, aliter enim verificari nequit, quòd voluntas habeat illud privativum dominium,

quod ipsi volunt: ergo cum ad existentiam actus essentialiter requiratur influxus omnipotentia in ipsum; etiam talis influxus debet esse sub dominio voluntatis. Vel aliter: non est vera libertas apud defensores scientia mediæ, nisi omnia comprincipia constituentia potestatem ad actum, & omissionem, sint à voluntate æquè determinabilia ad utrumque libertatis extremum; sed unum ex comprincipiis requisitum essentialiter, & ut constitutum hujus potestatis est omnipotentia parata ad concurrendum, sive applicata voluntati: ergo omnipotentia sic parata, & applicata debet esse æquè determinabilis à voluntate, eo prorsus modo, ac reliqua comprincipia; sed reliqua comprincipia, ut sint à voluntate pro suo placito determinabilia, debent esse voluntati verè subjecta: ergo & omnipotentia debet esse voluntati verè subjecta.

13. Hoc amplius urgeri, & explicari potest in concursu omnipotentia ad actum primum, de quo asserunt, Deum medio illo producere tum materiale, tum formale peccati: & cum urgentur, Deum, si suo concursu utrumque attingat, fore causam peccati; respondent, id ex concursu illo minimè sequi: quia concursus ille, etsi physicus, est merè permissivus, quo Deus non concurrat determinativè, seu ex propria determinatione, sed neque ullatenus intentivè, immò potius præter, & contra propriam voluntatem. Sic docet P. Moncada Primarius Complutensis in tract. de concursu ad peccatum cap. 3. n. 17. & cap. 4. num. 34. ibi: succedit immediatè abusus voluntatis, hoc est prava actio, seu electio, per quam voluntas nostra determinando seipsam, trahit concomitanter omnipotentiam quasi invitam, & contra id, quod Deus optabat. Id ipsum latè sub diversis expressionum formulis significantibus reipsa violentiam, & coactionem Dei ex nostra turpi determinatione operantis docet P. Marin: nec aliud frequentius à modernis scientia mediæ defensoribus audimus. Ex hac ergo doctrina apud AA. S. certa; imò & ad explicandum concursum Dei ad peccatum omnino illis necessaria, formatur argumentum. Non stat, Deum à voluntate creata trahi coactum, & quasi invitum præter, & contra propriam voluntatem, atque contra id, quod ipse optabat, quin sit verè, & absolutè subjectus voluntati creata; sive hæc subjectio sit volita per decretum, quo applicat omnipotentiam, sive ex natura ipsa omnipotentia: coactio quippe, cum sit violenta, prærequirit subjectionem in eo, qui cogitur; nullus enim potest cogere eum, quem non habet sibi subjectum. Trahi etiam ad aliquid faciendum contra id, quod aliquis vult, imò & contra id, quod optat, stare minimè potest sine subjectione illius, qui trahitur. Sic Pater cogit Filium, Prælatus Subditum, ut faciant contra id, quod ipsi volunt: quia nempe Filius Pa-

Patri, & inferior subditus est Prælo. Unde Joan. cap. 17. pronuncians Christus Petro martyrium, dixit: *Alius cinget te, & ducet quòd tu non vis.* Ecce prius cingitur, ut subjiciatur Ministris, qui illum non nisi prius subjectum possent ducere, quòd Petrus non vellet: sed Deus præter, & contra propriam voluntatem concurrat ad actum peccati determinatus à creatura: ergo est verè, & propriè subjectus creaturæ juxta illorum doctrinam. Nec putent, se excusari posse, quia dicant, subjectionem hanc esse Deo liberam, & inde non indecentem; cum indecens non videatur subjici, quia vult. Nam præterquamquòd ipsum posse se subjicere indecens est, & perfectionem removet naturæ essentialiter superioris, est etiam falsum, quòd se liberè subjiciat, si hanc subjectionem petit nostra libertas. Non enim dicimus, Deum pro libertate sua facere id, quod titulo Auctoris naturæ facere tenetur: & quod si faceret, debitum negaret. Sed de hoc adhuc postea.

14. Nec præterire valet, quàm arduum sit Adversariis aperire modum, quo omnipotentia voluntati humanæ subdit, & simul indecentiam re, & verbo vitare. Cum enim Omnipotentia Divina non sit ex natura rei subjecta arbitrio creato, aut illi subordinata, requiritur aliquod decretum liberum Dei voluntatem subordinans, quod nequit ab ipsis ullo explicari modo, quale, qualisve naturæ, ac tendentiæ sit tale decretum. Testes appello eosdem, qui eam viam ingressi, nunquam sibi consentientes inveniuntur: nec aliud nobis opus est, nisi pro uniuscujusque impugnatione, aliquem ex iisdem Auctoribus vocare. Quod sanè magnum argumentum prudentibus debet esse, ut agnoscant, quàm sit impossibile firma, & stabilia fundamenta jacere hujusmodi humanæ cogitationis. Veniat in exemplum gravior ex Societatis Scriptoris P. Suarez Prologom. 2. de gratia, cap. 8. asserens, Deum per hoc decretum non absolutè, neque omnino conditionatè, sed quasi sub conditione velle, ut hic actus fiat à voluntate creata, si ipsa se se ad illum eliciendum determinaverit, & sub eadem conditione vellet influere, & concurrere in eundem actum, expectando tamen, inquit P. Suarez, ut sic dicam, influxum voluntatis creata, non quia non posset ipse aliter illum actum efficere, sed quia vult, se se nostræ voluntati ita accommodare, ut ejus non lædat libertatem. Ex vi autem hujus Divinæ voluntatis ita manet applicata Divina Omnipotentia ad influendum in actum humanæ voluntatis, ut hac influente absque nova Dei voluntate, & applicatione suæ omnipotentia, Deus etiam influat, quasi necessitate quadam, orta ex ejus voluntate, quæ ad id, quod vult, & quomodò vult, efficax, & immobilis est. Ita refert Suarez sententiam P. Avendaño disp. 13. cap. 2. §. 1.

15. Sed decreti hujus explicationem non

foli omnes nostri, sed & plures ex suis frequenter impugnant. Debet namque, ajunt, & benè, decretum liberum Dei respicere, objectum contingens; nam objectum omnino necessarium non potest non esse: sicut non potest non esse, hominem esse animal ex suppositione, quod sit: sicut ergo esset imprudens dicere: volo hominem esse animal, si est; ita imprudens esset dicere: volo, id esse, quod esse necessarium est, quod sanè est Deo ob ineptiam repugnans: ergo decretum liberum Dei debet respicere objectum contingens, & non necessarium: sed est objectum omnino necessarium, Deum ad illum actum concurrere, si voluntas ad illum concurrerit, vel si ad illum determinaverit, cum concursus, seu determinatio voluntatis, ac Dei concursus sint idem, ut propugnant ipsi, & est unus omnium animi sensus: ergo Deum sic decernere: volo concurrere, si voluntas concurrerit, vel se determinaverit, idem prorsus est, ac dicere: volo concurrere, si concurrero; quod non contingens, sed necessarium est, & Deo penitus repugnans. Hæc in exemplum dicta sunt, qui plura volent, adeat ipsos Societatis Scriptores P. Suarium rejicientes. Nos autem alios dicendi modos percurramus.

16. P. Avendaño disp. 13. cap. 2. §. 2. n. 1. opinatur, decretum Divinum applicans omnipotentiam ad concurrendum in actum, liberum esse decretum conditionatè efficax, volens scilicet concurrere in amorem, quando res ita se habeat, ut homo sit concursurus ad eum, modò Deus ipse præparetur ad concurrendum in ipsum; in odium verò, quando res ita se habeat, ut homo sit concursurus ad illud, modò Deus ipse sit paratus ad concurrendum in illud: in omissionem, quando res ita se habeat, ut homo sit concursurus ad eam, modò Deus ipse sit paratus ad concurrendum ad eam. Hæc ille. Et statim n. 2. addit: istud decretum verè æquivalet alteri, quod potest explicari his verbis: *Subordino meam omnipotentiam humanæ voluntati respectu exercitii liberi.* Quod quidem decretum habet pro objecto omnipotentiam, & nostrum exercitium liberum, immediatèque ad utrumque terminatur; ad omnipotentiam quidem, tanquam ad objectum, quod subordinatur; & ad exercitium nostrum, tanquam ad objectum respectu cuius subordinatur. *Ceterum istud decretum, attende verba, dici potest prout magis libuerit, vel efficax sub conditione, vel efficax cum subordinatione,* quæ verba referenda duxi, ne quis à nobis ipsi quidquam falsè impositum fuisse arbitretur.

17. Displicet hujus Auctoris opinio; vel quia ab ipso expressè dicitur, *subordino meam omnipotentiam arbitrio creato,* quod, an patienter possit audiri, non ad nos; non enim est nostrum reddere, quod justitiæ censura judicet, dum solum veritatem investigamus. Secundò: quia dum asserit, quòd decretum illud est efficax sub conditione, interrogo,

sub qua conditione? Certè sub nulla alia, quàm sub conditione, quòd voluntas se determinaverit: ergo decernit Deus efficaciter hoc modo: volo efficaciter concurrere cum voluntate ad amorem, si ipsa se determinaverit ad amorem, vel ad odium, si ipsa se determinaverit ad odium; vel tandem non concurrere, si ipsa non voluerit concurrere. Ex quo decreto, quæ non sequuntur inopinabilia? In primis inferitur, Deum velle efficaciter concurrere, si concurrerit, quia concursus voluntatis, & Dei idem prorsus sunt in Adversariorum sententia. Præterea: vult concurrere ad actum pravum eodem modo, atque ad actum bonum, nam quantum ad concursum volitum per illud decretum nullo alio modo tenditur in actum bonum, quo non tendatur in actum pravum, quidquid sit de volitione inefficaci actus boni, quam aliqui requirunt, ut non sit per accidens concursus ad actum bonum, quo suo proprio loco iudicabitur.

18. Uterius: ex vi illius decreti omnipotentia non est magis applicata ad exercitium, quod de facto eligit voluntas, quàm ad exercitium, quod non eligit: ergo illud decretum, quatenus est ex se, æqualiter vult concurrere ad amorem, ad odium, & ad omisionem, quæ est doctrina ipsius ibi num. 5. & expressius dixerat n. 4. sed juxta ipsum implicat decretum illud esse connexum, seu velle illa tria exercitia esse simul, utpotè incompossibilia: ergo vult illa sub disjunctione, id est, unum vel aliud vult existere: ergo vult efficaciter concurrere, vel non concurrere, quod est simpliciter necessarium, ac nullo modo contingens.

19. Et tandem: magis difficilis est subordinatio, quam agnoscit ipse in omnipotentia, quàm sit subordinatio habitus ad voluntatem, quam & ipse num. 4. in fine adducit, ut confirmet hujus decreti subordinantis naturam. Et ratio est; quia quantumvis habitus virtuosus, seu honestus sit voluntati subordinatus non potest à voluntate determinari ad malum; esset namque, voluntatem male uti virtute contra rationem ipsius virtutis, quam explicat D. Thomas 1. 2. q. 55. art. 4. dicens: esse de ratione virtutis, quod ea nullus male utatur. Unde *virtus definitur, est bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, qua nullus male utitur*. E contra verò omnipotentia ex vi hujus subordinationis à voluntate determinatur ad malum, quæ applicatio omnipotentia ad malum esset malus usus omnipotentia: ergo peior esset subordinatio, quam statuit in omnipotentia, quàm quæ dari potest in habitu virtuosò in ordine ad voluntatem. Magnam potentiam habitibus nostris deteriore!

20. P. Herrera loco citato aserit, num. 6. quòd ut applicetur omnipotentia nobis ad concurrendum, non requiritur decretum, quo Deus illam applicet; sed si aliquod decretum

requiritur, èd tale decretum tendet, ut auferat impedimenta, quibus exercitium impediri potest libertatis. Sed hæc positio decreti nullum invenit, nec invenire potest in veritate præsidium. Non enim solum sequitur, omnipotentiam nobis esse verè subjectam, verum sequitur, esse ex natura rei nobis subjectam, quod absurdissimum est. Nam causa, quæ se ipsa, id est independentem à propria libertate, est alteri causæ in concurrente subjecta, est ex natura rei in concurrente tali causæ subjecta; sed omnipotentia se ipsa, vel independentem à Divina voluntate est causæ liberæ creatæ subjecta in concurrente, hæc enim est ipsius P. Herrera sententia: ergo ex natura rei est causæ liberæ creatæ in concurrente subjecta. Quæ consequentia inevitabilis est, etiam si debeant præsupponi ablata impedimenta, tam prædeterminationis, quàm decreti connexi, ut arbitrium creatum sibi actu subiciat omnipotentiam, illam ad exercitium à se elicitum determinans. Tum, quia licet grave, ut moveatur à generante, requirat amota esse impedimenta, hoc non obstat, quin grave dicatur subjectum esse generanti ex natura rei. Tum, quia ut voluntas creata dicatur ex natura rei Creatori subjecta quoad motum, sive actum omnino necessarium, non obstat, quòd prærequirat, ablatum esse iudicium indifferens, cum quo impossibilis est actus necessarius; nam esto non Deus, sed ipsa voluntas, vel aliud agens tale auferat iudicium, dum illo ablato independentem ab exercitio libero voluntatis creatæ, creata voluntas est à Deo mobilis ad actum omnino necessarium, dicitur verè subjecta Creatori, quoad sic moveri: ergo si Omnipotentia Divina independentem ab exercitio, seu decreto libero Dei est in concurrente subjecta arbitrio creato, etiam ex natura rei est illi subjecta; etiam si ad exercitium hujus subjectionis debeant præsupponi ablata impedimenta, quibus tale exercitium retardari potest.

21. Hoc pluribus exemplis tam physicis, quàm moralibus explicari potest. In physicis: nam ut causa dicatur ex natura rei activa, non obstat, quòd ad suam actionem indigeat amotione impedimentorum sive à se, sive ab alio faciendæ. Distantia quippe, & humiditas sunt impedimenta combustionis, quam distantiam auferre non potest ignis, etsi possit humiditatem; & tamen quia per hoc præcisè, quòd removeantur, in suam valet actionem exire, ignis ex natura sua dicitur combustivus. Idem videre licet in causis, seu potentiis passivis; ut enim grave dicitur subjectum in actu primo projicienti, sufficit, quòd sublatis impedimentis, illud possit projicere: similiter ut potentia loco motiva dicatur ex natura rei subjecta voluntati, sufficit, si solutis vinculis, illam possit pro suo nutu ad motum determinare. Non minus certum in moralibus: ut Religiosus di-

ca-

catur absolute subjectus Prælo in operibus, quæ requirunt potentiam loco motivam expeditam, non obstat, quòd potentia impedimentum habeat ab utroque auferibile: ergo ut omnipotentia dicatur ex natura sua subjecta voluntati, sufficit, quòd amotis impedimentis, nullo alio indigeat superaddito. Cujus fundamentalis ratio est: quia potentia, quæ, ut determinetur à causa libera, solum eget amotione impedientium determinationem, ex natura sua est determinabilis à causa libera, ut patet in potentia loco motiva; sed omnipotentia, ut à causa libera determinetur, nullo alio indiget, quàm quòd impedimenta removeantur: ergo omnipotentia, ex natura sua est à causa libera determinabilis.

22. P. Marin loco superius citato affirmat, *decretum applicativum omnipotentia debere esse indifferens, cum debeat esse tale, ut semel posita libertate, solum maneat in dominio voluntatis se determinare ad unum exercitium præ alio*. Unde & aserit n. 36. *Sola creatura influit ut domina immediate electiva*. Immo & num. 47. quod *ly quasi subijci denotat potius subjectionem esse obligationem ex justitia ad faciendum, quòd velit creatura, quam parare indifferenter omnipotentiam, ut creatura determinet*. Et tandem num. 53. *agnoscit in voluntate jus proximum determinandi se, & omnipotentiam medio tali decreto applicativo omnipotentia*.

23. Equis non videat eandem Dei subordinationem, & ex natura rei ipsi convenientem, dum agnoscit verum dominium in voluntate supra Dei concursum. Verum, namque dominium supra concursum alicujus causæ arguit veram subjectionem in tali causa: eatenus enim concursus unius causæ potest esse subjectus, ac sub dominio alterius causæ, quatenus ista pro suo placito, & pro determinatione sua potest facere, quòd illa concurrat, vel non concurrat: sicut apud Thomistas, Deus habet verum dominium super actus voluntatis creatæ, quatenus per physicam prædeterminationem potest facere, quòd voluntas creata eliciat, vel non eliciat actum, quòd eliciat quidem, prædeterminando; quòd non eliciat, omittendo prædeterminationem. Et jam ex hoc præcisè, & non alio titulo, homo habet verum, & proprium dominium sui actus per liberum arbitrium, quod est facultas voluntatis, & rationis ad utrumlibet se habens, quia per illud potest determinare reliquas potentias, etiam intellectum, & voluntatem ad suos actus; in quo sanè requiritur vera subiectio in potentiis determinabilibus; quare non potest determinare potentias purè vegetativas, quia arbitrio non subijciuntur. Potentia namque, quæ alteri non est verè subjecta, potest non concurrere, sed resistere: ergo ut infallibiliter concurrat, debet illi esse subjecta. Si ergo in sententiâ istâ datur verum domi-

nium supra concursum omnipotentia, & ipsa omnipotentia ad nutum voluntatis determinabilis, debet esse voluntati subjecta. Uno namque, & indivisibili dominio respicit actum proprium, & concursum Dei: tum, quia actus voluntatis, & concursus Dei juxta illos sunt unum & idem indivisibiliter, & impræscindibiliter; cum ipsi non agnoscant distinctionem aliquam inter concursum, actualem omnipotentia, & operationem voluntatis. Tum, & maximè, quia juxta ipsos sicut actus voluntatis unice existit pro determinatione & dominio voluntatis, ita concursus Dei, seu omnipotentia unice existit pro determinatione & dominio voluntatis, & nullatenus ex determinatione Dei: aliàs asserunt ipsi, quòd Deus non reliquisset hominem in manu consilii sui: ergo quod dominium habet voluntas super actum proprium, id ipsum habet supra concursum omnipotentia; sed super actum proprium habet verum, & strictè tale dominium: ergo & supra concursum omnipotentia ab ipsa determinabilis habet verum & strictum dominium.

24. Nec nobis reponant, subjectionem istam omnipotentia esse consequentem libertatem Divinam, quia Deus potens non purificare conditionem, illam liberè purificavit, atque adeo subiectio illa, non absolute subiectio, sed quasi subiectio dicenda. Vel aliis terminis, quòd parat omnipotentiam, relinquendo illam in manu consilii nostri.

25. Nec enim hic dicendi modus censeri debet immunis ab illa vera subiectione Dei. Quòd enim Deus liberè purificaverit conditionem, sub qua prævidit voluntatem operaturam, sive per consensum, sive per dissensum, non facit, quòd Deus non concurrat verè & absolute subjectus. Est enim certissimum, quòd si Deus necessitatur à voluntate ad concurrendum ex suppositione ipsi Deo non libera, Deus necessariò est absolute subjectus voluntati creatæ: sic appetitum necessitari à voluntate ad prosequendum bonum rationis, cum de se tendat ad bonum sensibile, necessariò supponit, appetitum esse subjectum voluntati, juxta illud *sub te erit appetitus tuus, & dominaberis illius*; ubi plena, vel saltim absoluta subiectio ad arbitrium, significatur: & ut superius diximus, Deum media prædeterminatione physica imponere voluntati necessitatem consequentem ad consensum, probat evidenter, voluntatem creatam esse Deo simpliciter, & absolute subiectam, quod nos libenter fatemur. Supponamus namque, causam esse indifferentem ad concurrendum ad omnia extrema, seu exercitia libertatis, & quòd hæc quantum ad hoc, quod est determinari ad aliquod ex illis, merè passivè se habeat, quia licet re vera efficiat determinationem, non tamen illam efficit determinativè. Supponamus etiam aliam, causam determinantem illius indifferentiam, fa-

faciendo sua determinatione, quod causa illa, quæ pro priori supponitur indifferens, influat, sive concurrat ad aliquod exercitium determinatum. Si ergo non fiat, quod causa ista pro sua determinatione, & dominio auferat indifferenciam causæ illius, & quod illa ipsa quantum ad hoc, quod est determinari, & determinatè influere in hoc potius extremum libertatis, seu indifferenciæ, quàm ad aliud, non sit ipsi subjecta; quomodo potest stare, quod Deus ex suppositione sibi non libera determinetur, & necessitetur à voluntate creata ad concurrentem ad aliquod extremum suæ indifferenciæ, & quod non sit subjectus voluntati creatæ in concurrente? Patet consequens ex antecedenti; cum Deus eo prorsus modo se habeat in concurrente respectu voluntatis creatæ, quo se habent causæ illæ ad invicem: nam sicut una se habet passivè ad determinari, esto activè se habeat ad influere, ita Deus passivè se habet ad hoc, quod est determinari à voluntate creata, esto activè influat cum illa. Et maximè, dum voluntas creata sua determinatione dominium proximum, & immediatum, quod Deus haberet supra suam actionem, seu concursum, si se ipsam determinaret, à Deo auferat, ut contrarii fatentur, & ex ipsorum constat principiis; quia, inquit, non stare dominium agentis supra suam actionem, si operatur ex determinatione alterius, & non ex propriâ, quod est apud ipsos inconcussum axioma: ergo si non fiat, quod una causa possit auferre ab alia dominium suæ actionis, & quod causa ista non sit illi verè subjecta, intelligibile est, quod voluntas sua determinatione dominium proximum, & immediatum, quod Deus haberet super suam actionem, seu concursum, si se ipsum determinaret, auferat à Deo, & quod Deus non sit ex natura rei subjectus voluntati.

26. Hoc efficaciter urgetur: nam Deus purificans conditionem, & in sensu composito existentie conditionis, non necessitat se ipsum ad agendum; immo attentis omnibus, quæ ex parte Dei se tenent, etiam purificata conditione, manet expedite potens ad non concurrentem; & tamen conditione existente, necessitatur à voluntate ad concurrentem: ergo necessitatur ex suppositione sibi non libera. Consequentia est bona: min-certa; alioquin posset Deus cum decreto purificandi conditionem, & scientia media, eventus sub tali conditione futuri, conjungere carentiam sui concursus, quæ conjunctio est implicatoria, alioquin posset Deus suam scientiam falsificare, vel illam à se excludere, & tunc non esset media, sed purè libera. Maj. ergo facilè probatur, quia attentis illis omnibus, quæ se tenent ex parte voluntatis Divinæ, manet voluntas creata absolutè potens ad ponendum consensum, & ad ponendum carentiam consensu, ut ipsi concedunt: ergo à fortiori manet Deus proximè, & expe-

ditè potens ad ponendum influxum in consensum, & ad ponendum carentiam talis influxus, si considerentur præcisè, quæ se tenent ex parte libertatis Divinæ. Nam suppositio libera Deo nullo modo determinans, aut necessitans voluntatem creatam, & conjungibilis cum consensu, & cum carentia consensu, à fortiori est conjungibilis cum concursu Dei, & cum carentia concursus: quia quod est conjungibile cum consensu, & cum carentia consensu, est conjungibile cum eo, quod identificatur cum consensu, & cum carentia consensu: atqui concursus Divinus juxta illos adequatè identificatur cum consensu, & carentia concursus cum carentia consensu: ergo quod est conjungibile cum consensu, & cum carentia consensu, est conjungibile cum concursu Dei, & cum carentia consensu talis concursus.

27. Dices, esse quidem conjungibile cum illa suppositione à Deo facta, id est, cum conditione purificata, & concursu Dei, & carentiam concursus; verum hæc conjunctio à Deo fieri liberè non potest, sed fieri potest à voluntate humana, quæ pro suo nutu & dominio potest determinare, ac necessitare Deum, ut ponat concursum, aut carentiam concursus. Nescio autem quid proficiat hæc responsio, & si omnino conformis principiis scientiæ mediæ: ex illa, ni egregiè fallor, assequimur intentum, arguendo sic: cum illa suppositione, prout se tenet ex parte libertatis Divinæ, est conjungibilis, & concursus Dei, & carentia concursus; & tamen Deus facta illa suppositione, & conditione purificata, non potest non concurrere, sed necessariò concurrat propter determinationem voluntatis creatæ, quæ determinatio non est Deo libera, sicut concursus Deo liber non est: ergo concurrat necessitatus ex suppositione sibi non libera. Vel aliter, & efficacius. Ut Deus necessitetur ad concurrentem, supposita libera conditionis purificatione, solum concurrunt scientia media prævidens consensum sub illa conditione futurum, ipsa conditionis purificatio, & voluntas se, & omnipotentiam determinans; sed illa necessitas Dei ad concurrentem provenire non potest ex purificatione conditionis, quam diximus conjungibilem cum concursu Dei, & cum carentia concursus: ergo provenit, non ex voluntate Dei, sed ex nutu voluntatis creatæ; vel ex hoc, & scientia media; quorum neutrum est suppositio facta à Deo: ergo illa necessitas Dei in concurrente oritur ex suppositione Deo non libera.

28. Nec dicat: Deus eligens, & purificans illam conditionem se quodammodo determinavit ad concurrentem: nam vel se determinavit absolutè ad concurrentem, vel sub conditione, quod voluntas velit concurrere. Primum repugnat juxta ipsos libertati; quia cum determinatione absolutè Dei ad consensum non potest in eorum principiis com-

componi potestas voluntatis ad carentiam consensu. Si secundum, hoc est apertissimè Deum se subijcere creaturæ, cum relinquat in manu creaturæ, ut ipsa pro suo placito utatur omnipotentia. Facultas namque applicandi, & determinandi potentiam ad suos actus, est facultas utendi tali potentia; cum usus, juxta D. Thom. 1. 2. q. 14. art. 1. sit applicatio rei ad opus: ergo si voluntati vel ex natura rei, vel ex decreto applicante, additur facultas determinandi omnipotentiam ad influendum in quos voluerit actus, verè utitur omnipotentia, veraque datur ex parte omnipotentia subjectio respectu voluntatis.

29. Respondent, istam quasi subjectio-nem, & subordinationem arbitrio creato esse solum ex indulgentia, & benignitate Dei sic volente nobis applicare suam omnipotentiam, ut salvetur libertas. Fundatur ergo tam in ipsa benignitate Dei, quam in natura liberi arbitrii, adeo ut omninò impossibile sit, voluntatem liberè operari, nisi Omnipotentia Dei, quoad concurrentem cum ipsa, sit illi subjecta.

30. Hoc certè falsissimum. Quis enim credat, vel sibi persuadeat, Deum ex indulgentia, & benignitate nobis verè, & propriè suam omnipotentiam subijcere ad influendum in actus liberos? Quid absurdius, vel ineptius potest quisquam imaginari, quàm Deum velle ex indulgentia, & benignitate abdicare à se supremum illud dominium, quod habet supra creaturas? Quod creatura subordinans Deum, creatura non sit; quod Deus subordinatus creaturæ supremus Dominus non sit; Deus namque creaturæ subordinatus, ille verus Dominus non est, sed Deus chimericus. Secundò, si potest ex indulgentia abdicare à se supremum illud dominium, & poterit ex benignitate abdicare à se quamcumque aliam perfectionem necessariam, cum non sit minus proprium Dei esse supremum Dominum, quàm sit propria ipsius qualibet alia perfectio necessaria. Immo poterit quis impunè asserere, Deum non concurrere, ut supremum Dominum, & ut causam immediatè influentem cum causa secunda in omnes ejus effectus, cum æquo jure vitare posset absurdum dicendo, hoc facere Deum ex benignitate, & indulgentia, quæ vult arbitrium creatum se solo, & independentè ab ipso operari. Et certè si quæras, quid Divinum esse magis deceat, aut quid minus sit indecens; nimirum vel tales creaturas condere, quæ postquam conditæ fuerint, Dei operatione non indigeant; vel ita illas extollere, ut Creatoris omnipotentiam sibi subijcere, dum operentur, egeant: promptissima responsio apud omnes, partium studio postposito, erit: decere magis primum. Nam indigere virtute Dei non auxiliantis, sed se subijcientis, & hanc subjectionem libertati humanæ debentis, quid elatius est; nempe omninò simile servituti Deo indecen-

tissima; nam & servorum operâ indigent Domini. Quod si primum salvâ fide dici non potest: videant adversarii, quo jure dicitur secundum. Tertio, quæ non hic involvitur contradictio? Indulgentia & necessitas ex terminis repugnant: quomodo ergo ab ipsis componitur subordinatio ex indulgentia, & benignitate, cum illa absolutè, & omnimoda necessitate, ut omnipotentia quoad operari sit determinabilis, & subordinata creaturæ? Cum supposita libertate creata, ex conceptu, & natura liberi arbitrii, sic necessitetur Deus apud ipsos, ut non possit aliter in operationem influere.

31. Hoc ut perfectius intelligatur, maximè notandum, gratiam aliter acceptam, fuisse à Pelagio, aliter accipi à PP. & Theologis: ille enim non aliam prius agnoscebat gratiam, quam gratiam creationis, sive qua conditi sumus, sub qua comprehendebat omnia, quæ creaturis debentur debito infallibili, seu necessitatis; ea nempe, quæ requiruntur ad debitam constitutionem rei, & ut possit proximè elicere suas operationes: unde liberum arbitrium, ut proximè potens operationes suas liberas elicere, ad gratiam creationis pertinere, affirmabat; eò quod ad Creatorem pertinet constituere hominem in eo statu, in quo possit se movere; alioquin opera Dei, quæ perfecta sunt, in conditione hominis defecissent, siquidem illi non dedisset quidquid ad naturalem illius perfectionem debitum est. PP. autem, & Theologi gratiam accipiunt pro concursu indebito, & pro indebito beneficio, quod nimirum ex vi creationis non debetur, sed salva creatione perfectâ, negari potest.

32. En quomodo subjectio, vel subordinatio Dei ad nos, est ex dignatione Divina, & non ex ipso jure creationis, si à nostra natura exigeretur, ea propriissima exigentiâ, quâ natura non naturaliter, & independentè à nova gratia exigit libertatem: nam profecto, & prorsus jure, quo natura humana exigit sibi dari arbitrium liberum, exigit sibi dari, quod est de essentia, & natura libertatis; sed independentè à nova gratiâ, & distincta à gratiâ creationis, exigit sibi dari liberum arbitrium: ergo & Deum sibi quasi subijci, aut subordinari, si hæc subjectio, & subordinatio ex natura, & conceptu liberi arbitrii auxilio indifferenti instructi provenit. Secundò: perfecta, atque completa causæ secundæ liberæ productio illa est, quæ ipsi tribuit non solum libertatem radicalem, sed & proximam, qua liberè proximè, & expedite, se ad quodvis extremum possit determinare: Undè causis naturalibus illarum perfecta, & completa productio tribuit potentias, & virtutes, quibus in suas possint operationes prorumpere, juxta axioma illud philosophicum, qui dat formam, dat consequentia ad formam: nec aliter productio illa censetur perfecta, & completa. Immo si horum quid defuerit,

fuerit, defectui actionis, & producentis continuo tribuitur; sed creatio cause secunda libera est perfectissima, & completissima illius productio; cum sit opus solius Dei absque consortio creaturæ: ergo ad creationem pertinet causam secundam liberam producere, non solum cum libertate radicali; sed cum libertate proxima & expedita, ut possit se ad quodvis extremum suæ indifferentiæ determinare: sed juxta ipsos libertas proxima, & expedita ex sui natura exigit hanc Dei subjectionem, aut subordinationem libero arbitrio: ergo ex vi solius actionis creativæ, absque alia nova gratia, manet Deus nobis subjectus, & necessitatur, ut sit subordinatus: ergo non ex dignatione, indulgentia, & benignitate, quæ gratiam specialem dicunt, sed ex ipsa natura rei terminantis creationem, manet illi Deus subjectus, & subordinatus. Horrendum mihi paradoxum, quod nihil Deo magis injurium, secundum meam sententiam, excogitari potest: cum nihil sit ex ipsis internis Religionis sensibus, magis notum, quam quod Deus sit supremus creaturæ dominus liberè operantis. Nihilominus me, sensumque meum sapientioribus remitto.

33. Hæc sanè me hercule constant, & ita constant, ut si quis rem expendere attentius secum velit, rationem ipsam ipsum convincere posse arbitretur. Sed ut videatur, quod non solum usus illius vocis *subordinatio, subjectio*, laxiorem hanc notionem repudiat, sed quod ex terminis illa omnipotentia determinatio maximis ita implicatur difficultatibus, ut penitus inintelligibilis sit, ipsam amplius ad examen vocamus: Impossibile namque est, Omnipotentiam Divinam à nostra voluntate determinari, cum nec sit determinabilis objectivè, nec subjectivè. Primum impossibile dixi; solum namque potentia cognoscitiva, aut volitiva, objectivè necessitari potest: cum potentia alterius generis non respiciat objectum, sed effectum, cujus est productiva, & quæ determinari non potest ad productionem effectus per ipsum effectum, ante cujus existentiam pro priori à quo supponitur determinata: & omnipotentia apud ipsos, nec est volitiva, nec cognoscitiva, cum cognitio, & volitio sint immanentes formaliter, actio verò omnipotentia apud ipsos formaliter transiens.

34. Repugnantia verò, & contradictio determinationis subjectivè deducitur ex Angel. Præceptore 1.2. q.9. art. 1. de motivo voluntatis: ubi assignans ea, quæ possunt voluntatem movere, ait: *Indiget igitur movente quantum ad duo, scilicet quantum ad exercitium, vel usum actus, & quantum ad determinationem actus, quorum primum est ex parte subiecti; quod quandoque invenitur agens, quandoque non agens: aliud autem est ex parte objecti secundum quod specificatur actus, motio autem ipsius subiecti est ex agente aliquo*: Ex quibus

sequens formatur discursus: Omnipotentia non solum est indifferens ad hanc, vel illam speciem actus, id est non solum est indifferens, ut concurrat ad amorem, & odium cum voluntate, quæ est indifferentia ex parte objecti, sed est indifferens quoad exercitium, vel usum actus, quæ est indifferentia subjectiva, sive ex parte principii, (liceat nunc claritatis gratia ita appellare illam indifferentiam, quam intelligimus in actu libero Dei, determinabilem per secundariam terminationem) Ergo ut in exercitio concurrat, debet auferri illa indifferentia subjectiva; si enim ab indifferenti, ut indifferenti non procedit actio, nec ab omnipotentia sub illa indifferentia subjectiva potest esse concursus: ergo, ut determinatè concurrat, auferenda est illa indifferentia subjectiva, vel à voluntate Divina, vel à voluntate creata; primum negatur ab ipsis, secundum falsitatis convincit argumentum factum; quia hæc indifferentia removeri debet per aliquid, saltem ex nostro modo concipiendi efficiens potentiam, à quo tollitur indifferentia; sed non per actum voluntatis creatæ existentem, qui, pro priori ad suam existentiam supponit potentiam determinatam, nec per ipsum, ut est effectus producibilis, vel quia ut producibilis non existit; vel quia prout sic se ipsum causaret, & produceret: cum principium determinans potentiam ad productionem effectus, & productionem, & effectum illius causet, & producat: ergo subjectivè determinari non potest à voluntate creata.

35. Respondent, quod etsi ab indifferente indifferentia incompletionis non sit actio, benè tamen ab indifferenti indifferentia dominii. Ita P. Marin tract. 3. dif. 5. sect. 4. n. 13. Sed contra stat argumentum factum: Potentia indifferens indifferentia dominii, & potestatis ad actum, & omissionem, cum neutro illorum determinatè connectitur, sed ad quodlibet eorum indifferenter se habet; ergo ut determinatè concurrat ad actum præ omissione, debet ab illa auferri hæc indifferentia, à se, vel ab alio. Rem explico, & ponatur casus, quo voluntati Divina proponatur, ut conveniens, Petro conferri auxilium A., sub quo prævisus est consentire: hoc auxilio collato, Petrus est constitutus in actu primo proximo, & expedito ad consentiendum; sed ita dominus actus, & omissionis, ut tantum pro suo libito ponat actum. Est itaque pro signo actus primi ita indifferens, ut pro illo signo, nec intelligatur conjunctus cum consensu, nec cum omissione; in signo autem sequenti, jam intelligitur conjunctus cum consensu, ac proinde determinatè consentiens. Hæc eadem indifferentia pro primo signo reperitur in omnipotentia, quia non intelligitur ista subjectivè, sive potius effectivè influens, seu concurrens actu cum voluntate ad consensum, sed quantum est ex se potens influere ad consen-

sensum, & potens non influere. Ex quo fit argumentum. Voluntas, ut sic indifferens, & indeterminata, non potest influere, conjungendo illam indifferentiam, & indeterminationem ad concurrendum, vel non concurrendum, cum ipso concursu; alioquin simul concurreret, & non concurreret: ergo, ut determinatè concurrat, auferri debet illa indifferentia subjectiva: sed omnipotentia pro illo signo est & intelligitur indifferens indifferentiâ subjectivâ ad concurrendum, & non concurrendum: ergo debet per aliquid auferri, sive illud sit procedens à Deo, sive per aliquid aliud præter determinationem objectivam.

36. Explicatur iterum. Pro priori ad signum, quo Deus decrevit producere mundum, intelligitur Deus proximè potens producere, & non producere, atque adeo indifferens indifferentia dominii & potestatis, & pro illo priori, cum fundamento, & verè intelligitur nec produciens, nec non produciens præcisivè; ita ut, si sub illa indifferentia maneret, mundus non existeret. Quæ tamen indifferentia tollitur decreto Dei, quo ad productionem universi applicavit omnipotentiam: sed omnipotentia non minus est subjectivè indifferens ad concurrendum, vel non concurrendum cum voluntate, etsi hæc indifferentia non sit indifferentia dominii proximi, & immediati: ergo prius tolli debet hæc indifferentia subjectiva, ut determinatè concurrat.

37. Dices cum P. Marin loco citato, quod talis indifferentia subjectiva determinatur à Deo per decretum, quo applicavit omnipotentiam: undè decretum applicativum, & ipsa omnipotentia cum voluntate activè concurrat in determinationem: decretum applicativum determinans solum activè inadæquatè, quia activè concurrat in determinationem, non tamen formaliter immediatè determinat, quia non est connexum cum determinatione: nec denominativè, quia non est principium volitivum, cui imputetur determinatio ad unum, potius quam ad aliud.

38. Sed contra est, quia subjectiva illa indifferentia tolli non potest, nisi vel per actum elicatum ab operante, ut contrarii judicant auferri indifferentiam nostræ voluntatis, nempe per proprium actum, omni alio determinante excluso, vel per aliquid receptum ab alio prædeterminante, ut asserunt Thomistæ; sed nec primo, nec secundo modo voluntas nostra potest determinare formaliter immediatè, aut denominativè voluntatem Divinam: non quidem primo; quia voluntas creata non est Divina; non secundo, quia mutaretur Divina omnipotentia: ergo nullo modo est formaliter & immediatè determinabilis omnipotentia à voluntate creata. Secundò. Complexum ex decreto, & omnipotentia est indifferens juxta illos ad consensum, & ad carentiam consensu, cum

fit conjungibile cum consensu, & cum carentia consensu, alioquin non subsisteret libertas, ut illi clamant: ergo decretum applicativum, etsi activè concurrat in determinationem voluntatis, non tamen activè adhuc inadæquatè determinat ipsam voluntatem: ergo tam actus noster liber, quam concursus Dei ad illum in nostræ voluntatis determinationem apud ipsos resolvi debet, quod tam impossibile est, quam quod actus voluntatis creatæ sit actus voluntatis Divinæ. Tertiò, quia juxta solutionem, licet decretum illud activè concurrat in determinationem, non tamen formaliter immediatè determinat: si ergo inquiratur, cur Deus, & voluntas, cum sint indifferentes influere in amorem, & odium, influant determinatè in amorem, fatetur solutio, quod voluntas creata est, quæ se ipsam, & Deum ad amorem potius, quam ad odium determinavit: Est enim, ut inquit P. Suarez lib. de concurs. Dei cap. 15. *Prima suæ determinationis radix, nec in aliam priorem reducibilis*. Ergo verificari debet, quod Creatura faceret, quod Deus faceret, non tamen Deus, quod Creatura faceret. Etsi enim Deus contulerit auxilium illud intuitu actus boni, & pro actibus supernaturalibus conferatur illa vocatio prævia, & ulterius tribuat auxilia congrua, quibus nos facturos prævidit; semper verum est, quod Deus est omnino indifferens, & quod nos sub omnimoda relinquat indifferentia ab benè, vel malè operandum: Quomodo ergo dici potest, quod Deus facit, ut faciamus? Cum non tollatur à Deo per *facere* indifferentia ad faciendum, vel non faciendum; cum omnibus tam facientibus, quam non facientibus, illa eadem præcisè præstet auxilia. Immo etiam cum illa inclinatione morali Dei, & ad bonum suasionem, quam ipsi inefficacem agnoscunt, potius de Creatura verificari debet, quod facit, ut Deus faciat, quam de Deo respectu Creaturæ. Deus namque per vocationem illam antecedentem solum moraliter movet nostram voluntatem, relinquendo in ipsa omnimodam indifferentiam ad utrumlibet extremum suæ libertatis; è contra verò creata voluntas ita physicè, & infallibiliter determinat Deum ad actum liberum amoris, quod posita determinatione ex parte voluntatis creatæ, Deus, nec de potentia absoluta, possit non concurrere, ut ipsi fatentur. Ad quid ergo recursus ad auxilium congruum? Cum auxilii congruitas ad scientiam mediam consequatur, & ista ad determinationem conditionatam nostræ voluntatis, quæ se, & omnipotentiam determinat ad agendum: ergo auxilium congruum non aliter advenire potest, nisi ipsa voluntate pro priori determinante, & faciente: ergo faceret voluntas, quod Deus faceret, non tamen Deus, quod voluntas faceret, quod an absolutè concedi possit, ipsi videant, dicente Scriptura Psalm. 58. *Misericordia ejus præveniet me*. Et

Ezech. 36. v. 27. *Faciam, ut in justificationibus meis ambuletis, & mandata mea custodiat. Et ad Rom. 9. Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Supra quæ verba inquit M. P. August. in Enchiridione cap. 13. & etiam Epist. 2. ad Bonifac. cap. 9. *Avertat ergo Deus hanc dementiam à cordibus nostris, ut in donis ejus nos priores faciamus, posteriorem ipsum, quoniam misericordia ejus prævenit me.* Et in lib. de prædest. Sancto. cap. 10. *Si faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit, ut illi faciant, non illi faciunt, ut ipse faciat.* Unde & hæc veritas definita est in Concilio Arausicano 2. can. 9. ibi: *Quoties bene aliquid facimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.* Unde oppositam sententiam, ut errorem Semipelagianorum retulit Sanctus Prosper in Epist. ad S. Augustinum, ubi sic dicit: *Vnde quia in istis Pelagianæ pravitate reliquiis non mediocri virulentia fibra nutritur, si principium salutis male in homine collocatur: si Divinae voluntati impie voluntas humana præferatur, ut ided quis adjuvetur, quia voluit; non ided quia adjuvatur, velit.* Quam sententiam & ipse cap. 9. contra Collatorem efficacissimè impugnat. Cui maxime consentit D. Hieronymus in Epist. ad Ctesiphontem cap. 3. sic Pelagium arguens, *Fraudulenter præcendit, ut Dei gratiam ad conditionem hominis referas, & non in singulis operibus, auxilium Dei requiras. Injuriam tibi fieri putas, & destrui arbitrii libertatem, si ad Deum semper auctorem recurras, si ex illius pendeas voluntate, & dicas: oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellit de laqueo pedes meos? Unde & audes lingua proferre temeraria, unumquemque arbitrio suo regi? Si*

suo arbitrio regitur, ubi est auxilium Dei? Et quidem satis mirari non possum Auctores oppositos, qui Deum prædeterminare Creaturam impossibile putant; Creaturam verò prædeterminare Deum necessarium. Quasi facilius sit, Deum prædeterminatum à Creatura, & sub ejus potestate libertatem amittere; quam Deum prædeterminando creaturam, sub Divino dominio constitutam, libertatem ejus conservare. Absolutè dominium propriarum actionum usque adeo creaturæ attribuant, ut Deus in illis dominium actionis non habeat; ac subindè dominium actionis habere putant creaturam in Dei operationibus, in quibus non habet ejusmodi dominium ipse Deus. Tali enim necessitate juxta illos constringitur, ut aut creaturas liberas conservare nequeat; aut si conservet, actionum suarum potestatem, in illas transferens, amittat. Ignorantiam fateor, hoc mihi intellectu difficillimum, qui nec Theologiam istam possum capere, nec fontes illius invenire. Nam & Scripturæ Sacre, & quotidianæ orationes Ecclesiæ, quibus firmissimè adherent doctrinæ Sanctorum, docent nos clamare ad Dominum, ut adjuvet, faciat, operetur in nobis velle, & perficere, nunquam autem, ut subjiciat nobis omnipotentiam suam, aut ejus virtutem nostro arbitrio relinquat. Quinimò (quamvis aliud non obstat) magnæ præsumptionis esset petere à Domino, ut nobis suam subordinet potentiam, sperantes nos illa bene usuros. Nam qui sufficientes non sumus ex nobis, quasi ex nobis bene cogitare: quomodò sufficientes erimus à nobis, quasi ex nobis bene determinare, & bene uti?

DUBIUM II.

Utrum libertas nostra essentialiter includat subjectionem, & subordinationem Deo?

S. I.

Pars affirmativa statuitur.

HÆc Conclusio non tam erat probanda, quam ex præcedenti dubio deducenda. Verum quia juxta legem Contrariorum, ad invicem opposita magis elucescunt, visum nobis est post probatam repugnantiam concursus Dei à creatura determinabilis, eandem creaturæ subjectionem amplius confirmare; ut melius Sapiens inter utrumque consultet, ac judicet. Hæc ergo probatur 1. ex Apocal. cap. 19. vers. 16. ubi Deus vocatur *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* En ubi Deus dicitur Dominus creaturæ, ut actu dominantis, quod stare non potest cum carentia subordinationis in creatura, ut actu dominante supra suum actum liberum. Dominium namque duo dicit ex

terminis in dominante; superioritatem, & facultatem utendi re, cujus habet dominium, & talem quidem, ut si dominium sit supremi dominantis, à nullo impediri valeat. In re verò, cujus habet dominium, inferioritatem, & subjectionem talem importat, ut dominium habenti nullo jure refragari valeat. Ergo si in adducto Sacre Scripturæ testimonio Deus dicitur habere dominium (quod necessariò debet adstrui supremum) supra dominium nostrum, quod continetur sub dominio Dei: sanè & in Deo debet agnosci facultas talis utendi dominio nostro, ut ei non possimus refragari, & in nobis subiectio talis, ut ipsi pro libito nos subtrahere non valeamus. Quomodò namque Deus erit ex natura sua Dominus Dominantium, si dominium creatum non est ex natura sua Deo subiectum, & subordinatum? Sicut enim ex terminis implicat, Deum esse ex natura sua causam causa-

rum, & quod sit aliqua causa distincta à Deo, cujus Deus non sit causa: ita & contradictionem involvit, Deum esse ex natura sua Dominum Dominantium, & esse dominium aliquod creatum Deo non subiectum, & subordinatum; neque enim minus exaltat, atque extendit Dei dominium, qui illum vocat Dominum Dominantium, quam qui Deum appellat causam causarum, & causantium: ergo si hæc locutio petit ad sui veritatem, ut nulla sit causa, nullumque causans, Deo ex natura sua non subiectum, & prima locutio, quæ est infallibiliter vera, necessariò petit, ut nullus sit Dominus, nullumque dominium distinctum à Deo, Deo ex natura sua non subiectum. Audiatur D. Laurentius Justinianus de contempt. Mundi cap. 9. hanc hominis subordinationem exponens: *Nempè, qui te creavit Dominus est, non unius Civitatis, non unius Provincia, nec unius tantum Regionis, sed totius Orbis, Maris, & Fluctuum, Quadrupedum, Volucrum, Serpentum, Hominum, Angelorum, Archangelorum, cæterorumque Spirituum Beatorum. Dominus quippe universorum est. Fecit autem te secundum rationalem animam, ad imaginem, & similitudinem suam, ut esses ratione sapiens, vita innocens, dominio potens, ut videlicet præses piscibus maris, volatilibus Cæli, & animantibus universa terra. Subesses verò sibi, scilicet Deo, & tanquam cætera, quæ plasmaverat, eidem præberes famularum, ed fidelius, ed ardentius, edque sollicitius, quod amplius, quam creatura reliqua accepisti. Nam innata natura lex clamat, ut cui amplius donatum est, abundantius exigatur ab illo. Tantum etenim ex justitia regulis quis debet, quantum percepit: totum igitur, quod habet homo, & id, quod est, quoniam accepit gratis, totum debet. Et quid, quod boni facimus, quod boni in actionibus, deliberationibusque nostris est, seu physicum, sive morale, non accepimus? Igitur in his omnibus dominium agnoscimus secundum naturam, cui referre debemus secundum justitiam.*

2. Hoc est ita certum, & sine dubio tenendum, quod ex opposito Deus non posset dici Dominus creaturæ dominantis, sed è contrario Creatura diceretur Domina Domini dominantium, dum non ille nos agere faceret, sed nos illum facere ageremus. Quod vel ex ipsis terminis apparet absurdum. Igitur si actio creaturæ, quæ libertatem suam determinat, & in qua exercitium sui domini consistit, non subordinaretur immediatè Deo, ut Domino, concursus omnipotentia, qui juxta Adversarios, ut & toties diximus, identificatur cum actione creaturæ, immediatè & adæquatè subiceretur dominio creaturæ, ut Domina: quod sanè non est, Deum dominari dominantibus à se distinctis, sed è contra dominantibus à Deo distinctos dominari Domino Dominantium. Non enim alia ratione creatura dicitur, & est Domina sui, & suæ operationis, nisi quia se

ipsam, & suam operationem pro nutu suo determinat; sed etiam Deum, divinamque omnipotentiam juxta contrariam positionem pro suo nutu determinat, quin à Divina omnipotentia determinetur; cum juxta Auctores istos libertas creata includat constitutivè carentiam subordinationis ad Deum: ergo eadem ratione, eademque proprietate, qua dicitur, & est Domina sui, suæque operationis, & dici debet Domina omnipotentia, ac Dei, & consequenter Domini dominantium. Quod certius apparet in ipsorum principis. Asserunt namque defensores auxiliorum indifferentium, quod, si Deus exerceat suum immediatum dominium supra actionem creatæ potestatis, auferret illius libertatem: non enim percipere volunt, Deum, & creaturam simul exercere dominium suum immediatum super eandem actionem. Ergo si creatura dominium suum immediatum exercet super illam, & concursus omnipotentia, & Dei libertatem, & dominium tollit: sed Deum concurrere sine libertate immediata, atque aded ut subiectum creaturæ, non est concurrere ut Dominum dominantium: ergo debet concurrere cum immediato dominio super actionem creaturæ, & consequenter creatura in actu libero, ut immediatè Deo subiecta.

3. Secundò probatur Conclusio, quæ magis convincitur ex propria, & ipsa ratione actus supernaturalis, qui essentialiter includit subjectionem immediatam ad Deum. Sit enim fide certum, quod tam potestas ad consensum, quam ipse consensus sunt donum Dei, ut constat ex illis verbis Apostoli ad Corinth. 2. 3. *Sufficiencia nostra ex Deo est, & ad Philipp. cap. 2. Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Et ex illo Jacob. cap. 1. ubi dicitur: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum.* Hinc probat Apostolus ad Ephes. 2. apud D. Thomam lect. 3. *fidem non esse ex nobis, assumens pro medio, esse donum Dei.* Sic enim habet: *gratia enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est: non ex operibus, ut ne quis gloriatur, ipsius enim sumus factura creati in Christo Jesu in operibus bonis &c.* En ubi, fidem, & opera non esse ex nobis probat illis tribus dumtaxat verbis: *Dei enim donum est: & neminem debere gloriari de sua fide, quasi illam habeat ex suis operibus, item ex illis, quod Dei sumus factura creati in bonis operibus, id est, ipsa opera nostra bona opera sunt creationis Divina: ergo si juxta Apostolum fides, & opera non ex nobis, sed donum Dei sunt, de ratione, & conceptu quidditativo ipsorum est immediata subiectio Deo donanti tam ipsa, quam ipsorum libertatem.*

4. Vim hujus Apostolici argumenti explico. Quod est ex nobis unice determinantibus, & non ex dominio immediato Dei, in

nullo vero sensu dici potest, esse, & non ex nobis; quia ex nobis est, quod existit unicè, quia nos volumus, illud esse; quin potius, seu potiori titulo dicitur esse ex nobis, quàm ex Deo; nobis enim subjicitur immediatè quoad esse, & non Deo; sed Paulus asserit, fidem esse, & non ex nobis, quia est donum Dei: ergo sentit, intimiùs, & immediatiùs subjici donum Deo, quàm nobis, ac subindè in conceptu doni quidditativo clauditur hæc immediata subjectio ad Deum donantem.

5. Dices: non existit fides actualis ex determinatione Dei, nec ex dominio immediato Dei, sed tamen existit ex immediato influxu Dei, qui potestatem dedit, & licet ex determinatione nostra concurrat, concurrat tamen immediatè, quod sufficit ad veritatem Pauli.

6. Contra tamen urget argumentum factum: nam etsi possit etiam verificari, fidem esse ex Deo, eo præcisè titulo, quia Deus concurrat immediatè, plus aliquid dicit Apostolus, nimirum, & quod fides non est ex nobis, & quod est Dei: sed prima pars hujus copulativæ vera esse non potest, si fides unicè existit ex nostra determinatione: ergo ut vera sit, debet esse ex determinatione Dei. Hoc enim intentum Pauli erat, reddere rationem, cur fides nostra potiori titulo tribuenda sit Deo, quàm nobis; quod subsistere non posse juxta oppositam sententiam, argumentum nostrum planè videtur demonstrare; & non minùs, ut video, ex illo distare percipitur à sensu Pauli responsio, quàm sententia nostra ab opposita opinione. Nos quippe duo asserimus, quibus doctrina Pauli integra subsistit, quia Deo primatum confitemur, dum determinatio ad credendum primò, sive ut primo determinanti Deo tribuitur. Salvamus etiam, nos liberè credere, quia determinatio Dei nos eò determinat, ut à nobis nos liberè determinemur, eò quod in unoquoque operatur Deus, accomodans suum influxum modo proprio causæ, in quam operatur: quod, licet sit difficile, non continuò falsum est. Immo quia verum est, difficile esse debet; supernaturalibus enim ipsa intelligendi difficultas præbet argumentum. At in Contrariorum assertis non Deus determinat nos, sed Deum nos determinamus: ex quo statim apparet, quod nos amplius voluntati nostræ, quæ determinata à Deo se determinat, concedimus, quàm ipsi tribuunt Deo, qui nec ut causa determinata se determinat. Lego contra Pelagium Augustinum de prædest. SS. cap. 2., qui an pro nobis omninò loquatur, an adversariorum sensus illi coherere possit, legentium judicium esto: *Quasi*, ait, *componat homo cum Deo, ut partem fidei sibi vindicet, atque illi partem relinquat: & quod est elatius, primam tollat ipse, sequentem det illi, & in eo, quod dicit, esse amborum, priorem se facit, posteriorem Deum.* Quo ergo modo stare poterit, Deum potiori ratione esse causam nostræ fidei, quàm

nos ipsi, qui credimus, si operatio Dei nostræ subditur operationi, non nostra illi: si nostra determinatio præcedat Dei determinationem, non ista illam?

7. Hoc, ut melius intelligere valeamus, maximè observandum, liberum arbitrium ad credendum Deo fide supernaturali, & theologica requirere essentialiter, & constitutivè sufficientem propositionem mysterii credendi, auxilium sufficiens elevans intellectum, piam voluntatis affectionem, etsi quid aliud requiritur, ut homo sit proximè potens assentiri mysterio per fidem theologiam: quo supposito sit argumentum manifestè convincens, quod fides actualis, sive actualis assensus fidei potiori titulo est Dei, quàm arbitrii, etiam ut includentis illa omnia, quibus constituitur in esse talis. Est namque donum Dei distinctum à primo, & majus illo, quia reliqua sunt propter assensum, non è converso; & quia homo proximè potens credere tenetur orare Deum, ut ipsi donet assensum salutarem, & pro tali assensu fidei sibi donato gratias agere: ut dicit Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 2. *Intelligent, si filii Dei sunt, Spiritu Dei agi, ut, quod agendum est, agant: & cum egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant. Aguntur enim, ut agant, non ut ipsi nihil agant.*

8. Adde illud, quod ex iisdem certissimè tenendum: nihil boni à nobis fieri, quod non faciat Deus, ut nos faciamus, nec dividendum esse aliquod boni operis, quod sit gratiæ, aliud, quod sit liberi arbitrii, ut docet toties Augustinus, & signanter in 2. de peccator. merit. & remis. cap. 18. ubi ex verbis illis Pauli 1. ad Cor. 4. *Quid habes, quod non accepisti, & ad Philipp. 2. Deus operatur in nobis velle, & perficere, infert, frustra laborare eos, qui querunt in voluntate nostra, quid boni sit nostrum, quod nobis non sit ex Deo.* Cujus efficacissimam rationem adfert: quia nisi concedamus, ipsam bonitatem voluntatis, & operis à Deo fieri, quidquid aliud præter hoc à Deo esse fateamur, in illis cogimur dicere; *melius esse, quod à nobis habemus, quàm quod à Deo.* Quis enim dubitet, quod in opere bono ipsa ejus bonitas melior sit, quàm ejus possibilitas, sive quodcumque aliud ipsam bonitatem præcedens etiam ad eam necessarium, vel qualitercumque disponens? Quare 2. ad Corinth. 3. exclamat Apostolus: *Non quoddam simus sufficientes, aliquid cogitare à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Ad quem locum Chrysostomus, Theophylactus, & Œcumenius notant: *Non aliud esse nostrum, aliud Dei; adeoque nihil planè nostrum esse, ne minimum quidem, sed totum Deo adscribendum.* Et D. Thomas ad eundem locum asserit, etiam Aristotelem id sensisse, dicendo, quod Deus homines movet, & omnia quæ agunt ad actiones suas: Quod idè meminimus, ut appareat, lumen ipsum naturale veritatem istam sapientibus suasisse; non quod Philoso-

pho-

phorum egeamus suffragio; sed quod eorum sensus in hac parte interserviat veritati; etiam ex dono Dei, ut monet Apostolus ad Rom. 1. 19. Ergo homo se movens ad actum supernaturalem ita Deo subordinatur, ut nihil ex se tanquam ex se agat, sed solum agat totum sub gratia, & ex donante Deo.

9. Tertio sumitur satis efficax argumentum pro conclusione ex eo, quod hæc immediata subjectio tam expressis verbis in sacris litteris declaratur, ut nemo sit, qui vel primo intuitu, hoc percipere non valeat. *Converte me Domine, & convertar, quia tu Dominus Deus meus; postquam enim convertisti me, egi penitentiam*, inquit Hieremias cap. 31. supra quæ verba observanda est ratio, quam assignat Propheta: *quia tu Dominus Deus meus, ut ex absoluto, quod in homines Deus habet, dominio, ostendat provenire, infallibiliterque sequi conversionis effectum.* Non ad gratiam concomitantem, sed præviam recurrit Propheta: undè dixit: *postquam enim convertisti, egi penitentiam.* Non ad morales dumtaxat excitationes scientia media, ut volunt, prævitas infallibiliter habituras effectum, licet præveniant, respicit; sed ad supremam, quæ omnibus dominatur, potestatem, sub qua non solum voluntates nostras esse, sed & omnes operationes nostras, & nos ipsos totos Sapiens profitetur: *in manu illius nos, & sermones nostri: & opera illorum in manu Dei.* Sap. 7. 16. *in manu Dei potestas terræ, in manu Dei potestas hominis* Eccles. 9. 1. *quasi lutum in manu figuli plasmare illud, & disponere.* Undè Augustinus super illud Psal. 110. *magna Opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus*: hoc ad supremum Dei dominium retulit, dicens: *ita quidquid elegeris omnipotenti Deo non deerit, undè suam de te compleat voluntatem.* Non enim sic constituta sunt opera Domini, ut creatura in arbitrio libero constituta, Creatoris superet voluntatem, etiam si contra ejus faciat voluntatem. Quæ sanè omnes locutiones si candidè, ac sine cavillis loqui velimus, supremum important super actus liberos Dei dominium, manifestamque liberi arbitrii subordinationem.

§. II.

Solvuntur argumenta ex SS. PP.

10. **S**ufficeret nuda, & plana variorum locorum, qui ex SS. PP. nobis objiciuntur designatio, ut lector statim ipsorum verum sensum, & intelligentiam deduceret: sed cum expediat, ut aliàs monebat Paulus, eos, qui contradicunt, arguere, Adversariorum sinistra intelligentia cogente, distinctè proponam. Et objicit 1. P. Avendaño disp. 17. cap. 2. §. 14. Nyssenum in oratione cap. 30. dicentem: *Quia in universitatem liberam habet potestatem propter summum tu homines honorem, dimisit etiam aliquid in nostra potestate, cujus*

unusquisque nostrum solus est Dominus: hoc autem est liberi arbitrii libera electio. Et statim subdit Auctor iste: *Notetur hujusmodi unusquisque nostrum solus est Dominus; nam juxta sententiam contrariam nequit salvari, unumquemque nostrum solum esse Dominum libera electio-*

11. Auctoritate ista D. Gregorii Nysseni in sensu arguentis accepta, nihil aptius, ut argumenta superius posita, demonstrativa reddantur. Namque accepta, prout ab ipso intelligitur, Deum non esse Dominum Dominantium, & actus supernaturales non esse dona Dei, nec Deum operari in nobis velle, & perficere, nec omnia portare verbo virtutis suæ, nec omnia in omnibus secundum consilium voluntatis suæ operari, manifestè comprobatur. Undè cum sic intellecta, directè opponatur Ecclesiæ de Christo dicenti: *tu solus Dominus*, explicanda est ab omnibus Catholicis, & non in sensu objicientis: etenim si *ly solus* excludit, ac subtrahit nostram electionem liberam à dominio Dei, argumenta superius facta insolubilia erunt. Sciendum est ergo, quod particula exclusiva in locutione vera, sicut non excludit à concomitantibus, ita nec ab essentialiter requisitis, vel requisitis: est autem essentialiter requisitum, quod determinatio libera, & libera electio creaturæ immediatè subjiciatur Deo, ut supremo Domino. Quod ergo excludit, sunt electiones nostræ liberæ à dominio cujuscumque alterius Creaturæ, sive Hominis, sive Angeli, sive Dæmonis. Est enim de conceptu agentis liberi nulli agenti creato extrinseco subjici: cum nullum agens creatum extrinsecum possit esse causa motus ipsius voluntatis, ut expressè docet D. Thomas 1. p. q. 83. art. 1. & q. 105. art. 4. & q. 111. art. 2. ubi inquit, utrum Angeli possint immutare voluntatem hominis, & respondet: *Voluntas potest immutari dupliciter, uno modo ab interiori, & sic cum motus voluntatis non sit aliud, quàm inclinatio voluntatis in rem volitam, solius est Dei immutare voluntatem, ubi illam exemptam à dominio cujuscumque agentis creati agnoscit: Cum intra voluntatem sola voluntas operari possit, & qui voluntatem creavit, qui secundum fidem solus Deus est*, inquit D. Thomas q. 22. de verit. art. 9.

12. Secundò objicit S. Clementem Papam Epist. 13. dicentem: *Nihil est, quod audientis fidem ad credendum determinet extrinsecum arbitrium eorum... Si quid esset, quod ad credendum, vel non credendum determinaret, meritum, & libertas tolleretur.* Quem textum & opponit P. Marin loco citato n. 33., at incassum opponitur. Etenim respondetur, quod ne mens hujus Sanctissimi Papæ in minus Catholicum sensum intelligatur, illa particula *nihil* eo prorsus modo explicanda est, quo supra particula *solus* explicata manet; quod minimè excludit immediatum Dei dominium, immediatamque subjectionem crea-

turæ. Quid autem excludat, explicat Sanctus Clemens Epist. 3. illis verbis: *Qui audit sermonem veri Prophetæ, habet in sua potestate velle, & nolle illa amplecti. Nam si hoc esset, ut videntes ea, jam non haberent in sua potestate aliud facere, quam audierunt; vis erat quedam natura, per quam liberum non esset ad aliam migrare sententiam; ac si diceret: si audiens convinceretur, quasi per demonstrationem, tunc non maneret liber ad dissentium, quia vis ipsa naturæ cogens ad assensum, necessitat antecederet ad illum, & reddit dissentium antecederet impossibilem; quam necessitatem naturalem, & destructivam libertatis, excludit S. Clemens per *ly nihil*: non enim negat, fidem esse donum Dei, nec contra Apostolum affirmat, principaliter esse ex Deo, quam ex nobis.*

13. Tertio objicies D. Hieronymum in Isai. cap. 49. dicentem: *Hæc autem universa dicuntur, ut liberum hominis arbitrium monstraretur: Dei enim vocare est, & nostrum credere. Nec statim, si non credimus, impossibilis Deus est: sed potentiam suam nostro dereliquit arbitrio, ut iuste voluntas præmium consequatur.* En ubi Hieronymus omnipotentiam nostro subjectam arbitrio declarat, ut libertatem illam, & integram servet in non credendo. Ac si diceret: ideo in non credente remanet libertas, quia in non credente Deus ejus arbitrio reliquit suum concursum in actu secundo: sed concursus Dei in actu secundo esse derelictum arbitrio voluntatis, est omnipotentiam esse subjectam libero arbitrio: ergo non potest salvari libertas quin sit voluntati creature subjecta Divina omnipotentia.

14. Hoc argumentum, quod efficacissimum credunt, parum urget, si mens D. Hieronymi attentè consideretur. Etenim S. Doctor in illis istarum verbis, *in vacuum laboravi, sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi*, introducit Christum conquerentem: *Quomodo in me glorificatus es Pater, quia magnam partem Populi Judæorum ad te revocare non potui?* Et continuo subdit verba in argumento posita, quod nempe dicuntur, ut liberum hominis arbitrium monstraretur: *Dei enim vocare est, & nostrum credere. Nec statim si non credimus, impossibilis Deus est.* Ac si aperte diceret: *Deus non est impotens, licet vocati non credant*, facere ut credant. Nihil quippe frequentius in sacris litteris, quam quod terminus iste *impossibilis* sumatur pro *impotens*. Constat ex illo Sap. cap. 11. *Non enim impossibilis erat manus tua: quod exponit Eminentiis. Card. Hugo: Non est impossibilis, id est impotens.* At in verbis sequentibus, *sed potentiam suam nostro dereliquit arbitrio, ly potentiam suam* non accipitur pro potentia Dei, quasi hanc Deus derelinquat, & subjiciat arbitrio nostro, ut liberi simus, sed pro termino potentia, quem reliquit libero arbitrio. Nam Deus derelinquit hominem in manu consilii sui, seu in sua potestate, ut iuste vo-

luntas meritorie operans, præmium consequeretur, sicut, & lapsus peccantis, non auxilio, sed vitio voluntatis adscriberetur. Senius est ergo: *Potens est Deus facere, ut credant, obligando potentiam humanam; sed hoc, quod potens erat facere, reliquit humano arbitrio, ut locum daret merito.* Ideoque non aliud facit S. Doctor, quam libertatem à necessitate confiteri; neque per hoc excludit necessariam à Deo dependentiam, quam de illius mente supra didicimus numero ultimo præcedentis dubii. Eleganter autem effectum potentia pro potentia ipsa posuit, quod Metonymia genus usitatissimum est, ut nemo nescit.

15. Quarto objicies S. Damascenum lib. 2. de fide cap. ultim. ubi sic ait: *Illud scire interest, Deum omnia quidem præscire, sed non omnia præfinire, præscit enim ea, etiam quæ in nostra potestate, atque arbitrio sita sunt, at non ita ea præfinit.* Ex quibus arguit prædictus Auctor: Deus non præfinit opera, quæ nobis libera sunt: ergo quia non determinat determinatione propria agentis liberi, sed ut libera sit, subordinatur voluntati nostræ, ut ipsa sola determinet determinatione propria agentis liberi. Ad quod responderet, hanc Damasceni auctoritatem explicare D. Thomam 3. contra Gent. cap. 90. n. 6. ad fin. per hæc verba: *Et similiter Nyssenus dicit in libro, quem de homine fecit, providentia est eorum, quæ non sunt in nobis, non autem eorum, quæ sunt in nobis. Et Damascenus eum sequens dicit in 2. lib. cap. 30. quod ea, quæ sunt in nobis, Deus prænoscit, sed non prædeterminat; exponenda sunt, ut intelligantur ea, quæ sunt in nobis, Divinae determinationi non esse subiecta, quasi ab ea, necessitatem accipientia.* Hæc Sanctus Thomas ad Nyssenum, & Damascenum, ex quibus apertissime constat, hos SS. PP. negare præfinitionem, aut prædeterminationem imponentem nostris electionibus necessitatem antecedentem, non verò necessitatem consequentem, quæ tantum est necessitas conditionalis, & secundum quid, non obfians libertati, ut expressè docet Divus Thom. 1. p. q. 19. art. 8. in corp. & ad argumenta. Et quidem electiones nostras immediate subjacere Divinae providentiæ, quæ nihil aliud est, quam dispositio provisarum rerum, docuit Angel. Præceptor loco citato immediate ante verba relata, tum 1. p. q. 22. art. 2. ad 1. explanans illa verba Ecclesiastici cap. 15. quæ num. 37. contra nos opponit Pater Marin: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui.* Ad quorum intelligentiam sic loquitur D. Thomas: *In hoc quod dicitur, Deum hominem sibi reliquisse, non excluditur homo à Divina providentia; sed ostenditur, quod non præfigitur ei virtus operativa determinata ad unum, sicut rebus naturalibus.* Et paucis interpositis rationem hujus expositionis reddit. *Providentia enim hominis continetur sub providentia Dei, sicut causa par-*

particularis sub causa universali: Sed causa particularis continetur immediate sub causa universali, quæ est Deus: ergo providentia hominis, & illius dominium super proprios actus continetur immediate, & subjicitur providentiæ, & dominio universalissimo Dei. Neque his immorari oportet; nam salva fide, negari non potest, omnes actiones nostras subjici Divinae providentiæ. Sicut ergo Nyssenus verbo tenus id negans, non ut sonant verba accipiendus est de providentia: ita Damascenus, non ut sonant verba accipiendus est de potentia: idem enim est utriusque argumenti sensus contra errores suorum temporum; licet minus cautè scripserint circa contrariam partem, cui nullus tunc error insidiabatur. Nec mirum cum hoc ipsum contingerit D. Augustino ante errores Pelagii, ut ipsemet fatetur in libro Retractationum.

16. Quinto objicies, D. Thomam in 2. dist. 25. q. unic. art. 1. dicentem, *Liberum arbitrium non reperitur in his, quorum actiones determinantur à quibusdam aliis causis prioribus.* Et ibi: *Et ideo salvatur in Deo liberum arbitrium, & verum dominium sui actus, quia determinatio sui actus non est sibi ab alio, sed à se ipso.* Et in 2. dist. 39. q. 1. art. 1. *ipsa potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura, sed quod determinatè exeat in hunc actum, vel illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate.* Et art. 2. in corp. *Ratio culpa in actu deformi est ex hoc, quod procedit ab eo, qui habet dominium sui actus: hoc autem est in homine secundum illam potentiam, quæ ad plura se habet, nec ad aliquod eorum determinatur, nisi ex se ipsa, quod tantum voluntati convenit.* Hæc D. Thomas; ex quibus statim inferit P. Avendaño, *quod voluntati tantum convenit habere dominium sui actus, & determinari ex se ipsa, quod salvari non potest, si Deus etiam haberet dominium nostri actus, & ex se ipso determinaretur ad illum.* Voluntati ergo subordinatur, ut sic ista sola sit domina, & determinetur ex se ipsa. Hæc ad verbum prædictus Auctor. Quibus addit D. Thomam q. 1. de potent. art. 4. ad 3. dicendum, *quod licet causa prima maxime influat in effectum, tamen ejus influentia per causam proximam determinatur.* Sicut & ipsum 3. contra Gent. cap. 66. art. 5. ubi sic habet: *Secunda autem agentia, quæ sunt quasi particularizantes, & determinantes actionem primi agentis, agunt sicut proprios effectus alias perfectiones, quæ determinant esse.*

17. Hæc sunt potissima loca ex D. Thoma, quibus P. Avendaño, P. Marin, & alii Doctores Scientiæ mediæ sententiam suam probare nituntur, quæ tamen facillimam, & verissimam habent intelligentiam apud Discipulos S. Doctoris, qui ejus maxime norunt loquellam. Igitur inconcussum principium est apud omnes Theologos cum SS. PP. quod de conceptu agentis liberi est se movere, & determinare, esseque suorum actuum domi-

num, hoc tamen juxta S. Thomam minime excludit determinari à Deo ad exercitia libera. Nam ex eodem Angelico Magistro, de cujus mente modo dumtaxat agimus, quoties datur duplex efficiens eandem actionem, unum primum, & aliud secundum, nihil obstat, quominus sit duplex determinans eandem actionem, unum primum, & aliud secundum. Ergo agens liberum est, quod se determinat; sed primum agens liberum primò se determinat, & secundum secundò se determinat: Restrictio enim, quæ cadit in definitum, debet etiam cadere in definitionem. Notissimum est scientibus Thomam, hujusmodi primi determinantis motionem libertatem secundi liberi non lædere. Unde aequè certum est illis, in objectis locis excludere S. Doctorem à libertate humana alienam quidem determinationem, non Divinam, quæ aliena non est. Ut tamen etiam illis, qui in S. Doctore minus versati fuerint, satisfaciamus, quæ de ejus mente diximus, verbis ejusdem operæ pretium erit proferre. Igitur q. 3. de malo art. 2. ad 4. *Cum dicitur aliquid movere se ipsum, ponitur idem esse movens, & motum; cum autem dicitur, quod aliquid movetur ab altero, ponitur aliud esse movens, & aliud motum. Manifestum est autem, quod cum aliquid movet alterum, non ex hoc ipso, quia est movens, ponitur, quod est primum movens. Unde non excluditur, quin ab altero moveatur, & ab altero habeat similiter hoc ipsum, quod movet; similiter cum aliquid movet se ipsum, non excluditur, quin ab alio moveatur, à quo habet hoc ipsum, quia se ipsum movet, & sic non repugnat libertati, quia Deus est causa actus liberi.* En quomodo juxta S. Doctorem componitur movere se cum eo, quod moveatur ab alio. Non enim pugnat cum libertate arbitrii, quod Deus ut primum movens arbitrium determinet; undè eum D. Thomas sibi opponit adversari arbitrio motionem Dei, non ad indifferentiam motionis, sed ad subordinationem arbitrii nostri, ut secundi moventis, recurrit. Eset namque voluntas primum determinans, si ejus actio in aliquod prius determinans non reduceretur, sicut in causam: ut expressè aserit D. Thomas in 2. dist. 37. q. 2. *Non posse vitari, quin voluntas nostra esset primum agens, si ejus actio in aliquod prius agens non reduceretur, sicut in causam: ergo nec vitari posset, voluntatem esse primum determinans, si ejus actio in aliquod prius determinans, non reduceretur.*

18. Quod ut magis explicetur, non erit alienum a ratione, his quæ dicta sunt adjungere textum D. Thomæ 1. contra Gent. cap. 68. ubi probans, Deum cognoscere cogitationes cordis, sic habet: *Dominium autem, quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus est potestate velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, & violentiam causæ exterioris agentis.* Et prosequitur: *Non autem excludit influentiam superioris causæ, à qua*

qua est ei esse, & operari: & sic remanet causalitas in causa prima, quae est Deus, respectu motuum voluntatis, ut sic Deus se ipsum cognoscendo, huiusmodi cognoscere possit. Hæc D. Thomas. Ex quibus constat, quod ut voluntas habeat verum dominium super suos actus, duo tantum requiruntur, & quod virtus non sit determinata ad unum, prout est virtus agentis naturalis, & quod ab agente exterius violentiam non patiatur: quod utrumque componitur, posita immediata subiectione, & subordinatione ad Deum. Non enim subordinatio, & subiectio actualis facit, virtutem esse naturaliter determinatam ad unum: nec Deus sua activa subordinatione violentiam potest inferre voluntati, ut dicitur 1. 2. q. 10. & clarius q. 6. art. 4. Quam doctrinam sæpius repetit D. Thomas in 2. dist. 39. q. 1. art. 1. Et 3. contra Gent. cap. 90. & 1. par. q. 22. art. 2. ad 4. semper ad libertatem, virtutem non esse natura sua determinatam ad unum, requirens, sed nusquam repulit virtutis determinationem à Deo juxta modum voluntatis.

19. Per hoc sufficienter explicatæ manent auctoritates contra nos objectæ. Nihilominus, ut semel solvamus importunas illas objectiones de libertate, quas adversarii ex nostro Angelico Magistro nobis frequenter obijciunt, ad explicanda sigillatim ejus verba gradum facimus. Et prima, quæ statim in argumento occurrit est ex 2. dist. 25. art. 1. q. 1. in qua discutit D. Thomas, quare in habentibus intellectum, sit liberum arbitrium: & resolvit, idem illis liberum arbitrium convenire, quia illa sibi finem præstitunt, & judicant de sua actione, ad differentiam aliorum agentium, qui moventur ab alio præstitente finem, ac subinde à natura ipsa sunt determinatæ ad agendum, qui agendi modus non componitur cum libertate arbitrii, quæ requirit dominium, & indifferentiam. Verum, quomodo ex hac auctoritate excludatur à requisitis pro nostra libertate subordinatione nostri ad Deum, vel ponatur subordinatione Dei ad nos, penitus ignoro.

20. Secundum testimonium sumptum ex eadem quæstione art. 1. ad 1. nulla eget explanatione textum legenti. In illo enim assignat D. Thomas, & docet, quàm differenter in Deo liberum sit arbitrium, ac in nobis, quod scilicet in Deo eminentius est; & de homine loquens solutionem ad tertium concludit his verbis: *Unde remanet sibi dominium sui actus. licet non ita sicut primo agenti: quia videlicet primum agens à nullo determinatur, homo vero determinatur à primo.* Quæ doctrina clarissimè illustrari potest ex ipsomet Angelico Præceptore 1. p. q. 17. art. 3. ubi agens de vita Dei explicat id, quod vita primi viventis differt à vita viventium Creatorum. Viventia enim creata ita à se moventur, ut etiam moveantur à Deo; Deus autem, loquendo de vero motu, nec à se movetur, nec ab alio.

Unde & in hoc genere dominium Dei, cum sit primum, & supremum; quia primum excludit aliud prius, & quia supremum omnia alia dominia sub se continet, sibi que subijcit, atque subordinat, quod nihil congruentius primis terminorum apprehensionibus, nec aliud valet recta ratione intellectus concipere. E contra verò dominium creatum per opposita illis prædicata debet constitui; nam ex eo, quod est dominium secundum, supponit aliud prius; ex eo verò, quod est inferius, subordinari debet supremo: quod in causis efficientibus manifestè constat. Idem docet 1. 2. q. 109. art. 2. ad 1. dicens: *Unde mens hominis, etiam sani, non ita habet dominium sui actus, quin indiget moveri à Deo.* Et 1. 2. q. 9. art. 6. ad 3. ubi iterum dominium creatum in suis liberis actibus dominio Dei subiectum agnoscit.

21. Tertium, quod desumitur ex 2. distinct. 39. qu. 1. art. 1. in corp. ex ipso textu facile explicatur; nam immediatè post verba, quæ nobis obijciuntur, subdit Angel. Magister: *Sed in naturalibus actus progreditur ab agente: sed tamen determinatio ad hunc actum non est ab agente, sed ab eo, qui agenti talem naturam dedit, per quam ad hunc actum determinatum est.* Ex quibus manifestissimè constat, ideo asseri à D. Thoma, voluntatem à nullo alio determinari, sed se determinare per se ipsam, quia à natura non est determinata; ad differentiam agentium naturalium, quorum virtus à natura ipsa ad unum determinatur. Ex hoc autem minimè inferitur, voluntatem creatam à primo agente non determinari: cum quo tamen stat, quod ad malum à nullo alio, nec etiam à Deo determinetur, quia ipsa est prima causa peccati. De quo alibi agendum.

22. Sensus auctoritatis objectæ ex 2. distinct. 39. qu. 1. art. 2. in corp. planus est: asserit quippe D. Thomas homini convenire dominium sui actus secundum illam potentiam, quæ ex natura sua ad plura se habet, nec determinatur ab aliquo naturali sive intrinseco, sicut in brutis; vel ab extrinseco; sed solum à se ipso, quæ particula nisi, non excludit Deum ut prædeterminantem, quamvis, ut superius diximus, excludat alia; cuius est ratio, quia reliqua non possunt causare substantiam, & libertatem actus per suam determinationem: Deus autem utrumque causat, quia utrumque continet. In ordine tamen ad peccatum ita voluntas est domina, ut ad illud pro formali nec à Deo determinatur. In quo sensu videtur loquutus D. Thomas, qui in verbis objectis discutit modum, quo in actu ratio culpæ invenitur.

23. Textus, qui adducitur ex q. 1. de Potent. art. 4. ad 3. ubi expressè dicitur, quod influxus causæ primæ per causam proximam determinatur, facile, & verè explicatur de determinatione à causa proxima in genere causæ materialis, juxta illud commune axioma:

ma: *Unumquodque recipitur ad modum recipientis: & in hoc sensu verissimè dicitur, influentiam causæ primæ determinari per causam proximam; quæ motio Divina fortis, & suavis accommodat se causis, quas immutat. Unde influxus solis unus cum sit, varios producit effectus propter varias terræ dispositiones. Quæ doctrinâ sufficientè, ac verè explicatur mens D. Thomæ. Verum cum Adversarii intendunt ex illo deducere causam primam efficienter determinari à causa secunda, ad quod non sufficit determinatio ista solum in genere causæ materialis: cum ex eo, quod influxus liber à Deo datus, & in causa receptus, ab ipsa determinetur, non inferatur subordinatione Dei ad nos, ut revera non probatur: tamen si diligenter textum adductum quis examinet, si quid ad intentum arguentis probatur, evidentè cognoscat, non solum convinci determinari Deum, & subijci causæ creatæ liberæ, sed etiam subijci, & determinari à causa creata purè naturali, & necessaria; quod quàm sit absurdum nemo non videt: ergo cum indifferentè loquitur D. Thomas de influxu causæ primæ, nedum ad actiones liberas, sed etiam ad effectus necessarios, ad quos non concurrat Deus, etiam juxta Adversarios decreto indifferenti, sed efficaci, & concursu determinato, ab omnibus exponi debet testimonium D. Thomæ. Quare respondetur explicando D. Thomam, distinguendo propositionem illam; & tamen ejus influentia per causam proximam determinatur, subiectivè, & effectivè, neg. antec. purè objectivè, & occasionaliter, conc. antec. Dicitur influxum causæ primæ objectivè, & occasionalitèr determinari à causa secunda in quantum sumpta à virtute ipsius occasione Deus cooptat, & determinat suum concursum huic causæ ad producendum hunc effectum, & non alium, non præcontentum in ipsa. Sic Eminentiss. Cajetanus 1. p. q. 14. art. 14. in exposit. ad 1. asserit, quod *motio causæ prioris, modificatur in causa secunda, secundum modum causæ secundæ, id est, modificatur in causa secunda, sed non modificatur per ipsam.* Sic & D. Thomas infra q. 85. art. 7. docet, quod anima rationalis determinatur per corpus, non subiectivè, & effectivè, sed solum occasionaliter sequentibus verbis: *Manifestum est enim, quod quantum corpus est melius dispositum, tanto meliorem sortitur animam. Quod manifestè apparet in his, quæ sunt secundum speciem diversa. Cujus ratio est, quia actus, & forma recipitur in materia secundum materiam capacitatem.* Quæ verba D. Thomæ rem luculenter explicant, quia enim anima humana non causatur ex corpore, & dispositiones corporis non redundant in ipsam, sed in suo tantum fieri dependet ex corpore, non ut causa, sed ut occasione, anima rationalis determinatur per corpus, non subiectivè, & effectivè, sed solum occasionaliter, in quantum Deus, occasione desumpta à corpore, &*

à dispositionibus ipsum afficientibus, hanc animam, quam effectivè determinat, huic corpori infundit, & non alteri.

24. In eodem sensu intelligendus est D. Thomas 3. contra Gent. cap. 66. Etenim si posset determinari, & impediri influxus Dei per causas secundas, sicut virtus solis determinatur, & impeditur per causas inferiores, ut hoc, & non aliud producat, sequeretur, quod sicut distinctio effectuum non reducitur in virtutem solis, nec illi tribuitur, sed est præter intentionem virtutis illius; sic etiam distinctio operationum, non deberet reduci in Deum, nec ipsi tribui, sed præter ejus intentionem. Sequeretur ulterius, quod sicut determinatio, per quam determinatur virtus activa solis ad hunc determinatè effectum producendum, non est ex influxu illius, sed præter illum, ita determinatio creaturæ respectu Dei esset præter ejus influxum, & supponeretur ad ipsum. Quæ omnia absurdissima sunt, & expressè contra D. Thomam 1. p. q. 22. art. 2. discrimen inter utramque causam disertissimè, planissimèque assignantem, tam in corpore articuli, quàm in solutione ad 1. ubi dicitur: *Ad primum ergo dicendum, quod aliter est de causa universali, & de causa particulari. Ordinem enim causæ particularis aliquid potest exire, non autem ordinem causæ universalis. Non enim subducitur aliquid ab ordine causæ particularis, nisi per aliquam aliam causam particularem impediens; sicut lignum impeditur à combustionem per actionem aquæ. Unde, cum omnes causæ particulares concludantur sub universali causa, impossibile est, aliquem effectum ordinem causæ universalis effugere. In quantum igitur aliquis effectus ordinem alicujus causæ particularis effugit, dicitur esse casuale, vel fortuitum respectu causæ particularis: sed respectu causæ universalis, à cujus ordine subtrahi non potest, dicitur esse provissum.* Constat ergo, quod sol, coelum, & aliæ causæ, quæ universales dicuntur, non sunt ita universales, quod sub eis omnia inferiora sub omnibus modis comprehendantur; sed potest, immo & debet aliquid præsupponi ex parte effectuum, nempe conditio materiæ, vel aliquid huiusmodi, ratione cujus influxus talium causarum limitari possit. Exempli gratia, sol secundum suam propriam causalitatem, suumque universalem influxum, concurrat ad generationem corporum sublunarium, secundum illam generalem rationem, secundum quam sunt corpora generabilia, & corruptibilia: equus vero, ut causa particularis, determinat illum influxum solis, ita ut ex vi illius influxus generetur, non solum corpus generabile, ac corruptibile, sed determinatè corpus equi: similiter influxus solis determinatur in planta, & per influxum plantæ ad producendum corpus plantæ: qui modus determinandi influxum causæ primæ increatæ à causa secunda est omnino falsus, & impossibilis: cum Deus taliter sit causa universalis,

lis, ut omnes causæ inferiores totaliter comprehendantur sub ejus influxu, tam quoad formam, quam quoad materiam, quoad virtutem, & actionem: cum igitur ex parte effectus nihil ad influxum illius supponatur, sed omnia dependant ab ipso, sive quoad esse, sive quoad operari, nihil esse potest, quod illius influxum determinare, limitare, vel impedire possit, cum potius omnis determinatio, modificatio, & limitatio effectus, ab influxu Dei, purè activè influente, proveniat, qui attingendo rationem entis ut sic, attingit etiam omnes rerum omnium differentias, genericas, específicas, individuales, & omnes omnino modos entis.

25. At si cui hæc celebris probataque à Thomistis responsio non placet, aliter occurrere difficultati argumenti potest, reflectendo supra testimonium S. Thomæ ex q. 1. de potent. art. 4. ad 3. quod ad rem non esse videtur. S. Doctor ibi inquit: *Utrum sit judicandum aliquid possibile, vel impossibile secundum causas superiores, vel inferiores?* Et quæstio procedit de omnibus causis tam liberis, quam necessariis. Observat pro solutione, quod possibilitas effectus dependentis à causa secunda necessariò debet esse, non solum secundum causam primam, sed etiam juxta secundam; quia esse, quod est terminus virtutis causæ primæ, determinatur ad hanc speciem entis per causam secundam. Unde effectus evadit similis causæ secundæ proximæ. Objecerat sibi tertium argumentum, excludens causam secundam, quia magis influit in effectum primam: unde ex sola prima sumenda videtur possibilitas. Ideo respondet: *Ad tertium dicendum, quod licet causa prima maximè influat in effectum, tamen ejus influentia per causam proximam determinatur, & specificatur: & ideo ejus similitudinem imitatur effectus.* Quid hinc ad propositum? An negamus nos, aut quod actus voluntatis dicatur possibilis secundum ipsam: aut quod ad rationem formalem speciei actus determinetur juxta voluntatis naturam, aut quod ab eadem voluntate habeat esse actum liberum, aut tandem quod in eum actum causa prima maximè influat? Immo hoc contra Adversarios defendimus. Quænam ergo species argumenti? Video certè, scilicet contra illos, non pro illis. Iste idem apertissimus sensus est S. Doctoris loco etiam objecto ex 3. contra Gent. & millies alibi. Et utinam Adversarii illius doctrinam in hac parte sectarentur: quo fieret, ut quæstiones de causis cum in Philosophia, tum in Theologia nobiscum resolverent.

26. Tandem objicies ex P. Avendaño ibi n. 9. qui post tot SS. PP. auctoritates nobis objectas, hoc concludit argumento, ut probet suam sententiam esse SS. PP. conformem. Arguit ergo ex ratione, qua utuntur ipsi ad demonstrandum, unicum esse Deum, & non plures. Quia videlicet, si plures essent Dii, unusquisque haberet suam voluntatem libe-

ram ad opposita: ex quo fieret, posse efficaciter alterum illorum se ad unum determinare, & alterum se determinare ad oppositum; & sic haberent potestatem ad componendum opposita, seu contradictoria, quæ quidem potestas chimærica est. Hæc quidem ratio, inquit ille, quæ mihi efficacissima est, nullam haberet efficaciam, si semel statueretur ut verum id, quod contrarii volunt: nempe posse salvari libertatem erga eandem actionem, tum in Deo, tum in homine: nam ad hoc salvandum, opus est, dicatur utrumque, & Deum, & hominem, dum ad eam actionem concurrunt, talium voluntatum simpatia concurrere ad illam, ut ad quod unus determinatur liberè, ad idem etiam alter liberè determinetur.

27. Cogit nos argumentum, ut iterum dicamus: utinam adversarii tenerent sententiam D. Thomæ de causarum ordine, quem nobis putabant se objicere. Tunc enim fateantur, nihil aptius sententiæ nostræ ad promovendas probationes PP. de unitate Dei: quas non video, quomodò in eorum principiis firmæ subsistant, sicut in nostris. Enim vero sicut est una, & suprema causa, cui reliquæ subordinantur, ut demonstrat D. Thomas 1. p. q. 2. art. 3. ita & datur unus Deus, cum repugnantia multitudinis Deitatum, etsi in creatura sit verum dominium respectu actus liberi Deo perfectissimè subordinatum; *Quia hoc vult (Deus) unicuique esse naturale, quod potestati Divinæ subdatur*, inquit D. Thom. 1. 2. q. 10. art. 4. ad 2.

28. At si res attentè consideretur, habet argumentum contra ipsos non contemnendam difficultatem. Etenim admissò, & posito in homine dominium constituto per carentiam subordinationis ad Deum, homo erit Dominus, & erit Dominus alteri non subordinatus. Modò sic: salva fide negari minimè potest, Deum nulli Dominò esse subordinatum; sed juxta Auctores istos, homo, in quantum Dominus actus liberi, Deo non subordinatur: ergo tam Deus, quam homo erunt duo supremi Domini: sed inter Divina attributa nullum est, quod proprius dicatur de Deo, supposita existentia creaturarum, quam supremum dominium, ut constat ex illo Apocalyp. cap. 19. ubi dicitur, *Dominus dominantium*: ergo non possunt dari duo supremi Domini, quorum nec alter alteri, nec ambo tertio subordinentur, quin existat Deorum pluralitas. Perperam ergo hoc Thomistis objiciunt, cum ipsos efficacius urgeat, & exagitet argumentum.

29. Si dicas, vitari hoc inconveniens in sententia P. Avendaño, quia apud ipsum, dominium Dei super actus nostros liberos non est primum, seu supremum, cum supremus illorum Dominus sit homo liberè operans, non Deus, qui concurrat subordinatus homini. Hæc autem solutio strictius Adversarium premit: & sanè strictius, quò magis est con-

sequens ad prædicti Auctoris positiones, quarum prima asserit, carentiam subordinationis nostræ ad Deum esse unum ex constitutivis nostræ libertatis: secunda verò affirmat, Dei ad nos subordinationem etiam inter no-

stræ libertatis constitutiva esse numerandam: ex quibus, nullo inferente sequitur, non Deum, sed creaturam esse supremum Dominum actus liberi: sed, an hoc turò affirmari possit, nihil ad nos: ipsi videant.

DUBIUM III.

An subordinatio liberi arbitrii Deo talis sit, ut Divina virtus causet tam substantiam, quam modum actus liberi?

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

CUM universis creaturis, quæ sunt, esse illis Deus dederit, ut sint, & agentibus liberis concessum etiam simpliciter sit, ut pro suo arbitrio valeant, & possint flectere in quodcumque libertatis extremum; sitque, *operatio voluntatis*, teste D. Thoma 1. p. q. 106. art. 2., *inclinatio quædam volentis in volitum, quam solus ille immutare potest, qui virtutem volendi creaturæ contulit*; in quo sanè explicatur absolutum, & excellentissimum Dei dominium in voluntatem: hinc, ut creaturæ in ordine ad Deum subordinatio penitus introspectiatur, inquirimus, utrum talis sit efficacia Divinæ voluntatis, quod substantiam, & libertatem actus causet? Hac enim Divinæ voluntatis efficacia percepta, nulla ratione, ex perfectissima subordinatione liberi arbitrii in actibus suis liberis Deo auctori gratiæ, & naturæ, nos de everfo per gratiam efficacem libero arbitrio quispiam accusabit. Partem affirmativam defendimus, attestante communi SS. PP. doctrina. D. Anselmus lib. de Concord. præscientiæ, prædeterminat. & gratiæ cap. 1. *Quoniam, quod Deus vult, non potest non esse; cum vult, hominis voluntatem nulla cogi, vel prohiberi necessitate ad volendum, vel non volendum, & vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse est, esse liberam, & esse, quod vult.* Id expressit D. Augustinus lib. 1. retract. cap. 9. dicens: *Et quia omnia bona, sicuti dictum est, & magna, & media, & minima ex Deo sunt, sequitur, ut ex Deo sit & bonus usus liberae voluntatis, quæ virtus est, & in magnis numeratur bonis.* Et lib. 1. contra duas Epist. Pelagianorum cap. 20. loquens de eo, quod Afluero accidit: *Numquid, inquit ille, homines Dei, qui hæc scripserunt, imò ipse spiritus Dei, quo auctore hæc scripta sunt, oppugnant liberum arbitrium? Absit. Sed omnipotentis in omnibus, & judicium justissimum & auxiliium misericordissimum commendavit.*

2. Hoc constantissimè docet D. Thomas 1. p. q. 19. art. 8. *Cum igitur voluntas Divina sit efficacissima, non solum sequitur, quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quædam fieri Deus necessariò, quædam contingenter, ut*

fit ordo in rebus, ac complementum universi. Et ideo quibusdam effectibus adaptavit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt, quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniunt. En ubi D. Thomas causam assignat libertatis summam efficaciam Divinæ voluntatis, quæ causat effectum juxta modum ipsius causæ secundæ. Idem repetit q. 22. art. 4. dicens: *Et ideo quibusdam effectibus præparavit causas necessarias, ut necessariò evenirent, quibusdam verò causas contingentes, ut evenirent contingenter, secundum conditionem proximarum causarum.* Et ibi ad 3. *Et considerandum est, quod necessarium, & contingens propriè consequuntur ens, in quantum hujusmodi. Unde modus contingentia, & necessitatis cadit sub provisione Dei, qui est universalis provisor totius entis: non autem sub provisione aliquorum particularium provisorum.* Et q. 23. art. 6. *Sed non omnia, quæ providentiæ subduntur, necessaria sunt: sed quædam contingenter eveniunt, secundum conditionem causarum proximarum, quas ad tales effectus Divina providentiæ ordinavit... Sic igitur & ordo prædestinationis est certus, & tamen libertas arbitrii non tollitur, ex qua contingenter provenit effectus prædestinationis.* Et q. 83. art. 1. ad 3. *Deus igitur est prima causa movens & naturales causas, & voluntarias. Et sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert, quin actus earum sint naturales, ita movendo causas voluntarias, non aufert, quin actiones earum sint voluntariæ; sed potius hoc in eis facit; operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem.* Et 1. 2. q. 10. art. 4. *Ad providentiæ Divinæ non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare. Unde omnia movet secundum earum conditionem, ita quod ex causis necessariis per motionem Divinam sequuntur effectus ex necessitate: ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingentes: hæc D. Thomas.* Pro cujus clariori intelligentia maximè notandum, quod cum libertas (quæ essentialiter est perfectio simpliciter simplex) necessariò, prout competit nobis, supponere debeat libertatem formaliter in Deo, ut formale exemplar, ex quo formaliter participatur, causatur efficienter à Deo per actionem efficacissimam suæ omnipotentia, quæ actio causat in nobis ipsam libertatis virtutem, aut libe-

liberam potentiam adhuc perfectibilem per exercitium liberam, & consequenter potentialem. Perfectio autem hujus potentialitatis non subterfugit actionem Divinam; immo est ultimus terminus, & completus actus activitatis ejus. Unde cum potentia libera in actum liberum, quo completur, exit, profequitur opus suum Dei actio, quâ nedum attingit substantiam actus, verum etiam modum libertatis: & cum potior sit consideratio de natura effectus per ordinem ad causam efficientem, quam imitatur; ideo non reducitur præcisè libertas nostra in efficaciam influxus Divini secundum se considerati, seu præcisè quatenus influxus est, sed in illius efficaciam, qua liber est.

3. Scio, quibusdam ex nostris probari libertatem creatam, etiam si operaretur Deus ex necessitate naturæ, fatisque ingeniosè id ab illis defendi. Nec illos reprobos; nostra tamen via communior æquè, ac planior est; & non subtilitari, sed veritati laboramus. Igitur causa efficiens, quâ efficacioris virtutis est, similiores sibi exequitur effectus. Unde Divina virtus, qua nulla efficacior, sicut libertatem creatam producit sibi similem, ita actus libertatis creatæ sibi similes exequitur; & ideo similes, quia liberi: atque eatenus ipsa efficacia Divinæ virtutis est argumentum ineluctabile à priori convincens humani actus libertatem. Nam si liberi perfectissimi non essent, defectus esset Divinæ virtutis, quæ volens nequiret actum creatum sibi assimilare. Ecce quare dicit S. Thomas, quod, quia Divina voluntas est efficacissima, attingit etiam modum libertatis. Qui hæc comprehendere non possit, videat ad minus, an sit legitima illatio, quam non facile inficiabitur; & cum honorem tanto Doctori deferat, ut se minus illo sapientem fateatur, qui potuit dicere: *quæ scimus, loquimur*. Ego autem dicam, hanc meam doctrinam non esse meam, sed ejus qui docuit me. Accipe D. Thomam 1. ad Annib. dist. 47. q. 1. art. 4. *Voluntas Dei non solum res in esse, sed etiam rebus producendis modum, quo producantur, prædeterminavit*. Si quæras unde hoc? Ecce tibi quæ diximus luculenter ipse Doctor respondet q. 13. de verit. art. 5. in corp. ubi doctrinam istam mirè explicat: *Et ideo oportet aliam principalem rationem assignare contingentia in rebus, cui causa præassignata subserviat. Oportet enim patiens assimilari agenti, & si agens sit perfectissimum, erit similitudo effectus ad causam agentem perfecta. Si autem agens sit debile, erit similitudo imperfecta: sicut propter fortitudinem virtutis formativæ in semine Filius assimilatur Patri non solum in natura speciei, sed in multis aliis accidentibus. E contrario verò propter debilitatem prædictæ virtutis annihilatur prædicta assimilatio, ut dicitur in lib. de animalib. Voluntas autem Divina est agens fortissimum. Unde oportet, ejus effectum ei omnibus modis assimilari, ut non solum fiat id, quod Deus*

vult fieri, quod est quasi assimilari secundum speciem, sed ut fiat eo modo, quo Deus vult illud fieri, vel necessariò, vel contingenter, vel citò, vel tardè, quod est quasi quædam assimilatio secundum accidentia. Et qu. 22. de verit. art. 8. Deus sua omnipotentia hoc facit, ut id, in quod movetur voluntas, liberè velit. Et 1. Periherm. lect. 14. Voluntas Divina est intelligenda ut extra ordinem entium existens, & veluti causa quædam profundens totum ens, & omnes ejus differentias: sunt autem differentia entis possibile, & necessarium; & ideo ex ipsa voluntate Divina ordinantur necessitas, & contingentia in rebus. Quæ omnia elegantè, & theologicè repetit lib. 6. Metaphys. lect. 3. Vide etiam 3. contra gentes cap. 89. & 94. Et q. 6. de electione humanâ. Et loco citato ad Annibaldum ad 2. & ad 3.

4. Sed ut clarius pateat, quantum à Divo Thoma distent, & quam inaniter Angelicum Doctorem pro se stare contendat Theologi quærentes primùm libertatem ex arbitrio, cum è contra D. Thomas illam ex omnipotentia deduxerit, verba, quibus suum concludit discursum, omittere nolo: *Quod quidem est singulare in hac causa; reliquæ enim causæ non constituunt legem necessitatis, & contingentia, sed constituta à superiori causa, utuntur: unde causalitati alterius causæ subditur solum, quod ejus effectus sit; quod autem sit necessariò, vel contingenter, dependet à causa altiori, quæ est causa entis, in quantum est ens, à qua ordo necessitatis, & contingentia in rebus provenit. En ubi expressè docet, quod ad libertatem actus disquirendam non tam debet attendi causa proxima, quam ordo ad Deum, seu causa prima; quia debet attendi per ordinem ad causam per se, & ex se continentem, & causantem libertatem actus: ergo Deus per se, & ex se continet, & causat libertatem, & necessitatem. Hæc ergo est apud D. Thomam evidens consequentia: Divina virtus propter suam infinitam fortitudinem continet substantiam, & libertatem volitionis creatæ, ac reliqua illius accidentia: ergo suo decreto, & concursu potest volitionem cum omnibus suis accidentibus prædeterminando causare. Sicut etiam valet: generans propter fortitudinem suæ virtutis continet substantiam, & accidentia, quibus genitus Filius sibi assimilatur: ergo generando, vel per generationem in his omnibus potest Filium sibi assimilare. Est namque eadem ratio; nam sicut medium, quo generans assimilatur sibi genitum, est natura, & generatio, quâ illum producit, ita in agente per intellectum, & voluntatem medium, quo communicat effectui substantiam, & accidentia, est decretum, quo statuit effectum, cum illis accidentibus producere, & concursus, quo movet causas creatas ad effectum cum illis producendum.*

5. His sequens discursus robur, & quidem non minimum, addit. Non potest effectus aliquis sive necessarius sit, sive continens,

gens, aut liber immediatè subjacere Divinæ Providentiæ, nisi concursus omnipotentia, quo Deus effectum facit, & influxus causæ, cum quâ concurrat, immediatè subjaceat præordinationi, & dispositioni Divinæ. Quomodo namque poterit talis effectus subjacere Divinæ Providentiæ, dum totius concursus executio non sit secundum Divinam præordinationem? Si enim causa non subjacet, poterit suum effectum producere, etiam si Deus effectus existentiam non præordinaverit. Sed libertas nostræ volitionis immediatè subjacet Divinæ Providentiæ, & dispositioni, ut expressè docet D. Thomas 3. contra Gent. cap. 91. *Electioes, & voluntates immediatè à Deo disponuntur. Et 1. p. q. 22. art. 2. Deus immediatè omnibus providet, qui in suo intellectu habet rationem omnium etiam minimorum: ergo concursus omnipotentia, quo Deus effectum exequitur, immediatè subjacet Divinæ præordinationi: qui tamen concursus procedit ab Omnipotentia Dei, & ab illa, ut efficaciter determinata per voluntatem Dei ex se continentis substantiam, & modum cuiuscumque effectus, & nostræ liberæ volitionis, ut vidimus ex D. Thoma, quodque expressè docet 1. p. quæst. 25. art. 5. ad 1. his verbis: Et quia potentia intelligitur ut exequens, voluntas autem ut imperans, & intellectus, & sapientia ut dirigens, quod attribuitur potentia secundum se considerata, dicitur Deus posse secundum potentiam absolutam. Et hujusmodi est omne illud, in quo potest salvari ratio entis. Et paulò infra: Non tamen potest esse, quod aliqua faciat, quæ non præciverit, & præordinaverit se facturum, quia ipsum facere subjacet præscientiæ, & præordinationi, non tamen ipsum posse, quod est naturale. Ideo enim Deus aliquid facit, quia vult; non tamen ideo potest quia vult, sed quia talis est in sui natura. Scio, ad varios recurrere ad eorum scientiam mediam, ratione cujus poterit Deus disponere etiam de iis, quæ ab ejus determinatione non dependent; quatenus futura præsciens ex aliena determinatione, ea, quod voluerit, possit ordinare: sed quidquid sit de hac doctrina, quam nostri opportunis locis impugnant, certum debet esse, eam ad præsens nihil facere; cum procedamus secundum mentem S. Thomæ, cui certo certius est, eam cogitationem adscribi non posse. Quinimo præallegato in loco manifestè dicit, disponere Deum de effectibus potentia; hos autem esse in quibus salvatur ratio entis, quosque ipse facit, quia vult. Juvat hanc fundamentalem doctrinam S. Thomæ paulò altiùs expendere, & simul doctrinæ de scientia media ingressum præcludere.*

6. Causa per se, & ex se causans, & continens ens in quantum ens, est causa per se, & ex se continens, & causans libertatem, & necessitatem rerum: debet namque ejus causalitas se extendere ad omnia illa, quæ per se continentur sub ratione formali, sub qua

suum effectum attingit. Sic causans corpus sub ratione corporis, per se causat corpus animatum, & inanimatum, quia ista sunt differentia per se contrahentes corpus, quasi propria corporis logica accidentia. Quæ ratio in omnibus aliis potentiis verificatur: Undè intellectus omnia entia valet cognoscere, voluntas omnia bona amare, visus omnes colores percipere, quia omnia hæc entia particularia præcontinentur sub ratione formali entis, sub ratione boni, & sub ratione coloris; sed necessitas, & libertas sunt differentia entis, quæ ens in quantum ens essentialiter dividunt; siquidem omne ens aut liberè, aut necessariò est: ergo vel neganda est Deo causalitas universalissima entis, quod esse hæreticum docet D. Thomas in 2. ad Anibal. dist. 37. q. 1. art. 1. vel cum Divo Thoma asserendum, quod causat, & continet substantiam, & modum libertatis actus liberi. Hoc enim dicit causalitas, & præcontinentia totius entis, ut docet ipse D. Thomas 1. p. q. 45. art. 1. & 5. *Quod nihil illius, nec materia, nec forma, nec aliqua ratio entis in effectu inventa aliunde supponatur, aut subterfugiat illius continentiam, & causalitatem. Undè rationem entis non supponit nec in toto, nec in partibus, nec in illarum aliqua, quia totum effectum facit ens ex non ente: ergo Deus ratione suæ omnipotentia ita se habet ad omnem effectum, ut necessitatem, & libertatem in ipsis repertam causet, & præcontineat.*

7. His addo. Sit per modum hypothesis, voluntatem creatam tale suorum actuum habere dominium, & præcontinentiam, ut nec prævio egeat concursu, nec simultaneo, ut asserbat Durandus, aut alii apud D. Thomam 3. contra Gent. cap. 89. Hac facta hypothesis, quis neget voluntatem se determinantem ad amorem præ odio, non esse formaliter liberam? Cum exercitium sit, ut diximus, perfectio libertatis. Si ergo inquiratur: quare se determinando ad amorem, inconjunctibilem cum odio ejusdem objecti, non amittit potestatem antecedentem ad odium constitutivam libertatis? Stat invideta ratio, quia voluntas ex se, & per se continet volitionem tam quoad substantiam, quam quoad omnes modos, quibus per se affici potest: unde & causat substantiam, & modum libertatis componibilem cum determinatione ad unum extremum libertatis. Modò sub tali doctrina subsumo: sed Deus multò perfectiùs continet substantiam, & modum libertatis, quam in prædicta hypothesis contineret voluntas: hoc enim asserit D. August. de corrept. & grat. cap. 14. *Deus magis habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi homines, cujus rationem assignat D. Thom. 1. p. q. 19. art. 6. Quia causa prima effectus causæ creatæ continet sub universalissima ratione, voluntas vero creata sub ratione limitata. Ergo sicut in illa hypothesis tantum suos actus*

sub ratione limitata continens, activitatem ad actus, & modos, quibus per se afficiuntur actus causaret; multò verius Deus magis præcontinens omne esse, & omnem modum essendi, activitate sua facit actum voluntatis, & modum ejus esse: ac consequenter nullum infert libertati detrimentum; quid enim magis dissonum, quàm inferre detrimentum libertati producendo ipsum modum libertatis? Alioqui dicatur, quòd voluntas creata in prædicta hypothefi posset simul & actum quoad modum libertatis producere, & libertatem destruerè.

8. Accedit ad hæc pro majori confirmatione, & urgentia rationis factæ nova ratio. Metaphysica infallibilitas actus non minus videtur opponi actus contingentia in existendo, quàm necessitas actus opponitur libertati; cum sicut ad actum liberum requiratur, quòd possit existere, & non existere quantum est ex parte principiorum constituentium potestatem, & indifferentiam domini; ità ad operationem contingenter existentem, qualis est arborum floritio, aut terræ germinatio, requiritur, quòd ex nullo principio constituyente virtutem talis operationis productivam eveniat talis operatio cum metaphysica infallibilitate; nequit enim virtus esse metaphysicè determinata ad actionem esse, & independenter ab omni alio, & operatio simul esse contingens, sed debet esse metaphysicè necessaria. Tunc sic: sed cum eo, quòd actus existat contingenter, stat metaphysica infallibilitas actus existentia, seu quòd sit metaphysicè infallibile, quòd actus existat: ergo similiter metaphysica infallibilitas existentia actus liberi orta ex efficacia Divinae voluntatis non pugnat cum libertate ipsius actus. Maj. hujus discursus ita certa est, quòd D. Thomas solvens argumenta, quæ fiunt contra libertatem ex suppositionibus connexis cum existentia actus, sapissimè ad hoc unum attendit, ut cum talibus suppositionibus contingentiam actus componat, qua compositione facta, facilem existimat argumenti solutionem, ut ipsum legenti constabit. Min. non minus certas operatio enim cujuscumque agentis naturalis contingens est, v.g. floritio arboris, vel germinatio terræ, quarum operationum contingentiam ad sensum videmus; & tamen omnes istæ operationes, quando eveniunt, cum metaphysica infallibilitate eveniunt, & pro priori ad illarum existentiam est metaphysicè infallibile, quòd evenient, ità ut Deus suâ scientiâ essentialiter verâ cognoscat, & affirmet tales operationes esse extituras, cum decretum, quo Deus statuit harum operationum existentiam, & concursus, quo illam exequitur, sint antecedentia absoluta, efficacia, ac prædeterminantia; & operationes illæ evenire nequeunt, quin Deus illarum existentiam decreverit, aliàs præter Dei providentiam evenirent: ergo eveniunt cum metaphysica in-

fallibilitate illarum existentia: simul igitur cum hac stat rerum contingentia.

9. Hæc sanè, nisi mea me fallit opinio, evidèntia sunt. Rogo modò ab Adversariis, quanam ratione concilietur istarum operationum contingentia cum metaphysica infallibilitate decreti, & concursus? Quidquid ipsi dixerint, modò ab inconcusâ S. Thomæ doctrinâ non abscedant, hoc & nos dicimus pro componenda libertate cum efficacia intrinseca Divinae voluntatis. S. Thomas clarior in hac parte est, quàm qui sinistram patiat interpretationem. Apud ipsum, ut diximus, perpetuò ratio est, quia causa prima, continens ens in quantum ens, continet, & causat modos contingentia, & necessitatis: & sicut entium aliud facit necessarium, aliud contingens, ità operando cum causis necessariis, causat illarum operationes quoad substantiam, & quoad modum necessitatis; & similiter operando cum liberis, & contingentibus, earum operationes causat quoad substantiam, & quoad modum libertatis. Hoc enim facit summa, & infinita efficacia propter summam fortitudinem suæ virtutis, movendo agentia omnia juxta naturam singulorum. In qua doctrina perpetuus, ut dixi, est Angel. Præceptor. Libeat eum audire 1. p. q. 83. art. 1. ad 3. dicentem: *Liberum arbitrium est causa sui motus: quia homo per liberum arbitrium se ipsum movet ad agendum. Non tamen hoc est de necessitate libertatis, quòd sit prima causa sui, id, quòd liberum est: sicut nec ad hoc, quòd aliquid sit causa alterius requiritur, quòd sit prima causa ejus. Deus igitur est prima causa movens, & naturales causas, & voluntarias. Et sicut naturalibus causis movendo eas, non aufert, quin actus earum sint naturales, ita movendo causas voluntarias, non aufert, quin actiones earum sint voluntariae, sed potius hoc in eis facit; operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem.*

10. Scio, AA. oppositæ sententia fateri Deum esse primam causam nostræ libertatis, & sicut dat esse, ita & dat esse liberum, producens substantiam actus, & libertatem in ipso; solùmque stat diversitas in modo, quo hoc à Deo fit. Non enim, inquit, ut verificetur, efficacissimam esse Dei virtutem, & potentiam, requiritur, quòd Deus physicè efficaciter prædeterminet voluntatem creatam ad actum, cum potius hoc sit destruerè in ipsa libertatem. Sufficit Deum tribuere liberum arbitrium creaturæ, & quòd ex suppositione scientiæ conditionatæ, v.g. de consensu Petri sub tali auxilio, in tali occasione prædefiniat dare tale auxilium, sive purificare conditionem, & simultaneè concurrere cum ipsa voluntate ad consensum, ad quem se determinaturam prævidit voluntatem ipsam ex innata libertate. Et sic consensus remanet liber, quia est à voluntate, in qua Deus posuit liberum arbitrium, & cum quo simul Deus concurrat; salvaturque hoc modo,

do, quòd actus nedum quoad substantiam, sed etiam quoad modum libertatis sit à Deo, tanquam à prima radice ipsius libertatis. Ità R. P. Tyrso tom. 4. sect. dist. 4. de stat. natur. puræ lect. 11. n. 117.

11. Sed præcitatæ testimoniis non solùm id evincitur, quòd potissimum desiderabatur, sed insuper præcluditur solutio. Quis enim non videt, quòd imprimis stat firmum, & inconcusum, quòd Deus est prima causa (qualis juxta solutionem non esset) libertatis creatæ, & quòd solutio minimè potest facere satis discursui factò. Primò quia prædefinitio, præordinatio, & aliæ locutiones, quibus utitur D. Thomas, non decretum concomitans, sed præcedens, seu antecedens prioritate causalitatis executionem significant. Secundò: quia Angel. Præceptor recurrit ad volitionem efficacissimam Dei, vi cuius infallibiliter consequitur tam substantiam actus, quàm modum libertatis; sed ad hanc infallibilem consecutionem requiritur, non quòd existat decretum, vel auxilium indifferens, sed quòd sit cum virtute causandi tam substantiam, quàm modum libertatis: ergo si hanc virtutem causandi, non à Deo, sed ex determinatione creaturæ accipit, prima causa libertatis non Deus sed creatura est. Tertio: causa essentialiter præcedit causatum, nec potest consequi ad actum absolute existentem, nec haberi ex vi existentia talis actus; sed juxta doctrinam solutionis creatura à Deo non accipit actum liberum, sed determinando omnipotentiam illum sibi acquirit: ergo non efficacia voluntatis Divinae, sed determinatio creaturæ est prima causa libertatis. Quartò: prima causa libertatis nullam etiam determinationem præsupponit, aliàs non esset prima; sed juxta AA. solutionis Deus per scientiam mediam solùm videt actum elicendum sub auxilio indifferenti determinando ab ipsa voluntate creata: ergo videt aliam determinationem, cujus collatio auxilii in occasione, in qua prævidit voluntatem consensuram, non est, nec potest esse prima causa. Quintò: quia consensus liberi creaturæ debet assignari aliqua causa, quæ sit essentialiter talis, & ex suis intrinsicis exacta ab actu libero. Sed velle liberum creaturæ non petit essentialiter ex suis intrinsicis scientiam mediam, vel quia si Deus donaret auxilium non prævidens per scientiam mediam illius effectum, eodem modo, ut ipsi asserunt, operaretur liberè; vel quia hæc Scientia media non ponitur ab ipsis requisita ex parte actus, sed solùm ex parte Dei, nè cœco modo procedat; & aliàs auxilium collatum, quo prævidit Deus voluntatem consensuram, nequit essentialiter, & ex intrinsicis actus liberi connecti cum ejus existentia, cum sit conjungibile cum ejus carentia: ergo nec Scientia media, nec illud auxilium se habent, ut prima causa libertatis. Sextò: quia ultra libertatem, quam Deus formaliter, &

immediatè exercet in collatione auxilii prævisi efficacis requiritur, quòd Deus exerceat formaliter, & immediatè suam libertatem erga existentiam hujus actus liberi potius quàm alterius. Etenim actualis libera actio creaturæ est participatio actualis perfectionis libertatis Dei, quam Divina virtus ob sui efficaciam exequitur, ut cum S. Thoma diximus; sed juxta solutionem omnimoda electio, & determinatio unicè dependet ex arbitrio voluntatis: ergo non electio, & efficax Dei determinatio erit prima causa actus liberi formaliter ut talis, sed determinatio creaturæ. Vel aliter: per illud auxilium indifferens unicè determinabile à voluntate ad consensum præ dissentiu Deus tantum se determinat ad concurrendum vagè cum voluntate creata: ergo quòd consensus præ dissentiu existat, unicè provenit ex determinatione voluntatis creatæ: ergo de primo ad ultimum, licet per auxilium illud, quòd ab agente secundo determinabile est, Deus exerceat suam libertatem, præstando voluntati potestatem ad actum liberum, minimè tamen exercet libertatem formaliter, & immediatè circa existentiam actus liberi, quam solùm exercet, quando efficacia Divinae voluntatis producit tam substantiam actus liberi, quàm ejus libertatem. Sed de his alibi plura. Hæc modò sufficiant, nè omnia extra proprium locum examinentur.

§. II.

Solvuntur Argumenta.

12. **N**on alia occurrunt argumenta urgentiora præter ea, quæ sibi opposuit D. Thomas, apud ipsum videnda 1. p. q. 22. art. 2. & 3. contra Gent. cap. 90. & pluribus aliis in locis. Placuit tamen aliqua ex illis huc transferre, ut constet legentibus apertius de ejus mente, quòd maximè optamus. Quæstione igitur 23. de verit. art. 5. sic primum argumentum proponit. *Postea causa sufficiente, necesse est effectum poni: sed Divina voluntas est causa sufficiens, & non contingens, sed necessaria: ergo & res volita à Deo sunt necessariae*, cui argumento respondet Angel. Doctor ex dictis in corpore articuli, quòd quia voluntas Divina est agens fortissimum, effectum producit quoad substantiam, & modum, quia sic Divina voluntas effectum voluit produci. Verba solutionis hæc sunt. *Dicendum, quòd ratio illa sequitur in causis agentibus de necessitate naturæ, & quantum ad effectus immediatos: sed in causis voluntariis non sequitur: quia ex voluntate sequitur aliquid eo modo, quo voluntas disponit, & non eo modo, quo voluntas habet esse; sicut accidit in causis naturalibus, in quibus attenditur assimilatio quantum ad eandem conditionem causæ, & causati, cum tamen in causis voluntariis attendatur assimilatio, secundum quòd in effectu impletur voluntas agentis,*

tis, ut dictum est, scilicet in corpore articuli. En ubi pro ratione contingentiae assignavit summam fortitudinem voluntatis Divinae.

13. Clarius fortasse objicit, & solvit eandem difficultatem in 2. ejusdem articuli argumento sic: *Quandocumque ex causa necessaria sequitur effectus contingens propter contingentiam causam secundam, hoc provenit ex defectu causae secundae; sicut floritio arborum est contingens, & non necessaria propter defectum virtutis pullulativae, qui potest accidere, quae est causa media, quamvis motus Solis, qui est causa prima, sit causa necessaria: sed omnem defectum causae secundae potest Divina voluntas remove, & omne impedimentum: ergo contingentia causae secundae non impedit, quin effectus sit necessarius propter necessitatem voluntatis Divinae.* Ecce totam difficultatem propositam à D. Thoma, quam iterum proposuit in tertio per haec verba. *Quando effectus est contingens propter contingentiam causam secundam, prima causa necessaria existente, non esse effectus potest simul stare cum esse primae causae: sicut arborem non florere in vere potest stare cum motu Solis, sed ejus non esse, quod est volitum à Deo, non potest stare cum Divina voluntate: haec enim duo sunt incompossibilia, quod Deus velit, aliquid esse, & illud non sit: ergo contingentia causarum secundarum non impedit, quin volita à Deo sint necessaria propter necessitatem Divinae voluntatis.* Tandem in quarto argumento ita difficultatem auxit, ut nihil urgentius viderim objectum. Sic enim ait: *Effectus non deficit, nisi causa secunda deficiente: sed non potest esse, quod causa secunda deficiat voluntate Divina existente; sic enim simul esset Divina voluntas, & non esse ejus, quod est volitum à Deo, quod patet esse falsum: ergo contingentia causarum secundarum non impedit, quod effectus Divinae voluntatis sit necessarius.*

14. His argumentis totam, quam Doctores oppositae sententiae exaggerant, difficultatem continentibus, quis eorum non expectaret, ut Doctor juxta doctrinam de scientia, quam illi statuunt mediam, facili negotio responderet? At & ego dico: responderet quidem, si talis cogitatio Doctore Angelico probaretur, aut veritati illam animadverteret consentaneam. Nihil autem apud illum invenient. Ecce qua ratione, altiori quidem, respondet S. Doctor, cujus iteratam solutionem debito ordine exscribimus. Ad secundum ait, *Dicendum, quod quamvis Deus possit remove omne impedimentum causae secundae, cum voluerit, non tamen semper remove vult. Et sic remanet contingentia in causa secunda, & per consequens in effectu. Ad tertium dicendum, quod quamvis non esse effectus Divinae voluntatis, non possit simul stare cum Divina voluntate, tamen potentia deficiendi effectum simul stat cum Divina voluntate. Non enim sunt ista incompossibilia, Deus vult istum salvari, & iste potest damnari. Etiam similiter dicendum est ad quartum. Haec D. Thomas, in quibus videtur pri-*

mò, quam ad intentum sit exemplum superpositum de contingentia causae naturalis. Etenim hanc sibi objiciens D. Thomas in tertio argumento, solvit difficultatem, nulla quidem facta mentione de contingentia agentium naturalium, sed de contingentia agentium liberorum: quippe certissimum est, nullam esse difficultatem in componenda libertate creata cum decreto efficaci intrinsece, quae non sit in componenda contingentia agentium naturalium cum voluntate Dei ab intrinseco efficaci. Habetur ulterius ex his solutionibus D. Thomae, quod, ut voluntas praedeterminata ad actum maneat libera ad omissionem, sufficit potestas ad illam absolute, quam minimè destruit praedeterminatio, seu decretum efficax.

15. Verum, ut manifestius pateat, quam constans fuerit D. Thomas in hac sententia, videri debet in 1. ad Anib. dist. 27. q. 1. art. 1. ubi eadem proposuit argumenta, & eidem ferè verbis respondet. Ad secundum enim sic ait, *Dicendum, quod quamvis contrarium ejus, quod est volitum à Deo, non possit stare cum voluntate Divina, possibilitas tamen ad contrarium potest stare cum ea; & hoc sufficit ad hoc, quod effectus sit contingens, & non necessarius.* Et subdit ad 3. *Dicendum, quod ex hoc antecedenti, Deus vult aliquid, sequitur, non solum illud esse, sed eo modo, quo Deus vult, & idem contingenter quandoque, & quandoque necessarium.* Cujus mirè rationem reddit 1. p. q. 19. art. 8. dicens: *Ex hoc ipso, quod nihil voluntati Divinae resistit, sequitur, quod non solum fiant ea, quae Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter, vel necessarium, quae sic fieri vult: nam propter summam efficaciam actus differentias, & modos usque ad finem attingentem, producit rem, & in illa substantiam, & modum contingentiae, & libertatis.*

16. Secundò objicies, & occurrit grande illud inconveniens, spoliandam fore libertatem, si efficacia Divinae voluntatis esset causa determinationis liberae tam quoad substantiam, quam quoad modum libertatis. Etenim agere ut verum instrumentum pugnat cum vero dominio agentis; sed voluntas sic efficaciter mota à Deo cooperatur, ut instrumentum, quod non agit, nisi ut motum, teste D. Thoma opusc. 1. cap. 23. *Creaturam tantum posse cooperare Deo, eo modo, quo Servus cooperatur Domino, dum ejus praeceptis obedit; & instrumentum Artifici à quo movetur: ergo non agit voluntas cum vero dominio.*

17. Hoc argumentum proposuit sibi Divus Thomas q. 24. de verit. art. 1. ad 5. dicens: *Omne, quod movet motum, movet sicut instrumentum, ut patet per Comm. 8. Physic. Instrumentum autem non est liberum ad agendum, cum non agat, nisi secundum quod quis eo utitur. Cum ergo mens humana non operetur nisi mota à Deo, videtur, quod non sit liberi arbitrii. Cui respondet: *Dicendum, quod instrumentum dicitur dupliciter. Uno modo proprie, quando scilicet ali-**

aliquid ita ab altero movetur, quod non confertur ei à movente aliquod principium talis motus, sicut ferra movetur à Carpentario: & tale instrumentum est omnino expers libertatis. Alio modo dicitur instrumentum magis communiter quidquid est movens ab alio motum, sive sit in se ipso principium sui motus, sive non: & sic non oportet, quod ab instrumento omnino excludatur ratio libertatis, quia aliquid potest esse ab alio motum, quod tamen se ipsum movet, & ita est de mente humana. Ubi premissa sunt verba illa, & sic ab instrumento non oportet, quod omnino excludatur ratio libertatis: quibus non significat Divus Thomas, libertatem nostram ita esse potentem, ut causae primae sibi motum, & concursum subiciat, sed illam in suis liberis motibus à motu primae causae omnino constitui dependentem. Hoc iterum explicat D. Thomas 1. 2. q. 21. art. 4. idem sibi objiciens argumentum: *Instrumentum nihil meretur, vel demeretur apud eum, qui utitur instrumento; quia tota actio instrumenti est utentis ipso; sed homo in agendo est instrumentum Divinae virtutis principaliter ipsum moventis.* Undè dicitur Isaia 10. *Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea, aut exaltabitur ferra contra eum, à quo trahitur, ubi manifestè hominem agentem comparat instrumento: ergo bene agendo, vel malè, non meretur, vel demeretur apud Deum.* Cui argumento respondet: *Quod homo sic movetur à Deo ut instrumentum; quod tamen non excludit, quin moveat se ipsum per liberum arbitrium: & idem per suum actum meretur, vel demeretur.* Quod docuerat 1. p. q. 105. art. 4. ad 2. *movetur ex se non repugnat ei, quod movetur ab alio.* Et in responsione ad 3. *Si voluntas ita movetur ab alio, quod ex se nullatenus moveretur, opera voluntatis non imputarentur ad meritum, vel demeritum: sed quia per hoc, quod movetur ab alio, non excluditur, quin moveatur ex se, idem per consequens non tollitur ratio meriti, vel demeriti.*

18. Duplex ergo instrumenti genus distinguit Angel. Praeceptor tam in praeccatis testimoniis, quam 1. 2. q. 68. art. 5. ad 2. & 3. p. q. 6. art. 1. ad 3. & q. 64. art. 8. ad 1. Alterum proprie dictum, alterum verò improprie: primum est, quod nullo modo se ipsum movet, nec causa principalis dici potest: alterum verò improprie, & communi ratione acceptum, quatenus à causa superiore movetur. *Ridiculum namque est etiam apud indoctos, exprimit opus. 3. cap. 3. ponere instrumenta moveri non ab aliquo principali agente.* Et 2. contra Gent. cap. 21. *instrumentum nunquam adhibetur ad causandum aliquid, nisi per viam motus: est enim ratio instrumenti, quod sit movens motum: undè cum talis sit ipsa voluntas, quae quamvis causae principalis in suo ordine integram, & plenissimam rationem habeat, ideoque sit perfectè libera; attamen à Deo movetur, nec agere quidquam potest, nisi moveatur ab ipso Deo.* Hac ratione instrumentum est Dei, ut à D. Thoma asseri-

tur 1. contra Gent. cap. 45. *Omnia moventia, quae sunt in mundo, comparantur ad primum movens, quod est Deus, sicut instrumenta ad agens principale.* Et 3. contra Gent. cap. 100. *Cum Deus sit primum agens, omnia, quae sunt post ipsum, sunt quasi quaedam instrumenta ipsius. Ad hoc autem sunt instrumenta instituta, ut deserviant actioni principalis agentis, dum moventur ab ipso. Undè talis instrumenti materia, & forma esse debet, ut sit competens actioni, quam intendit principale agens. Et propter hoc non est contra naturam instrumenti, ut moveatur à principali agente, sed est ei maxime conveniens. Neque ergo est contra naturam, cum res creata moventur qualitercumque à Deo. Sic enim instituta sunt, ut ei deserviant.* Et cap. 148. *Divinum auxilium sic intelligitur ad bene agendum homini adhiberi, quod in nobis nostra opera operatur: sicut causa prima operatur operationes causarum secundarum: & agens principale operatur actionem instrumenti: ergo & Deus causat in nobis nostra opera secundum modum nostrum, qui est, ut voluntariè, & non coactè agamus. Nihil clarius, nihil opportunius dici potest, ut demonstretur, non lædi libertatem, sed maxime perfici operatione Divina. Si namque instituta est libertas, ut Deo deserviat testante Scripturâ, *universa propter se ipsum operatus est Dominus.* Ergo & ut actioni principalis agentis, & Divinae operationi deserviat, quae est maxima ipsius perfectio. Debet namque potestas mutabilis, & deficiens reduci ad principium uniforme immutabile, & indeficiens: cum omnis motus semper ab aliquo immobili procedat, ut docet. Thomas 1. p. q. 79. art. 8. q. 82. art. 1. q. 115. art. 3. & 3. contra Gent. cap. 21.*

19. Haec est ergo ratio D. Thomae, ut omnium voluntatum, & electionum motus in divinam reduci debeant voluntatem. Non recurrit ad hoc, quod dominium creatum sibi habeat subjectam omnipotentiam, vel quod concursum illius pro suo libito valeat determinare. Tunc enim non operaretur causa secunda libera per virtutem, aut in virtute causae primae, ut millies docet D. Thomas; sed potius causa prima per virtutem, & in virtute causae secundae, & tunc prima esset secunda, & secunda prima; nam quid est aliud causam unam operari per virtutem, & in virtute alterius causae, quam operari causam illam ex determinatione causae istius? Etenim causa praebens efficaciam alteri est illa, per cujus virtutem, & in cujus virtute haec, quae ab illa accipit efficaciam, operatur. Ea verò causa efficaciam praebet, quae naturam alterius de se indeterminatam ad opus determinat, sic enim cum operatione re ipsa potentiam conjungit; est enim determinatio efficax virtutis ad opus, inseparabilis ab operis existentia. Si ergo voluntas omnipotentiam indifferenter applicatam determinat, & re ipsa cum operatione conjungit, nequit voluntas omnipotentiae non praebere efficaciam, virtusque causae primae operabitur per virtutem

tem liberi arbitrii. Ne ergo hoc maximum inconueniens admittatur, utrumque componit D. Thomas, & quod voluntas sit causa principalis, & quod operetur quasi instrumentum in virtute causae primae; quae etiam principalis dicitur, cum principalitas in causa ex substantia influxus attendatur. Non tamen voluntas est causa principalis simpliciter, aut facta comparatione ad causam primam; sed secundum quid, & respectivè ad proprium effectum, ut notat D. Thomas dicta q. 24. de verit. art. 1. ad 4. *Dicendum, quod causa prima dicitur esse principalis simpliciter loquendo propter hoc, quod magis influit in effectum, sed casu secunda secundum quid principalis est, in quantum effectus ei magis conformatur.* Conformatur quidem; cum actus liber, tum in contingentia, tum in modo suae libertatis defectibilis, magis quam Deo, assimiletur voluntati. Et per hoc dixit D. Thomas loco citato in argumento ex Opusc. 1. *Quod voluntas cooperatur Deo tanquam servus Domino.* Est namque homo, etsi causa principalis sui actus, servus servitute naturali, & fundata in dependentia quoad esse, & operari. Respectivè tamen ad proprium actum verè, & propriè dicitur Dominus.

20. Totum hoc expressit ultra D. Thomas in 2. dist. 25. q. 1. art. 1. ubi tertium argumentum sic proponit: *Videtur, quod nec in aliquibus creaturis sit liberum arbitrium: ad libertatem enim liberi arbitrii pertinet, ut aliquis sit Dominus sui actus: sed cujuscumque agentis actus ab aliquo priori agente causatur, ipse agens non est Dominus sui actus: cum igitur cujuslibet creaturae actus in causam priorem reducitur, quae est ipse Deus, qui omnia opera nostra in nobis operatur, ut dicitur Isai. cap. 26. videtur, quod liberum arbitrium in creatura non invenitur.* Ecce argumentum per intimam tangens praesentem difficultatem, & ex subordinatione ad Deum contendens destruere dominium, ac libertatem voluntatis creatae. At respondet D. Thomas componendo libertatem cum subordinatione per haec verba: *Ad 3. dicendum, quod Deus operatur in omnibus: ita tamen, quod in unoquoque secundum ejus conditionem. Unde in rebus naturalibus operatur sicut ministrans virtutem agendi, & sicut determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi sibi ministret, & ipso operante, liberum arbitrium agat; sed tamen determinatio actionis, & finis in potestate arbitrii liberi constituitur. Unde remanet sibi dominium sui actus, licet non ita sicut primo agenti.* Haec D. Thomas, cujus testimonium alta mente desigere juvat, cum ipso nos arguant contrarii: distinguit ergo D. Thomas illam argumenti propositionem *sed cujuscumque agentis actus ab aliquo agente causatur, ipse agens non est Dominus sui*

actus, quae est minor, dicens, non est Dominus sicut agens primum concedo: absolute neg. quia nimirum dominium secundi agentis est dominium subordinatum; primi verò agentis dominium est absolutum: & quare illud subordinatum, nisi quia pendet à priori agente? Quae brevissimè, sed clarè dixit S. Thomas illis verbis: *Unde remanet sibi dominium sui actus, licet non ita, sicut primo agenti.*

21. Ne autem quis putet, nos haec ad istum S. Thomae locum potius necessitate, quam veritate dicere: satis cuicumque erit penè innumera à nobis supra relata, aut utcumque citata expendere. Quia vero doctrina ejus semper abundat, considerandam damus solutionem ejusdem argumenti, quod ipse Doctor formatum exhibet q. 6. de malo art. unic. ex auctoritate Prophetæ Hierem. cap. 10. *Non est hominis via ejus, nec viri est, ut ambulet, & dirigat gressus suos; sed illud, respectu cujus homo habet libertatem, ejus est, quasi in ipsius dominio constitutum: ergo videtur, quod homo suarum viarum, & suorum actuum electionem non habeat; & maxime stante, ut dicimus, dependentia hominis à Deo in suis determinationibus.* Sed respondet Angel. M. *Quod auctoritas illa dupliciter potest intelligi. Uno modo, ut loquitur Propheeta, quantum ad executionem electionis, non enim est in potestate hominis, ut expleat in effectu, quod mente deliberat. Alio modo potest intelligi, quantum ad hoc, quod interior hominis voluntas moveatur ab aliquo superiori principio, quod est Deus; & secundum hoc Apostolus dicit, quod non est volentis, scilicet velle, neque currentis currere sicut primi principii, sed Dei miserentis.* Sic D. Thomas, quo clarissimè docet ex duplici textu canonico subordinationem domini creati in suis electionibus domino Divino, nulla hujus latione: cum semper debeat esse Divinae potestati subiectum, ut inquit S. Augustinus lib. in Adversarium legis, & Prophetarum cap. 13. *Sic datum sibi esse liberum arbitrium, ut necesse sit vivere sub potestate melioris.* Ergo haec existimanda est vera libertatis notio, quae Divinae gratiae imperio subditur, & Divinae potestati se regendam permittit; quae huic ad nutum humilis cedit; cum non se ipsa debeat esse contenta, sed Deo tota subiecta, Domino servitute reddens, qui non solum dat ipsi, quod sit, sed ut bona sit: quia licet nostrum sit, non tamen est nobis ex nobis, sed ex Deo, cujus est totum, quod est optimum. Uique adeò certum est, auxilium gratiae efficaciter adjuvantis habere virtutem, & efficaciam ad subijciendum sibi liberum arbitrium ejus, cui datur; & quod ex ea infallibile, & insuperabile est, quod is consentiet, credet, operabitur, quin hujusmodi efficac Dei motio libertatem arbitrii tollat, vel ei adversetur.



DISPUTATIO III.

De Gratia excitante, & efficaciter adjuvante.



DIVISIONEM gratiae in excitantem, & adjuvantem indicat Scriptura, dum variis locis meminit Divinae excitationis, ut ad Ephes. 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Et Apocalip. 3. ubi Christus dicit, *Sto ad ostium, & pulso: sicut etiam in aliis gratiae adjuvantis, ut Psal. 78. Adjuva nos Deus salutaris noster: adjutor meus esto.* Et Psal. 118. *Adjuva me, & salvus ero.* Et ad Rom. 8. *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.* Patres Concilii Tridentini, ut supra vidimus Disp. 1. Dub. 4. utramque gratiam excitantem, & adjuvantem frequentissimè usurpant fess. 6. cap. 5. dicentes: *Eos, qui per peccata à Deo aversi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiae liberè assentiendo, & cooperando disponi.* Et cap. 6. *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati Divina gratia, & adjuvi, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum.* Ac rursus can. 3. meminerunt Divini hujus adjutorii, hoc est, gratiae adjuvantis. Et can. 4. Divinae excitationis, quae non aliud est, quam gratia excitans; respicientes forsàn luculentissimum D. Augustini testimonium lib. 2. de peccat. mer. cap. 18. quod *ad Deum nos converti, nisi ipso excitante, atque adjuvante non possumus.* Hanc etiam mirè, & insignitè

expressit S. Bernardus lib. de grat. & liber. arbitr. dicens: *Conatus nostri ad bonum, & casti sunt, si gratia non adjuvantur; & nulli, si non excitentur.*

Hanc divisionem gratiae multis illustrant Theologi Scholastici, non absque prolixis, & inculcatis saepissimè concertationibus, cum difficillimum sit, essentiam, naturam, & effectus utriusque gratiae exponere; nemo enim scire valet, quae sunt Dei, nisi ipso Dei spiritu revelante, vel quem Deus erudierit, ut ipse loquitur Psal. 49. *Illuc iter, quo ostendam illi salutare Dei.* Quare subordinatione liberi arbitrii creati Deo auctori gratiae, & naturae stabilitatè; & quod homo eò fidelius, eò ardentius, eoque sollicitius Deo subesse debet, quod majus est donum gratiae, quod diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui ubi vult, in quibus, & quando vult, spirat, ineffabilia prorsus operans in cordibus hominum, non pro arbitrio volentium, aut currentium, sed solius ipsius miserentis, qui quando vult, quomodo illi placet, & quibus ipse dignatur, gratiam elargitur: opportunum, utilissimumque credimus, sollicitè, ac diligentèr essentiam, constitutionem, & effectus gratiae tam excitantis, quam adjuvantis, investigare; quo mirum in modum clarescent stabilita, in posterumque stabilienda. Id quod praeceteris exequitur praesens Disputatio.



DUBIUM I.

In quo consistant concursus Dei præveniens, vocans, & excitans, ab efficaciter adjuvante distincti?

S. I.

Quid sit Gratia præveniens, & qualis ejus causalitas apud Contrarios?

GRATIAM prævenientem P. Molina 1. p. q. 11. art. 13. disp. 45. S. Accipe, & seq. per hæc explicavit verba: *Accipe ergo ordinem motuum gratiæ prævenientis, simulque cognosces, quinam sint isti motus, & quomodo fiant. Dum homo nondum ad fidem supernaturalem interiùs vocatus cogitat, & expendit res credendas per notitias concionatoris ministerio, aut aliunde comparatas, influit Deus in easdem notitias influxu particulari, ac supernaturali, quo cognitionem illam adjuvat, tum ut res melius expendatur, ac penetretur; tum etiam, ut notitiæ illæ jam limites notitiæ supernaturalis, & ad finem supernaturalem in suo ordine, & gradu accommodatè attingant; influxus verò ille dicitur motus gratiæ prævenientis ad fidem supernaturalem, & illuminatio, notitiæque illa, & cognitio effecta jam à Deo supernaturalis per talem influxum appellatur gratia præveniens ex parte intellectus. Ex cognitione verò, & penetratione earum rerum, quæ ad fidem spectant; nempe cum expenditur, quàm dignæ sint, quibus assensus adhibeatur, quantumque id expediat, oritur naturaliter in voluntate motus affectionis ad res cognititas, quo allicitur, & quasi invitatur ad imperandum intellectui assensum, quo eis assentiatur. Cum hoc ergo motu quasi se inserit etiam Deus influens in illum per auxilium particulare, illumque illo auxilio quasi acuit, ut magis urgeat, & alliciat, efficiatque illum supernaturalem, ut in suo ordine, & gradu sit etiam ad salutem accommodatus. Auxilium itaque particulare, quo Deus in illum motum influit, appellatur auxilium gratiæ prævenientis; motus verò ille, atque affectus voluntatis circa ea, quæ ad fidem spectant, quatenus à Deo supernaturalis efficitur per auxilium illud, dicitur gratia præveniens ad assensum fidei ex parte voluntatis. Ita P. Molina loco citato, & S. seq.*

2. Doctrinam istam propugnat P. Suarez lib. 3. Opusc. cap. 4. S. Hinc ergo sic gratiam prævenientem declarans: *Hinc ergo Theologi definiunt, ait ille, hanc gratiam nihil aliud esse, quàm motum aliquem intellectus, & voluntatis infusum à Deo, vel illuminante intellectum, & sanctam aliquam cogitationem in eo operante circa objectum aliquod, vel veritatem ad salutem animæ pertinentem, vel per eam motionem inspirante voluntati, & excitante in illa affectionem aliquam amoris, timoris, aut alte-*

rius similis affectus, supernaturalis quidem, sed in eo ordine imperfecti, & non liberi, sed necessarii, accommodati tamen, ut per eum præparetur voluntas, & paulatim sublevetur ad perfectum, & supernaturalem consensum præstandum. Hæc tenus P. Suarez.

3. Hos sequuntur ceteri AA. Societatis. P. Vasquez 1. p. q. 23. disp. 88. cap. 6. num. 24. S. Porro, ubi ait: *Porro ad gratiam prævenientem pertinere motum voluntatis, nec deliberatum, & testimonia Patrum, & ratio demonstrat. Gregorius de Valentia 1. 2. diip. 8. q. 3. de divis. grat. punct. 3. sic dicit: Nam gratiam vocantem, seu excitantem appellant Theologi Divinas quasdam inspirationes, seu motus quosdam divinitus in mente boniis excitatos, quibus Deus homines ad se allicit, & invitat. Bellarminus lib. 4. de grat. & liber. arbitr. cap. 25. S. 6. Gratiam prævenientem vocat motum repentinum omnem rationis deliberationem prævenientem. P. Ripalda tom. 2. de ente supernaturali disp. 104. sect. 5. & 8. Et quotquot post illos scripserunt, ut videre est apud P. Marin tract. 8. de liber. arbitr. sect. 6.*

4. Conveniunt omnes, & affirmant, gratiam prævenientem consistere in motibus intellectus, & voluntatis; negant verò qualitatem, quam dicunt mortuam, his potentiis impressam, qua eleventur ad istos actus efficiendos. Ex quo etiam consentire videntur in eo, quòd actus illi non sunt entitativè supernaturales: quod videtur constans ex ratione insinuata; quia nimirum actus, ut entitativè sit supernaturalis, procedere debet à potentia per virtutem supernaturalem elevata. Cum ergo negent virtutem istam potentias elevantem, consequenter debent asserere, naturales esse entitativè actus illos, in quibus docent consistere gratiam prævenientem. Id sanè apertè docuit P. Molina verbis supra relatis, cui consentire videtur P. Suarez lib. 3. Opusc. cap. 4. num. 13. dicens: *Motus gratiæ excitantis non semper concurrat simul tempore cum concursu voluntatis: interdum enim præcessit gratia excitans per sanctam cogitationem, & timorem; & postea sola recordatione illius timoris, & Divinae motionis homo liberè convertitur, & incipit penitentiam agere: non est autem verisimile, solam illam memoriam esse principium supernaturale sufficiens ad efficiendam illam conversionem, sed potius concurrere tantum proponendo objectum. Denique in primo actu supernaturali fidei vix potest assignari motus gratiæ excitantis, qui possit esse principium supernaturale ad eliciendum illum, quia ibi solum antecedit apprehensio objecti, & iudicium præ-*

dicum

dicum de ejus credibilitate, post quod accedit voluntas credendi; nihil autem horum potest esse principium eliciens actum credendi, nam voluntas potius est imperans, quàm eliciens, reliqui autem actus sunt valde imperfecti, & remoti. Hæc ille.

5. De causalitate verò concursus, seu gratiæ prævenientis, & excitantis sic loquitur P. Suarez lib. 3. Opusc. cap. 5. n. 10. *Denique tota hæc causalitas reducitur ad motionem finis, quæ metaphorica est; nam per hanc gratiam excitantem fit, ut objectum, quod amandum proponitur, honestius, & amore dignius appareat, & quòd timendum horribilius, quòd odio habendum turpius, & sic de cæteris. Ubi gratiæ excitanti, & prævenienti apertè negat causalitatem effectivam in consensum salutarem, & tantum moralem tribuit causalitatem: de qua metaphorica causalitate explicat illud Joann. cap. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Sic enim habet loco citato cap. 11. n. 7. S. Hæc autem. Item in Scriptura sicut dicitur Deus trahere ad bonum, ita Daemon ad malum, Apocalyps. 12. trahet secum tertiam partem stellarum non physica prædeterminatione, sed suavione. Idem de causalitate gratiæ prævenientis, & excitantis sentit P. Molina in Concord. disp. 39. quæ in aliis editionibus est 37. S. Ex dictis, & alibi sæpè. Valentia 1. 2. q. 3. de divisione grat. punct. 3. S. Nam gratia, & S. Prima propositio, & S. Deinde, & seq. Vasquez 1. p. q. 23. disp. 88. n. 20. S. Docent. Bellarminus lib. 1. de grat. & liber. arbitr. cap. 14. S. At si consideremus; & isto causalitatis modo verificare contendunt illas propositiones Scripture: Deus sua gratia facit, ut faciamus; facit, ut velimus &c.**

6. Quam doctrinam per subjicienda verba tradit P. Suarez lib. 3. Opusc. cap. 12. n. 5. S. *Quocirca. Plurimum à Sanctorum Patrum, præsertim Augustini mente aberrant, qui de hac physica prædeterminatione interpretantur locutiones illas, quæ ex Sacra Scriptura sumuntur, & apud Augustinum sunt frequenter, Deus facit ut velimus, facit ut faciamus, operatur in nobis velle, convertit corda nostra, & similes. Hæc enim omnia, quatenus aliqua ratione soli Deo tribuuntur, dicta sunt ratione gratiæ excitantis, & moraliter regentis, & dirigentis gressus nostros vocando, inspirando, & excitando. Quatenus verò nostra cooperatio, & liber consensus requiritur, tribuuntur Deo, ut principali cooperatori. Hæc ille. Utinam dixisset, unde habuerit id, quod ad eò securus asseverat; nempe contra PP. & maximè Augustinum improprietate & abusu vocum loqui locutiones illas sic interpretantes. Contra omnes autem statim insurgit argumentum, redarguendo ex ipsis: sed hæc causalitas per vos tantum est finalis, & metaphorica motio, & efficientia metaphorica: ergo Deus metaphoricè tantum facit, nos facere, facit, nos velle, & metaphoricè tantum movet corda, ac metaphoricè tantum inclinatur voluntatem,*

& non aliter quàm metaphoricè operatur, ut operemur. Quæ illatio irrefragabilis est, cum præmissæ, ex quibus legitime inferitur consequens, non solum dentur gratia disputationis, verum totis viribus à contrariis probentur, & ut propria doctrina foveantur, ac defendentur. Modò sic: quòd tantum dicitur metaphoricè, multò veriùs negatur, quàm affirmatur; sicut loquitur, non solum cum majori proprietate, sed multò veriùs, qui negat, pratum ridere, quàm ille, qui ridere pratum affirmat: ergo omnes Scripture propositiones relatæ non solum cum majori proprietate, sed loquendo veriùs negari possunt, si Deus tantum metaphoricè facit, nos facere.

7. Gratiam excitantem, seu concursum, quo Deus excitat hominem ad fidem, sive fidelem ad penitentiam Authores isti non distinguunt à præveniente, immo ut verbis ipsorum relatis constat, nullam gratiam prævenientem agnoscunt præter excitantem. Sicut & moderni Societatis, ut videre est apud P. Marin loco citato num. 58. *Dico cum nostris: gratia adjuvans, & cooperans juxta mentem Conciliorum, & PP. non est distincta à gratia, quæ constituit posse, & consequenter non est distincta à gratia suadente, & excitante.*

S. II.

Breviter impugnatur hæc Recentiorum doctrina:

ET primò impugnanda venit positio illa P. Molina, quæ sibi persuasit, gratiam prævenientem, & excitantem consistere in illa cogitatione, & expansione rerum credendarum, quæ Deus suo adjuvat auxilio, & in qua statuit gratiam, quæ Deus prævenit intellectum; gratiam verò, quæ prævenit voluntatem constituit in illo subito affectu, qui ex illa cogitatione, & expansione naturaliter excitatur in voluntate. Hæc enim immediatè opponuntur D. Augustino de Grât. & liber. arbitr. cap. 5. ubi tractans de conversione, & laboribus Apostoli, eleganter explicat effectus gratiæ, seu concursus gratiæ prævenientis, & cooperantis sequentibus verbis: *Tamen ne ipsa voluntas sine gratia Dei putetur boni aliquid posse, continuò, cum dixisset gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi; subjunxit, atque ait: Non ego autem, sed gratia Dei mecum: id est, non solus, sed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo. Ut autem de Cælo vocaretur, & tam magna & efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola, quia merita ejus erant magna, sed mala. Quæ verba sanè contradicunt sententiæ P. Molina. Ille quippe ait, gratiam prævenientem consistere in illis actibus, altero scilicet intellectus, quo cogi-*

tat, atque expendit res credendas; altero voluntatis, quo ad res credendas afficitur: qui actus adjuti per auxilium Dei constituunt gratiam prævenientem, ac subinde gratia præveniens non subsistit sine duplici influxu nostro: sed Augustinus è contra à gratia, qua Deus prævenit Paulum, omnem nostrum excludit influxum; nihil enim aliud excludit, dum asserit, *sola Dei erat gratia*, quàm Pauli cooperationem, quam requirit Augustinus ad opera illius subsequenti vocationem: ergo contra mentem Augustini est, quòd gratia præveniens consistat in illis actibus.

9. Et sanè, si gratia præveniens includeret illos actus, gratia præveniens à nostro arbitrio in sui penderet existentia; quod evidenter probat P. Molina, & ex se est manifestum, quia illa cogitatio, & rerum credendarum expensio, cum sit omninò libera, à nostro pendet arbitrio; ac per consequens si illam gratia præveniens includit, gratia præveniens à nostro penderet libero arbitrio: quod esse omninò falsum, constantissimum est. Posset namque homo Deum impedire, nè ipsum vocaret: nam gratia vocans, quæ in omnium sententia est præveniens, includeret illos actus, & sine illis non subsisteret, ut fatentur ipsi; sed illos actus, cum sint in arbitrii potestate, impedire potest: ergo & Dei vocationem impedire valet, quod absque injuria Dei omnipotentiae dici non valet, cui soli citatis verbis Augustinus tribuit vocationem; sic enim ait: *Ut autem de Cælo vocaretur, & tam efficacissima vocatione converteretur, sola Dei erat gratia, quia merita ejus erant magna, sed mala*. Et alibi pluriès asserit S. Doctor, quòd potest Deus non consentientibus, sed reluctantis, studium virtutis immittere. Ex quibus falsitas sequelæ facillimè demonstratur. Per hoc posset homo Dei vocationem, & prævenientem gratiam impedire, quia posset non cogitare, quàm sint dignæ res fidei, quibus assensus adhibeatur, & consequenter ad illas non bene affici; sed hoc non potest impedire potestatem Dei, ut hominem non præveniat, & sua gratia vocet ad fidem: etenim multò difficilius est studium virtutis immittere homini reluctanti, quàm vocare, & prævenire ad fidem hominem non expendentem, quàm dignæ sint, ut credantur, res fidei, & ad illas non affectum: quod tamen posse Deum manifestè patet exemplo, quo rem probat P. Augustinus: nec enim voluntas magis fidei nostræ reluctans, magisque averfa inveniri poterit, quàm voluntas Pauli, ut constat ex Actibus Apostolor. cap. 9. ubi & dicitur, *quòd Sanctorum sanguinem sine intermissione stitabat*, & Christus illi, *quid me persequeris?* Quæ certè non indicant, illum prius quàm vocaretur aliquem bonum ad res fidei habuisse affectum; & tamen id nullo fuit impedimento gratiæ prævenienti, Dei-que efficacissimæ vocationi.

10. Præterea: cum non simus sufficientes

cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo sit, pariter nec sumus sufficientes amare aliquid boni ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Quod expressum est in sacra Scriptura, & disertè asseruit verbis relatis M. P. Augustinus: *Tamen ne ipsi voluntas sine Gratia Dei putaretur aliquid boni posse*: ergo necessarium est, quòd gratia præveniens ad fidem, vel det, vel supponat sufficientiam, tum ad cogitandum, & exponendum, quàm dignæ sunt res fidei, ut credantur, tum ut voluntas ad illas afficiatur: ergo gratia præveniens non consistit in solis actibus intellectus, & voluntatis. Etenim actus isti, cum sint dispositiones ad gratiam justificantem, debent esse entitativè supernaturales, quia dispositio etiam remota existit in ordine formæ; immò cum dicantur ipsa Dei gratia præveniens juxta Tridentinum sess. 6. de justificat. cap. 5. non possunt esse naturales: ergo prior ad illorum elicentiam debent potentiè istæ supponi elevatæ per aliquod principium supernaturale, à quo intellectus habeat sufficientiam ad tantum bonum cogitandum, & voluntas ad illud amandum; aliàs ad cogitandum, & amandum esset nobis sufficientia, non ex Deo, sed ex nobis, quod est contra Apostolum: ergo gratia præveniens non consistit adæquatè in illis actibus, sed estò consistat in illis inadæquatè, aliquid actus istos præcedens importat.

11. Deindè: præter sufficientiam ad elicendos istos primos actus, quæ, gratiâ seclusâ, carent istæ potentiæ, & illis debet esse ex Deo, requiritur, quòd potentiæ determinantur ad illorum elicentiam. Cum enim intellectus, & voluntas ad illorum productionem non se moveant, eò quòd non sunt deliberati, immò nec liberi juxta suos Authores, deveniendum necessariò ad aliquod principium exterius, à quo utraque potentia moveatur, ac determinetur; quia omne, quod sine libertate movetur, non negant ab alio moveri: atqui principium hoc exterius est gratia præveniens, excitans, & vocans, ut constat ex Tridentino sess. 6. cap. 5. dicente: *Declarat Sancta Synodus ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per Jesum Christum præveniente gratia sumendum esse*: & statim explicans, qualis sit gratia ista, ait, illam esse gratiam excitantem, & adjuvantem: *ut, qui per peccata à Deo averfi erant, per ejusdem excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam &c.* Ergo gratia Dei, ut principium interius, seu subjectivum movet ad elicendos illos actus.

12. Præterea rejicitur prædictus contrariorum sensus. Quia evidentissimum est, Pelagium non solum gratiam istam non negasse, verum & illam docuisse, ac prædicasse. Constat apertè ex S. Augustino lib. de grat. Christi cap. 10. in principio, ubi ait, *Pelagium* (ut explicaret verba Apostoli ad Phil. pp. 2.

ipse

Ipsè est enim, qui operatur in nobis velle, & perficere) dixisse: *Operatur in nobis velle, quòd bonum est, velle quòd sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, motorum morum animalium tantummodò præsentia diligentes, futura gloria magnitudine, & præmiorum pollicitationibus succendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitatur voluntatem, dum nobis, quòd tu alibi negare non metuis, suadet omne, quòd bonum est*. Ita apud S. Augustinum gratiam præviam explicuit Pelagius, in qua explicatione manifestissimum est, illum docuisse gratiam consistentem in cogitatione sancta, & repræsentante objecti convenientiam, & prædicasse etiam gratiam, quam Authores oppositi constituunt in motu illo subito voluntatis, nec aliud important verba illa, *præmiorum pollicitatione succendit*, & illa, *revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitatur voluntatem*: Ergo si Authores isti non aliam gratiam prævenientem, & excitantem admittunt, quàm quæ consistit in sanctis cogitationibus, & subitis motibus voluntatis, contra ipsos efficaciter argui potest, non aliam admittere gratiam prævenientem, & excitantem, quàm illam, quam Pelagius agnovit. Certum namque est, iterum dico, Pelagium sanctas cogitationes, motus subitis voluntatis, & pias affectiones numerasse inter auxilia gratiæ, ut ait M. Gonet de Hæresi Pelagiana disp. 1. n. 20. to. 4. Immo & asserit, Pelagium lib. de Pelagiana, & Semipelagiana hæresi cap. 9. benè intulisse, adhibuisse Pelagium gratiam aliquam, qua voluntas excitatur. Quod benè etiam colligit M. Gonet ex illis verbis: *dum nobis suadet omne, quòd bonum est, quòd tu alibi negare non metuis*. Fatebatur quidem Pelagius, esse donum gratiæ auxiliantis revelationem, quæ præcisè spectat ad intellectum, & negabat prius gratiam, qua bonum suaderetur, quæ necessariò pertinet ad voluntatem; modò illam constituit, & consequenter numerat inter auxilia gratiæ affectum pium, sine quo bonum non suaderetur; quia voluntate piè non affecta ad bonum, sed renitente, nihil ipsi suaderi potest.

13. Nec mirum videri debet, hostem illum ita Divinæ gratiæ infensum ad agnitionem illius pervenisse gratiæ, quæ in motibus subitis voluntatis consistit: tum quia id discere potuit ex Augustini Scriptis. Tum quia, ut notavit M. Gonet loco citato n. 23. hanc gratiam coactus est admittere post damnatam ipsius hæresim à Zozimo Papa. Tum denique, quia credibile est, Deum hanc gratiam, quam nec maximis quidem peccatoribus Divina negat benignitas, illi non denegasse, & eam in se expertum fuisse, ut videtur constare ex Augustini Epist. 142. quæ est ad Demetriadem, & 17. in Append. cap. 26. ubi sic Pelagium loquentem inducit: *Est autem tutissimum, atque perfectum, ut assuecat animus sollicità semper, pervigilique custodia*

discernere cogitationes, & ad primi animi motum vel probare ex se pium, subitanque motum voluntatis, vel reprobare, quòd cogitat, ut vel bonas cogitationes alat, vel statim extinguat malas, hinc namque fons est boni, & origo peccandi. Quid clariùs? Quare P. Vazquez 1. p. disp. 89. cap. 4. n. 22. Et P. Oviedo Controvers. 1. de grat. num. 8. P. Ripalda disp. 105. fefs. 2. à n. 13. & disp. 110. fefs. 3. M. Lemos tract. 1. cap. 9. Alvarez disp. 1. à n. 6. Baronius tom. 3. disp. 2. M. à S. Thoma tract. de volunt. disp. 3. art. 3. Albelda disp. 68. conclus. 1. & 2. & alii relati à PP. Salmanticensibus tom. 5. fol. 46. à n. 152. Eminentissimus Aguirre in opusc. 1. S. Anselmi cap. 114. sect. 4. Mag. Bolivar de grat. Dei dub. 6. S. ultimo num. 57. Illustrissimus Castell de concordia libertatis disp. 3. q. 4. sect. 7. n. 1230. fatentur, admisisse Pelagium gratiam auxiliantem internam consistentem non solum in sanctis cogitationibus, verum & in ipsis affectibus, ac subitis motibus voluntatis, qui connaturalissimè ex sanctis cogitationibus à Deo immixtis, etiam in sceleratis hominibus excitantur: ergo dum gratia solum præveniens, & excitans admittitur, quæ consistat in sanctis cogitationibus, & subitis motibus voluntatis, redit consequentia facta, quòd eadem gratia admittitur, quam Pelagius agnovit prævenientem, & excitantem, & quam constantissimè rejecit M. P. Augustinus, ut demonstrant ipsius verba, quæ immediatè subjicit, dicens: *Quid manifestius, nihil aliud eum dicere gratiam, qua Deus in nobis operatur velle, quòd bonum est, quàm legem, atque doctrinam? In lege namque, & doctrina Sanctorum Scripturarum futura gloriæ, atque præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam, quòd sapientia revelatur, ad doctrinam pertinet, cum suadetur omne, quòd bonum est. Et si inter docere, & suadere, vel potiùs exhortari, distare aliquid videtur, etiam hoc tamen doctrinæ generalitate concluditur, qua quibuscumque sermonibus, vel litteris continetur. Nam & sancta Scriptura, & docent, & exhortantur, & potest esse in docendo, & exhortando etiam hominis operatio*. Hæc Sanctus Augustinus, qui profectò videtur sentire, hos pios motus voluntatis etiam sub doctrinæ generalitate contineri. Cujus ratio ea videtur esse, quia nimirum sub doctrinæ generalitate continetur id, quod sequitur connaturaliter ad vivacem repræsentationem boni magni: sed ad vivacem repræsentationem tanti boni, quantum est gloria, connaturalissimè sequitur desiderium illius, & successio voluntatis, quæ procul dubio sunt pii voluntatis motus: ergo jure meritò putavit Augustinus, Pelagium hos computantem motus inter auxilia gratiæ à doctrinæ generalitate non recessisse. Vel de his motibus non curavit, quia ipse à Pelagio exigebat gratiam, quæ est simpliciter necessaria ad benè volendum, & agendum: sed isti pii motus ad

id

id non sunt simpliciter necessarii, quare nec Concilium Tridentinum, nec D. Thomas tales motus enumerant inter actus requisitos ad justificationem: ergo præter auxilia consistentia in cognitione alia est concedenda gratia, distinctaque à motibus piis voluntatis. Quare D. Augustinus illam gratiam execrans, Divino afflatus Spiritu subdit: *sed nos eam gratiam nolumus; id est, gratiam in eo dumtaxat consistentem; non enim ignorabat ille, cogitationes piæ, & sanctos motus indeliberatos etiam ad gratiam referendos, ut statim dicemus.*

§. III.

Quid revera sit gratia ista præveniens, & excitans.

14 **P**ertinere ad gratiam Dei auxiliantem sanctas cogitationes, quibus bona honesta voluntati proponuntur, & piæ illustrationes Spiritus Sancti, Catholicorum nullus videtur posse negare. Senserunt ita omnes illi Authores, quos citat P. Ripalda tom. 2. de ente supernaturali lib. 5. disp. 10. 2. sect. 1. & plures alii, qui ante, & post P. Ripalda scripsere de hac materia. Immo M. Joan. à Sancto Thoma tom. 3. in 1. par. q. 64. disp. 24. art. 2. num. 7. non solum illas requirit ad actum, sive ex parte actus, sed requiri asserit ex parte potestatis ad actum liberum. Et ratio est evidens, nam cum instat præceptum charitatis, ut possit voluntas adimplere debitum, requiritur cognitio proponens Deum, ut super omnia amabilem, quæ cognitio non potest non dici sancta cogitatio, & cum Deus illam homini largitur, magnum gratiæ suæ impendit auxilium. Hæc autem cogitatio, si tantum sit speculativa, constituit potestatem physicam, non moralem, seu moraliter expeditam: ad posse enim morale requiritur illustratio pia, quæ cor hominis ad bonum inclinatur.

15. Secundò, quia hujusmodi cogitationes supernaturales sunt dona gratiæ, & conducunt alliciendo, & suadendo voluntati, præveniunt. Verè ergò dicuntur dona gratiæ auxiliantis, & prævenientis. Gratiæ, quia sunt dona indebita; auxiliantis, ratione adjutorii ad consensum supernaturalem: & tandem prævenientis, non auxilium, à quo proveniunt, sed consensum salutarem, ad quem excitant: sicut dicitur de fide, quæ præcedit dilectionem, & subsequitur piæ affectionem: cum idem actus respectu diversorum possit esse præveniens, & subsequens.

16. Motus etiam pius voluntatis annumerandos, ac reponendos esse inter auxilia gratiæ Divinæ certissimum est. Utrumque enim clarissimè docet D. Augustinus de grat. Christi cap. 11. ubi sic habet: *Si enim, sicut veritas loquitur, omnis, qui didicit, venit, quis non venit, profectò non didicit. Quis autem*

*non videat, & venire quemquam, & non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium potest esse solum, si non venit, non autem potest, nisi adjutum esse, si venit, & sic adjutum, ut non solum quid faciendum sit, sciat, sed quod scierit, etiam faciat. Ac per hoc, quando Deus docet non per legis litteram, sed per spiritus gratiam, ita docet, ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat. In quibus docet, sanctas cogitationes, & pius motus voluntatis pertinere ad auxilia gratiæ. Quod etiam docuit D. Thomas ad eadem verba Joann. 6. lect. 5. ubi sic ait: *Duo ponit, unum scilicet, quod pertinet ad donum Dei, cum dicit, audivit, scilicet Deo revelante, aliud quod pertinet ad liberum arbitrium, cum dicit, & didicit, scilicet per assensum: & ista duo necessaria sunt in omni doctrina fidei: omnis qui audivit à Patre docente, & manifestante, & didicit, præbendo animum, venit ad me; venit, inquam, per cognitionem veritatis, per amoris affectum. Quod tandem definitur in Concilio Milevitano can. 4. ubi dicitur, per gratiam revelari nobis intelligentiam mandatorum, darique simul scire, quid agere debeamus, & diligere, ut faciamus. Ex quibus manifestè constat, esse auxilium Dei, quod cognoscimus bonum, ut illud velimus; & rursus esse donum Dei, quod velimus, ut faciamus, & primum est auxilium ad volendum, secundum verò, ut per auxilium adjuvemur ad faciendum, quia, quod non volo, non facio. Hinc gratia excitans voluntatem plures actus voluntatis comprehendit, quia omnis effectus supernaturalis juvans positivè voluntatem, illam præparat, & inclinatur ad consensum salutarem. Hujusmodi sunt varii effectus supernaturales, timor poenarum, amor Beatitudinis, delectatio bonorum spiritualium, omnisque affectus simplex, & indeliberatus in ordine ad consensum efficacem liberum, & absolutum: disponitur namque voluntas, utpote agens procedens de potentia ad actum mediis his actibus imperfectis ad actum perfectum dilectionis, & contritionis. Undè meritò dicuntur gratia inspirationis, & affectionis. His suppositis sit.**

PRIMA CONCLUSIO.

Præter, & ultra auxilia gratiæ consistentia in actibus intellectus, & voluntatis requiritur auxilium, quo Deus efficiat sanctas cogitationes, & subitos motus voluntatis, quibus piæ afficitur ad bona honesta, & ulterius auxilium ad agendum juxta hujusmodi cogitationes, & motus.

17 **P**robatur primò ex D. Augustino de grat. & liber. arbitr. cap. 5. ubi illa verba Pauli ad Corint. 15. *Non ego autem, sed gratia Dei mecum, sic exponit: id est non solus, sed gratia Dei mecum, ac per hoc, nec gratia Dei*

*Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo. Ut autem vocaretur, & iam magnà, & efficacissimà vocatione converteretur, gratia Dei erat sola. Ex quibus fit argumentum. Nullus actus elicited ab intellectu, aut à voluntate ita est gratia, ut intellectus, aut voluntas per illum gratiæ Dei non sit cooperans, id est omnis actus elicited à voluntate, aut intellectu est simul à Deo, & ab homine media aliqua ex his potentiis; quæ propositio est æterminis nota; cum actus, quo homo constituitur intelligens, & volens, est sit gratia, & auxilium ad actum subsequentem, est tamen elicited ab homine: nec enim est intelligibile, quod homo saltè de potentia ordinaria constituitur intelligens, aut volens per actum à se non elicited; undè in omni actu à se elicited homo Deo cooperatur, ac proindè à Deo simul, & ab homine simul causatur; sed Augustinus asserit, esse aliquam gratiam auxiliantem, quæ non sit ab homine simul cum Deo operante: ergo est aliqua gratia auxilians, quæ non sit actus intellectus, & voluntatis. Min. expressè traditur ab Augustino illis verbis, *Gratia Dei erat sola. Nam Augustinus clarissimè distinguit hæc tria, nimirum, & quod nec Paulus solus, id est, nec Paulus sine gratia, nec gratia sola, id est, nec gratia sine Paulo ad labores illos concurrerint: & tandem asserit, quod ad hoc, ut Paulus vocaretur, & converteretur, gratia Dei erat sola: ergo aliquis effectus correspondet soli gratiæ, ad quem effectum Paulus non est cooperatus, sed purè se habuit passivè, ut mobile respectu motoris. Quæ gratia absque ullâ controversiâ, est auxilium prædeterminans, quo Deus movet hominem, vel ad sanctam cogitationem, vel ad volitionem rectam, & ad quod homo se habet purè passivè, tametsi illo supposito, statim Deo cooperetur.**

18. Hanc autem esse legitimam D. Augustini intelligentiam constat ex D. Thoma 1. ad Corinth. cap. 19. lect. 1. ubi explicans eadem verba Pauli, præsertim ad illa: *Gratia ejus in me vacua non fuit: revertò ostendit, inquit D. Thomas, usus efficaciam, quia hoc non à se solo, sed ex instinctu, & adjutorio Spiritus Sancti, & ideo dicit, non autem ego solus operor, sed gratia Dei mecum, quæ movet voluntatem ad hoc. . . . Deus enim non solum infundit gratiam, quæ nostra opera grata sunt, & meritorea, sed etiam movet ab bene utendum gratiâ infusâ; quibus consonat D. Thomas M. P. Augustino, quia gratia, quæ Deus movet voluntatem ab bene utendum gratia, sine dubio præcedit bonum usum, sicut applicatio potentiæ ad opus præcedit opus, & ab eo distinguitur. Undè gratia illa dicitur instinctus, & adjutorium; nemo autem adjuvatur ad opus per ipsum opus, sed per aliud, ex quo homini adjuto datur aut virtus, aut applicatio virtutis ad opus, ut videtur ex se notissimum: sed ad sanctam quamlibet cogi-*

tationem, & ad quemlibet piùm affectum, movet Deus hominem per instinctum, & adjutorium Spiritus Sancti: ergo gratia hæc, hic instinctus, & hoc adjutorium distinctum quid est à sancta cogitatione, & pio voluntatis affectu.

19. Hoc iterum expressit D. Augustinus de grat. & liber. arbitr. cap. 17. dicens: *Ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens, propter quod ait Apostolus, certus sum, quoniam qui operatur in nobis opus bonum perficiet usque in diem Christi Jesu. Ut ergo velimus sine nobis operatur, cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur. Quibus si adjungas doctrinam S. Thomæ 1. 2. q. 111. art. 2. quæ ex hac Augustini desumpta est, efficax fit argumentum. Gratia, quæ Deus movet voluntatem ad primum actum, sive intellectum ad primam cogitationem, & quæ dicitur gratia operans, distincta est a gratia, quæ est sancta prima cogitatio, & prima volitio recta: tum quia effectus realiter à sua causa distinguitur, & cogitatio sancta prima, & primus motus rectus voluntatis sunt effectus illius gratiæ: tum quia, ut ait D. Thomas q. citata art. 3. in corpor. *Et ideo gratia secundum quod causat in nobis primum effectum vocatur præveniens, ergo gratia operans, seu præveniens est causa primæ vocationis sanctæ, & primi affectus pii, ac per consequens distinguitur ab eis.**

20. Hoc magis explicat D. Thomas super illa verba Job cap. 32. *Ut video, spiritus est in hominibus, & inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam. Quæ D. Thomas ibi lect. unic. sic docet, esse intelligenda: Spiritus Dei est in hominibus, in quantum scilicet in eis operatur, & hoc est, quod subdit, & inspiratio Omnipotentis. Quæ scilicet hominibus inspirat Spiritum Sanctum, qui est Spiritus sapientiæ, & intellectus. Dat intelligentiam, scilicet veritatis, quæ est Sapientiæ principium iis, quibus inspirat. Quod autem hæc inspiratio sit sapientiæ præcipua causa, ostendit per hoc &c. de qua inspiratione Omnipotentis asserit D. Thomas 1. 2. q. 68. art. 1. *inspiratio significat quandam motionem ab exteriori. Modò sic argumentor: inspiratio proveniens à Spiritu Sancto dans, & causans cogitationem sanctam, necessariò debet præcedere sanctam cogitationem, & ab illa realiter distingui: sed ad quamlibet sanctam cogitationem habendam requiritur inspiratio proveniens à Spiritu Sancto dans, & causans illam: ergo requiritur inspiratio Spiritus Sancti sanctam cogitationem præcedens, & ab illa realiter distincta; sed inspiratio ista auxilium est: ergo ad sanctam cogitationem requiritur aliquod auxilium à sancta cogitatione distinctum, & præcedens. Totus hic discursus habetur in verbis D. Thomæ, per textum citatum Job. Nam sancta cogitatio est intelligentia veritatis, quam ut vera, & præcipua causa dat inspiratio Omnipotentis; quæ est motio proveniens ab exteriori, id est à Spi-**

à Spiritu Sancto : & cum sit principium per se notum apud Philosophos , causam præcedere effectum , & ab eo realiter distingui , manifestè convincit , ad sanctam cogitationem requiri aliquod auxilium ab ea distinctum , & præcedens .

21. Secundò probatur conclusio per partes , nempe ad omnes motus voluntatis , sive sint liberi , sive necessarii , requiri auxilium ab ipsis distinctum , dixi ab ipsis distinctum , quia non negamus hos motus aliquatenus esse auxilia , sed dicimus , ad hujuscemodi motus requiri alia diversæ rationis auxilia . Quod constat tum ex illo Joannis 15. *sine me nihil potestis facere* . Tum quia licet actus prior possit dici , & esse auxilium respectu posterioris , respectu verò sui auxilium non est , quia auxilium est causa actus , & actus non est causa sui ipsius . Quo supposito , sic probatur conclusio . Et primò quidem si motus pii sint liberi . Omnis namque motus (ultra motus necessarios) voluntatis pius , & liber est meritorius , sed ad omnem actum meritorium requiritur auxilium ab ipso actu distinctum : ergò ultra motum liberum voluntatis aliud requiritur auxilium . Min. constat primò , quia ad actum liberum meritorium indispensabiliter aliquod requiritur auxilium : sed motus necessarius voluntatis non est indispensabiliter requisitus : ergò aliud ab illo auxilium requiritur . Constat secundò , quia vel iste motus necessarius infert infallibiliter actum meritorium , vel relinquit voluntatem indifferentem , & componibilem cum omissione actus ? Si hoc secundùm dicatur , se tenet ex parte actus primi , & dicitur adjuvare possibilitatem , seu potentiam complere , non tamen actum dabit ; & in præsentibus nobis sermo est de auxilio actus , seu dante actum , non tamen de auxilio adjuvante possibilitatem , quod , ut fufius dicemus , admisit Pelagius , nec tamen acquievit Augustinus . Si autem hic motus necessarius voluntatis connectitur , & infert actum infallibiliter , libertatem actus , ad quem datur , omninò evertet ; quia est suppositio connexa se tenens ex parte actus primi , & non existens ex dominio , aut determinatione libera voluntatis , sed illam antecedens , & necessariò causans . Maximè quidem in principiis adversariorum , suppositio connexa , & non existens ex dominio , aut determinatione liberâ voluntatis , sed illam antecedens , destruit libertatem : quare rejiciunt A.A. contrarii communiter actum imperii , quem omnes Thomistæ admittunt , & illum rejiciunt , ut inimicum libertatis , etsi actus imperii totam suam efficaciam , & connectionem cum usu habeat ex electione , quæ est actus liberrimus voluntatis : ergò multò magis officiet libertati motus necessarius voluntatis , si astruatur connexus cum actu , qui ex libertate non descendit .

22. Non solum hoc , ut certum admitti debet quoad actus voluntatis , sed idem di-

endum de sanctis cogitationibus , ultra quas aliud requiritur auxilium . Nam ista sancta cogitatio , vel est omninò determinata , & bonum proponens cum omnimoda determinatione , non sinens apparere aliquam convenientiam in omissione actus , & prosecutione objecti contrarii : aut non ita , sed objectum suum cum aliqua indifferentia representat , ita ut appareat aliqua convenientia in omissione actus , aut in prosecutione objecti contrarii ? Sancta cogitatio primo modo determinata non potest esse auxilium actus liberi , sive ad actum liberum : quia iudicium sive apprehensio boni omninò determinata , ac nullatenus indifferens infert actum , non liberum , sed necessarium : quia ubi motivum adæquat capacitatem proximam sui mobilis , non potest naturaliter actus non sequi : at bonum Divinum propositum per cognitionem determinatam , & sub pura ratione boni , adæquat hic & nunc capacitatem primam sui mobilis , sive voluntatis : ergò stante illa representatione non potest naturaliter non sequi actus . Quæ ratio constat in motibus primis voluntatis , qui ex vi cognitionis determinata , & sine indifferentia proponens , naturaliter consequuntur , & non consequi esset miraculum . Si verò sancta cogitatio sit indifferens : rursus inquiri , vel est liberè concepta ab intellectu , vel non ita , sed est à Deo infusa ? Si liberè concepta , debet assignari auxilium antecedens , quo voluntas confortetur , ut intellectum moveat ad formandam , seu concipiendam talem sanctam cogitationem : ergò debet assignari aliud auxilium ab ea distinctum , ac proinde ipsa non sufficit . Si verò intellectus illam non concepit ex determinatione voluntatis , sed à Deo illam accipit infusam ; primò , requiritur *inspiratio Omnipotentis , quæ det intelligentiam hanc veritatis* , ut supra ex verbis Job intulimus , sed hæc inspiratio est distincta à sancta cogitatione ; cum sit illius causa , & motio quædam ab exteriori , ut ex D. Thoma diximus supra num. 20. ergò requiritur aliud auxilium illam antevergens .

23. Secundò : nam quæstio præsens controvertitur de auxilio , quo Deus nobis donat consensum liberum , seu actum salutarem , seu de auxilio eo , quo Deus facit , nos facere , seu quo Deus facit , ut faciamus ; sed cogitatio sancta indifferenter proponens objectum honestum nobis non donat se sola consensum , seu actum salutarem : ergo necessarium est aliud auxilium à sancta cogitatione distinctum . Vel aliter : sancta cogitatio constituens potestatem ad actum , & ejus omissionem , & si aliquando magis inclinatur ad actum , non donat consensum , sive actum salutarem . Potest namque cogitationem istam voluntas repellere , divertendo intellectum , ne de tali objecto cogitet . Undè constituit potestatem ad actum , non tamen connectit voluntatem cum actu , alioquin non posset illam repellere in-

intellectum divertendo , sed sancta cogitatio constituit potentiam ad actum , ut maneat indifferens ad ejus omissionem , & si aliquando magis inclinatur ad actum : ergò illa non dat se ipsa consensum salutarem ; implicat enim contradictionem donare actu consensum , & carentiam consensu conjugi cum auxilio actu dante consensum ; sed cum illa cogitatione potest conjugi carentia consensu , vel saltè illam potest voluntas repellere ; ac per hoc facere , quòd illa non influat in consensum : ergò quamvis talis cogitatio , seu iudicium indifferens constituat actum primum , seu potestatem , aliud requiritur auxilium donans consensum salutarem .

24. Hæc est doctrina M. P. Augustini de correptione & gratia . cap. 12. in quo diligentissimè distinguit adjutoria gratiæ , quorum primum est illud , quod ipse vocat *sine quo non fit aliquid* ; & aliud est adjutorium *quo aliquid fit* : quæ distinctio coincidit cum divisione illa gratiæ in sufficientem , & efficacem , sive illam , quæ dat potestatem ad actum , & illam , quæ actum dat . De hac secunda gratia , sive de isto secundo adjutorio sic circa finem capituli : *Subventum est ergò infirmitati voluntatis humanæ , ut Divina gratia indeclinabiliter , & insuperabiliter ageretur* . Si autem est talis gratia ista , ut voluntas ad consensum agatur indeclinabiliter , & insuperabiliter , non sub illâ voluntas declinabit , aut separabitur ab actu ; sed illum eliciet ; quod ibi significat Augustinus dicens : *Nunc verò Sanctis in Regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur , sed tale , ut eis perseverantia ipsa donetur ; non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint , verum etiam , ut per hoc donum non nisi perseverantes sint* . Quomodò ergò hoc potest præstare voluntati cogitatio sancta indifferenter proponens objectum ? Quomodò mediâ ipsâ agi potest indeclinabiliter ad objectum , & insuperabiliter ad actum , quando , ut expresse docet D. Thomas , adhuc illâ suppositâ , potest intellectus de eo objecto non cogitare , illamque cogitationem repellere . Nullum objectum potest movere voluntatem quoad exercitium , faciendū scilicet , quòd voluntas consentiat , immò nec ullum objectum , si proponatur per cogitationem indifferentem , illam necessitatè objective , quia cum voluntas sit capax omnis boni , à bono particulari non movetur sufficienter : undè illo proposito , poterit voluntas quolibet declinare , & ab actu illius prosecutivo separari , conjungique cum fuga , aut omissione . Sic præter motionem objectivam , qua allicitur voluntas , ad existentiam consensu requiritur aliquid aliud , quo voluntas ex parte subjecti moveatur , sive quo moveatur subjective , & quoad exercitium actus , ut docet D. Thomas 1. 2. q. 9. art. 4. in corpor. ibi : *Dicendum , quòd secundùm quòd voluntas movetur ab objecto , manifestum est , quòd moveri po-*

test ab aliquo exteriori : sed eo modo , quo movetur quantum ad exercitium actus , adhuc necessè est ponere voluntatem ab aliquo principio exteriori moveri . De qua motione rursus in eadem quæstione art. 6. ad 3. ait : *Deus movet voluntatem hominis , sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis , quod est bonum , & sine hac universali motione homo non potest aliquid velle* : Ergo si hæc sancta cogitatio non movet subjective , & effective , quod ita est certum apud A.A. contrarios , ut actum imperii negent ex eo , quòd habet efficaciam effectivam , & voluntatem effective applicat , & determinat ad unum , à fortiori huic sanctæ cogitationi negandum , quòd moveat ex parte subjecti , seu quoad exercitium actus ; cum ex alia parte negari non possit , quòd se teneat ex parte actus primi , & potestatis ; ergò ut existat salutaris consensu requiritur aliud auxilium distinctum à sancta cogitatione .

25. Utrumque expressit D. Augustinus lib. 1. de prædest. Sanctor. cap. 8. dicens : *Multos venire videmus ad filium , quia multos credere videmus in Christum , sed ubi , & quomodò à Patre audierint hoc , & didicerint , non videmus . Nimirum gratia ista secreta est , gratiam verò esse , quis ambigit ?* Sed nec sanctæ cogitationes , nec pii affectus voluntatis , quibus movetur homo , ut veniat ad Christum , sunt aliquomodo gratia secreta , cum utramque gratiam experiatur homo : qua ratione homines pii suis in confessionibus , eò quòd huic gratiæ non obedierint , se lamentabiliter accusant : ergo alia gratia admittenda est occultior , & magis secreta . Est namque certum , quòd tam audiens , quàm discens , clarè , saltè in exercitio , agnoscit se audire à Patre , & videt , se discere , juxta illud Psalm. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus , quoniam loquetur pacem* : eò quòd audire est percipere intelligibiliter verba loquentis , & discere est dictis assentire ; quod fieri non potest aliter quàm cognoscendo id , quod ab alio dicitur , & rei cognitæ præstando assensum , vel evidentem , si clara fiat demonstratio , vel per piam affectionem , si quod locutione , innotescit , obscurum sit : sed affectum quoque voluntatis , quo ad Christum itur , homo in ipsa sui mutatione sentit : ergò in his nihil est occultum audienti , & discenti : ergo gratia illa ita secreta , quâ audientem Deus facit addiscere , aliquid aliud distinctum est ab actibus intellectus , & voluntatis .

26. Nec nobis opponant cum P. Ripalda de ente supernaturali lib. 5. dif. 104. D. Thomam 1. 2. q. 110. art. 2. ubi Angelicus M. inquirat , *Utrum gratia sit qualitas ?* Et respondet : *Dupliciter ex gratuita voluntate Dei homo adjuvatur . Uno modo in quantum anima hominis movetur à Deo ad aliquid cognoscendum , vel volendum , vel agendum : & hoc modo ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas , sed motus quidam animæ , actus enim moventis in moto est motus , ut dicitur in 3. Physicor. text. 18.*

Alio modo adjuvatur homo ex gratuita Dei voluntate, secundum quoddam aliquod habituale donum à Deo anima infunditur. In quibus verbis excludit D. Thomas ab auxilio gratiæ rationem qualitatis, affirmans esse motum animæ: sed motus animæ est actus vitalis, & elicitus à voluntate; ergo contra mentem D. Thomæ defenduntur auxilia non vitalia, sed distincta ab actibus vitalibus.

27. Argumentum hoc attingit difficultatem, an physica prædeterminatio sit qualitas, vel an possit dari aliquod auxilium, quod se habeat, ut forma quædam incompleta, & vialis, quæ voluntati præstet virtutem ad actum. Sed facile respondetur ex D. Thoma q. 3. de potent. art. 7. ad 7. auxilium gratiæ movens ad bonum operandum non esse qualitatem, quia qualitas nominat aliquid completum, & quodammodo permanens, auxilium vero movens ad cognoscendum, volendum, aut agendum natura sua est transiens, & quid incompletum, quod exprimit sequentibus verbis: *Quia habet esse quoddam incompletum per modum, quo colores sunt in aere, & virtus artis in instrumento Artificis.* Sic plures Thomistæ affirmant, esse qualitatem, non quæ sit habitus, sed quæ habeat modum motionis, seu applicationis. Alii verò talem motionem præviam non esse qualitatem, sed solum esse motum passivè receptum in causa secunda, ratione cuius movetur, ut ipsa se moveat, ut magis conforme D. Thomæ propugnant: asserit namque Angelicus Magister loco citato 1. 2. q. 110. art. 2. *Quod auxilium gratiæ non est qualitas, sed motus quidam animæ: actus enim movens in moto est motus.* Licet ergo dividantur Thomistæ in explicando, quid sit hoc à Deo causæ secundæ impressum auxilium, conveniant tamen omnes, influxum Dei aliquid physicum imprimere causæ secundæ, quam movet; & præmotionem esse intrinsecè, & transeuntè receptam, seu inhærentem in causa secunda, ad quam voluntas se habet purè passivè: unde consequenter affirmant, quod concursus iste Divinus non est actus formaliter vitalis; cum ad omnem actum vitalem voluntas non se habeat purè passivè, sed eliciendo activè, tanquam verum principium activum illius: quare auxilium hoc est realiter distinctum ab actibus creaturæ. Unde D. Thomas loco citato ex q. 3. de potent. ad 3. asserit; *Dicendum, quod in operatione, qua Deus operatur movendo naturam, non operatur natura: ergo juxta ipsum, concursus ille motus animæ dicitur, non elicitivè, sed receptivè, id est, motus in anima receptus, quo Deus animam movet; non tamen elicitus, & ad quem voluntas comparetur, ut principium eliciens.*

28. Secundò objicit P. Ripalda, D. Thomam, qui super illud Joann. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, sic dicit: *hominem Deus multipliciter trahit, revelatione interna veritatis, persuasione, operatio-*

ne miraculorum, blanditiis, admirabili delectatione, & amore veritatis. Quod & docet cap. 6. lect. 5. ad illa verba: *Omnis, qui audit à Patre, & didicit, venit ad me*, quæ sic exponit: *Modus autem trahendi est congruus, quia trahit revelando, & docendo, & hoc est, quod scriptum est in Prophetis, erant omnes docibiles Dei.* Et paulò post: *Omnis qui audit à Patre docente, & manifestante, & didicit præbendo assensum.* Ex quibus P. Ripalda tractionem efficacem revocat in doctrinam, & manifestationem veritatis, affectionem, delectationemque virtutis infert.

29. Verùm tractionem per doctrinam, & revelationem veritatis non sufficere, abundè, ut arbitror, probatum est, & ultra illam requiri gratiam aliam, qua Deus faciat nos facere, manifestè constat ex dictis. Hoc enim totum doctrinæ generalitate concludi docet S. Augustinus loco citato de Grat. Christi, & à Pelagio extorquere contendit aliam gratiam, quæ donet bonam voluntatem, ut videre est lib. de Gratia Christi cap. 24. in fine, ubi adducto exemplo Regis Assueri, cujus cor Deus convertit ab indignatione ad lenitatem sic alloquitur: *Legant ergo, & intelligant, intueantur, atque fateantur, non lege, atque doctrinâ insonante forinsecus, sed internâ, atque occultâ, mirabili, ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates;* quod docuit S. Prosper Epist. ad Rufinum asserens: *Tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire, cum illicò gratia Dei affectum credendi, obediendique generaverit:* ergo ut existat iste pius affectus, requiritur gratia distincta ab illa: non enim gratia generans affectum est ipse affectus à gratia generatus.

30. Respondetur ergo ad argumentum, sanctas cogitationes, & pios affectus voluntatis computari à D. Thoma inter auxilia Divinæ gratiæ; verùm non negat, aliud ultra hæc, & longè efficacius requiri auxilium, quod & exprimit in ipsis locis in argumento objectis, dum asserit, nos trahi persuasione, delectatione, & amore; auxilium quippe ita suadens, ut persuadeat, aliquid altiùs includit, quàm sit sancta cogitatio objectum suum indifferenter proponens; nec ad delectationem, & amorem excitandum sufficit sancta cogitatio, sed requiritur auxilium fortius, ut expressè desiderat Augustinus de Grat. Christi cap. 33. cum ait: *Non est autem consequens; ut qui habet donum scientiæ, quo noverit, quid agere debeat, habeat etiam charitatem, ut agat.* Quia nimirum à potentia agendi constituta per scientiam est mala consequentia ad actum. Quod etiam docuit S. Thomas 1. 2. q. 9. art. 1. ad 1. ubi versans illud Augustini in Psal. 118. *Pervolat intellectus, sequitur nullus, aut tardus affectus;* dicit: *Ex ista auctoritate non habetur, quod intellectus non moveat voluntatem, sed quod non moveat ex necessitate: quia videlicet non determinat efficaciter, prout*

re-

requiritur, ut faciat nos velle, & facere. Hæc est doctrina communis SS. PP. Sic docet D. Fulgentius de verit. prædest. cap. 19. & seq. D. Prosper, qui ut explicet modum, quo gratia homines convertit, eleganter cecinit:

Non hoc consilio tantum, hortatuque benigno suadens, atque docens, quasi normam legis haberet

Gratia, sed mutans intus mentem, atque reformans,

Vasque novum ex fracto fingens virtutè creandi.

Cyrillus Alexandrinus lib. 1. de adorat. exponens illud Genes. 13. *Angeli miserunt manum, & introduxerunt ad se Lot*, sic ipse ait, *manifesto argumento tibi hoc esse potest, nos non verbis solum excitari, & adhortationibus menti immisissis, ut à peccato discedamus, sed tanta benignitate erga nos uti servatorem totius universi Deum, ut actu ipso, efficaciterque nobis præstet auxilium, secundum quoddam scriptum est, apprehendisti manu dexteram meam, & in consilio tuo deduxisti me. Cum enim humana natura non satis valida esset, neque per se sufficit ut malum effugere queat uno quidem modo nobis contendit Deus, duplicique beneficio officere cognoscitur, admonitionibus nimirum persuadens, & subsidium præstans fortius, quàm, ut ab impediente, aut imperante malum superari possit.* Hæc Cyrillus in editione Basileæ to. 2. column. 425. circa fin. Ex quibus constat SS. PP. gratiam aliam à sanctis cogitationibus menti immisissis distinctam tradere, atque docere. Sed ut nulla de mente D. Thomæ maneat dubitandi ratio, audiamus ipsum Joan. 3. lect. 5. sic loquentem: *Gratia, qua Deus nos trahit, non est solum illuminatio interior, sed motio, & instinctus Dei movens, & impellens cor hominis.* Et ad Rom. 8. lect. 3. ibi: *Homo autem spiritualis non tantum instruitur à Spiritu Sancto, quid agere debeat, sed etiam cor ejus à Spiritu Sancto movetur.* Quæ ad evidentiam demonstrant, sentire D. Thomam, necessariam esse aliam gratiam impellentem cor hominis ad agendum honestè, & ad pios, meritoriosque affectus eliciendos, hancque esse à sanctis cogitationibus, piisque affectibus realiter distinctam.

§. IV.

STATUITUR SECUNDA CONCLUSIO.

Gratia præveniens sumpta primordialiter consistit in quibusdam auxiliis à solo Deo libero arbitrio impressis, quibus excitatur, & movetur ad cogitandum, & amandum bonum supernaturale.

31 **H**æc Conclusio, quæ est omnium Thomistarum doctrina, defenditur à sapientissimo M. Lemos to. 4. tract. 7. cap. 7. & prima, & præcipua illius probatio sumitur

ex proprietate vocum, quam summo studio sectantur concilia, dum fidei dogmata declarant: Et sanè; ut cum omni proprietate verificetur, Deum sua gratia prævenire hominem, necesse est, quod homo pro priori ad auxilium Dei nihil boni, vel cogitet, vel agat, & quod in vi Divini impulsus homo ad cogitandum, & bonum amandum moveatur, sic enim gratia est simpliciter prior, & antecedit omnem hominis actum conducentem ad justificationem: ex quo fit, ut propriissime verum sit, quod exordium justificationis in his actibus consistens sumatur à Dei per Jesum Christum præveniente gratia, ut ait Tridentinum sess. 6. cap. 5. quia tunc ipsum exordium prævenitur à Dei gratia, quæ est illius vera causa. Et præterea; quia hæc gratia in Sacra Scriptura, Conciliis, & PP. frequentissime dicitur excitans, vocans, pulsans, tangens, impellens, illuminans, inspirans: & certè excitatio non est actus ab excitato elicitus, sed ab alio excitante: exemp. gr: ut cum quis medio strepitu, vel physico tactu dormientem excitat. Similiter vocatio fit ab alio vocante extrinsecò, & non nisi media voce, quæ est qualitas physica per aerem delata ad aures illius, qui vocatur. Etiam pulsatio medio aliquo tactu physico exercetur, & non ab eo, qui pulsatur, sed ab alio. Nec opus est singula inductivè prosequi, cum omnium eadem sit ratio: cum ergo Deus in Sacra Scriptura, Conciliis, & PP. dicatur sua nos gratia prævenire, vocare, pulsare, tangere, excitare, impellere, atque illuminare; si locutiones istæ juxta propriam significationem accipiantur, ut debent, dubitare non licet, quin gratia, quâ id Deus misericorditer præstat in aliquo consistat, omnem actum hominis præcedente.

32. Super his quæstionem ex instituto movens Concilium Arausicanum II. can. 20. sic dicit: *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo: nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstet, ut faciat homo.* En ubi Concilium distinguit bona, quæ fiunt in homine, & non fiunt ab homine, à bonis, quæ fiunt in homine, & quæ facit homo, Deo faciente, ut ipse faciat; sed bona illa, quæ homo non facit, & in illo fiunt, alia esse non possunt, quàm auxilia à Deo homini impressa, ad quæ proinde merè se habet homo passivè, etenim ad actus tam necessarios, quàm liberos merè passivè non se habet, sed illos activè operatur: ergo dantur auxilia hujusmodi actus præcedentia à Deo unice procedentia, & in homine recepta. Vel aliter: omnia bona, quæ sunt in homine conducentia ad salutem dividit Concilium in bona illa, quæ fiunt in homine sine efficientia hominis, id est, quæ non facit homo, & in illa bona, quæ facit homo, Deo faciente, ut homo faciat: sed actus isti necessarii, sancta nempe boni cogitatio, & affectus subitus ad bonum, bona sunt, quæ existunt in homine, & ad salutem

conducunt: ergo sub altero divisionis membro præcontinentur; sed non præcontinentur sub primo, quia Deus facit, ut illos faciat, & ipse est, qui docet hominem scientiam, & qui facit, ut homo bonum salutare amet: ergo bona illa, quæ fiunt in homine, & homo non facit, sunt auxilia prævenientis gratiæ orta à Deo, ad quæ homo purè passivè se habet.

33. In eundem planè sensum loquitur Cœlestinus I. ad Episcop. Galliæ dicens: *Ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operatur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit: sed hos motus intellectus, & voluntatis non causat Deus per concursum à voluntate creata determinatum, nam cum voluntas ad illos non se determinet, quia sunt necessarii, nec potest concursus Dei determinare: ergo causat illos Deus concursu prædeterminante, qui proinde debet esse prior, & illos natura, & causalitate antecedere. Quare optimè dixit Angel. Magister 1. 2. q. 112. art. 2. Si loquamur de gratia secundum quod significat auxilium Dei moventis, sic nulla preparatio requiritur ex parte hominis, quasi præveniens Divinum auxilium, sed potius quacumque preparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei moventis animam ad bonum: sed illi actus, cum sint dispositiones ad justificationem, præparant hominem ad illam: ergo sunt effectus gratiæ, quæ proinde debet illos præcedere. Hic tamen obiter observandum, quod gratia præveniens adequatè sumpta non consistit in unico simplici auxilio, sed includit ad minus duo, alterum, quo prævenitur intellectus ad sanctam cogitationem, alterum, quo voluntas impellitur ad affectum boni supernaturalis: utraque enim potentia indiget gratiæ prævenientis auxilio ad elicentiam sui actus: & uno, simplici auxilio utriusque potentiæ indigentia expleri minimè potest, cum auxilium receptum in una potentia ad alterum extrinsecè se habeat, nec per illud indigentia intrinseca expleri possit. Sunt enim auxilia ista diversæ formaliter lineæ, cum auxilium elevans intellectum non sit formaliter, aut eminenter de linea amoris: ergo ex vi illius nequit voluntas reddi potens se exercere in linea amoris. Et maximè, cum operationes intellectus, & voluntatis nequeant ab eadem indivisibili virtute supernaturali elicitive procedere, cum spectent ad lineas adequatè distinctas, & respiciant diversa objecta formalia. Quapropter lumen gloriæ etsi sit donum excellentissimum, nequit esse principium immediatè elicitive visionis, & amoris: ergo gratia præveniens adequatè sumpta non consistit in unico simplici auxilio.*



§. V.

STATUITUR TERTIA CONCLUSIO.

Auxilia ista conferunt virtutem, & sufficientiam ad actum tam necessarium, quam ad actus perfectos, seu perfectè liberos. Applicant & determinant voluntatem, & intellectum ad actus salutare; sive auxilium, dans pariter applicationem ad actum indeliberatum sit realiter distinctum ab auxilio dante sufficientiam ad eundem actum, sive non.

34. **S**upponendum primò, quod gratia excitans interior intellectum illuminans non est gratia sufficiens ad actus salutare elicitos à voluntate, licet præbeat vires, & sufficientiam intellectui ad actus salutare ab illo elicitos v.g. ad actus fidei. Talis namque gratia excitans interior, per quam illuminatur intellectus non præbet sufficientiam, productivam consensus salutaris: tum quia talis illustratio non est physicè, ut superius diximus, intra lineam affectivam, in qua est formaliter ipse consensus. Tum quia extrinseca est voluntati, quam reddere non potest intrinsecè in actu primo continentem actum salutarem. Et maximè, quia consensus salutaris non est exercitium formale illustrationis supernaturalis. Illa tamen gratia excitans ex parte actus primi se tenet, & spectat ad gratiam sufficientem completè acceptam. Nequit enim liberum arbitrium sine illuminatione, & inspiratione Spiritus Sancti elicere actus supernaturales. Ipsa namque docet, quid sit faciendum, & ostendit, qualiter homo debeat operari. Est enim voluntas potentia cæca, quæ non est completè, & proximè potens ad suos actus, nisi præcedat directio ista ex parte intellectus, proponens bonum amandum, & malum fugiendum. Hac ratione dicit Apostolus ad Hebr. 11. *quod sine fide impossibile est placere Deo, quia fides dirigit actus meritorios, ostendendo bonitatem Dei, ad quam debent referri; ideoque exorat semper Ecclesia Spiritum Sanctum, ut corda nostra illustret ad cogitandum, quæ recta sunt, ut ea, quæ faciendâ sunt, cognoscamus. Ubi maximè notandum, non esse idem, quod talis illustratio se teneat ex parte actus primi, ac quod sit actus primus physicè productivus consensus salutaris. Duplex namque distinguitur sufficientia, alia propriè talis per subministracionem spiritus, & virtutis, alia verò tantum secundum quid per ostensionem, & manifestationem bonorum spiritualium. Sufficiens primo modo accepta non convenit illustrationi Spiritus Sancti, sed solum secundo modo accepta, quia habet rationem principii influentis objective in actum voluntatis præbens voluntati posse merè extrinsecum ad actus salutare, ut benè M. Lemos advertit tom. 1. parte 1. tract. 1. cap. 12. Et quia universaliter non omne, quod se tenet ex parte actus*

actus primi, vel ex parte actus secundi dicitur propriè actus primus, & actus secundus: sicut prædeterminatio physica ex parte actus secundi se tenet, & non est propriè actus secundus: & cognitio naturalis ex parte actus primi se tenet in ordine ad actus supernaturales; & tamen talis cognitio non est propriè actus primus, quia actus propriè nominat formam, quæ sit principium operationis. Eademque ratione gratia excitans in affectu omnino indeliberato consistens non est gratia propriè sufficiens ad actus supernaturales liberos: non enim præstat vires productivas, nec se habet per modum virtutis, cum non detur nobis à Deo per subministracionem spiritus, & vigoris, nec elevet intellectum per modum virtutis ad cognitionem perfectam supernaturalem, sed solum influat dispositivè.

35. Secundò supponendum est, quod auxilium extrinsecum Divinæ Omnipotentia non est principium physicè elevans voluntatem ad elicentiam actus liberi supernaturalis. Non enim tale auxilium præbet vires, potestatem, & sufficientiam voluntati ad illius productionem. Tum, quia Spiritus Sanctus, ut extrinsecè assistens, non est propriè gratia auxilians, vel auxilium gratiæ præbens sufficientiam ad actus supernaturales, cum Deus ut auxilians, & illius auxilium comparentur inter se ut causa, & effectus; & auxilium purè extrinsecum non elevetur voluntas, ut secundum sibi intrinseca contineat actum supernaturalem; non enim tale auxilium est proprium ullo modo voluntati, nec subjectivè intrinsecè informat ipsam, ut actus supernaturalis contineatur in potestate propria voluntatis, & ut possit habere verum dominium supra talem actum.

36. Ex quibus præsuppositis evidenti confecutione descendit ratio efficacissima probativa nostræ conclusionis. Aliquod debet assignari principium, vi cuius voluntas activè præcontineat actus salutare, sed hoc principium solum est auxilium distinctum tam ab actibus necessariis, quam ab actibus perfectè vel imperfectè liberis: ergo auxilia ista dant virtutem, & sufficientiam ad actus necessarios, & ad actus perfectè, sive imperfectè liberos. Hæc est, ut dixi, manifestissima veritas, quæ ne variis glossamentis obscuretur, assignent principium constitutum sufficientiam; hoc enim præbere debet veram sufficientiam per modum virtutis physicè productivæ actuum supernaturalium; sed solum assignabile est auxilium, ut ajunt, fluidum elevans intrinsecè voluntatem; cum nec Spiritus Sanctus, nec Omnipotentia, ut extrinsecè assistens, sint, ut modò diximus, principium dans veram sufficientiam in actum supernaturalem, nec gratia excitans interior, per quam illuminatur intellectus, nec gratia excitans in affectu omnino indeliberato consistens: ergo vel neganda est gratia actualis,

quæ sit verè, & propriè sufficiens, vel concedendum, quod auxilia ista dant veram sufficientiam constitutivam actus primi.

37. Hæc est sanè doctrina Apostoli 2. ad Cor. 3. *Non quia sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quæ verba multoties à Sancto afferuntur Augustino, sed illa nullibi expendit melius, quam lib. de prædest. Sanctor. cap. 2. circa medium dicens: *Quis enim non videat, prius esse cogitare, quam credere? Nullus quippè credit aliquid, nisi prius cogitaverit, esse credendum. Quamvis enim raptim, quamvis celerrimè credendi voluntatem quadam cogitatione antevolent, moxque illa sequatur, ut quasi conjunctissima comitetur: necesse est tamen, ut omnia, quæ creduntur, præveniente cogitatione credantur, quamquam & ipsum credere, nihil aliud est, quam cum assentione cogitare. Non enim omnis, qui cogitat, credit; cum ideo cogitent plerique, ne credant: sed cogitat omnis, qui credit, & credendo cogitat, & cogitando credit. Quod ergo pertinet ad religionem, & pietatem, de qua loquebatur Apostolus: si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobis ipsis met-ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est: profectò non sumus idonei, credere aliquid quasi ex nobismet-ipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra, qua credere incipiamus, ex Deo est. Quo circa, sicut nemo sibi sufficit ad incipiendum, vel perficiendum quodcumque opus bonum: quod jam isti fratres, sicut vestra scripta indicant, verum esse consentiunt: unde in omni opere bono incipiendo, & perficiendo sufficientia nostra ex Deo est: quoniam fides, si non cogitetur, nulla est; & non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobismet-ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Hæc Augustinus: in quibus expressam de cogitationibus subitis, & indeliberatis mentionem facit, asserens, sufficientiam ad illas non esse ex nobis, sed ex Deo: arguitque à minori ad majus, nam si ad subitam, & indeliberatam cogitationem non est nobis ex nobis sufficientia, sed ex Deo, multò minus erit nobis ex nobis sufficientia ad perfectum fidei assensum.

38. Ex his ergo, quæ negabit nullus, nisi Apostolo, ut ab Augustino intellecto contradicat, sit evidens prima pars conclusionis nostræ: nam juxta Apostolum hominis intellectus non habet ex se sufficientiam ad aliquam cogitationem piam, & religiosam, sed illam habet ex Deo: ergo ad primam hujusmodi cogitationem habet sufficientiam datam sibi per illud gratiæ prævenientis auxilium, quo intellectus primò ad sanctè cogitandum illuminatur à Deo. Patet consequentia: quia sufficientia, utpotè constitutiva potestatis est prærequisita ad actum, & primum actum sola gratia simpliciter, & omnibus modis præveniens antecedit. Idemque dicendum de actibus voluntatis. Non enim voluntas est magis fortis ad amandum, bonum supernaturale, quam intellectus ad illud

illud cognoscendum; immò est multò debilior propter repugnantiam, & propensionem maximam ad bona sensibilia, & concupiscentia 1.2.q.109.art.3.& constat ex D.Augustino ad Vitalem illis verbis; *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*. Nam qui potestatem diligendi finem perdidit, non potest retinere virtutem ad diligendum media: cum ergo bonum quodvis supernaturale medium sit ad Deum consequendum, planè sequitur, ut homo impotens amare Deum, sufficiens non sit ad amandum bonum aliquod supernaturale: ergo si intellectus ex se sufficiens non est ad cogitandum, aliquid pium, & religiosum, habetque ex solo Deo ad hoc sufficientiam, à fortiori voluntas nullam ex se habet sufficientiam ad amorem boni supernaturalis, & cum illam habet, ex Deo habet.

39. Etiam auxilia ista dant sufficientiam potentiis, quas afficiunt ad actus perfectos, & deliberatos, quales requiruntur, ut vel infideles, vel peccatores se ultimò ad justificationem disponant: quia ultima dispositio ad justificationem hos actus includit, videlicet ex parte intellectus iudicium deliberatum, quo voluntati convenientiam objecti proponat; & ex parte voluntatis consensum perfectè liberum, quo acceptet, & prosequatur bonum sibi ab intellectu propositum: ad quos actus eliciendos neutra potentia ex se est sufficiens, ac proinde requiritur auxilium conferens sufficientiam, ut docet Tridentinum sess.6. cap.5. *Neque tamen sine gratia Dei movere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit*: ergo illam tribuit auxilium gratiæ prævenientis, & excitantis. Patet consequentia: tum, quia in homine infideli, aut peccatore, cum non sit gratia sanctificans, nec virtutes supernaturales, non est aliud principium, unde sufficientia possit provenire, quam misericordia ipsa præveniens: tum, quia actus isti in substantiali, ut ita loquar, difficultate, actus illos priores, sive præcedentes necessarios non excedunt, cum omnes supernaturales sint; & possit unum, & idem gratiæ auxilium principiari modò actum necessarium, modò liberum, sola dispositione subjecti variata.

40. Secunda pars Conclusionis, quòd auxilia ista applicant, & determinant intellectum, & voluntatem ad actus salutare, probatur. Et quidem, quòd determinant intellectum ad illam sanctam cogitationem, manifestum est ex eo, quòd ad talis cogitationis existentiam non sufficit, quòd potentia constituta fuerit in actu primo proximè completo ad productionem sui actus; à potentia enim ad actum non est bona consequentia, ut Augustinus arguit de Grat. Christi cap.10. sed requiritur insuper, quòd potentia applicetur, & determinetur ad elicientiam actus: sed intellectus, quantumvis potens suppona-

tur, non potest se ipsum applicare, & determinare, quia est potentia naturalis, & illius elicientia cogitationis per modum naturæ operatur: nec potest applicari, aut determinari à voluntate; tum, quia illa sancta cogitatio est prior absolutè omni actu supernaturali voluntatis; tum, quia voluntas non applicat intellectum ad cogitationes purè necessarias, qualis est illa sancta cogitatio: ergo applicatio, & determinatio intellectus ad elicientiam illius cogitationis debet intellectui adesse ab extrinseco; & cum illa cogitatio sit initium, ac principium totius justificationis, aut fidei, ab alio esse non potest, quam à Deo, qui medio suo auxilio prædeterminante movet hominem ad iustitiam.

41. Et certè, quòd voluntas, etiam supposita boni supernaturalis cognitione, egeat adhuc viribus ad amandum bonum, quod agnovit conveniens, certius est, quam ut deberet in dubium revocari; cum in opposita affirmatione tota videatur stare Pelagiana Hæresis. Unde S. Augustinus supra relatus de Grat. Christi cap.10. postquam in illa verba prorupit: *Sed nos eam gratiam nolumus, explicans, quam ipse velit, gratiam, statim adiecit: Istam aliquando fateatur Pelagius, quæ futura gloriæ magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur, & speratur, non solum revelatur sapientia, verum etiam & amatur, nec suadetur solum omne, quod bonum est, verum & persuadetur*: apertissimè docens, ultra gratiam, quæ dat sufficientiam intellectui ad percipiendum, & prædicè proponendum bonum supernaturale voluntati, aliam requiri gratiam, quæ ad illud prosequendum præstat sufficientiam voluntati: Quod S.Doctor probat argumento sumpto à revelationibus Apostoli, quæ illi certè non sufficiebant, sed gratia alia ipsi erat necessaria; quapropter ibidem cap.12. loquens de gratia, quæ præstat sufficientiam voluntati, clarissimè ait: *Quia gratia agimur, non solum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus, nec solum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus*.

42. Est frequens doctrina ista apud Divum Augustinum, & præsertim de dono perseverent cap.19. ubi relatis, atque laudatis SS.Cypriano, Ambrosio, & Gregorio Nazianzeno sic habet: *Isti tales, tantique Doctores dicentes non esse aliquid, de quo tanquam de nostro, quod Deus nobis non dederit, gloriemur: nec ipsum cor nostrum, & cogitationes nostras esse in potestate nostra: & totum dantes Deo, atque ab ipso nos accipere consentientes, ut permansuri convertamur ad eum, ut id, quod bonum est, nobis quoque videatur bonum, & quod velimus illud, ut honoremus Deum, & recipiamus Christum, ut ex indevotis efficiamur devoti, & religiosi, ut in ipsam Trinitatem credamus, & confiteamur etiam voce, quod credimus: hæc utique gratia Dei tribuunt, Dei munera agnoscunt, ab ipso nobis, non à nobis esse testantur*.

Hæc

Hæc ibi. Modò interrogo, an ille, qui accipit à Deo gratiam prævenientem intellectum, habeat etiam ex illa sola sufficientiam ad amandum? Et ulterius, an ille, qui accipit à Deo facultatem, & sufficientiam ad cognitionem, & amorem supernaturalem, applicetur, & determinetur à se ipso ad elicientiam talium actuum? Quod certè non stat cum Augustini dictis.

43. Diximus in titulo: *Sive illud auxilium excitans sit simul applicans ad actus indeliberatos, sive non*. Est namque apud Thomistas non levis dissensio. M. Bolivar. tract. de merito. Christi dub.2. §.5. asserit ultra auxilium elevans voluntatem ad subitam affectionem, sicut & intellectum ad sanctam cogitationem requiri aliud auxilium applicans tam intellectum, quam voluntatem ad proprios actus. Sic expressè ibi num.33. assignans rationem, quare auxilium dans possit ad actum supernaturalem non possit se ipso connecti cum actu, aut secum identificare prædeterminationem ad illum; videlicet, *Quia se renet ex parte potentia, ipsamque constituit dominam actus supernaturalis: quapropter in exercitio hujus domini debet à Deo, & ejus dispositione libera proximè & formaliter dependere; quod non fieret, si connecteretur cum actu, cum non posset dimoveri à tali exercitio, utpotè habens possit ad ipsum ratione auxilii essentialiter cum ipso connexi*. Sicut ergo implicatoria est potentia creata necessariò cum actu connexa, quæ ex suppositione suæ existentia non subdatur Dei dominio, ita & repugnat auxilium præbens virtutem intellectui, quod non sit Deo immediatè subordinatum, ut revera non esset, si poneretur necessariò connexum cum sancta cogitatione. Quomodò namque dici potest esse sub immediato dominio Dei, quod in se ipso à Deo negari non potest; vel id, cujus ommissio, supposita sufficientia, esset omninò impossibilis respectu Dei? sed posito illo auxilio sufficienti connexo cum sancta cogitatione, hæc non potest immediatè, & in se ipsa negari à Deo, sed solum denegando virtutem intellectui ad illius elicientiam: ergò non est immediatè subdita Deo, quod est contra rationem domini secundi essentialiter subordinati dominio Dei.

44. Mag. Lemos tom.4. lib.4. p.1. tract.7. cap.5. affirmat auxilium gratiæ excitantis esse simul sufficiens, & efficax, vel prædeterminans ad sanctam cogitationem, ad quam excitat, ita ut motio ista virtuosa quatenus dat sufficientiam sit virtus, quatenus verò applicat, & determinat intellectum ad ejus elicientiam est efficax motio, quæ solum determinat quoad exercitium, ut revera determinat intellectum auxilium illud. Est namque prima gratia præveniens talis, inquit ille num.69. *ut infallibiliter quoad exercitium faciat intellectum, & voluntatem illos elicere actus indeliberatos, cujus rationem reddit n.70. Si namque posita illa priori præveniente,*

gratia, qua Deus effectivè voluntatem excitat, non statim inseparabiliter sequeretur, voluntatem habere actum indeliberatum ex vi, & efficacia illius prioris impulsus, utique voluntas non esset excitata in se ipsa quoad exercitium; cum in se ipsa per suum actum excitetur, & ex consequenti prima illa effectiva excitatio non esset excitatio quoad exercitium, sed penitus frustranea. Igitur necesse est dicere, sicut communiter à Theologis publicatur, impossibile esse, quòd illa omnium prima præveniens excitatio effectiva in intellectu, & voluntate ponatur, quin utraque ista potentia statim actus suos indeliberatos producant, quibus formaliter excitentur. Hæc ibi M. Lemos, cujus asserit aliam rationem assignat cap.7. n.100. ubi cum sibi sequens proposuisset argumentum: *Quòd si dicatur, esse quidem inconveniens, ponere tantum, & præcisè illam qualitatem transeuntem, non autem esse inconveniens ponere illam elevantem potentias, & insuper aliam Divinam motionem moventem potentias sic actuatas per illam qualitatem ad agendum*: respondet. *Ad hoc dicendum frustra fieri per plura, quæ possunt fieri per pauciora*: cum ergo una actione, seu motione possit Deus totum efficere, quod est necessarium, ut potentia nostræ illas supernaturales operationes efficiant, frustra multiplicentur actiones duæ. Sicut ergo Sanctus Thomas docet, quòd Deus una infusione gratiæ omnia perficit necessaria ad justificationem, nec ibi duplex actio Divina intervenit, ita una motione omnia perficit Deus, quæ necessaria sunt, ut potentia nostræ supernaturaliter operentur, nec nisi ex superfluo duæ Divinæ, & distinctæ actiones possunt multiplicari. Hanc eandem doctrinam applicat motiioni virtuosæ, per quam Deus elevat Sacramenta ad productionem gratiæ. Et eodem modo discurret de lumine prophetico, respectu cujus non agnoscit motionem præviam realiter distinctam, & subsecutam ad prædictum lumen. Hanc sententiam defendunt M. Gonet disp.4. de volunt. §.3. Alvarez de auxiliis lib.4. disp.80. M. Ferre tom.3. in 1.2.q.10. §.3. Salman. disp.6. de grat. suffic. dub.1. n.2. Medina 1.2.q.109. art.10. Nazarius 1.p.q.23. art.3. & alii.

45. Utraque sanè sententia probabilis est. Si quis ergo accedat ad posteriorem hunc modum dicendi, reddenda est disparitas inter auxilium, & potentiam cum eodem sapientissimo M. Bolivar loco citato num.33. qui in hanc etiam opinionem, ut probabilem vergit dicens: *Si autem cum aliis Thomistis asseratur posse auxilium dans posse, connecti essentialiter cum actu, seu identificare prædeterminationem ad illum, discurrendum est de ipso quantum ad hoc, sicut de cognitione, & reddenda disparitas inter ipsum, & potentiam: nam auxilium est purum quo, non potentia, sed elevans illam, ut possit operari actum supernaturalem. Quapropter potest ipsi etiam præstare ut operetur, prædeterminando illam ad operationem secundum modum,*

quo

quo objectum ab intellectu proponitur. Accedit, quod auxilium non est ratio constituens voluntatem potentem omittente, quam omissionem potest conjungere cum auxilio ut prestante posse, licet non ut prae-determinante; potestque Deus sic res disponere, ut voluntas conjungat omissionem hujus ejusdem actus cum altero auxilio dante solum posse, quod formaliter esset idem quantum ad munus dantis posse: Deusque praevidens posse facere, quod voluntas praevienta iudicio indifferenti ad actum supernaturalem, illum eliciat; potest utroque modo illud facere; scilicet, vel auxilio praestante posse & praedeterminationem, vel duplici auxilio. Haec sapientissimus iste Magister.

46. Constat ergo maximum, quod reperitur discrimen inter auxilium, & inter potentiam creatam. Haec ratio intrinseca potentialitatis est in potentia ad operandum, & non, operandum: unde debet determinari à Deo, ut salvetur Dei immediatum dominium supra ipsam operationem. Auxilium verò gratiae, cum sit perfectioris actualitatis in agendo potest simul adunare rationem virtutis, & applicationis ad actum. Sic videtur, quod licet implicatoria sit causa creata identificans aliquam terminationem intrinsecam connexam cum sui operatione; possibile tamen est cognitio constituens voluntatem proximè potentem elicere actum liberum, & simul identificans terminationem connexam infallibiliter cum illo, ut constat in visione beata, Christi Domini regulante actus liberos, & simul repraesentante illorum existentiam. Licet ergo Deus non possit negare concursum ad operationem in sensu composito hujus auxilii identicè, & materialiter sumpti, potest tamen illum suspendere in sensu composito illius, ea ratione, quae est formaliter auxilium sufficiens dans virtutem, & sufficientiam constitutivam actus primi. Debet namque in ipso auxilio utraque formalitas distingui sicut & in visione beata distinguitur; & repraesentatio objecti indifferenti ad hoc ut ametur, vel non ametur, sub qua formalitate constituit potestatem liberam ad amorem; & repraesentatio amoris infallibiliter futuri, quae impertinenter se habet ad hoc, ut visio repraesentativa objecti indifferenti constituat potestatem liberam ad amorem talis objecti: ita & in praesenti in signo actus primi non intelligitur hoc auxilium connexam cum operatione, cum sub ista formalitate non constituat, sed quae formaliter est sufficiens. Licet ergo Deus non possit denegare operationem, attento principio non constituyente actum primum, potest tamen denegare, attento principio formali illius, quod sufficit ad immediatum dominium supra operationem.

47. Sed quamvis in sententia ista auxilium excitans sit simul efficax ad actus indeliberatos, minimè implicatur Jansenii erroribus; hic enim negans auxilium sufficiens ab intrinseco non efficax, loquitur respectivè ad actus liberos, unde nullum auxilium suffi-

ciens existimabat conjungibile cum utroque extremo libertatis: quinimò hominem carentem auxilio efficaci ad vitandum peccatum, carere etiam auxilio sufficienti ad illius vitacionem. Ex quo apud ipsum ad peccatum non requirebatur libertas indifferentiæ, sed spontaneitatis, ut superius diximus. At in praesenti non loquimur de actibus liberis, sed de modo, quo Deus ad actus omnino indeliberatos praevient movendo per auxilium, quod sit simul sufficiens, & efficax, in quo minimè laeditur, vel destruitur libertas. Hic mirari satis non possum quomodo Pater Aranda, ex quo auxilium excitans sit simul efficax ad actus indeliberatos, Jansenismi notam, eo solo nomine huic sententiæ inurere cogitat, dum tam magnum, & latum discrimen inter utrumque versetur, quod intellexisset sanè, si, uti par erat, haec cum principiis Jansenii conferre voluisset.

48. At si cui longè magis ardeat primus modus dicendi, qui planior, & communior est, responderetur ad fundamenta Magistri Lemos, distinguendo majore determinat immediatè quoad exercitium nego maj. mediatè seu radicaliter, aut exactivè conced. maj. & sub eadem distinctione minoris neg. conseq. Certum quippe est, quod auxilium elevans intellectum ad sanctam cogitationem connectitur cum illa, unde exigit Dei praedeterminationem ad ejus elicientiam. Ex quo tamen minimè inferri debet identitas auxilii cum concursu praedeterminante. Non enim omne principium necessitans ad actum exigit hujusmodi identitatem cum praedeterminatione ad actum. Constat in cognitione determinata necessitante ad amorem v. g. in visione beata, quae necessitat quoad exercitium ad amorem Dei, quin propter hoc talis cognitio sit motio physicè praedeterminans. Idem constat in cognitione subita proponente appetitui bonum delectabile; in imperio voluntatis moventis ad actus externos; in affectione pia determinante intellectum ad assensum fidei, quae determinant quoad exercitium potentias ad proprios actus, quae tamen etsi connectantur, & exigant concursum praedeterminativum, minimè tamen cum illo identificantur. Nec oppositum inferri potest ex lumine prophetico, aut lumine gloriae transeunter communicato; nam ultra lumen propheticum, & lumen gloriae, transeunter D. Paulo communicatum fuit auxilium efficax realiter superadditum: aliàs sequeretur, quod non possent gratiae gratis datae, sicut prophetia, virtus miraculorum &c. existere pro aliquo tempore in subiecto, quin pro illo existant cum reductione ad actum secundum: quod esse falsissimum constat in Christo Domino, in quo fuit lumen propheticum, & virtus patrativa miraculorum, quin tamen Christus Dominus semper fuerit in actu secundo prophetice cognoscens, & miracula operans. Quae enim repugnantia est, vel esse

po-

potest in eo, quod Deus elevando talem potentiam, conferat ipsi virtutem, & sufficientiam ad cognitionem, quin ipsum praedeterminet ad talem cognitionem. Maximè, dum omnis causa creata petit subordinari in actuali operatione immediatè Deo; dum distinctio utriusque auxilii sufficientis, & efficaci est magis conformis naturis rerum; dum ad oppositum nullum urgens est fundamentum. Ita sanè est, quod non sunt multiplicandae actiones ex parte Dei sine necessitate; sed hic urget necessitas, ut salvetur immediata subordinatio Deo creaturae in operando: falsumque est, quod asseritur, quod Deus unica actione perficit opus justificationis. Unica est actio subjectivè, item terminativè unitate morali, sed physicè terminativè loquendo concursus ex parte Dei diversus. Non enim gratia habitualis, quae non in potentiis animae, sed in anima ipsa residet, potest potentias elevare immediatè, & per se ipsam, sed requiritur motio intrinseca ipsi inhærens, ut reducantur ad actualem operationem. Ex quibus probata manet tertia pars conclusionis posita.

49. Hic pro pleniori hujus primi dubii intelligentia observandum primò, gratiam excitantem, prout includit illustrationem, sanctam intellectus, & piam motionem voluntatis indeliberatam, esse auxilium verè sufficientem, quo voluntas vires sufficientes habet ad consensum salutarem; ita excitatio, & auxilium in nostra potestate non sunt, quia illa dividit idem spiritus singulis prout vult, ut inquit Apostolus 1. ad Cor. 12. 11. quem locum ad propositum nostrum adducit etiam Sanctus Propositor contra Collatorem cap. 14. Spiritus enim ubi vult spirat; excitatio verò, & inspiratione semel in nobis ex gratia Dei existente, est in nostra potestate inspirationem recipere, seu acceptare, consentiendo liberè, & inspirationem abjicere, & resistere, Spiritui Sancto resistendo per dissentium liberum: quod ita eleganter docet Augustinus de spiritu, & littera cap. 34. Visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, & ut credamus, sive extrinsecus per Evangelicas exhortationes, ubi & mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent infirmitatis suae, ut ad gratiam justificantem credendo confugiat; sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem; sed consentire, vel dissentire propriae voluntatis est; & alibi q. 2. ad Simplicianum: Quis potest credere nisi aliqua vocatione tangatur? Quis habet in potestate, tali viso attingi mentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem? Non ergo habemus in potestate, moveri ad fidem, & hanc vocatione, vel illa tangi mentem nostram, sed semel vocati, & inspirati consentire, & moveri ad fidem, propriae voluntatis est, licet non sine adjutorio Dei.

50. Secundò, quod duplex illuminatio datur nobis intrinseca; causalis una, & per

modum actus primi, quae illuminatio Spiritus Sancti consistit in existentia auxilii intrinsecè per modum principii intellectum elevantis ad elicentiam supernae contemplationis, & sanctae cogitationis. Alia formalis, & per modum actus secundi, quae consistit in sancta cogitatione. Illuminatio namque ex terminis, cum sit productio luminis, dum Deus producit in nobis lumen internum, nos illuminat: cum ergo ratio luminis conveniat tam cognitioni, quam principio illius, ut constat in lumine gloriae, in habitu fidei, & habitu scientifico illustrantibus intellectum, hinc fit, quod illuminatio, qua describitur gratia Dei praeviens, debet intelligi cum debita proportione; ita ut gratia simpliciter primò praeviens consistat in auxilio intellectum per modum principii illustrante; gratia verò praeviens non primò simpliciter, sed respectivè ad consensum liberum est intrinseca, illuminatio in actuali cognitione consistens. Et tandem, quod gratia praeviens completè, & integraliter sumpta utramque illuminationem includit, cum ex parte intellectus includat auxilium fluidum elevans ipsum ad sanctam cogitationem, qua excitatur voluntas, cum excitare nequeat ad aliquem affectum, nisi prius proponatur ab intellectu aliqua convenientia.

51. Tertio, quod in nostra sententia salvatur melius, sufficientiam ad actus salutes dari nobis à Deo per gratiam excitantem, cum sit vera pracontentiva virtus in voluntate actus supernaturalis liberi, & efficaci, medio auxilio intrinsecè elevante, ipsam ad subitam affectionem, qua vitaliter excitatur, & disponitur ad consensum liberum. Non enim haec intrinseca virtus pracontentiva actus supernaturalis datur in voluntate ex vi subitae cogitationis existentis in intellectu: tum, quia est ei intrinseca; tum, quia licet ex sancta cogitatione consequatur necessariò, saltè ex natura rei, subita affectio in voluntate; at non in voluntate impropria, aut improporionata; preparatur autem voluntas à Domino: unde ultra requiritur aliud auxilium, ut constat in visione clara Dei, ad quam necessariò consequitur amor, & tamen actus isti proveniunt ex principiis realiter distinctis, & ad diversam lineam pertinentibus. Tum; quia cognitio praeviens voluntatem, licet sit auxilium ipsam movens ad sanctam affectionem, solum movet excitando, & alliciendo, non autem dat vires intrinsecas, ut voluntas prorumpere possit ad affectionem supernaturalem, ad cuius elicentiam solum elevari potest medio aliquo auxilio intrinsecè elevante voluntatem.

52. Et tandem ex dictis inferes, quod cum solum motus vitales intellectus, & voluntatis, sancta nempe cogitatio suasiva boni, & affectio indeliberata inclinans voluntatem ad liberè assentiendum, sint apud A.A.

p

op-

oppositæ sententiæ gratia sufficiens, & nihil aliud assignent distinctum ab hujusmodi actibus; gratia actualis ab ipsis posita tantum, habet pro effectu dirigere, consiliari, & inclinare voluntatem, ut salutariter velit, ex quo efficacissimè contra ipsos argui potest, gratiam actualem minimè præstare vires, & sufficientiam intrinsecam ad actus salutes, cum solum prædicti actus dispositivè, aut moraliter influant in actus salutes: sicut moraliter dispositivè influunt fides in actum charitatis, & visio beata ad amorem Dei, ut docet D. Thomas 1. 2. q. 66. art. 6. Sicut ergo cognitio fidei, & visio beata solum influunt media ostensione, & propositione objecti, ita

eadem influxu objectivo influunt subita cogitatio supernaturalis, mediante objecto, quod proponit, quod ex sui natura nequit influere physicè in sanctam affectionem. Cum ergo ab Authoribus Scholæ Societatis nulla assignetur ratio efficaciter probans efficientiam effectivam, quam Concilia, & SS. PP. concedunt gratiæ excitanti prævenienti in consensum liberum supernaturalem; absolutè debet concedi, quod gratia excitans præveniens adæquatè, & completè involvit præter actus intellectus, & voluntatis aliquod auxilium intrinsecè elevans intellectum, & voluntatem ad illorum elicentiam.

DUBIUM II.

In quo consistat Gratia efficaciter adjuvans, ut ab excitante distincta.

§. I.

Quibusdam præsuppositis explicatur qualis sit apud Adversarios Gratia adjuvans.

Cum disceptatur de aliquo argumento, firma, & inconcussa stabilire debeat principia, ne in incertum prodeat resolutio, ut Doctrinæ Thomisticæ circa gratiam adjuvantem firmamentum, & robur cognoscatur, certa ab incertis, & ea, in quibus convenimus cum Authoribus contrariis seponenda sunt. Et primò quidem convenimus, & supponimus, dari veram gratiam adjuvantem, cujus meminit Scriptura Psal. 78. *Adjuva nos Deus salutaris noster. . . adiutor meus esto.* Psal. 118. *Adjuva me, & salvus ero.* Ad Rom. 8. *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.* Et quam definit Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati Divina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum.* Si ergo gratia adjuvans universaliter accipiatur pro quocumque adiutorio, ut certum etiam supponi debet, quod sub nomine gratiæ adjuvantis comprehenditur gratia excitans, prout dicit tam ex parte intellectus illuminationem suadentem liberum consensum voluntatis, & prout ex parte voluntatis dicit subitam affectionem, sicut illam vocat D. Augustinus de Peccator. merit. cap. 18. dicens: *Quod autem appareat homini, quod antea latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates.* Ipsa namque homo disponitur, & inclinatur ad salutariter operandum; adjuvat insufficientiam, & infirmitatem nostram, dum per illuminationem Spiritus Sancti auferitur ab intellectu ignorantia, & per sanctam affectionem à voluntate infirmitas. Hinc sub

eadem generalitate gratiæ adjuvantis constituitur omne principium elevans hominem ad salutariter operandum, radicans operationes supernaturales, & vi cujus opera nostra redduntur de condigno meritoria vitæ æternæ. Sic gratiam habitualement adjuvantem vocat Concilium Milevitanum 2. can. 3. Et D. Thomas 1. 2. q. 110. art. 2. Et q. 111. art. 2. sicut & habitus infusos appellat adiutoria Dei 1. p. q. 23. art. 8. quia nempe dant virtutem, & sufficientiam ad supernaturaliter operandum.

2. Convenimus secundo, & supponimus, gratiam adjuvantem strictè talem distingui ab excitante aliqua vera distinctione. Potest namque præparari, & de facto præparatur à Deo voluntas media gratia excitante, quin Deus adjuvet præparatam. Non enim ex hoc ipso, quod præparatur voluntas media gratia excitante, adjuvat hominem, ut faciat, quod jubet, vel ipsi dat, quod jubet, cum multoties conferatur gratia excitans absque tali operatione, quæ connectitur cum adjuvante, immò possibile est resistentia ex parte hominis. Hoc ut certissimum supponi debet ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 5. & 6. definiente *Homines converti ad Deum, dum per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam liberè moventur in ipsum.* Quibus verbis exprimit veram distinctionem inter utramque gratiam, & cujus meminit D. Augustinus lib. 2. de pecc. merit. cap. 18. *Quod ad Deum nos converti, nisi ipso excitante, atque adjuvante non possumus.* Et D. Bernardus lib. de grat. & liber. arbitr. eam distinctionem probat, docens, *Quod conatus nostri ad bonum & casti sunt, si gratia non adjuvantur, & nulli si non excitentur.* In quibus testimoniis habetur, quod si gratia excitante præparatur voluntas, Deusque dat homini per illam posse agere, gratia tamen strictè adjuvans est, quæ non datur homini nisi ut velit, & operetur: dicente Augustino lib. de

de grat. & liber. arbitr. cap. 15. *Cum Deus adjuvat hominem, ut faciat, quod jubet, dat quod jubet.* Et tract. 4. in 1. Epist. Joannis: *Quomodo juvaris, si nihil agis?* Et lib. 2. de pecc. merit. cap. 5. *Nec adjuvari potest, nisi qui aliquid spontè conatur.* Et ferm. 13. de verb. Apostoli: *Spiritus Dei, qui te agit, agentibus adiutor est. Ipsum nomen adiutorii præscribit tibi, quia tu ipse aliquid agis:* quæ sanè convincunt, hominem cooperari gratiæ Dei adjuvanti. Si ergo compossibilis est defectus operationis cum gratia excitante exercitè, & in actu secundo, quæ resistentia non datur respectu gratiæ efficaciter adjuvantis, maxima sanè datur diversitas inter gratiam excitantem, & gratiam adjuvantem strictè talem: quæ sanè non est solum penes diversa munia ejusdem gratiæ, ut asserit P. Marin de liber. arbitr. disp. 1. sect. 4. n. 50. fess. 6. n. 58. & communiter scientiæ mediæ defensores. Etenim Deo non solum in actu primo excitanti, sed exercitè, & in actu secundo ad salutarem consensum homo resistere potest; dum nempe actu tangit cor hominis, dum actu suadet, dum actu per piam affectionem ad amorem, inclinatur, dum actu vocat, dum homo in actu secundo percipit, & experitur se ad liberum consensum excitari à Deo: clariùs; dum sancta cogitatio, & affectio reddunt hominem excitatum à Deo: si ergo huic gratiæ in actu secundo sic excitanti, homo resistere potest, & de facto resistit, ut est fide certum, gratia excitans non præcisè secundum diversa munia, sed realiter debet esse distincta à gratia adjuvante. Aliud namque est, gratiam in actu secundo excitare ad consensum, aliud voluntatem in actu secundo consentire: Primum dicit sanctam cogitationem, & subitam affectionem, quibus in actu secundo voluntas est excitata: Secundum verò nominat liberum consensum voluntatis, qui liber consensus est realiter separabilis ab illa actuali, & exercita in actu secundo excitatione gratiæ excitantis.

3. Convenimus tertio, & supponi debet, quod si datur gratia adjuvans præveniens, non potest negari efficacia prævenientis gratiæ, ut venit à Deo, independenter à nostra cooperatione arbitrii, & auxilium physicè prædeterminans: adeò enim hoc est manifestum, ut aliquando, teste M. Lemos, Authores oppositi sponte consenserint, quod si adjuvans gratia, qua ratione distinguitur ab excitante, convinceretur esse præveniens, efficacia auxilii prævenientis gratiæ, prout venit à Deo, debet concedi. Et meritò: Si enim datur gratia, qua Deus adjuvet voluntatem, quæ sit præveniens consensum, & distincta à gratia excitante, erit physicè prædeterminans; conjungeretur namque cum consensu voluntatis, cum consentiret voluntas adjuvata à Deo. Vel aliàs: hoc adiutorium, utpote distinctum à gratia excitante, non efficeret consensum purè moraliter, quia omnis suasio, & inspiratio moralis ad gratiam excitantem spectat: Ergo si aliàs prævenit ipsum consensum, erit gratia, non moraliter, sed physicè prædeterminans ad consensum. Tota ergo stat difficultas, an talis gratia adjuvans, ut distincta ab excitante, sit præveniens, & physicè influens in consensum? Cui difficultati nec veriùs, nec clariùs responderi potest, quàm propria eorum, cum quibus agitur disputatio, asserta proponendo sub eisdem terminis, nè in re tanta ipsis quid imponere existimemur; & ut melius utriusque Scholæ opinionum cognoscatur diversitas. P. Molina in concord. q. 11. art. 13. disp. 39. *S. Verum multa, sic habet ad verbum: In primis non video, præter auxilium particulare gratiæ prævenientis, & concursum Dei generalem, necessarium esse auxilium aliud particulare gratiæ, ut liberum arbitrium aliquem illorum actuum possit elicere. Etenim illa tria unam integram, & sufficientem causam illorum complere videntur, ut disp. 37. satis à nobis explicatum est: quare, est Deus quodcumque aliud auxilium denegaret, ex illis solis sequeretur effectus.* Ità P. Molina, qui ut sententiam suam explicaret magis S. immediatè sequenti talia subjunxit: *Deinde falsum omnino videtur, & discrepans à dictis PP. & Concilio Tridentino locis citatis asserere, gratiam coadjuvantem distinctam esse à gratia præveniente, & excitante. Illa enim eadem gratia, quæ liberum arbitrium prævenit, & excitat ad actus, quibus se ad justificationem disponit, dicitur cooperans, si arbitrium cum ea consentiat, atque simul pro sua libertate influat. Quod ut confirmaret magis, iterum addit: Non ergo sunt distinctæ gratiæ præveniens, (scilicet sufficienter, aut excitanter) & cooperans, atque adjuvans, sed una, & eadem, quæ spectata antequam liberum arbitrium cum ea cooperetur, eliciatque actum liberum, per quem ad justificationem disponatur, dicitur præveniens: Spectata verò, prout cooperante jam cum illa libero arbitrio, ipsa etiam cooperatur, & influat in eundem actum, dicitur cooperans, & adjuvans.* Ità ibi S. Deinde. Et rursus disp. 20. quæ aliàs solet esse 38. idem profequitur asserens: *Ex dictis colligitur facile unam, & eandem numero gratiam, quatenus excitat, allicit, & invitat arbitrium nostrum ad actus credendi, sperandi, diligendi, aut penitendi, appellari prævenientem, ac excitantem, eoque consideratione prævenire arbitrium nostrum ad hujusmodi actus: quatenus verò consentiente jam nostro arbitrio, & cooperante actus, ad quos illa invitat, & allicit, ipsa quoque novo influxu, & actione cooperatur eosdem actus, appellari adjuvantem, ac cooperantem gratiam.* Hæc ibi. Et in eadem disp. 20. S. *Hinc patet, horum rationem reddens, inquit: Ratio verò horum est, quoniam licet gratia præveniens, quæ præveniens est, antecedit consensum nostri arbitrii, & cooperationem ipsius ad actus credendi, sperandi, diligendi, & penitendi, quibus ad Deum convertimur, influxus tamen, & cooperatio ejusdem gratiæ cum nostro arbitrio ad*

eisdem actus, à quo gratia præveniens rationem sortitur gratiæ cooperantis, non antecedit liberum nostrum consensum, & cooperationem ad nostram conversionem, sed concomitatur, & ab ea pendet non secus, atque concursus habituum virtutum ad nostras operationes pendet à cooperatione ipsarum potentiarum, ut supra fuit explicatum: id quod in causa est, ut habitibus utamur ad nostras operationes, quando pro arbitrio nostro volumus operari, eisque non utamur, quando ab operatione pro eodem arbitrio cessare volumus. Ita P. Molina.

4. Sententiam istam tenent præcipui Societatis AA. P. Suarez lib. 3. opusc. cap. 5. n. 4. §. Habemus, ita loquens: Non operatur autem Deus in nobis initium salutis, nisi per excitantem gratiam; ut ex Concilio Tridentino supra ostendimus. Est ergo idem motus operantis, & excitantis gratiæ, & consequenter idem erit etiam cooperantis, & adjuvantis. Denique ratio etiam horum nominum ex eodem loco colligitur; & quidem denominatio cooperantis gratiæ per se notissima est, & aptissima quadrat in gratiam adjuvantem, quæ studiis cooperatur humanis, ut rectè Ambrosius dixit lib. 2. in Lucam. Et, quod valde notandum est, indicatur in illa voce quædam simultanea conjunctio voluntatis, & gratiæ adjuvantis ad eundem actum, vel actionem, ad quam mutuo cooperari dicuntur, ita ut sub ea ratione neutra alteram antecedit, vel impellat, sed solum simul operentur. Verba sunt P. Suarez, qui in iisdem persistit omnino in eodem capite §. Quo fit, atque in eodem lib. cap. 2. §. Sed apud.

5. Sentit cum his P. Vasquez 1. p. q. 23. disp. 88. cap. 9. §. Quarto denique, Ubi postquam de gratia excitante locutus fuerat, in hunc subjicit modum: Secunda verò gratia dicitur adjuvans, quæ jam ab eo incipit momento, quo quis aperit ostium cordis sui, & excitatus à somno, vocanti liberè responder. Et §. Item observandum in eodem cap. addit: Observandum igitur est eandem vocationem, & cogitationem sanctam, & subitum primum motum voluntatis dici gratiam operantem, & prævenientem, & cooperantem, & concomitantem; eandem, inquam, diverso modo consideratam; nam quatenus consensum nostrum antecedit, est operans, & præveniens, quatenus verò permanens in nobis efficit consensum nobiscum, est cooperans, & concomitans. Ita P. Vasquez, à quo non dissentit P. Valentia dicens l. 2. disp. 8. p. 3. de divis. gratiæ, punct. 3. §. Gratia autem, ibi: Gratiam autem adjuvantem appellant Deidona, & beneficia, quibus Deus hominem divinæ vocationi, & excitationi consentientem adjuvat, tum in eo ipso, quod consentit, & convertitur, tum in aliis actionibus pietatis.

6. P. Ripalda tom. 2. de ente supernaturali disp. 112. sect. 1. in num. 4. explicans discrimina, quæ Theologi assignant communiter inter gratiam excitantem, & adjuvantem, sic dicit: Porro inter gratiam excitantem, & adjuvantem hæc sunt apud Theologos constan-

tia discrimina. Primum, quod gratia adjuvans nunquam est sine prævio munere gratiæ excitantis, excitans autem possit esse non completo munere adjuvantis: nam gratia adjuvante perficimus id, ad quod vocante, & excitante gratia invitamur, juxta illud Augustini in Enchir. cap. 32. Deus hominis voluntatem & preparat adjuvandam, & adjuvat præparatam. Secundum discrimen est, quod gratia excitans talis existit à concursu morali in opus; adjuvans verò concursum physicum non excludit: excitare enim non est aliud, quam illustratione, & affectione suadere, & invitare ad pietatis opus. Unde tertium est, quod gratia excitans explet suum munus; etiam si opus morale non fiat: adjuvans verò sine concursu, & influxu voluntatis suum munus non explet. Nam sæpè excitatur voluntas, quin gratiæ excitanti consentiat: nunquam tamen adjuvatur ad opus sine concursu ipsius voluntatis. Quartum denique est, quod gratia excitans explet munus suum in nobis sine nobis: adjuvans verò nobiscum, nempe quia excitari, & vocari à Deo, in nostra libera potestate institutum non est, ut constitutum est adjuvari ad liberum consensum.

7. P. Marin tract. 8. de liber. arbitr. disp. 1. sect. 5. n. 55. asserit: Nostris Auctores dicunt è contra, in rectè operante non dari aliam gratiam adjuvantem præter gratiam constituentem posse, sive hæc gratia constituens posse consistat in actu vitali, ut verius diximus; sive consistat in qualitate mortua, ut dicunt Thomistæ communiter, & aliqui ex nostris. Certè mortuam non eam dicunt Thomistæ, licet dicant formaliter non vitalem; hoc enim secundum solum dicit, non esse actionem, per quam vivimus; esse autem mortuam excluderet etiam principium vitæ ex participatione vitæ Dei. Quare nec gratia habitualis, nec habitus infusi, vel acquisiti mortui dicuntur, quamvis eis formaliter non vivamus. Et addit num. 58. & Dico cum nostris: Gratia adjuvans, & cooperans juxta mentem Conciliorum non est distincta à gratia suadente, & excitante.

8. Auctores isti in tribus sibi uniformiter consentire videntur: primò, quia omnes illi asserunt, gratiam adjuvantem esse realiter distinctam à gratia præveniente, & excitante: cumque gratiam excitantem, & prævenientem in sanctis cogitationibus, & piis affectibus omnes constituent, in illis consequenter constituere tenentur gratiam adjuvantem, quæ nihil addit in actu secundo supra gratiam excitantem nisi consensum liberum creaturæ. Secundò consentiunt in eo, quod gratia adjuvans formaliter sumpta non præcedit consensum liberum voluntatis. Cum enim gratia adjuvans sub adjuvantis munere connexa sit cum consensu libero, ut ipsi fatentur, si hæc præcederet consensum liberum, tenerentur admittere gratiam prævenientem connexam cum consensu. Tertio affirmant, nullum esse gratiæ adjuvantis influxum non subditum voluntati; ad quod ex-

ratione facta compelluntur, nam tenerentur admittere aliquid cum actu libero connexum, cujus existentia non esset in arbitrii potestate. E contra verò Thomistæ minimè in controversia ista dubitant, gratiam Dei excitantem esse realiter distinctam ab adjuvante, ipsam esse prævenientem, ejusque influxum non esse nostræ potestati subiectum.

§. II.

Gratia excitans est realiter distincta ab adjuvante.

9. Hæc conclusio probatur primò: quia si gratia adjuvans non est alia à gratia præveniente, & excitante, cum hanc firmissimè statuunt adversarii, adæquatè consistere in sanctis cogitationibus, & subitibus motibus voluntatis, inevitabiliter sequitur, Deum non alio modo posse movere voluntatem ad consensum liberum, quam motione morali, ac metaphorica; etenim sancta cogitatio solum movet proponendo objecti convenientiam, quæ ut superius diximus, non est motio effectiva verè, ac propriè, sed metaphorice, & verius dicitur motio moralis, ut docet ipse P. Suarez lib. 3. opusc. cap. 5. n. 10. Denique tota hæc causalitas reducitur ad motionem finis, quæ metaphorica est; nam per hanc gratiam excitantem fit, ut objectum, quod amandum proponitur, honestius, & amore dignius appareat, & quod timendum horribilius, quod odio habendum turpius, & sic de cæteris. Ubi gratiæ excitanti, & prævenienti negat causalitatem effectivam in consensum salutarem, & solum tribuit causalitatem moralem, quæ eidem ipsi idem sonat, ac metaphorica, quod & fatetur P. Ripalda loco citato sequentibus verbis: Secundum discrimen est, quod gratia excitans talis existit à concursu morali in opus; quod quidem falsissimum est: primò quia negari nequit gratiæ Dei adjuvantem influxum physicum verus in consensum salutarem; hic enim clarissimè habetur in Concilio Milevitano 2. can. 4. Si quis dixerit, eandem gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantum nos adjuvare, quia per ipsam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam præstari nobis, ut, quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit. Et in Concilio Araucano 2. can. 4. Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem, ut etiam purgari velimus, per Spiritum Sancti infusionem, & operationem in nobis fieri constetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti; preparatur voluntas à Domino, & Apostolo salubriter prædicanti; Deus est qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate. Et Can. 16. Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, co-

nantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus, nobis misericordiam dicit conferri divinitus; non autem, ut credamus, velimus; vel hæc omnia sicut oportet, agere valeamus per infusionem, & inspirationem Sancti Spiritus fieri constetur &c. Resistit Apostolo dicenti, quid habes, quod non accepisti? In quibus fidei sanctionibus clarissimè proponitur physicus gratiæ influxus in opus salutarem, immò & assignatur à Concilio ratio hujus physici influxus: quia nempe resisteret Apostolo dicenti, quid habes, quod non accepisti; sibi enim, & non gratiæ posset justè tribuere consensum salutarem cum gratia, excitante factum; potiusque ex ipso, quam ex Dei gratia defumeretur. Gratia namque excitans constituens libertatem ex se est indifferens & communis consentienti, & non consentienti: sed consentiens habet consentire præ non consentire, ex quo determinatur ad consensum præ non consensu, quæ determinatio non defumetur ex gratia, quæ non prævenit determinando, sed ex arbitrio, quod determinat ipsam gratiam: ergò potius consensus, licet non sit sine gratia excitante, debet tribui arbitrio, quam gratiæ. Aliud namque est, consensum salutarem existere cum gratia excitante; aliud verò, quod existentia talis consensus tribuatur gratiæ, & defumatur ex ipsa; fatemur existentiam salutaris consensus posita illorum opinione fieri cum gratia, & non posse fieri sine illa; at defumi nequit ex gratia, sed ex voluntate libera consentientis: nequit enim defumi ab eo, in quo unum convenit cum alio, & gratia, quæ prævenit excitando est gratia consentienti, & non consentienti vocationi: ergò cum ex ipsa non determinetur consentiens ad consensum, existentia salutaris consensus potius reduci deberet in arbitrium, quam in gratiam: ergò in homine esset sufficiens causa elationis adversus alterum, & in quo gloriari posset, cum potius defumatur ex ipso, quam ex Dei gratia discretio, quod ab sit.

10. Secundò, quia admissò solum ex parte gratiæ concursu morali, sequitur non posse Deum alio movere modo voluntatem creatam ad consensum liberum salutarem, quam illum movere posset Dæmon ad consensum turpem, & peccaminosum, vel Angelus bonus ad bonum, quod est penitus incredibile; cum incredibile sit, Deum in cordibus nostris non plus posse, quam Dæmonem: atque juxta D. Augustinum potestas, qua Deus operatur in cordibus nostris mirabilis, & ineffabilis sit ut docet de gratia Christi cap. 24. Legant ergo, & intelligant, intueantur, atque fateantur, non lege, atque doctrina insonante forinsecus, sed interna, atque occulta, mirabili, atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates: quæ potestas mirabilis & ineffabilis non esset, si est communis Deo, & An-

& Angelis. Debet ergo diversus assignari modus, quo Deus voluntatem creatam movet ad consensum salutarem, à modo illo, quo Dæmon movere potest ad consensum turpem, vel Angelus bonus ad consensum honestum, qui in modo isto dicendi assignari minimè potest: undè sequelam de plano admittit P. Suarez, qui lib. 3. opusc. cap. 11. explicans illud Joannis 6. *Nemo potest venire ad me; nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, sic habet num. 7. §. *Hæc autem: Item sicut in scriptura dicitur Deus trahere ad bonum, ita Dæmon ad malum Apocalip. 12. traherat secum tertiam partem stellarum, non physica prædeterminatione, sed suasionem; quod amplius explicuerat cap. 10. n. 5. dicens: Item ad actus malos potest Dæmon tam vehementer inducere hominem suasionibus illis, & suggestionibus, ut nisi gratia Dei juvetur, moraliter non possit sese continere, quin consentiat: ergo multò magis potest Deus suâ excitante gratiâ ita inclinare hominem, & affectus ejus inclinare, & accendere, ut moraliter eum ad consentiendum trahat, & determinet.* Ecce non admittitur alia potestas in Deo ad movendum corda hominum in bonum, quàm sit Dæmonis potestas ad movendum in malum. Quæ doctrina communis est Societatis Auctoribus, quos refert M. Lemos tom. 1. tract. 6. pag. 152. §. *Tota causalitas.* Scire autem vellem, quomodo multò magis possit Deus. Nam, cum juxta ipsos tam Deus, quàm Dæmon moraliter tantùm moveant, tota differentia erit accidentaliter in eodem genere motionis, nulla essentiali momentum diversitate: ita ut nec magis det Deus opus bonum, quàm Dæmon malum, quantum ad formalem dantis rationem; quod, an piè dici possit, judicent ipsi; nemo tamen opinor, asserere audebit.

11. Sed profectò negata gratia physicè adjuvante, ita esse tenendum ratio facta demonstrat. Nam etsi Deus possit immittere intellectui nostro cogitationem sanctam omninò determinatam, & objectum sine aliqua indifferentia representantem; quam fortè cogitationem ad malum ita determinatam Dæmon excitare non potest; non tamen per illam valet proximè movere ad consensum liberum; quia libertas non stat cum judicio necessario, & determinato in proponendo; ac proinde si vult Deus consensum absolute liberum à voluntate creata obtinere, uti debet judicio indifferenti, & cogitatione non omninò ad unum determinata; at modus iste inclinandi, & obtinendi à voluntate consensum liberum non est solius Dei proprius, sed Angelis etiam ex sua natura est possibilis: ergo modo eodem, quò Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, operatur in illis Angelus sive bonus ad bonum, sive malus ad malum. Quod, iterum dico, falsissimum est. Potest quidem Angelus ex parte objecti eam inclinare, ut amabile quoddam, inquit D. Thomas 1. parte

q. 106. art. 2. *& ut manifestans aliqua bona creata. Et per hoc inclinare potest ad amorem creaturæ, vel Dei per modum suadentis. Ex parte verò ipsius potentie voluntas nullo modo moveri potest nisi à Deo.* Cujus dicti profundissimam rationem assignat D. Thomas. Attenduntur ejus verba: *Operatio voluntatis est inclinatio quadam volentis in volitum. Hanc autem inclinationem solus ille immutare potest, qui virtutem volendi creaturæ contulit, sicut & naturalem inclinationem solum illud agens potest mutare, quod potest dare virtutem, quam consequitur inclinatio naturalis.* Quæ ratio D. Thomæ evidenter concludit, Deum posse movere voluntatem ex parte ipsius potentie, quod nullum aliud agens potest efficere. Si enim actus liber est inclinatio actualis volentis in volitum, hæc inclinatio non potest vel dari, vel mutari, nisi ab habente absolutum physicum dominium in ipsam inclinationem habitualement; qui enim potest dare, vel mutare inclinationem actualem, debet necessariò hujusmodi dominium habere in ipsam habitualement inclinationem, per quam dat, vel mutat inclinationem actualem: ergo si solus Deus habet hoc absolutum dominium in ipsam voluntatem, quæ est inclinatio habitualis in bonum, & hoc dominium provenit ex eo, quòd ipse volendi virtutem dederit, sequitur evidenter, solum Deum, & nullum aliud agens posse movere voluntatem ex parte potentie, ac proinde etiam & fateri tenentur, Deum sic movendo voluntatem, immutare inclinationem ejusdem voluntatis, & operationem ipsius, media ipsa voluntate, attingere.

12. Secundò probatur Conclusio ad inconveniens deducendo sententiam oppositam, citra tamen omnem censuram, & eodem spiritu, quo SS. Prosper, & Hilarius ad S. Augustinum retulere ea, quæ in Massiliensibus, doctrina, auctoritate, & virtute alioqui florentibus, difficilia adnotarunt, ut illorum mentem penitus perspicere, à S. Doctore docti, & instituti. Ejus lumen & nunc offerimus. Sic ergo pro veritate diligenter perquirenda, & investiganda, argumentor: constantissimum est apud Theologos, Pelagium interiorem gratiam agnovisse, quæ est sapientie revelatio intellectum illustrans, & suscitans voluntatem, ut faciat bonum, & declinet à malo, ut cum communi Theologorum sententia defendit Illustrissimus Castell de Concord. libert. disp. 3. p. 4. sect. 7. n. 1172. Et invictissimè convincitur tam ex ipsis Pelagii scriptis, quàm ex intelligentia M. P. Augustini. Et primò Pelagius ad cap. 1. Epist. ad Philipp. n. 11. *Cæpit Deus*, inquit, *in vobis opus bonum, doctrinam, sive gratiam scientiæ largiendo.* Et in cap. 8. ad Rom. n. 45. *Infirma est nostra possibilitas, nisi doctrina spiritus adjuvetur.* Et in 1. ad Timotheum: *Gratias ago Deo meo, qui nos talem in æternum docuit charitatem.* Quibus & similibus sententiis docet internam gratiam, dummodo sit tan-

tantùm notio, atque doctrina. Quæ gratia in nullo erat repugnans ipsius systemati, cum ipse solum gratiam negaret, quæ liberum tollere videbatur arbitrium. Et quia, ut acutissimè advertit Augustinus, cum hujusmodi gratia stabat, quod intendebat ipse, homines nimirum ex viribus liberi arbitrii naturalibus justitiam adipisci, & operari: cum enim hæc gratia, quæ cognitionem agendorum, & excitationem, sive ut ipse loquitur, *stupentis voluntatis suscitationem* importat, voluntatem in eodem statu relinquit, quoad vires reales, & physicas, in quo prius erat, sequitur planè, nihil ipsi virium ab hac gratia tribui; atque adeò voluntatem viribus naturalibus, quod gratia ipsi demonstravit, exequi. Aliud namque est gratia interior, aliud verò gratia dans voluntati posse, & superinduens eam virtutem ex alto ad salutariter operandum. Hæc est gratia illa, quæ propriissimè dicitur gratia sufficiens; nempe quæ dat posse completum in ordine supernaturali; non tamen quælibet illuminatio, sed ea, quæ est subjectivum auxilium virtutis Christi, vires voluntati præstat. Nihil enim certius, quàm gratiam sufficientem non sistere in lege, & doctrina; sed gratia interior objectiva succendens intellectum, suadens bonum, & suscitans voluntatem in affectu desiderii Dei, sistebat in lege, & doctrina: ergo quamvis intrinseca, non erat gratia verè sufficiens, sive auxilium illud subjectivum dans posse completum in ordine supernaturali.

13. Hæc constabit magis legenti D. Augustinum lib. de Grat. Christi cap. 7. ubi explicans Pelagii sententiam, & quam Hæreticus admitteret gratiam, sic dicit magnus gratiæ defensor: *Et tanquam explicaturus, quam dicat gratiam, securus adjunxit, dicens; quam nos non, ut tu putas, in lege tantummodo, sed & in Dei esse adjutorio confitemur. Quis non hic desideret, ut ostendat, quam velit intelligi gratiam? Propter hoc enim maxime de illo expectare debemus, ut dicat hoc, quod dicit, non in lege tantummodo se gratiam confiteri. Sed nobis hac expectatione suspensis, quid addiderit, intuemini. Adjuvat enim nos, inquit, Deus per doctrinam, & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis, ne presentibus occupemur, futura demonstrat, dum Diaboli pandit insidias, dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ cælestis illuminat. Deinde sententiam suam quadam velut absolutione concludens, qui hoc dicit, inquit, gratiam tibi videtur negare? An & liberum hominis arbitrium, & Dei gratiam confitetur? Hæc S. Augustinus: quibus positis? Rogo quid minus, magisve de gratia Dei, ejusque Divino adjutorio dixit Pelagius? Admisit certè cogitationes sanctas, quibus alliciamur ad bonum, & retrahamur à malo, in quibus gratiam adjuvantem constituit, indistinctamque à præveniente, & excitante, quam significavit, dum dixit, dum cordis nostri oculos aperit, dum futura demon-*

strat: en illuminatio interna, futurorum, namque demonstratio, non ad sensum, sed intra intellectum exercetur, sicut & multiformis, & ineffabilis gratiæ illuminatio interior fit in cordibus hominum; quæ enim fit per verba Concionatoris, ineffabilis non est, cum fando ab illo conficiatur.

14. Si ergo juxta Adversarios sufficit gratia moraliter dumtaxat præveniens, hoc est illustrans intellectum, illuminans, docens, dans cognitionem, & excitans affectum voluntatis; cum ex cognitione, ut fatetur P. Molina sequatur in voluntate naturaliter, ac necessaria excitatio, motusque indeliberatus, quem Pelagius, *stupentis voluntatis suscitationem*, apud Augustinum nuncupat, sanè hæc gratia moraliter tantùm præveniens, sufficiens erit apud ipsos adjutorium posse ad bonum exhibens, & non solum adjutorium sine quo perseverantes esse non possumus, verum etiam quo, seu per quod perseverantes simus; ergo non alia propugnari ab ipsis videtur gratia, dum tale auctores isti gratiæ adjuvantis constitutum assignant, nisi gratia interna, revelatio sapientie, & stupentis voluntatis suscitatio: quid enim amplius ipsorum doctrina, vel gratia continet? Vel si continet, quare non explicant? Utinam explicassent, absit enim, ut occasionem quæramus injuriæ, qui charitate Christianâ suffragium ab omnibus præstolamur veritati. Gratiam autem illam, sive eo modo explicatam rejicit Augustinus, statim verbis citatis adjungens: *In his omnibus non recessit à commendatione legis, atque doctrinæ, hanc esse adjuvantem gratiam diligenter inculcans, & hoc exequens, quod proposuerat, cum diceret, sed in Dei esse adjutorio confitemur. Denique Dei adjutorium multipliciter insinuandum putavit commemorando doctrinam, & revelationem, & oculorum cordis apertionem, & demonstrationem futurorum, & apertionem diabolicarum insidiarum, & multiformem, & ineffabilem dono gratiæ cælestis illuminationem, ad hoc utique, ut divina præcepta, & promissa discamus. Hoc est ergo gratiam Dei ponere in lege, atque doctrina.* Si ergo Augustinus objicit Pelagio, quòd est Dei gratiam ponere in lege, atque doctrina, ne Adversarius idem objiciatur argumentum, clarè, & distinctè respondeant, in quo stat utriusque opinionis discrimen. Neque enim præsumimus nos asserere, nec suspicari audeamus, discrimen non esse, sed petimus de ejus ratione, & veritate edoceri.

15. Dices forsàn: jure, meritoque reprehendere Augustinum Pelagium; primò, quia illam cognitionem, in qua gratiam adjuvantem constituit, speculativam purè videtur ponere, cum debeat esse practica, & talis, quæ voluntatem alliciat, sollicitetque consensum. Secundò, quia omisit pium, subitumque voluntatis motum ex illa cogitatione exortum, in quo gratia ista completur ita, ut non expectet aliud, quàm determinatio-

tionem voluntatis. Tertio, quia non meminit concurrere Dei simultanei, sine quo non existit consensus, qui est id, quod addit gratia adjuvans in actu secundo supra gratiam excitantem. Nescio, an hæc ab aliquibus respondenda sint; sed mihi non aliud occurrit: unde oportet speciem responsionis, quam præferunt, refellere.

16. Et quidem hæc responsio ex omni capite falsa deprehenditur. Ex primo quidem; nam omnia Pelagii verba, quæ ex S. Augustino audivimus, sine dubio præferunt cognitionem non speculativam, sed practicam. Enim verò cordis nostri oculos aperire, futura nobis demonstrare, ne præsentibus occupemur, Diaboli pandere insidias, minimè referunt cogitationes purè speculativas, sed practicas, quæ alliciant ad bonum, & invitent, atque à malo retrahant, & deterreant. Nec aliter ipsi vim sanctæ cogitationis explicant, ut constat ex P. Molina loco citato dicente: *Ex cognitione verò, & penetratione earum rerum, quæ ad fidem spectant, nempe cum expenditur, quàm dignæ sint, quibus assensus adhibeatur, quantum id expediat, oritur naturaliter in voluntate motus affectionis ad res ita cognitivas, quo allicitur, & quasi invitatur ad imperandum intellectui assensum, quo eis assentiatur.* Cui consonat P. Suarez loco citato dicens: *Denique tota hæc causalitas reducitur ad motionem finis, quæ metaphorica est, nam per hæc gratiam excitantem fit ut objectum, quod amandam proponitur, honestius, & amore dignius appareat, & quod timendum horribilius, quod odio habendum turpius.* Et præterea: nam cognitio practica idem valet, quod cognitio aliquo modo efficax ad inferendum consensum: vel ergo asserunt, cognitionem illam, quam requirunt practicam, non est, cur existimemus fuisse à Pelagio negatam, qui solum negavit auxilia, cum quibus existimavit libertatem non posse componi. Immo Pelagium positivè ejusmodi cognitionem practicam admisit, evidentius est, quàm quod probari indigeat; si enim ex cognitione, & illuminatione, quam ponebat, existimabat procedere Sanctorum opera, quomodo hæc procederent, nisi illa practica esset?

17. Secundò, quòd Pelagius non omiserit primum illum motum voluntatis, & quòd S. Augustinus in illius verbis motum istum à Pelagio agnitum, & concessum viderit, constat, quia illum motum subitum disertis verbis lib. de Grat. Christi cap. 10. Pelagius apud S. Augustinum fatetur. Ibi enim S. Doctor referens sententiam Pelagii, ita dicit: *Et alio quippe loco cum diu asseruisset, non adjutorio Dei, sed ex nobis ipsis in nobis effici voluntatem bonam, opposuit sibi ex Apostoli Epistola questionem, atque ait, & quomodo inquit, stabit illud Apostoli, Deus est enim, qui operatur in*

nobis, & velle, & perficere? Deinde, ut hanc oppositionem veluti solveret, quam videbat dogmati suo vehementer esse contrariam, adjunxit: *Operatur in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos motorum more animalium tantummodo presentia diligentes, futura gloria magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientia in desiderium Dei stupentem suscitatur voluntatem; dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, suadet omne quod bonum est.* Ita Pelagius, Augustino referente, ubi manifestissimè constituitur, non solum sanctas cogitationes, verum & motus subitos voluntatis; Deumque per illam sanctam cogitationem, & pium affectum operari in nobis velle, & perficere opinabatur.

18. Sed num quæro, recessit per confessionem istam Pelagius à suo dogmate? Minimè, respondet S. Augustinus nullo interjectione verbo subjiciens: *Quid manifestius, nihil aliud eum dicere gratiam, quæ Deus in nobis operatur velle, quod bonum est, quam legem, atque doctrinam? In lege namque, & doctrina Sanctorum Scripturarum futura gloria, atque præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam, quod sapientia revelatur, ad doctrinam pertinet, cum suadet omne, quod bonum est. Et si inter docere, & suadere, vel potius exhortari distare aliquid videtur, etiam hoc tamen doctrina generalitate concluditur, quæ quibuscumque sermonibus, vel litteris continetur. Nam & Sancta Scriptura & docent, & exhortantur; & potest esse in docendo, & exhortando etiam hominis operatio.* Hæc ibi; quæ si attentè inspiciantur, evidentè concludunt, gratiam consistentem in sanctis cogitationibus, & illis subitis voluntatis motibus concludi sub gratia legis, atque doctrinæ, pro eo scilicet, quòd motus ille voluntatis, ut dixit Molina, consequitur naturaliter ex cogitationibus indeliberatis, ac proinde cum illis, ut quid distinctum, non connumeratur. Sed notanda est valdè, atque præ omnium oculis habenda sententia Augustini, qui postquam Pelagii gratiam & retulit, & explicuit per verba relata, subdit ipse gratiam istam rejiciens, *sed nos eam gratiam volumus: ergo per gratiam istam fidei non satisficit juxta S. Augustinum.*

19. Nec ex tertio capite magis fulcitur solutio, quia concursum simultaneum nullatenus Pelagius negavit; sed ipsum concessisse apertissimè demonstrant D. Augustinus, & D. Hieronymus: nam quid aliud significavit August. in Enchir. cap. 32. illis verbis? *Si propterea dictum est, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia voluntas hominis sola non implet, cur non è contrario retè dicitur non miserentis est Dei, sed volentis est hominis?* Quippe eodem modo asserbat Pelagius, sibi mutuo Deum, & hominem cooperari, & utrumque simul ad bonum opus concurrere, alioquin S. Augustini ratio, ad

inconveniens Pelagium trahens, nihil evinceret, ut tantisper meditati erit perspicuum; nam ex eo quòd Deus, & homo modo concurrerent eodem, infert, modo eodem, eodemque jure posse opus bonum tribui homini, quo Paulus illud tribuit Deo. Id ipsum monstrant verba S. Hieronymi lib. contra Pelagium in princip. ubi refert, dixisse Pelagium: *Quidquid in me boni habeo, illo suggerente, & adjuvante completo.* Et interroganti Hieronymo: *Quod agis bonum, tuum est, an Dei?* Respondebat ille: *Meum est, & Dei; ut ego operer, ille adjuvat.* Ex quibus, ni fallor, manifestè convincitur, admisit Pelagium concursum simultaneum. Quòd si id expressioribus verbis non constat, causa est, quia de concursu simultaneo non erat disputatio, sed de præveniente dumtaxat: sed & ulterius, quia gratia, si quæ est, consistens in hoc simultaneo concursu, nec apparenter pugnat cum libertate, cum non pugnet cum dominio voluntatis in actu; quomodo namque potest, vel apparenter pugnarè cum hoc dominio, quod ex ipsis terminis subiectum constat esse dominio? Ergo cum Pelagius in, & ex læsione libertatis sua dogmata fundaret, non est credibile, illam negasse gratiam, quæ nec apparenter pugnat cum libertate. Tertio, quia D. Augustinus in lib. illo adversus Pelagium cap. 11. solum intendit adversum ipsum, quòd Deus non adjuvet tantummodo, ut velle, & agere valeamus, sed etiam, quòd adjuvet, ut velimus, & agamus. *Quæ gratia agit, non solum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus; non solum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus.* Quod probat ibi, quia *Deus operatur in nobis non solum posse, sed etiam velle, & perficere, seu operari; operatur enim omnia in omnibus.* Hincque increpat ibi cap. 16. Pelagium asserentem, quòd *loqui possumus Dei est, quòd bene loquimur nostrum est; ex eo, quòd hoc non docet, qui loquitur bene, sed potius inquit: non vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis: quæ omnia intelligi non possunt de concursu simultaneo, cum talis concursus non adjuvet, ut velimus, & agamus; sed fit quo, cum volumus, quod volumus, agimus; nec ipso agitur homo, ut cognita faciat, & ut credita diligat; cum simul sit, & non præveniat velle, facere, & diligere; nec per id Deus operatur in nobis velle, sed nobiscum; nec in nobis loquitur, sed nobiscum; immo potius dicendum, nos facere, secundum istum concursum, in Adversariorum sensu, ut Deus nobiscum operetur, & nobiscum loquatur. Et ratio omnium est, quia concursus simultaneus Dei in actu secundo non est influxus in causam creatam, sed in effectum; nec est ratio ut producat suam operationem, sed quia producit: ergo D. Augustinus solum veram gratiam voluntatem ad liberè consentiendum adjuvantem, verèque influentem in consensum salutarem, &*

quæ sit vera ratio, ut voluntas activè consensus producat, exigebat à Pelagio, minimè tamen concursum simultaneum, quem nusquam negavit ipse, & qui solum improprie vocari potest gratia auxilians.

20. Et sanè mirum quod addit solutio, & docet P. Suarez lib. 3. de auxiliis cap. 16. quòd id, quod gratia adjuvans superaddit supra excitantem, est aliquid realiter distinctum ab illa, nempe influxus in consensum deliberatum voluntatis: ac si actualis influxus in consensum liberum, prout à Deo, posset esse gratia verè auxilians liberum arbitrium ad salutariter operandum, vel illud magnum donum Dei, & speciale adjutorium, ut illud vocat Augustinus lib. de bon. persever. cap. 21. præstans vires applicativas voluntati, & efficientiam exercens respectu illius, ad quod auxiliatur. Quomodo namque talis influxus in consensum liberum, prout à Deo, præcedere valet ipsum consensum? Cum in principiis Adversariorum influxus ille actualis Dei identificetur cum ipso consensu indivisibiliter procedente à Deo, & voluntate creata: si ergo non potest se ipsum præcedere, à fortiori nec se ipsum realiter efficiet; & multò minus præstabit sibi vires ad sui primam existentiam. Secundò, quid magis repugnans, quàm hoc objectum, *auxilium per modum actualis concursus ad consensum, cum quo realiter identificatur?* Quod sub aliis terminis exprimit motionem moventis, non præcedentem prioritate naturæ, & causalitatis motum mobilis. Si ergo per gratiam adjuvantem ita adjuvatur voluntas, ut illam moveat & faciat, quòd voluntas operetur salutarem consensum, quomodo ipse actus potest esse vera motio, aut applicatio ad sui productionem? Ita sanè est, quòd sicut nemo adjuvatur, nisi aliquid agat, ita homo non adjuvatur à Deo, nisi aliquid operetur; sed hoc solum provenit ex infallibili connexionè adjutorii Dei cum operatione, non tamen ex identitate adjutorii Dei cum ista. Sicut nullus intendit efficaciter finem, nisi efficaciter eligat media, quin ex hoc deduci possit, quòd intentio finis est ipsa mediòrum electio. Nullus coronabitur, quin legitimè certaverit, ex quo nequit argui identitas coronæ, & certaminis. Intellectus non assentitur conclusioni, ut deductæ ex præmissis, nisi assentiendo præmissis, quin assensus præmissarum sit ipse assensus conclusionis. Ergo etsi homo non adjuvetur à Deo, nisi operetur, minimè infertur, operationem identificari cum actuali influxu Dei, quæ si identificatur cum ipso, verificaretur, quòd adjuvatur, dum agit, non tamen ideo agit, quia adjuvatur. Cum ergo M. P. Augustinus urgeret Pelagium, ut confiteretur gratiam Dei facientem nos facere, & gratiam adjuvantem, non solum cum voluntas vult, sed ut velit; adstruere debent Adversarii aliquid distinctum ab actu pro constitutivo hujus gratiæ auxiliantis; quod si concedere nolint, argu-
menti

menti facti magna vis erit, quod, quantum capere possumus, pro constitutivo gratiæ adjuvantis, nihil nobis assignent, quod non assignaverit, & confessus fuerit ipse Pelagius.

21. Si iterum reponant, quod, quam maxima potest esse, est utriusque modi dicendi distantia, cum Pelagius nunquam admiserit gratiam intrinsicam entitativè supernaturalem: certè hæc responsio falso nititur principio. Etenim gratia, quam admisit Pelagius erat intrinseca, moraliter excitans voluntatem ad consensum salutarem, & insuper entitativè supernaturalis: erat intrinseca, & moraliter movens, ut diximus ex S. Augustino cap. 7.: *Deus, inquit, adjuvat nos per doctrinam, & revelationem suam, cum cordis nostri oculos aperit; dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat, dum Diaboli pandit insidias, dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ celestis illuminat.* Undè cum gratiam istam internæ cogitationis moventis moraliter voluntatem Deus causet intra intellectum illius, eique inhæreat, ut actio vitalis ab intellectu elicita, gratia, quæ sic est intrinseca intellectui, respectu voluntatis externa est; cum ratione illius voluntas non immutetur, nec veram effectricem viam agendi reponat in voluntate, nec faciat, ut ipsa faciat. Qua ratione vocat ipsam D. Augustinus, *doctrinam insonantem forissecus*, ut dicit cap. 24. contra Pelagium, atque Cœlestium: *Legant ergo, & intelligant, intueantur, & fateantur, non lege, atque doctrina insonante forissecus: quia nimirum estò sit intra intellectum, remanet foris respectu voluntatis: ultra enim motionem moralem, per quam Deus media propositione movet voluntatem creatam, datur & alia motio physica, ut superius ostendimus, qua voluntas quoad exercitium movetur, & physicè immutatur.*

22. Est etiam gratia illa internæ cogitationis movens moraliter voluntatem à Pelagio admittita intrinsicè supernaturalis, ut cum M. Lemos tom. 1. tract. 1. cap. 17. docent eruditissimi Theologi innixi auctoritati S. Augustini de grat. Christi lib. 1. cap. 3. *Nam cum tria constituat, atque distinguat, quibus Divina mandata dicit impleri, possibilitatem, voluntatem, & actionem: possibilitatem scilicet, qua potest homo esse justus: voluntatem, qua vult esse justus: actionem, qua justus est; bonum primum, idest possibilitatem datam conficitur à Creatore naturæ, nec esse in nostra potestate, sed eam nos habere, etiam si nolimus; duo verò reliqua, idest voluntatem, & actionem, nostra esse asserit, atque ita nobis tribuit, ut, non nisi à nobis esse, contendat. Denique gratia Dei non ista duo, quæ nostra omninò vult esse, id est, voluntatem, & actionem, sed illam, quæ in potestate nostra non est, & nobis ex Deo est, id est, possibilitatem, perhibet adjuvari: tamquam illa, quæ nostra sunt, hoc est, voluntas, & actio, tam sint valentia ad declinandum à malo, & faciendum bonum, ut Divino adjutorio non indigeant;*

illud verò, quod nobis ex Deo est, hoc est possibilitas, tam sit invalidum, ut semper gratiæ adjuvetur auxilio. Quæ verba apertissimè includunt gratiam entitativè supernaturalem constitutivam potestatis ad actus salutares.

23. Hoc robur satis firmum accipit ex eodem Augustino cap. 5. sequenti, ubi referens errorem Pelagii, ait: *Ecce est totum dogma Pelagii in libro ejus 3. pro libero arbitrio, his omninò verbis diligenter expressum, quo tria ista, unum, quod est posse, alterum, quod est velle, tertium, quod est esse, id est possibilitatem, voluntatem, actionem tanta subtilitate curavit distinguere, ut quodcumque legimus, vel audimus Divinæ gratiæ adjutorium confiteri, ut à malo declinemus, bonumque faciamus, sive in lege, atque doctrina, sive ubilibet constituat, sciamus, quod loquitur, nec erremus, aliter cum intelligendo, quam sentit. Scire quippe debemus, quod nec voluntatem nostram, nec actionem Divino adjuvari credit auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis, atque operis, quam solam in his tribus nos habere affirmat ex Deo: tanquam hoc sit infirmum, quod ipse Deus posuit in natura, cetera verò duo, quæ nostra esse voluit, ita sunt firma, & fortia, & sibi sufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio: & ided non adjuvet, ut velimus; non adjuvet, ut agamus; sed tantummodò adjuvet, ut velle, & agere valeamus. Contra quod sic arguit Augustinus cap. 14. seq. Si tantum posse nostrum hac gratia juvaretur, ita diceret Dominus: omnis, qui audivit à Patre, & didicit, potest venire ad me: non autem sic dixit, sed: omnis, qui audivit, & didicit, venit ad me. Venire posse in natura ponit Pelagius, vel etiam ut modò dicere cepit, qualemlibet eam sentiat, qua ipsa, ut dicit, possibilitas adjuvatur: venire autem jam in voluntate, & opere est; non est autem consequens in gratiâ, ut qui potest venire, etiam veniat, nisi id voluerit, atque fecerit. Sed omnis, qui didicit à Patre, non solum potest venire, sed venit: ubi tam & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est. Sentit ergo Augustinus contra Pelagium, ultra posse, Deum adjuvare, ut velimus, nosque indigere ulteriori auxilio, & gratia ad volendum, & agendum: & hoc colligit ex Scriptura; nam ex gratia, quæ est audire, & dicere à Patre, intulit Christus Dominus de facto venire ad ipsum: ex gratia autem dante posse non inferitur venire, sed solum posse venire, ut argumentatur Augustinus: ergo ultra gratiam dantem posse, alia concedenda est, ex qua inferitur actus. Quod magis fulciri potest ex cap. 27. sequenti, in quo supponit Augustinus, Pelagium tandem admisisse gratiam dantem posse ad actus supernaturales, solumque restare, ut concedat ulteriorem gratiam necessariam ad velle. Verba autem Augustini hæc sunt: *Si consenserit nobis, non solum possibilitatem in homine, etiam si nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem, & actionem divinitus adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil**

et sic adjuvari, ut in d. be-

benè velimus, vel agamus, & nihil de adjutorio, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquatur: sentit ergo Augustinus, Pelagium, illis temporibus jam solum deficere in eo, quod ultra posse, ulterius auxilium, seu adjutorium non requirebat ad operationem salutarem.

24. Insuper probari potest eadem assertio, quia licet Pelagius concesserit gratiam cogitationis ortam ex viribus naturæ, non tamen in tertio statu suæ hæresis id de omni cogitatione affirmavit. Hanc enim, referente Divino Augustino, esse donum ex revelatione Divina, fatetur, dum de grat. Christi cap. 7. asserit, *quod nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ celestis illuminat.* Et cap. 10. *quod revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitavit voluntatem, dum nobis, quod alibi negare non metuit, suadet omne, quod bonum est.* Et dicit cap. 24. *quod Deus internâ, atque occultâ, mirabili, atque ineffabili potestate operatur in cordibus hominum veras revelationes.* Et cap. 26. hanc bonam cogitationem, & scientiam ex Deo esse, sequentibus verbis: *Cogitationem, & electionem, sicut sunt discernenda, discernat, quia scientia inflat, charitas edificat. Et cum sit utrumque donum Dei, sed unum minus, alterum majus; non hic justitiam nostram super laudem justificatoris nostri extollat, ut horum duorum, quod minus est, Divino tribuat adjutorio, quod autem majus est, humano usurpet arbitrio.* Et tandem cap. 41. affirmat, *Orationes ad nihil aliud adhibendas, nisi ut nobis doctrina, etiam Divina revelatione aperiantur.* Quæ apertissimè ostendunt, Pelagium internam istam revelationem, veluti donum procedens ex revelatione Spiritus Sancti, ac ut donum gratiæ celestis agnovisse, ac per consequens ipsam esse supernaturalem; cum cogitatio, quæ est donum gratiæ celestis, & quæ procedit ex revelatione Spiritus Sancti, supernaturalis sit.

25. Hoc efficaciter confirmari potest ex Concilio Milevitano contra Pelagium. In 4. namque can. sic dicitur: *Item Quisquis dixerit, eandem gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus: non autem per illam nobis præstari, ut, quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit.* Ubi de gratia interiori revelante, quid facere debeamus, non autem præstante, ut faciamus, fermo fit, & illa sententia, qua adstruitur interior illa gratia tantum revelans, ut sciamus, non autem tribuens, ut faciamus, damnatur: ergo posuit Pelagius, contra quem celebrabatur Concilium, illam interiorem tantum revelationem, aperiens intelligentiam mandatorum, quæ tamen supernaturalis erat; primò, quia per ipsam gratiam Dei nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut expressè

affirmat Concilium. Et secundò, quia gratiam illam moraliter excitantem, admittam à Pelagio non impugnat Concilium titulo naturalitatis; nempe quia gratia, quæ est ex viribus naturæ nequit esse id, vi cujus Deus propriè operatur in nobis, & adjuvat voluntatem ad actus supernaturales, sed quia per ipsam Deus nequit operari in nobis velle, & facere, ut diligamus, quod faciendum cognoverimus, quomodò certè rejiceretur à Concilio, si ipsam credidisset entitativè naturalem: sicut & M. P. Augustinus, qui non arguit Pelagium ex eo, quod gratia illa illuminationis esset ex naturalibus, sed ex eo, quod operari non efficeret in nobis.

26. Sed ut efficacius argumentum concludatur, observandum maxime, admittit Pelagium gratiam illam sub illa media præscientia, per quam congrua fieret, quæ nunc instanter defenditur. Testis hujus veritatis sit P. Suarez lib. 2. de causâ prædest. cap. 16. n. 10. §. 1. dicens: *Quod si quis dicat, illam cogitationem non habere rationem gratiæ, nisi quatenus congrua est, certè Pelagius non negaret, quin similis congruitas possit inveniri in propositione legis, vel prædicatione fidei: quia Pelagius non ignoravit, Deum præscire, si hæc prædicetur Evangelium, cum his signis &c. quæ sunt credituri, necno.* Et post pauca: *fatebatur ergo Pelagius, inquit, quibus sit, vel non sit futura prædicatione congrua.*

27. Hoc testimonium P. Suarez rectè perpensum suadet, Pelagium gratiam illam agnovisse regulatam per scientiam mediam, qua Deus cognosceret effectum, quem fortitura esset ex determinatione, & libera voluntatis cooperatione. Non enim negavit illam Pelagius; cum nec Pelagius, testimonio Augustini, acutissimi ingenij, nec stultissimus aliquis neget Deo præscientiam futurorum eventuum, quorum ipse condiciones purificare decrevit: ergo negare non potuit Pelagius, Deum conferentem illam cogitationem sanctam præscire, qualem ipsa fortitura esset effectum, sive ex determinatione Dei, sive ex determinatione voluntatis. Maximè, cum hæc scientia, prout volunt Adversarii, subjecta sit dominio voluntatis; quæ in statu absoluto operans, illam pro suo libito acquirat, vel impedit, nec apparenter pugnat cum libertate, ac subindè nec apparenter est incompossibilis cum positione Pelagii. Hoc sanè prolixior, & accuratior dissertationem exigebat: unum, vel alterum tantum testimonium subjungam, ut videatur, quod tam à Pelagio, quam à Semipelagianis usurpata fuerit, cum tam exsertè loquantur de scientia conditionata, ut vix de alia intelligi possint.

28. Et quidem ipse Pelagius ita rem hanc totam conficit, ut ambages omninò tollat. Asserit namque cap. 1. Epist. ad Rom. ad illa verba Apostoli, *Sed prohibitus sum usque adhuc*, sequentia: *prohibitum se dicit usque ad*

tempus dat & Epistole, à Deo utique, qui sciens adhuc imparatos illos, ad alias urbes direxerit Apostolum, quæ jam ad recipiendam veritatem erant capaces. Et inferius: Volentes aliquando in Bithyniam ire prohibiti sunt à Spiritu Sancto Paulus, & Silas. Cur? Nisi sciret adhuc affectum deesse, quibus locis agnovit Pelagius scientiam, qua Deus cognoscebat, quòd si Paulus Romam perrexisset tali tempore, atque apud Romanos Evangelium prædicasset; illi, utpotè imparati, non credidissent. Similiter quoad Bithynios, in quibus Deus præsciebat affectum credendi Evangelium de futuro, si Paulus, & Silas apud eos prædicassent. Sed Pelagius hanc præscientiam non admittebat nixam prædefinitionibus efficacibus Dei: illam ergo sumebat ex futuro usu liberi arbitrii. Etiam Pelagianus, ut refert August. Epist. 105. ad Sixtum, nunc 194. cap. 9. n. 92. dicebant loquentes de parvulis, Quòd Deus in eis, quos hinc aufert, prævidet quemadmodum victurus esset quisque, si viveret: & ideo, quem nequiter novit fuisse victurum, sine Baptismo facis emori, sic in eo puniens opera mala, non quæ fecit, sed quæ facturus fuit. Hoc ipsum dixisse Pelagianos, refert D. Prosper Epist. ad August. n. 5. his verbis: Cumque inter hæc innumerabilem illis multitudo objicitur parvulorum, qui utique, excepto originali peccato, sub quo omnes homines similiter in primi hominis damnatione nascuntur, nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones, non sine Dei judicio secernuntur, ut ante discretionem boni, ac mali de usu vitæ istius auferendi, alii per regenerationem inter cælestis Regni assumantur heredes, alii sine Baptismo inter mortis perpetuæ transeant debitores: tales, ajunt, perdi, talesque salvari, quales sumus illos in annis majoribus, si ad ætream servarentur ætatem, Scientia Divina prævidet. Et ibi D. Prosper loquens de Sempelagianis: Prævisos, inquit, à Domino credituros, & ad unamquamque gentem ita dispensata tempora, ac ministeria Magistrorum, sicut exortura erat bonarum credulitas voluntatum. Eodem modo Hilarius de istis Epist. ad August. n. 3. loquens: Cum autem dicitur eis, quare aliis, vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur, vel nunc prædicetur, quòd aliquando penè omnibus, sicut nunc aliquibus gentibus non prædicatum sit, dicunt Sempelagianis, id præscientiæ esse Divinæ, ut eo tempore, & ibi, & illis veritas annuntiaretur, vel annuntietur quando, & ubi prænoscebatur, esse credenda. Ex quibus clarissimè constat Pelagianos, & Sempelagianos, dum de electione ad gloriam ex præscientia meritum loquerentur, de conditionata prænotione maximè idem dixisse, cum parvulorum ante usum rationis decedentium opera non absolutè, sed tantùm conditionatè futura erant, & prævideri poterant.

29. Præterea, & maximè advertendum pro intelligentia hujus discursus, quòd non dixit M. P. Augustinus, illustrationem suam

vam boni admittam à Pelagio esse verè, & propriè legem, & doctrinam, sed non recedere à lege, & doctrina, ut observat M. Lemos tom. 1. cap. 17. rem sic explicans: Ut ergo hoc Theologus non obscurè comprehendat, illud imprimis advertat, quòd jam diximus supra, S. P. Augustinum propriè, & formaliter loqui, dicendo, Pelagium per illas internas revelationes non recedere à lege, atque doctrina, quæ litteris formatur. Non enim affirmat, revelationes illas esse verè, & propriè legem, & doctrinam exteriorem, sed quòd non recedunt à lege, & doctrina exteriori: & si aliquando dicit, Pelagium solum admisisse legem, & doctrinam, non dicit, illam esse purè exteriorem, sed non recedere à lege, & doctrina exteriori, ut alibi expressè declaravit. Quòd, quomòd sit intelligendum, ita S. Doctor exponit: officium legis, atque doctrinæ exterioris est docere, ostendere, illuminare quid faciendum sit, ad id suadere, & exhortari. Non autem dare veras vires, ut faciamus; cum ergo illa interior revelatio supernaturalis solum à Pelagio constituitur, ut doceat, ostendat, illuminet, quid faciendum sit, & illud solum suadeat, ad idque exhortetur, non autem det veras vires voluntati, ut agat, proculdubio non recedit officio, & munere à lege, atque doctrina exteriori. Illud enim, quòd per exteriorem doctrinam, vel litteram, vel prædicationis fieri potest, necesse est, quòd tandem ad legem, & doctrinam exteriorem reducat, cum solum id exerceat, quòd littera, vel prædicatione exercere potest, parique ratione si lex, & doctrina purè exterior potest facere totum id, quòd illa interior revelatio facit, convincitur, quòd sola lex, & exterior doctrina sit necessaria. Quamvis ergo callidè Pelagius procuraret evadere oppositionem, quòd gratiam diceret legem, atque doctrinam, cum hoc jam anathematizasset, & ad irridendam frangendam legis, atque doctrinæ in ultimo suæ perfidiæ statu, ut diximus, admisisset interiores illas supernaturales revelationes, ostendentes tantùm, & exhortantes, ejus tamen latebras S. Augustinus detegens, convincit, nec ipsum per hoc recessisse à commendatione legis, atque doctrinæ exterioris, cum tamen illud interius admittat, quòd nihil aliud faciet, quàm lex, & doctrina exterior facere potest.

30. Ex quibus duobus præsuppositis firmum, & solidum assequi possumus contra Adversarios argumentum. Gratia illa illustrationis admittit à Pelagio, etsi intrinseca, supernaturalis, & regulata per scientiam mediam, qua congosceret Deus effectum, quem sortitura esset ex determinatione, & libera voluntatis cooperatione est gratia juxta M. Patrem Augustinum in movendo voluntatem ad bonum habens modum legis, atque doctrinæ, quia est solum moraliter practicè movens ad consensum, ostendens, illuminans, & suadens, quid faciendum sit, non tamen dat vires eo sensu, quo vires prædicabat Augustinus voluntati, ut agat, nec activè facit ut illa faciat; sed gratia adjuvans propugnata

ab

ab Adversariis, est gratia tantùm practicè moraliter influens in consensum salutarem inflando, illuminando, & suadendo voluntati elicentiam consensus salutaris: ergo, ut videtur, est gratia non recedens à munere legis, & doctrinæ; sed gratiam non recedentem à munere legis, & doctrinæ rejicit Augustinus dicens, nos hanc gratiam volumus: ergo & rejicienda venit gratia adjuvans, quam statuunt, & propugnant Adversarii: debent namque assignare gratiam internam in cordibus nostris infusam propriè facientem nos facere; de hac enim procedit quæstio; quidquid sit, an aliud sit principium, quo constituatur Deus propriè operans, & faciens nos operari; nempe omnipotentia nobis assistens: cum enim hæc non sit propriè gratia actualis interna, dum ad istam fit recursus, ut Deus faciat nos agere, solum gratiæ actuali internæ concursum morale concedunt, quæ non videtur in munere recedere à lege, & doctrina: nec enim concursus Omnipotentia, utpotè extrinsecus gratiæ excitanti, variat modum illum inflandi, & tendentiam intrinsecam illuminationis suadendo voluntati elicentiam actus salutaris. Licet ergo omnipotentia physicè elevans voluntatem differat à gratiâ legis, & doctrinæ, non tamen assignant aliquam gratiam recedentem in munere à gratia legis, & doctrinæ, dum non assignant aliud auxilium, quo Deus faciat, nos agere.

31. Nec nobis opponant M. P. Augustinum lib. 1. ad Simplicianum q. 2. dicentem: ista vocatio Dei ita est effectrix bonæ voluntatis, ut omnis vocatus eam sequatur: sed gratia vocationis est solum moraliter influens: ergo mediâ gratiâ moraliter influente potest Deus operari in nobis velle, & perficere. Etenim duplicem distinguit Augustinus vocationem, aliam, quæ generalis est, & aliam, quæ est particularis. Sic expressè de prædest. Sancto. cap. 16. Vocat enim Deus, inquit S. Doctor, prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra filii sui, non eâ vocatione, quæ vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias: illa quippe vocatione & Judæi vocati sunt, quibus Christus Crucifixus scandalum est; & gentes, quibus Christus Crucifixus stultitia est: sed eâ vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus dicens: Ipsi vocatis Judæis, & Græcis prædicare se Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Sic enim ait: ipsis autem vocatis, ut illos ostenderet non vocatos, sciens esse quamdam certam vocationem eorum, qui secundum propositum vocati sunt, quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui. Dixit ergo: sed ex vocante, non quacumque vocatione, sed qua vocatione sit credens. Et mox: Non enim vocatione illâ vocati sunt, de qua dictum est: multi sunt vocati, pauci verò electi; sed illâ ipsâ, qua vocantur electi. Et iterum ibi: Undè subjicit Apostolus: sine penitentia enim sunt dona, & vocatio Dei; id est, sine mutatione


stabiliter fixa sunt. Ad hanc vocationem omnes docibiles Dei sunt; istorum autem nemo perit. Ex quibus fit manifestum, quòd licet gratia moraliter influens sit vocatio sufficiens, non tamen est illa efficax, quæ secundum propositum Dei perficitur, & secundum quam Deus operatur in nobis velle, & perficere, quæ ibi dicitur à M. P. Augustino effectrix bonæ voluntatis, ut omnis vocatus eam sequatur. Ita sanè est, quòd hæc vocatio sufficiens, seu prædicta inspiratio est quid physicum physicè immutans voluntatem, & intrinsecè receptum in ipsa, ut eam constituat potentem ad actus supernaturales. At non physicè præmoveret, ac infallibiliter determinat voluntatem ad existentiam actus liberi. Hoc fit evidens in cognitione legis, quæ licet physicè ab intellectu procedat, & in ipso sit intrinsecè recepta, non tamen physicè determinat infallibiliter voluntatem ad observantiam rei præceptæ. Et omnium ratio est, quia tam cognitio legis, quàm illustratio, & inspiratio interna solum moraliter movent, cum motio moralis, quæ ipsis convenit ex parte objecti se teneat, nec differat ab illâ motione, quæ objecto convenit, dum movet solum applicando voluntati rationem objectivam honestatis, & utilitatis, quæ ipsam allicere possunt, ut liberè consentiat. Si ergo solum exhibet concursum, quem prædicta ratio objectiva tribuit, aut tribuere potest; cum causalitas objecti sit purè moralis; illustratio, quæ solum influit applicando causalitatem objecti, moraliter influet; & hæc vocatio sic moraliter influens non est vocatio illa effectrix bonæ voluntatis, de qua dicit Augustinus; ut omnis vocatus eam sequatur: cum Sancti Augustini loquendi modus omnino reclamet, nec nisi incongruè duo adeò adversa jungi simul possunt, quòd gratia sit præoperans moraliter, & ipsamet præveniendò physicè efficiens consensum salutarem, & qua Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur, ut toties inculcat D. Augustinus: maximè de grat. & liber. arbitr. cap. 16. dum asserit. Certum est, nos velle, cum volumus: sed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum est, preparatur voluntas à Domino (Proverb. 8. secundum 70.) Certum est, nos facere cum facimus: sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: faciam, ut in justificationibus meis ambuletis, & judicia mea observetis, & faciatis. Rursum cap. 17. Ut velimus sine nobis operatur: cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valeamus. Quæ tam evidentiæ sunt, tamque aperta, ut nihil est, quòd amplius immoremur.

32. Hæc omnia semper citra omnem censuram obijciendo referimus, nè falsum pro vero disputationis confusione defendatur. Si enim P. Molina in conc. q. 14. art. 13. disp. 38.

S. Mol-

§. Multa sanè q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. Memb. 6. §. Certè, relatâ Dominici Soto, & Andrea Vega sententiâ, gratiam se ipsam efficacem, & præmotionem physicam adminus tamquam errorem in fide illam proscribere iudicat, dicens: *Non video qua ratione, salva Fide Catholica, ea sententia possit defendi. Certè non dubitarem, sententiam hanc hoc ultimo modo explicatam errorem in fide appellare; quod & dixit P. Suárez opusc. de concurs. cap. 1., & Belarminus lib. 4. de grat. & liber. arbitr. cap. 5. credentes, sententiam istam de gratia per se ipsam efficaci tollere arbitrii libertatem; cur & nos, absque eo quod ex reciproco aliquid reponatur injuriæ, ipsorum doctrinam observare, fundamenta discutere non poterimus; non ut ad odium doctrinæ provocemus, sed ut in spiritu charitatis, quæ vera, & fraterna est dilectio, omnem doctrinæ veritatem perficiens, patens fiat veritas, cunctis benevola, amabilis, & jucunda? Hoc igitur pacto hucusque argumentati sumus, & in posterum ratiocinabimur, Theologorum more, expensis omnibus, rationes deducentes, ut ex ipso opinionum sensu, veritas per ratiocinationem deducta, concludatur. Quo arguendi modo utuntur contra Thomistas Pater Vincentius Ramirez de prædest. disp. 6. cap. 3. n. 77. dicens: *Non nego, nec negare**

possum, Sapientissimos Thomistas catholicè suam sententiam protegere; ceterum hoc non vetat, quod ex definitione Tridentini, & ex apparente consensione cum Hæreticis, ex explicazione propositionum, & terminorum usu, grave, & Theologicum argumentum formetur contra ipsos. Et P. Marin de peccat. tract. 11. disp. 5. sect. 5. n. 65. Fateor, Thomistas aded benemeritos de Catholica Ecclesia in multis differre ab Hæreticis, sed arguendi causa intendo in re idem concedere, ac Hæretici quoad influxum in peccato: quos nusquam credam sic argumentantes, malignè & ad invidiam sententiam, quam tuemur, traducere. Absit ergo, quod & Adversariorum sententiam, & ego in suspensionem vocem. Quare cum PP. Salmantic. tom. 2. de grat. tract. 14. disp. 7. dub. 1. §. 1. Hic notatum volumus, nos minime acquirere prædictorum Doctorum iudicio, quatenus aliquam notam Molina opinioni videntur inurere, sed obsequentes Pontificum decretis, ab omni prorsus censura abstinentes, & Molina sententiam in eodem statu (sive probabilis, sive improbabilis sit) in quo eam invenimus, relinquimus. Sufficit enim, inquit Divus Hieronymus Augustino Epist. 13., probare mea, & aliena non carpere. Maximè dum hæc omnia folius veritatis studio scribimus.



DISPUTATIO IV.

De existentia physice Prædeterminationis, seu Gratiaë efficaciter adjuvantis voluntatem, & actionem, necnon voluntatem, & actionem prævenientis.



ACRA pagina tanquam coelitus per Spiritum Sanctum inspirata universam in se uberrimè complectitur veritatem; totaque sancta, totaque sacramentis grvida perfectissimam, quantum hominibus dari potest, de Dei gratia præbet cognitionem. Fideles omnes, qui in spiritu veritatis ad hujus Divinæ gratiæ clarissimam agnitionem pervenire contendunt, estimoniis se subijci debent Scripturarum, ut indubitanter credant, verum esse, quod n eis asseritur, quamvis arduum, quamvis difficile sit, illicque ratio humana nulla contentiat. Non enim altissimum hoc gratiæ mysterium intelligitur, ut credatur, sed creditur primum, ut postea creditum, intelligere mereamur. Nostrum namque est credere, Dei autem intellectum præstare. Quod indicavit Propheta Psal. 118. dicens: *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.* Agnoscere namque debent omnes, sacram paginam nequaquam humani opus esse ingenii, nec Prophetas quicquam ex se potuisse prædicere, unde nec sacras sententias interpretari hominum est, nec prohibitu eas in varios sensus accipere specie declarationis: quod sui speciale munus esse Auctoris per Divum Petrum sic dicitur 1. Petri 1. *Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati loquuti sunt sancti homines Dei.* Et Cornelius Alapide: *ipsa Scriptura non est inventum humani ingenii, non est opus mentis humanæ, sed Divinæ: ergo ejus explicatio, seu interpretatio pariter non ab homine, sed à Deo inquirenda est.*

Hoc maximè certum in materia gratiæ; unde consultissimè à S. Augustino prætermisissis cæteris rationibus, ut Pelagianorum, aut aliorum pervicaciam majori, quam folius rationis pondere contunderet, auctoritatem Scripturæ advocat, & ad ipsius tribunal eos

compellit, & sistit, ut ipsum D. Hilarius Epist. ad eundem scriptâ admonet. *Tua, inquit, prudentia est, dispicere, quid factu opus sit, ut talium, & tantorum superetur, vel temperetur intentio: cui ego parùm prodesse existimo, te redere rationem, nisi & addatur auctoritas, quam transgredi insufragabiliter contentiosa corda non possunt.* Quod sanè perspectum habuit D. Augustinus serm. 12. de verbis Apostoli; dum sola Scripturæ auctoritate munitus Pelagium aggreditur, quem ratio delectabat. *Responde, inquit, si potes, sed rationem affer; hac enim te gloriari delectat. Ego istam questionem profundam sentio, & ad ejus fundum rimandum vires meas idoneas non agnosco. Liber hic exclamare, quod Paulus: O altitudo! Ubi non invenio in profundo profundum, attendere debeo humanam infirmitatem, non damnare Divinam auctoritatem. . . Ego infirmitatem meam bis verbis munio, & hac cautellâ circumseptus, adversus sagittas ratiocinationum tuarum muratus assisto; sed tu bellator, hoc est fortis ratiocinator, responde &c.* Et serm. 24. eadem Apostoli verba usurpans, sic habet: *O homo tu quis es? Melior est enim fidelis ignorantia, quam temeraria scientia.* Et in fine: *Queris tu rationem, ego expavescam altitudinem: O altitudo! Tu ratiocinare, ego mirer; tu disputa, ego credam. Altitudinem video, ad profundum non pervenio.* Sic parùm prodest ratio, quæ semper cavillationibus opportuna est, dum de misteriis, quæ naturam superant agitur; Sacra Scriptura apertior est, eaque munitus D. Augustinus Pelagium impugnat.

Non minus ad evitandos humanæ sapientiæ laqueos Conciliorum oraculis, in quibus proscripta fuit Pelagiana Hæresis, sincera est impendenda fides. Non enim Concilia loquebantur ex se, sed ille loquebatur in ipsis, qui omnium est Artifex, omnem habet virtutem, omnem novit scientiam, necnon Divinitatis suæ luce omnia prospectat, ut sic concordent verba nostra cum suorum auctoritate decretorum, in quibus Catholicæ fidei fun-

fundamenta sancta, incorrupta, & incontaminata subsistunt, necnon vera intelligentia, & interpretatio Scripturarum, verum Evangelium, vera, & completa, & certa summa Evangelii, vera Fides, veraque Doctrina. Adstringenda ergo erit tota hæc de gratia ab intrinseco efficaci disputatio ad normam Sacrae Scripturae, Conciliorum, & PP. ut docet Julius I. Epist. 1. ad Orientales: *Nolite errare, fratres mei dilectissimi. Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci. Ex instituta Apostolorum, & Apostolicorum Virorum, Canonisque habeatis. His fruimini, his circum-*

damini, ut his freti, circumdati, delectati, armati contra cuncta inimicorum sæcula persistere valeatis. Sic in ejus resolutione vincet auctoritas, dabiturque solidum, & irrefragabile veritatis testimonium, cui contradicere, ac nolle acquiescere, meritò est, & semper erit, Sapientibus, omnibusque Catholicis odiosum; quapropter nec nos credimus, nec aliquis credere audebit, Catholicis Auctoribus, quibus cum disputamus, antiquius aliquid, aut magis cordi esse, quam Divinorum eloquiorum fides.

§. UNICUS.

Præmittitur clara, & perspicua notio hujus termini physica Prædeterminatio.

Cum nulla in totâ Theologiâ celebrior existat quæstio, accuratius, & quantum fieri potest, diligentissimè ipsam expendere consilium est. Obscura, clarissimisque involuta tenebris videtur quibusdam vox ista *physica prædeterminatio*: sed vereor, nè quid humani passii sint Auctores isti circa ejus intelligentiam, non attendentes dictum M. P. Augustini contra Crescon. cap. 13., *Cum res intelligitur, minus laborandum est, quid eam hominibus vocare placuerit.* Et de quant. Animæ lib. unic. cap. 6. *Non solum approbo, verum etiam moneo, ut semper rerum curam, magis, quam verborum, te habere delectet.* Cujus rationem reddit Epist. 172. *Quid est enim contentiosus, quam ubi de re constat, certare de nomine? Insignis nanque est, ut inquit ipse tom. 3. fol. 18. litt. B. Bonorum ingeniorum indoles in verbis verum amare, non verba.* Hoc ergo nomen *physica prædeterminatio* nihil aliud significat, quam motionem efficacem prævia ad ipsum actum voluntatis, illam pro priori naturæ verè, propriè, & effectivè determinantem ad unum præ alio. In hoc sensu debet in præsentia ab omnibus accipi prædeterminatio physica, ne aliter accepta inutilis reddatur disputatio. Etenim, ut inquit Apostolus ad Corinth. 1. cap. 14. v. 11. *Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus: & qui loquitur mihi barbarus.* Vel ut legitur Job cap. 18. *Usque ad quem finem verba jactabitis? Intelligite prius, & sic loquamur.* Sic intelligit prædeterminationem, physicam P. Suarez lib. 1. de concurs. Dei cum voluntate, cap. 5. n. 2. nostram explicans sententiam sequentibus verbis: *Ille autem qualitas, vel motio, vel entitas, aut quovis alio nomine appellatur, quam Deus prius natura imprimit voluntati, ita illam efficit, ut ad unum inclinaret, ut ad illud unum agendum voluntatem determinet formaliter, ideòque usus loquendi jam obrinuit, ut in hac controversia vocetur physica prædeterminatio.* Ecce ubi apertè Pater Suarez confitetur, quòd physica prædetermi-

natio nihil aliud est, quam motio præcedens, sive antecedens, & determinans voluntatem: quamquam in hoc à nostrorum sensu Doctore ille abierit, quòd dixit, determinari formaliter voluntatem per Dei præmotionem; non enim in nostris principiis intelligi potest determinatio formalis, nisi quæ provenit ab ipsâ creata voluntate. Determinationem verò illam Dei dicimus causalem; est enim de genere causæ efficientis, infertque determinationem formalem, juxta illud: *Faciant ut in præceptis meis ambuletis, & judicium meum custodiat, & operamini.* Ezech. 36. v. 27. Igitur Dei est faciendo movere; hominis est à Deo moti formalem indifferentiam voluntatis, faciendo etiam, formaliter determinare. De cætero quia benè laudatus P. Suarez intelligit præcedentiam, quam defendimus, Divinæ motionis, usumque novit vocem illam physicæ prædeterminationis induxisse, ut vocabulo Sapientibus noto (quidquid aliàs fuerit) in controversiis uteremur; libenter statumus, & standum volumus illius confessioni: juxta quem nemo mirabitur, si nobis maneat fixum, & certum, quòd ubicumque ex SS. Litteris, PP., & Conciliis constat, voluntatem creatam determinari à Deo, sive applicari propriè, & effectivè ad actum; sermo est de physica prædeterminatione in eo sensu, quo illâ utitur Schola Thomistica: quia dum de veritate constat, non in vanum de nominibus laborandum. *Nomen, quippe, nihil habet criminis,* inquit S. Hilarius lib. 2. de Trinit. *Quod sensum non perturbat Religionis.* Immo judico, majori cum proprietate dici, voluntatem à Deo prædeterminari, quam determinari. Explicat enim prædeterminatio ordinem, & dependentiam unius determinationis ab alia, quam non explicat determinatio: & sic videmus, quòd Scriptura dicit, *præparatur voluntas à Deo*: eò quòd voluntas se præparat cum dependentia à Deo primo præparante. Et in Psalm. dicitur, *misericordia ejus præveniet me.* Non inverosimiliter.

liter. Hac ratione crediderim, quòd SS. PP. antiqui, Prosper, & Hilarius usi sunt hac voce *preoperans*, dum loquuntur de gratia, superaddentes illam particulam *pre* ad antiquum nomen *operans*, ad denotandum, quòd sic Deus operatur prius per gratiam in homine, quòd etiam & ipse homo operatur.

2. Fateor quidem, quòd si stemus rigori vocis, *prædeterminationis physica*, nomen Philosophis esset relinquendum; non enim Theologorum est agere de naturalibus motionibus, sed de supernaturalibus, quarum natura, sicut nobis ad sui cognitionem non dat speciem, ita nec enarrabilis à nobis est. Sed & hac de causa naturalium vocibus utimur, ut de supernaturalibus loquamur, secundum analogiam. Undè dicitur *physica motio* pro vera, & effectiva causalitate, sicut & eadem voce pro vera causalitate utitur Scriptura, dicente Paulo ad Ephes. 2. *Eramus natura aliquando filii iræ*, quòd aliter intelligi non potest, nisi verè, quia homo non ex natura sua tendit ad peccatum, cum potius peccatum sit contra naturam hominis. Ità textum intelligit D. Cyrillus Alexandrinus Episcopus, vir omni sapientiæ, & sanctitatis exemplo clarissimus, quem difficillimo illo tempore Deus, & Apostolicæ fidei propugnatorum, & Nestoriorum Antagonistam acerrimum destinavit in Concilio Ephesino, ubi etiam pro eodem accipit *physicè*, ac verè, & propriè. Quare ut realem unionem verbi cum natura humana ostendat, his sequentibus verbis hanc explicat anathematismo 3. *Si quis in uno Christo dividit hypostasim secundum unionem, sola componens ipsas conjunctione, quæ est secundum dignitatem, & auctoritatem, & non potius conjunctione, quæ est secundum unionem naturalem, anathema sit.* Et in eodem Concilio, dum ibi sermo sit de hoc anathematismo juxta explicationem Cyrilli, dicitur: *Siquis naturarum substantias in uno Christo dividit. . . . Ea tantum copulatione connectit, quæ est secundum dignitatem, non ea autem coitione, quæ sit secundum physicam unionem, anathema sit.* Et immediatè explicantur termini isti *unio physica, & naturalis*, his aliis: *secundum naturalem, hoc est veram unionem.* Nam ità Divina Scriptura verbum alicubi usurpat: ait enim, & *eramus natura filii iræ, sicut & ceteri, hoc est, verè: non aliud intelligentes Patres Concilii nomine unionis physice, quam veram, & realem unionem.* Quam vocem molestè ferens Nestorius, sic Cyrillum redarguit: *Quomodo igitur quasi oblitus suorum verborum ad unam hypostasim cogit, naturas confundens, naturalem unionem nominans. . . . Si enim naturalis unio, ubi gratia? Ubi Divinum Sacramentum? Natura enim, ut edocti sumus, semel ab ordinante Deo necessariis consequentiis serviunt.* Cui respondet Cyrillus: *At si naturalem unionem dixerimus, veram dicemus.* Habet Scriptura divinitus inspirata hunc morem hac dictione uti. . . . Undè ibi natura idem est, quòd verè.

Ergo tam Patres Concilii, quam Cyrillus nihil aliud intelligunt nomine unionis naturalis, & physice, quam veram, & realem unionem: ergò optimè potest hæc vox *physica* prædeterminatio absque omni æquivocatione accipi pro vera, & prævia efficientia Dei in voluntate.

3. Nec firma nobis assertionis hujus fundamenta, verissimæque rationes desunt ex A. A. Scholæ Societatis. P. Suarez 3. p. q. 41. art. 10. disp. 31. sect. 3.: *Suppono, inquit, potentiam physicè activam, nos intelligere illam, quæ per realem, & veram actionem operatur.* Et postquam diversas sententias retulit, prosequitur S. *Nihilominus: dicendum, Christum per actionem suam humanitatis, non solum moralimodo, sed reali, & physico operatum esse operamiraculosa, & justificasse animas conferendo gratiam.* Et lib. 3. de grat. operante cap. 3. n. 10. *Causa moralis dicitur, quæ consilio, precibus, aut alio simili modo movet causam liberam ad operandum; physica verò, quæ per se influit, & dat esse effectui.* Et lib. 1. de concurs. Dei cum voluntate cap. 5. §. 5. *Hanc prædeterminationem physicam, aliqui physicam vocant, alii quasi physicam, alii omnino ex se efficacem, sed non est inhærendum in voce, nam sensus est idem.* Pater Lessius disp. de prædest. Angelor. sect. 6. n. 78. §. *Dices: hoc nomine physica determinatio importatur quoddam auxilium antecedens usum liberi arbitrii, quod, ut venit à Deo, ità determinat voluntatem ad agendum, ut faciat eam infallibiliter operari.* Et addit, se non agere de voce, *physica prædeterminatio*, sed de re, an detur tale auxilium efficax ex Deo; si enim tale Deo auxilium detur, commode vocari *prædeterminationem physicam.* En quomodo pro eodem accipiendum non dubitat causam physicam, & causam verè efficientem, & realem. Et Eminent. Bellarminus lib. 2. de grat. & liber. arbitr. cap. 11. §. *Nam si consideremus, ait: causa physica, & efficiens non solum est Deus per auxilium speciale, sed & liberum arbitrium.* Ubi cum omni proprietate pro vera, reali, & efficiente causalitate prævia Dei ad voluntatem, intelligitur prædeterminatio in voluntate recepta: sicut & communiter asserunt Theologi, quòd Sacramenta physicè causant gratiam, & humanitas Christi physicè efficit opera miraculosa; ubi non fumitur physicè, prout opponitur libero, sed pro eodem, ac verè, & propriè, & non purè moraliter, hoc est, non purè movendo, ut alter efficiat, sed verè efficiendo.

4. Sed hanc nihilò secius aliqui ex Scholæ Societatis perhorrescunt vocem. Hanc utique nobis dant probro, quia est vox nova in Scholis introducta, æquivoca ex una parte, cum possit intelligi de motione naturali, naturaliter necessitante; & ex alia minimè in Scriptura reperta, & à SS. PP. usurpata ad exponendam gratiæ efficaciam; ex quo novitas in vocibus evitanda venit, ut animadvertit Eminentiss. Baronius tom 7. pag. 38.

Quod nova vox, quantumvis pia, nisi ex Patri- bus consueta, utenda proponi non consuevit.

5. Hæc est levis objectio; nam Patres inter- dum præter communes loquendi modos, modum dicendi alterum, vel nomen novum, quem, vel quod adinvenerat, usurpant, non ut rem novam significant, sed ut facilius mysteria nostra exponant, ac hæreses contrarias refellant. Nam, ut inquit Augustinus lib. 8. de grat. Christi cap. 2. *Cum aliquid propter novas opiniones emergentes efficaciter exprimendum, & accuratè ab aliis distinguendum est, rem veterem novo vocabulo insignire nihil vetat, Et tract. 97. in Joann. sub fin. Sant. Doctrinæ Religionis congruentes verborum novitates.* Et exemplum infra subjicit, dicens: *Adversus impietatem Arrianorum Hæreticorum novum Patres Homousion reddiderunt; sed non rem novam tali nomine significarunt; hoc enim vocatur quod est, ego, & Pater unum sumus, unius videlicet, ejusdemque substantiæ. Nam si omnis novitas profana esset, nec à Domino diceretur, mandatum novum do vobis; nec Testamentum appellaretur novum, nec cantaretur in universa terra Canticum novum.* Cujus rationem assignat D. Thomas 1. p. q. 36. art. 2. ad 1. *De Deo dicere non debemus, quod in Sacra Scriptura non invenitur, vel per verba, vel per sensum.* Ex quo probat, quod licet in Sacra Scriptura non inveniat vox illa, *Filiusque procedit*, nec in prioribus Conciliis, rectè sit apposita in Symbolo à Conciliis posterioribus (quæ postea fuit probata in Florentino) quia est in illis æquivalenter, implicite, & quoad sensum. Et q. 29. præcedenti art. 3. ad 1. docet, hoc nomen *persona*, ponendum esse in Divinis, quamvis non exprimat nobis in Sacra Scriptura veteris, vel novi Testamenti, dicens: *Ad primum ergo dicendum, quod licet nomen personæ in Scriptura veteris, vel novi Testamenti non inveniat dictum de Deo; tamen id, quod nomen significat, multipliciter in Sacra Scriptura invenitur assertum de Deo, scilicet, quod est maximè per se ens, & perfectissimè intelligens.* Ergo sufficit, quod res significata per nomen reperiat. Sic Summus Pontifex Gelasius in Epist. ad Episcopos Picanos hac elocutione, & dicendi modo utitur: *Pecato originali substantiam nominis esse depravatam, minimè de Hæreticis sollicitus, redarguentibus ipsum, quod modus ille loquendi esset temporibus illis ignotus.* Sic & hæc vox *transsubstantiatio*, quæ in Scriptura non invenitur, nec à Conciliis prioribus fuit usurpata, in Concilio Lateranensi admittitur, ut propria ad exponendam antiquissimam Sacrosancti Eucharistiæ mysterii veritatem. Est etiam inusitata in Sacra Scriptura hæc vox *Theotocon*; & tamen sic sanctissimam Virginem Mariam *Theotocon*, id est, *Deiparam* nominavit Concilium Ephesinum cap. 10. *Quia hanc fidem Divini Discipuli nobis tradiderunt, quamvis istius dictionis non meminerint; quia (ut ibi ad marginem notatur) Cum de re*

certò constet, frustra de voce certamen suscipitur. Etiam D. Hilarius lib. contra Constantium n. 16. agens de illa voce *consubstantialis*: *Novitates vocum, inquit, sed profanas, devotare jubet Apostolus: tu cur pias excludis?* Et Athanasius Arrium alloquens: *Nominis ne offenderis novitate, an etiam rei ipsius veritatem, quæ hoc est sortita vocabulum, refugis? Res enim antiqua novum nomen accepit, non vocabulo nova rei veritas accessit.*

6. Et mirum sanè, quod AA. contrarii hujus nominis prædeterminationis novitate offendantur. Ubinam in Sacris Litteris leguntur hæc nomina, *Purgatorium, Trinitas Personarum, Incarnatio, Transsubstantiatio?* Ubi rogo, inveniuntur nomina ista, *Scientia media, Præmotio moralis, Auxilia ab extrinseco efficacia, aut simultanea?* In Scriptura ne, Conciliis, aut SS. PP. reperiantur & voces istæ, *Preparatio, & applicatio Omnipotentis ad concurrendum nobiscum, potestas relativa, & aliæ similes, quibus utuntur?* Quæ novæ sunt, & novitè à Recentioribus introductæ, quæ nec in Scripturis, nec in SS. PP. nec in Ecclesiæ definitionibus, aut constitutionibus Summorum Pontificum reperiantur; imò & ipsam scientiam mediam Theologis penitus ignotam asserit apertè P. Valquez 1. p. disp. 67. cap. 1. *Quid igitur si nos aliam ponamus vocem, cujus ipsi mentionem non fecerunt, neque negarunt?* P. Herice 1. p. disp. 7. cap. 10. *Quis nesciat, inquit, hanc scientiam mediam latuisse Scholasticos, & à nostris è tenebris, in quibus latebat erutam diligentè Patrum, assiduè lectione.* Idem P. Granado 1. p. q. 14. art. 13. tract. 5. disp. 3. sect. 2. Nec contradicit Suarez lib. 2. de scient. futuror. contingentium cap. 3. *Non ergo nos, ut inquit D. Augustinus lib. 1. contra Cresconium cap. 13. n. 16 Verborum controversia torqueat. Cum res ipsa intelligitur, minus laborandum est, quid eam hominibus vocare placuerit, cum non vocabulo nova rei veritas accedat.*

7. Fatemur ergo hoc complexum *physica prædeterminationis* non inveniri expressum his vocibus, sed res significata habetur clarè in Scriptura Sacra, in SS. PP. & apud D. Thomam. Primò in Scriptura: enim vero ipsam nomen prædestinationis quid aliud importat, quam prædeterminationem? Namquid verbum *προορίζω* quò frequenter utitur D. Paulus, idem planè non est, ac prædeterminare? re? *ὁρίζει* significat determinare, ut norunt Grammatici: unde *προορίζω* significat prædeterminare: quam prædeterminationem, aut prædestinationem non solum intelligit Paulus ad gratiam sanctificantem, & ad gloriam, sed etiam ad opera, quibus disponimur ad justificationem, & quibus jam justificati vitam æternam meremur: hoc nempe est, quod ipse Apostolus vult illis verbis: *prædestinati secundum propositum ejus, qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ: non moraliter, sed verè, realitè, vera, & propria effi-*

efficientia, five physica, & reali. Et ad Ephes. cap. 3. *Ut innotescat Principatibus, & Potestatibus, per Ecclesiam multiformis sapientia Dei secundum prævisionem seculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino Nostro:* quibus verbis innuit Apostolus, quòd hæc, secundum quòd æterno suo consilio proposuit, ac decrevit Deus, implevit præfinito tempore agnoscens veram prædefinitionem: ibi enim in Græco legitur *κατὰ πρόνοιαν*, quod significat, *secundum prædefinitionem, firmum propositum, prædeterminationem.* Quare S. Dionysius de Divinis Nominibus cap. 4. observat, Scripturam, uti hoc termino *prædeterminatio: Theologia exemplaria in Deo existentia Divinas vocat prædeterminationes.* Eadem phrasi utitur S. Athanasius Epist. ad Serapionem: *secundum prædeterminationem Divina rationis.* Necnon & S. Joannes Chrysostomus homil. 1. super Epistolam ad Ephes. Et S. Cyrillus Epist. contra Nestorium, quæ fuit in Concilio Ephesino approbata. Et S. Augustinus in soliloq. cap. 26. *Qui omnes indiscriminatim utuntur his vocibus, prædefinire, præordinare, prædeterminare.*

8. Non minùs patens, & conspicua est vox ista prædeterminatio apud D. Thomam. Etenim super Textum citatum D. Dionysii de Divinis nominibus cap. 5. sic scribit lect. 3. *Hujusmodi rationes vocat Sacra Scriptura prædeterminationes, seu prædeterminationes.* Et paucis interpositis, rursus ait: *Quæ quidem prædeterminationes, seu voluntates sunt distinctivæ entium, & effectivæ ipsorum, quia & hujusmodi rationes supersubstantialis Dei essentia prædeterminavit, & produxit: quod testimonium iterum exponit q. 3. de verit. art. 1. dicens: Hujusmodi rationes Sacra Scriptura vocat, & Divinas, & bonas voluntates existentium prædeterminationes, & effectivas.* Ecce D. Thomas, S. Dionysius, & quod majus est, Scriptura Sacra, nomine, seu voce, *prædeterminatio*, utuntur: hancque esse prædeterminationem physicam, constat ex illis vocibus, seu adjectivis nominibus, *distinctivæ, & rerum effectivæ*: quæ si in propria significatione, ut par est, accipiantur, de physica efficientia, & causalitate procedunt: causa enim, seu prædeterminatio moralis tantum metaphoricè dicitur efficere. Cumque rerum alia sint necessariæ, alia contingentes, alia liberæ, actus nimirum nostræ voluntatis, si prædeterminationes Divinæ effectivè, efficientia vera, & non metaphorica, causant, & distinguunt entia, etiam causant, & efficiunt physicè, ac physicè prædeterminant actus liberos nostræ voluntatis. Audiendus iterum D. Thomas opusc. 1. cap. 16. *Ideo autem dicit Athanasius, secundum prædeterminationem Divinam, quia possibile erat Deo alio modo quam per Christi Incarnationem perfectionem gratiæ humano generi conferre, loquendo de potentia absoluta, sed non potuit humanum genus hanc plenitudinem aliter consequi, supposita Dei ordinatione.* Et in

cap. 37. Isaac: *Nos ponimus, quòd omnes actus secundi ex Divina prædinitione proveniunt.* Et quodlib. 12. art. 3. *Alii, inquit, reducunt omnia hæc in causam supracælestem, scilicet in providentiam Dei, à qua omnia sunt prædeterminata, & ordinata.* Quod ulterius repetit in 1. ad Annib. dist. 47. art. 4.

9. Constantè ergo negamus, gratiam prædeterminantem rem esse novam, etiam nomine, cum toties reperiat in Sacris Litteris, SS. PP. & D. Thoma, ut modo vidimus. Hanc ergo à SS. PP. Augustino, & Thoma, non à Calvino accipiunt Thomistæ, ut quidam horribili impudentiâ garrere non sunt veriti; quos tamen scimus nec ab illis, qui eandem doctrinæ viam tenent, in hæc parte probari. Testes complures sunt, prædeterminationis physica nomen apud Calvinum non reperiri. Sed etsi reperiretur, an idèd damnandum? Damnet etiam, qui ita cœcutientes procedunt, sacra omnia nomina, quibus ille utitur, aut abutitur: vel saltem audiant Gelasium Papam: *Nunquidnam, inquit ille, in ipsorum Hæreticorum libris non multa, quæ ad veritatem pertineant, leguntur? Nunquid jam veritas refutanda est, quia illorum libri, ubi pravitas est, refutantur? Aut ideo pravi libri suscipiendi sunt eorum, quia veritas, quæ in illis inserta est, non negatur.* Ait Apostolus: *omnia probate, quod bonum est, tenete.* Non similiter M. Bañez, Vir ille Sapientum sui sæculi nulli secundus: non ille fuit primus prædeterminationis physica, aut re, aut nomine, Auctor; nec ipsa fuit apud antiquiores Thomistas ignota, cum omni tempore fuerit nota Patribus, & Theologis, quorum longum catalogum texuit doctissimus M. Zumel tom. 3. variarum disputationum disp. 5. Hoc aliis garriant, non nobis, quibus antiquorum nostrorum Thomistarum innotescit doctrina. Legant, & perlegant Capreolum in 2. dist. 1. q. 3. Ferrara lib. 3. contra Gent. cap. 70. Eminentiss. Cayetanum, M. Sotum, & alios plurimos, qui omnes tanto tempore M. Bañez præcesserunt. Unum tamen non diffitebor, M. Bañez fuisse primum, qui Salmanticæ in sapientiæ lucem intentus, vires sapientiæ in P. Molinæ doctrinam intendit, ejus sapientiam in rebus æquè difficilibus, ac involutis, admirantibus omnibus, ipsoque Sanctissimo D. fel. rec. Clemente Papa VIII., qui tanti Doctoris commentarios Romam afferri voluit, ut ejus sensum per se expenderet. Ita testatur P. Ripalda tom. 2. disp. 113. sect. 9. n. 53. *Bañez, ait, & plerique ejus Discipuli in publicis disputationibus, privatisque sermonibus, ceperunt notare illam sententiam, nempe Molinæ, ut Pelagianam; nostri è contra, ut notam Pelagianismi evitarent, objiciebant oppositæ notam Calvinismi.* Sit ergo certum, quòd non hic celeberrimus pietate, ac doctrina Doctor Salmanticensis est Scholæ nostræ Magister, sed Condiscipulus. Sed de his fatis.

DUBIUM I.

An detur ex Sacris Litteris Gratia efficax præveniens
consensum ab excitante distincta.

§. I.

Auctoritatibus privatis, ut diximus, sepositis, ad publicam Ecclesiam veniamus. Nihil apertius in Scriptura, quam gratia præveniens consensum ab excitante distincta. Hæc enim efficaciter deducitur ex illo Job 45. *Quis ante dedit mihi, ut reddam ei? Cui cononat Apostolus ad Rom. 11. Quis prior dedit illi, ut retribuatur ei? Et ex illo Joann. 6. Hoc est opus Dei, ut credatis in eum. Et iterum: Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Et ex Apostolo ad Cor. 11. *Hæc omnia operatur unus, atque idem Spiritus dividens singulis prout vult.* Et ex illo 1. ad Timoth. *Misericordiam consecutus sum, ut sim fidelis.* Et ad Philipp. 1. *Qui capit in vobis opus bonum, ipse perficiat.* Ac tandem 2. ad Cor. 2. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis: quæ omnia apertissime significant, Divinam gratiam, misericordiam, & benignitatem nostras prævenire voluntates, & eas ad se convertere, ut quodcumque opus bonum faciat. Sed quia referre omnia Sacræ Scripturæ testimonia longius à proposito nostro nos traheret, quibusdam solum examinatis, pro argumenti amplitudine, nos expediemus. Primò ergo probatur Conclusio ex illo Pauli ad Ephes. 3., ubi inquit: *Et innotescat in cælestibus per Ecclesiam multiformis gratia Dei secundum prævisionem sæculorum.* Et ex illo Luca 22. *Filius quidem hominis vadit secundum quod definitum est.* Et ex illo Actorum 22. *Veniens ad me, ait Paulus de Anania, & adstans dixit mihi: Deus Patrum nostrorum præordinavit te, ut cognosceres voluntatem ejus, & Daniel. 12. Clausi sunt, atque signati sermones usque ad prædefinitum tempus.* Ex quibus constat, quòd necessariò sunt in Deo agnoscendæ prædefinitiones ab æterno absolutæ actuum humanorum: sed juxta communem, & fixam contrariorum doctrinam, si in Deo dantur ab æterno prædefinitiones absolutæ actuum humanorum, necessariò in tempore dari debet gratia adjuvans distincta ab excitante, efficaciter inrens consensum v. g. uno verbo physica Prædeterminatione, tanquam effectus prædefinitionis absolutæ illius, ut in tempore ponatur determinatus effectus prædefinitus, teste R. Patre Tyrso tom. 2. select. disp. 6. sess. 4. n. 49. Ergo ex Sacris Litteris efficaciter deducitur gratia efficax præveniens consensum.*

2. Non enim Scriptura loquitur de prædefinitionibus Divinis supposita Dei scientia conditionata de consensu Petri sub tali auxi-

lio, & in talibus circumstantiis, ut forsantè reponent Adversarii. Primò, quia firmior sententia apud ipsos est, non dari prædefinitiones Dei adhuc supposita scientia conditionata: ita Pater Molina in concord. q. 14. disp. 51. §. *Sciscitabitur*, dicens: *quòd Creatura libero arbitrio prædita in unam, vel alteram partem se flectat, non provenire ex scientia Dei, nec ex eo, quòd Deus velit quid ab eo fieri posita in talibus circumstantiis; sed ex eo, quòd ipsa velit id liberè facere.* Ecce quomodò adhuc prævisâ voluntate in talibus circumstantiis, quòd hoc faciat, non est juxta Patrem Molina ex voluntate Dei prædefiniende, sed ex ipsa voluntate creata se determinante. Idem sentit P. Lessius de prædest. & reprob. Angelor. sect. 5. §. *Respondeo*, ubi ait: *Cum homo sit ipsius providentiæ particeps, ut se ipsum absque prædefinitione cum auxilio Divino regere possit, quid opus est omnia opera ejus prædefinire? Cur hoc Deus faciet absque necessitate?*

3. Alii admittunt in Deo prædefinitiones, sed sic illas admittunt, ut ponant illas complexas, seu consistentes in decreto collativo auxilii indifferentis, & in scientiâ mediâ dirigente. Ita P. Tyrso tom. 2. select. disp. 15. sect. 5. Sed ipse fatetur num. 189. sect. 6. hanc suam sententiam non esse conformem doctrinæ SS. August. & Thom. idèquè ut probabiliorè amplectitur sententiam cum P. Suarez propugnante simplices prædefinitiones in Deo; utpote sententiam, ait ipse, *magis conformem Augustino, & D. Thomæ: ubi consequenter asserit, non posse stare hanc simplicem prædefinitionem Dei cum suis principiis stabilitis tom. 1. select. disp. 32. ubi agit de scientiâ mediâ: ecce quomodò clarissimè in principiis hujus Auctoris infertur, scientiam mediâ esse contra doctrinam SS. Augustini, & Thomæ: ad quid ergo aliis in locis gloriantur favere ipsis Augustinum, & Thomam?*

4. Secundò; quia præsupponitur per scientiam conditionatam prævisum consensus Petri v. g. sub auxilio indifferenti oblato in talibus circumstantiis: ergo prædefinitio superveniens, non prædefinitio, sed absolute postdefinitio dici debet. Idè P. Lessius loco citato loquens de prædefinitionibus profequitur: *Non esse necessitatem patet ex præscientiâ conditionatâ, quæ supponit ea, ut omnes farentur absque prædefinitione ulla futura, si Deus talem, vel talem gratiæ opem porrexerit.* Et ipse P. Suarez lib. 1. de concurs. Dei, cap. 16. n. 12. §. *Quòd si quis*, ait, *quòd t alis prædefinitio non est suppositio simpliciter antecedens, sed supponens aliquomodo libertatis actum: ergo nequit Deus propriè, immò ullo modo actus*

Crea-

Creaturarum prædefinire: sed Scriptura dicit quòd Deus prædefinit omnes actus Creaturarum: ergo vel necessariò dicendum, loqui de prædefinitione absoluta, nullam scientiam conditionatam supponentem, vel concedendum in sensu impropiissimo loqui, & contra litteram.

5. Nec valet iterùm dici, quòd licèt talis Dei prædefinitio supponens scientiam conditionatam, supponat prævisum actum creaturæ conditionatè futurum, non tamen illum supponit absolute futurum; & sic bene potest propriè, & absolute à Deo prædefiniri. Non inquam, valet; nam etiã non supponatur futurus absolute, ita tamen in principiis scientiæ mediæ supponitur prævisus, se determinante ipsa creatura: ergo idèo erit, quia creatura vult; idèquè præscitur, quia est à creatura; & non est à creatura, quia præscitus est: quomodò ergo poterit prædefiniri à Deo? Secundò: quia in communi sententia contrariorum prædefinitiones ita ponuntur, quòd necessariæ ad eventus non sunt; & etiã si non essent, eodem modo consensus poneretur in re, ut asserunt P. Lessius, & alii: ad quid ergo illa prædefinitio est? Ad quid ait Paulus, *ut innotescat multiformis gratia Dei secundum prævisionem sæculorum*, si non per prædefinitionem, sed secundum prævisum consensum voluntatis innotescit? Nè ergo tam aperte contra Sacram Scripturam loquamur, necessariò debet poni prædefinitio absoluta independens à scientia conditionata infallibiliter inferens gratiam adjuvantem physice præveniendam, seu prædeterminationem physicam efficacem Dei in voluntate creata, cui nemo resistere potest, ut dicitur Ethier 13. *Non est, qui possit resistere voluntati tuæ, si tu decreveris salvare Israel.*

6. Et sanè, cum decretum, seu actus voluntatis Divinæ prædefinitio rectè vocetur propter causalitatem, sive rationem causæ efficientis, quia ut inquit Augustinus de Civit. lib. 5. cap. 9. n. 1. *Nihil fit, si causa efficiens non præcedat; impropiè omninò hujusmodi decreta Scriptura Sacra prædefinitiones nuncuparet, si subsequerentur ad prævisas hominum voluntates. Hujus rationem assignat D. Thomas in cap. 5. Dionysii de Divin. nomin. dicens: *Hujusmodi rationes Sacra Scriptura vocat prædefinitiones, seu prædeterminationes... quæ quidem prædeterminationes, seu voluntates sunt distinctivæ entium, & effectivæ ipsorum: quia per hujusmodi rationes supersubstantialis Dei essentia prædeterminavit omnia, quæ produxit.* Et D. Damascenus supra dictum Dionysii orat. 1. de Imagin. subdit: *Omnia ab illo prædefinita, & sine ulla commutatione futura, in ejus consilio non aliter antequàm fierent, erant expressa, quàm si quis velit domum edificare, prius imaginem, & formam ipsius in animo effingit, cogitationeque complectitur.* Ex quibus satis constat, quòd infallibilitas scientiæ, aut præscientiæ Divinæ oritur ex infallibilitate*

causalitatis, quam habet Divina voluntas; itaut quemadmodum voluntas Dei, & ejus decretum causa est realis, & physica totius sanctitatis nostræ, eodem modo auxilia, quibus hanc suam voluntatem mandat executioni, causa sint nostræ sanctitatis, & justitiæ, & ipsam prioritate causalitatis præcedant.

7. Totum hoc expressit Apostolus in cita-ta Epist. ad Ephes. cap. 1. dicens: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo. Sicut elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ.* Et cap. 3. *Prædestinati secundum propositum ejus, qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ.* Benedixit nos Deus, inquit Apostolus, in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo, dum auxilia gratiæ suæ, quæ nomine benedictionum dulcedinis intelligit D. August. lib. 2. ad Bonifac. cap. 9. super illud Psal. 20. *quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis* impertitur Deus in ordine supernaturali, quem in cælestibus vocat Paulus juxta decretum electionis: *Cum auxiliis suaves impetus, & amoris impulsus respondeant, non solum ut effectus, sed ut media, quibus decretum implet, quod ab æterno disposuit.* Undè meritò inculcat radicem efficacitatis: *Non enim extra se ipsum, nec extra voluntatem suam querit media, quibus electos sanctificet: sufficit, ut velit; nam volendo tribuit ipsis auxiliis efficaciam, ut iis exequatur, quod voluntas definivit.*

8. Hæc namque auxilia, & gratiæ adjuvantia, quæ benedicendo producit, se habent tamquam virtutes instrumentales omnipotentissimæ voluntatis suæ. Habent causalitatem physicam, & causalitatis infallibilitatem: & cum vis instrumentalis debeat concurrere ad effectum juxta modum, quo concurrunt principalis, salva differentia, quæ cognosci debet inter causam principalem, & instrumentalem, ipsa gratia, quæ ut talis, virtus instrumentalis est, respectu voluntatis Divinæ, verè, propriè, ac realiter influit, & ex se ipsa, ac propria virtute efficacissimè infert actum nostrum, ad quem datur, quippe qui est proprius illius effectus. Non enim virtus instrumentalis moraliter concurrat, dum causa principalis physice influit, cum causa principalis physice influat mediante illa virtute: ergo non potest influere nisi secundum modum illius virtutis instrumentalis: ergo si principalis physice influit, & instrumentalis.

9. Hinc est, quòd gratiam iidem nominibus insignit Augustinus, quibus & voluntatem divinam: vocat enim eam, efficacissimam, potentissimam, omnipotentissimam de grat. & liber. arbitr. cap. 5. dum dixit: *ut*

au-

autem de caelo vocaretur Paulus, & tam magna, & efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola. Et ibidem cap. 16.: Ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati. Et de grat. Christi cap. 29.: Interna, atque occulta, mirabili, atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates. Et iterum de Deo scribit Epist. 217. ad Vitalem: Eos ad se ipsum omnipotentissima facilitate convertit, ac volentes ex nolentibus facit. Et de Paulo ait de prædest. Sanctior. cap. 2.: Aversus quippe à fide, quam vastabat, eique vehementer adversus, repente est ad illam gratia potentior conversus. Hinc etiam fit, quod sicut voluntatem divinam invictam, & cui nemo resistat, juxta scripturas proficitur, idem etiam de gratia secundum illam voluntatem pronuntiet: *Quantalibet sint voluntates, vel Angelorum, vel hominum... Omnipotentis Dei voluntas semper invicta est*, affirmat in Enchirid. cap. 102. At hoc, quod de voluntate Dei pronuntiat, & de gratia confitetur de corrept. & grat. cap. 13.: *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia insuperabiliter, & indeclinabiliter ageretur*. Cujus motionis efficaciam ad Dei voluntatem reducit ibidem cap. 14. sic enim velle & nolle in volentis, aut nolentis est potestate, ut Divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. De his enim, qui faciunt, quæ non vult, facit ipse quod vult. Non ergo ipsa gratia est Omnipotens, est tamen virtus instrumentalis voluntatis divinæ, quæ est Omnipotens: & cum hæc physicè moveat, & efficaciter ex se ipsa, & ex vi propria; ex hujus efficacia, & non ex sola præscientia consensus provenit, quod motiones istæ physicè & efficaciter moveant: ergo vel neganda est contra simplices, & apertas Scripturarum sententias prædefinitio in Deo, vel concedenda gratia præveniens se ipsa efficax, quæ infallibiliter, & efficacissimè inferat actum prædefinitum, & æquè liberum.

10. Secundò probatur conclusio celeberrimo illo Apostoli testimonio I. ad Corint. cap. 4. dicentis: *Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis*. Ex quibus sequens formatur discursus: discretio credentis à non credente absolutè est à Deo ut Apostolus dixit ad Rom. 9.: *Igitur non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*; quod, interprete Augustino in Enchir. cap. 32., idè dixit Paulus: *Ut totum detur Deo, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam*; ergò discretio, non credenti, sed Deo voluntatem ad operandum præparanti & per auxilium suum fidem, ad quam voluntatem præparavit, danti, simpliciter & absolutè tribuenda est; sed per dona, & auxilia æqualia credenti, & non credenti à Deo collata, nequit Deus Petrum creden-

tem à non credente discernere, ut dixit Augustinus de prædest. Sanct. cap. 5. *numquid per hæc dona, quæ omnibus communia sunt hominibus, discernuntur homines ab hominibus?* Ergò debet esse discretio media aliquâ gratiâ intrinsecâ consentienti, præveniente fidem, quæ non sit indifferens, & conjungibilis, tam cum consensu, quam cum dissensu, sed quæ sit connexa cum consensu. Sit namque Petrus à Deo eadem gratia excitante, & auxiliis sufficientibus omninò æqualibus præventus, quibus prævenitur Joannes: si crederet, aut poeniteret, Joanne non credente, aut poenitente; fides sanè, aut poenitentia Petri, quibus discernitur à Joanne non credente, starent unicè pro voluntate, determinatione libera, ac dominio Petri, minimè tamen ex determinatione, aut dominio Dei. Affluent namque aliquod descendens ex misericordia Dei dans Petro ipsum credere, quod non fit in non credente? Si ergò in hac hypothesi nihil esset collatum, aut ex voluntate divina Petro donatum, quod ex eadem voluntate non contulerit, & dederit Joanni, idè præcisè fides, aut poenitentia Petri unicè staret, quia Petrus vult & pro sua libertate, ac dominio determinat: quomodò ergò potest Deo simpliciter attribui discretio consentientis à non consentiente? Immo cum id, in quo Petrus credens, aut poenitens præcellit Joanni non credenti, aut non poenitenti, sit fides, & poenitentia, si hæc non existat pro libertate, ac dominio Dei in Petro, sed pro libertate tantum, & dominio Petri: ergò aliquid haberet Petrus præ Joanne, quod Petrus à Deo non accepisset, & in quo gloriari posset: consequens est contra Apostolum probantem discretionem Petri à Joanne esse à Deo absolutè, quia nihil habet Petrus præ Joanne, quod à Deo non acceperit: ergò ut discretio credentis defumat ex misericordiâ adjuvante credentem, debet dari gratia præveniens distincta ab excitante, ut credat. Non enim incipit discretio ex eo, quod isti credunt volentes, & illi nolentes credere contradicunt; quia cum in electis præparatur absoluta ordinatione divina voluntas, ut credant; quæ non ita præparatur in non credentibus, discretio incipit in eo, quod voluntati venit de misericordia Dei, vel de iudicio; sed gratiam excitantem, ut credant, præparat Dominus per suam misericordiam tam credentibus, quam liberè contradicentibus; æquè enim donatur ista per misericordiam Dei credenti, ac non credenti, nec enim discriminantur in gratia excitante, sicut nec in libertate ad credendum per talem gratiam constituta: ergò aliam gratiam, præter excitantem, quæ discernit ab infideli fidelem, agnoscit Apostolus.

11. Hic est verissimus testimonii Apostoli sensus, quo convictus M. P. Augustinus, non solum Hæreticos debellavit, sed de se ipso triumphavit, ut fatetur ipse de prædest.

San-

Sanctor. cap. 3.: *Neque enim putabam, fidem Dei gratia præveniri, ut per illam nobis daretur, nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis; ut autem prædicato nobis Evangelio, consentiremus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse arbitrabar, quem meum errorem nonnulla opuscula mea satis indicant, ante Episcopatum meum scripta*. Et cap. 4. prosequitur: *Ecce quare dixi superius, hoc Apostolico præcipue testimonio etiam me ipsum fuisse convictum, cum de hac re aliter saperem, quam mihi Deus in hac questione solvenda, cum ad Episcopum Simplicianum, sicut dixi, scriberem, revelavit; hoc igitur Apostoli testimonium, ubi ad reprimendam hominis infestationem dixit, quid habes, quod non accepisti? non sinit quemquam fidelium dicere, habeo fidem, quam non accepi, reprimaturque omninò his Apostolicis verbis tota hujus responsionis elatio*. Sed ex eo, quod Deus discernat fidelem, non potest colligi gratia interna præveniens fidem, si hæc gratia discretiva non est: vel quia apud contrarios tota discretio intrinseca fidelis consistit in ipso credere, vel quia ex hoc antecedenti: *Deus discernit fidelem*, nequit inferri hoc consequens: *Gratia interior prævenit fidem*, si hæc gratia interior non exigitur, ut Deus per illam discernat, & exindè sit discretiva; ergò agnovit D. Augustinus in testimonio Apostoli gratiam supernaturalem discernentem, & distinctam ab excitante, quæ prævenit, & omnibus ad credendum conceditur. Si namque, ut rectè observat Illustr. Castell. de liber. arbitr. disp. 2. q. 1. sect. 4. ex hoc discursu D. Augustini contra Semipelagianos: *non sumus sufficientes ex nobis cogitare: ergò nec credere; iutulit esse necessariam gratiam prævenientem, quæ præstat sufficientiam credendi, quæ ex Deo est: ergò similiter, dum ita arguit Augustinus: Deus discernit fidelem; ergò datur gratia præveniens fidem; æquè efficaciter concludi debet; ergò hæc gratia præstat discretionem fidelis, quæ ex Deo est*.

12. Argumentum hoc defensores contrariæ sententiæ in plures, variasque solutiones abire coegit. Et primò occurrit argumento P. Ripalda tom. 2. lib. 2. de ente supernatur. disp. 30. sect. 28. n. 152. asserens, liberè admitti posse, ipsam voluntatem creatam sua activitate, & actione partiali immediata efficiente conversionem in Deum, se se discernere partialiter in actu secundo ab ea voluntate, quæ non convertitur. Undè nec Deus, nec ejus gratia est causa adæquata talis conversionis. Hæc ille.

13. Sed obstat primò: forma, qua unicè, & adæquatè Petrus credens discernitur à non credente, unicè, & adæquatè est ex determinatione Petri credentis; sed discretio in actu secundo, de qua loquitur Auctor iste, ab eo est unicè, & adæquatè, ex cujus determinatione unicè, & adæquatè existit forma, qua unicè, & adæquatè Petrus credens discernitur à

Joanne non credente: ergò discretio unicè, & adæquatè in ejus principiis est à Petro credente. Vel aliter: fides Petri unicè & adæquatè existit ex ejus determinatione ac dominio, qui pro libertate sua se, ac cætera principia determinavit ad credendum, quin à Deo, vel ab alio determinetur, aut possit determinari; sed forma adæquata hujus discretionis est fides actualis, cum gratia excitans constitutiva libertatis sit communis credenti, & non credenti: ergò forma adæquata hujus discretionis est adæquatè à Petro credente: sed illi absolutè, & simpliciter tribuenda est discretio, à quo unicè, & adæquatè est forma discernens: sicut illi tribuitur absolutè, & simpliciter discretio parietis albi à pariete non albo, à quo unicè, & adæquatè est albedo, quæ hujus est adæquata forma discretionis: ergò discretio unicè & adæquatè tribuenda est Petro, & non Deo.

14. Dices, quod etsi probet argumentum, fidem esse à Petro unicè determinativè, quod Authores contrarii non negant, non tamen, quod sit ab ipso unicè, & effectivè; quia effectivè est, tum à Deo immediatè concurrente; tum ab auxilio, tum à Petro, Petrique voluntate, quod sufficit, ut non sit adæquatè à Petro, sed tantum quod sit ab illo.

15. Sed contra est ex Angel. Præceptore 3. contra gent. cap. 64. n. 4. dicente: *Quid quid applicat virtutem activam ad agendum, dicitur esse causa illius actionis: Artifex enim applicans virtutem naturalem ad agendum, dicitur esse causa illius actionis*. Et 1. 2. q. 80. art. 1. *Solus ille est causa alicujus actionis, qui proprium principium illius movet ad agendum*. Quem movendi modum explicat 1. 2. q. 16. art. 1. in corpor. ubi loquitur de usu, qui est applicatio rei ad opus: *Ostensum est autem supra, quod voluntas est, quæ movet potentias animæ ad suos actus, & hoc est applicare eas ad operationem*. Undè manifestum est, quod ut primò, & principaliter est voluntatis tanquam primi moventis, rationis autem tanquam dirigentis, sed aliarum potentiarum tanquam exequentium, quæ comparantur ad voluntatem, à qua applicantur ad agendum, sicut instrumenta ad principale agens: actio autem propriè non attribuitur instrumento, sed principali agenti. Hæc D. Thomas, in quibus tria hæc asserta expressa leguntur. Primum est: *Causa, quæ applicat, seu determinat virtutem activam ad agendum est causa illius actionis ea proprietate, qua Artifex est causa actionis artificialis, qui certè propriissimè dicitur illius actionis causa: constat hæc propositio ex verbis 3. contra gent. Secundum assertum est, qui non movet, seu determinat proprium principium ad actionem, non est causa illius actionis*: Constat ex illis verbis: *Solus ille est causa alicujus actionis, qui proprium principium determinat, vel movet ad agendum*, nam particula *Solus* exclusiva est. Tertia propositio est: *Virtuti ab alio motæ, & determinatæ ad agendum non propriè attri-*

bui-

buitur actio, sed moventi, & determinanti: habetur hæc propositio in ultimis D. Thomæ verbis.

16. Ex quibus omnibus talis formatur discursus. Nulla actio attribuitur principaliter principii ad illam concurrentibus, motis, applicatis, seu determinatis ab alio ad concurrendum, sed cum omni proprietate attribuitur moventi, applicanti, seu determinanti principia, ut concurrant ad talem actionem; atqui in actuali fide, qua Petrus adæquatè discernitur à non credente, solus Petrus est movens, applicans, & determinans omnia principia ad ea concurrentia; Deus verò & auxilium nullo modo applicat, ac determinat Petrum: ergo fides, ac subinde discretio credentis à non credente, si propriè juxta Angel. præcept. doctrinam loqui volumus, non Deo, non auxilio, sed Petro soli absolute, & simpliciter attribuenda est. Hoc magis fit evidens, si consideretur, minimè negare D. Thomam, quòd virtus naturalis applicata ab Artifice ad operationem suam, cum sit virtus activa concurrat effectivè ad suum effectum; nec similiter negare potentiam executivam effectivè concurrere ad operationem, quæ sit ipsius potentie propria; nam visio sine dubio ab oculo effectivè egreditur: & tamen asserit, quòd nec virtuti naturali ab Artifice applicatæ debet tribui actio, sed Artifici; nec oculo visio, sed homini sua voluntate oculum applicanti, ac determinanti, quia nimirum *Solus ille est causa alicujus actionis, qui proprium principium illius actus movet ad agendum*, idest applicat, ac determinat: ergo quamvis Deus, & auxilium concurrant effectivè, id non sufficit, ut discretio tribuatur Deo, nisi ipse suam potentiam executivam, auxilium, & voluntatem, ac si quæ alia sunt principia actionis, determinet, atque applicet ad agendum.

17. Secundò impugnatur solutio principalis. In eo sensu verificari debet, quòd Deus discernit Petrum credentem à Joanne non credente, & quòd Petrus credens non se discernit, in quo verificantur verba illa Apostoli ad Rom. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*; sed ad hæc verificanda non sufficit concursus simultaneus, sed aliquid aliud requiritur, quod profectò non est aliud, quam gratia adjuvans distincta ab excitante, præveniens fidem: ergo, ut ad sensum proprium Apostoli verificetur, quòd Deus discernit Petrum credentem, à Joanne non credente, requiritur gratia intrinseca, quæ sit causa adæquata discretionis. Min. prob. auctoritate D. Augustini in Enchir. cap. 32. ubi sic loquitur: *Si propterea dictum est: non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia id voluntas hominis sola non implet, cur non è contrario rectè dicitur, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis?* Ergo non sufficit concursus simultaneus, ut verba Apostoli in sensu, quem ipse intendit, verificentur;

alioquin, ut arguit Augustinus, cum homo etiam concurrat cum Deo, ac Dei gratia, ita verè posset dici, non est Dei volentis, sed hominis, sicut dicitur velle non esse volentis, sed Dei miserentis. Huic doctrine consonat D. Thomas ad Rom. 9. lect. 3. dicens: *Potest autem, & aliter intelligi, ut sit sensus, omnia procedunt ex Dei misericordia: igitur non est volentis, scilicet velle, neque currentis, scilicet currere; sed utrumque est miserentis Dei secundum illud 1. ad Corinth. 15 non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Et Joann. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Quibus verbis explicat S. Doctor quomodo verba Pauli non verificari possunt ex præciso concursu simultaneo, sed medio concursu, quem Deus misericorditer impendit, & quo, omnia, quæ illo mediante fiunt, ex misericordia Dei procedunt. Ulterius: hoc concursu simultaneo præcisè attento, verificatur, quòd non solus Paulus, sed Paulus cum gratia, ac tandem, quòd sine Deo saltem comitante nihil possumus. At num. quæso, energia verborum Pauli, quæ discutimus modo, in hoc præcisè consistit? Minimè respondet D. Thomas immediatè subjiciens: *Sed si hoc solum in hoc verbo intellexisset Apostolus, cum etiam gratia sine libero arbitrio hominis non velit, nec currat, potuisset è converso dicere, non est miserentis Dei, sed volentis, & currentis, quod aures piæ non ferunt.* En Augustini consequentia à D. Thoma deducta, & ex eodem probata principio: ac proinde evidens redditur ex utroque Sanctissimo Magistro, concursum Dei simultaneum non sufficere, ut verba Pauli suum accipiant sensum ab Apostolo intentum; quod signatè dixit S. Thomas adjiciens: *Unde plus aliquid est ex his verbis intelligendum.* Sed quid plus intelligendum erit? Audiatur D. Thomas: *ut scilicet principaliter gratia Dei attribuat.* Verùm hoc opus, hic labor quomodo principalitas gratia Dei attribui potest? Respondet D. Thomas per hæc, quæ sunt ipsi familiarissima verba: *Semper enim actio magis attribuitur principali agenti, quam secundo, puta, si dicamus, quòd securis non facit arcam, sed Artifex per securim; voluntas autem hominis movetur à Deo ab bonum.* Undè supra 8. dictum est, *qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Et idèd hominis operatio interior non est hominis principaliter, sed Deo attribuenda. Et objecta sibi replicà, de læsione libertatis concludit: *Sic ergo velle currere est hominis ut liberi, non autem est hominis, ut principaliter moventis.* Cujus rationem assignavit ibi, *Quia Deus unumquodque movet secundum naturam suam conditionem.* Quæ doctrina diligenter observanda, cum ex ipsa liquidò constet, non sufficere concursum simultaneum, sed aliam requiri gratiam distinctam ab excitante, discretivam credentis à non credente.

18. Tertio impugnatur solutio, quæ minimè satisfacit argumento: nam vel hæc partialis discretio est à Deo, & ab ipso incipit, vel

vel à Deo non est, nec incipit? Si primum, ergo nec inadæquatè se discernit Petrus credens à Joanne non credente; quia ab eo discernitur Petrus credens, à quo habet fidem, quæ est forma, qua discernitur; ac proinde si illam habet à Deo, & non à se, à Deo adæquatè discernitur, & se absolute non discernit. Si dicatur secundum, ut dicere videtur Auctor solutionis: ergo jam Petrus credens aliquid in se ipso invenit, non quidem existens in eo sine gratia, sed non acceptum à gratia, de quo proinde gloriari poterit; illud nempe partiale, quod ipse ex propriis, & pro suo dominio in se facit, ad quod faciendum non determinatur à Deo. Hoc autem asseri contra Paulum quis non videat? *Quid habes, ait; idest, nihil habes, quod non accepisti.*

19. Præterea, ut benè Augustinus de Prædest. Sanctor. cap. 6., non est dubium apud Catholicos, quòd Petrus, si credit, liberè credit, & consequenter, quòd licet à gratia, ex propria tamen determinatione habet formam, sive fidem, quæ discernitur à Joanne non credente, & quòd per illam Petrus formali actu se discernit à Joanne. Verba Augustini hæc sunt: *Multi audiunt verbum veritatis; sed alii credunt, alii contradicunt: volunt ergo isti credere, volunt autem illi. Quis hoc ignoret? Quis hoc neget?* Nulla itaque de hoc puncto potest esse dubitandi ratio. Stat ergo diffidium in hoc, an scilicet, hoc quod est Petrum credentem se discernere à Joanne, ita habeat Petrus à se ipso, ut illi non sit à Deo datum adæquatè, sed formam discretivam ipse à se saltem partialiter habeat ex propria motione primò à se incipiente? Id enim P. Ripalda sentire videtur, ac velle; & id esse contra Apostolum nos contendimus argumento factò, quia nimirum Petrus credens aliquid haberet non acceptum à gratia, de quo posset gloriari. Undè Augustinus de Prædest. Sanctor. cap. 5. ait: *Dixit enim Apostolus, quis enim te discernit? Et quia posset dicere homo inflatus, discernit me iustitia mea, fides mea, vel aliquid aliud: talibus occurrens cogitationibus S. Doctor addidit, quid autem habes, quod non accepisti? A quo nisi ab illo, qui te discernit ab alio, cui non donavit, quod donavit tibi?* Ergo non solum est contra Apostolum, quòd discretio sit à Petro adæquatè, sed quòd inadæquatè, & partialiter ab illo sit, quia de illa gloriari posset. Quia tamen juxta adversariorum principia non facilè intelligitur, quæ ratione tota discretio à Deo sit, ac simul nobis meritiorum, & perinde liberum, quòd discernamus, memorari oportet, quod Tridentinum docuit, scilicet dona Dei esse merita nostra, quinimò merita nostra sunt, quia dona Dei sunt. Igitur discernimur libera voluntate nostra, sed quia ejusmodi actualis voluntas nostra, in qua consistit formalis discretio, donum Dei est, tota discretio à Deo est, qui dedit nobis ipsum formaliter discerni, juxta naturam nostræ voluntatis; idest, de-

dit, ut liberè discerneremur. Qui sensus altissimus quidem est, & iuperans humanum captum. At quidem id docuit Paulus, & Patres intellexerunt, quòd altissimum est, & sensum nostrum superat.

S. II.

Alia Contrariorum solutio rejicitur.

20. Communiter distinguunt Adversarii duplicem discretionem consentientis in statu absoluto, unam in actu primo consentienti extrinsecam, aliam in actu secundo intrinsecam consentienti, quam unicè in ipso consensu constituunt, quia solum consensus constituit formaliter Petrum consentientem, & discretum, seu distinctum à non consentiente; undè de hac discretionem eodem modo discurreunt, ac de consensu. Afferunt enim esse ab ipsa voluntate consentiente, quia potest sibi tribuere, ut inquit August. lib. 83. qq. q. 68. *Quòd cum gratia Dei vocata consentiat, licet non quòd vocata sit, & quòd hæc determinatio consensu est à Deo, licet non determinante voluntatem, ut consentiat, benè tamen efficiente determinationem, quæ est identicè ipse consensus.* Ex quo principaliter Deo, & non voluntati tribui debet discretio consensus; quia Deus consentienti dedit auxilium sufficiens in occasione, in qua auxilium esse habiturum effectum prævidit. Ita PP. Suarez lib. de auxiliis cap. 14. n. 17. & cap. 20. n. 10. Vasquez 1. p. disp. 98. cap. 6. n. 39. Herrera de prædest. q. 15. sect. 2. à n. 59. Tyrso tom. 1. disp. 17. q. 13. Avendaño disp. 13. cap. 1. n. 20. Ribadeneyra de prædest. disp. 21. cap. 1. Marin. tract. 8. disp. 4. sect. 1.

21. Sed primò impugnatur solutio, ex quo nullam aliam discretionem intrinsecam consentienti, distinctam ab ipso consentire, constituit. Sic etenim Deus non esset verè discernens, sed solum aspiciens discretionem à creatura utente concursu Dei, & à Deo ex creaturæ determinatione faciendam contra Apostolum dicentem: *quis te discernit?* Sicut Deus nec verè dicitur consentiens, licet ex determinatione creaturæ efficiat consensum, nec verè dicitur determinans, ex quo determinante creaturæ hujus determinationem, titulo universalis causæ juxta oppositos AA. efficiat: ergo si in ipso consensu stat unicè discretio, Deus diceretur efficiens discretionem, non discernens: & cum idem esset inquirere, quis discernit, aut quis consentit, cum voluntas sit, quæ consentiat, interroganti quis discernit? Rectè responderi potest, voluntas, & non Deus.

22. Secundò; quia gloriari posset voluntas de suo consensu, & quòd ipsi tribuenda est discretio, de qua loquitur Paulus. Loquitur namque de discretionem in actu secundo: tùm quia si non loqueretur de discretionem intrinsecam in actu secundo ex hoc testimonio non effi-

faciter posset D. Augustinus gratiam intrinsicam prævenientem inferre: tum, quia Apostolus nec loquitur de discretione possibili, nec de discretione futura, sed de discretione existente; nec enim ait, quis te discernere potest, aut quis te discernet? Unde ut probet esse à Deo discretionem ait, *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Ubi expressè loquitur de discretione, quam dona causant accepta: ergo si hæc discretio in actu secundo intrinseca consentienti est indistincta ab ipso consentire, sicut in ipsorum principiis gloriaripotest de consensu, ita & de discretione. Dixi in ipsorum principiis, juxta quæ licet à voluntate Petri non oriatur, quod sit vocatus, quia vocatio ex terminis à vocante procedit, ipse tamen consensus principaliter pendet à determinatione, dominio, & beneplacito Petri; quia videlicet determinatio auxilii, & concursus Divini, immò & hoc, quod est auxilium actu influere, ac Deum actu concurrere ad fidem, unicè existunt ex determinatione, ac dominio Petri ita sanè, ut non solum hæc sit vera: *Auxilium concurrat, quia Petrus vult*, sed etiam hæc vera sit: *Deus cooperatur Petro ad fidem, quia Petrus vult*, & *eligit, Deum sibi ad credendum cooperari*: sicut ex opposito falsæ sunt istæ apud contrarios: *Auxilium insuit, quia Deus vult: Deus cooperatur Petro ad fidem, quia ipse vult Petro ad fidem cooperari*. Cujus ratio manifesta est, quia & decretum, & auxilium, & quidquid se tenet ex parte Dei voluntatis, & omnipotentia, omnia sunt indifferentia, & conjungibilia cum fide, & carentia fidei. Unde omnipotentia applicata voluntati Petri, nec ex se, nec ex vi decreti, quo applicatur, magis petit concurrere ad fidem, quam non concurrere; cum determinatio, & applicatio ad unum præ alio, unicè, & adæquatè pendeat à determinatione Petri, & hoc ipsum quod est actu concurrere, & cooperari ad fidem Petri: ergo id, quo Petrus credens discernitur in actu secundo à Joanne non credente, Petrus à se habebit. Ergo coram Deo, & adversus Paulum poterit elatus gloriari de consensu, & de discretione intrinseca, de qua loquitur Paulus.

23. Amplius hujus discursus declaratur efficacia. Nec ex decreto applicante omnipotentiam, nec ex decreto conferente auxilium, nec ex positione Petri in tali occasione, nec ex complexo horum omnium, infertur fides Petri, quia cum illorum quolibet, & cum omnibus simul sumptis, componere valet Petrus carentiam fidei. Quod si posito complexo, fidei existentia infertur; infertur ex libera Petri determinatione, & præcisè, quia ipse vult, cum illo complexo fidem conjungere: ergo causa unica, vel certè potissima fidei, qua Petrus credit, & à Joanne non credente intrinsece discernitur, est placitum, ac voluntas Petri, quod nescio, an

ipsi valeant, aut aliquis concedere audeat.

24. Præterea: in complexo requisitorum ad existentiam fidei intrinsece discernentis Petrum à Joanne numerari debent decretum applicans omnipotentiam, & omnipotentia applicata, decretum conferens gratiam efficacem, & gratia efficax liberaliter collata, ac tandem voluntas pro sua duntaxat libertate reddens gratiam efficacem, sed præstans gratia efficaciam tum in actu primo, tum in actu secundo; & discretio ideò præcisè tribuitur Deo, quia gratiam efficacem tribuit: quod sanè non sufficit, ut Deo tanquam causæ principali tribuatur discretio credentis à non credente. Quæ enim est causa principalis, & hujus discretionis potissima ratio, nisi illa, quæ medio illam facienti tribuit omnem efficaciam ad talem effectum requisitam? Ergo si Petrus est unica, & adæquata causa tribuens efficaciam omnem medio discretionem facienti, scilicet gratia, quam pro sua libertate tam in actu primo, quam in actu secundo, efficacem constituit, ipse erit, & non Deus hujus discretionis principalis causa.

25. Urgetur insuper, ut magis fulgeat argumenti difficultas. Non solum efficacitas gratia in actu primo, & actualis influxus in formam unicè discernentem pendet unicè & adæquatè à Petro; verum etiam potestas proxima Dei ad faciendam, immò & ad volendum discretionem facere, unicè, & adæquatè pendet à voluntate Petri, qui sine dubio potest sibi attribuire potestatem Dei, & efficaciam omnium, quæ Deus habet mediolorum, ad illum discernendum. Hæc est ipsa contrariorum sententia; nam potestas proxima ad prædefiniendam, & faciendam discretionem Petri à Joanne, constituitur per scientiam mediam, quæ unicè existit pro voluntate Petri; deinde mediolorum efficacia tam in actu primo, quam in actu secundo, existit unicè pro ejusdem Petri voluntate, quæ tum in statu conditionato, tum in statu absoluto, auxilia pro suo placito determinat, nec non omnipotentiam: ergo principaliter concurrat Petrus, quæ Deus, ex quo, si rem totam perscrutemur, constabit, quæ difficillima sit solutionis doctrina. Inquirente namque Paulo à Petro credente: *Quis te discernit à Joanne?* Verè respondere poterit; etsi Deus nos eadem vocatione vocaverit, ille restitit, ego assensum præbui, quia sic fuit voluntas mea. Rursus si Paulus urgeat, & inquireat, dicens: *Quid enim habes, quod non accepisti?* Occurret Petrus, verissimè dicens; ex me est determinatio omnipotentia mihi indifferenter applicata; ex me concursus efficax auxilii, & meæ voluntatis applicatio; quæ omnia ex me sunt, & non misericorditer à Deo accepta: mihi enim, & Joanni æqualiter fuit applicata omnipotentia, æquale fuit collatum auxilium, æqualis credendi occasio, & utriusque arbitrio æqualiter est relicta horum omnium determinatio. Non Deus determinavit

vo-

voluntatem meam ad assensum; ex me fuit determinatio propria voluntatis, & efficacia auxilii ad assensum mihi dati: ergo discretio non est à Deo accepta, sed mihi principaliter tribuenda. Hæc quidem ratio, quam Petrus juxta doctrinam solutionis reddere potest, insolubilis mihi est, & efficaciter probans resolutionem discretionis juxta adversarios, principaliter ad arbitrium nostrum debere fieri, quàm ad Dei misericordiam, quod an ferant verba D. Pauli, ipsi videant. Nec satis est dicere, quòd licet Deus æqualia dona consentienti & non consentienti contulerit; tamen id consentienti est à Deo specialius, quòd illi contulit auxilium, quando eum prævidebat consenturum. Non inquam sufficit: nam rogo; si Deus cæco modo, id est, nihil prævidens, ea auxilia in illis circumstantiis conferret; non ne idem sequeretur effectus? Uti que dicent; nec alium posuit juxta propria principia dicere. Ergo prævisio, & collatio in illis circumstantiis solum arguit affectivam Dei voluntatem de consensu, non verò effectivam; quia consensus effectivè esset, etiam si Deus conferens hoc auxilium, eum futurum nesciret.

26. Sed respondebis forsitan ex P. Suarez lib. 5. de grat. cap. 22. n. 16. & cap. 25. n. 3. & cap. 29. n. 19. & 20. cap. 46. n. 16. necessarium esse, aliquam discretionis resolutionem fieri in liberum arbitrium. Quod probare tentat ex D. Augustino lib. 83. q. 68. ubi asserit S. Doctor: *Et si quisquam sibi tribuit, quòd venerit vocatus, non potest sibi tribuere, quòd vocatus sit*. Quibus in verbis apertè videtur Augustinus concedere, rectè homini tribui venire post vocationem, hoc est, consentire: non autem alia ratione tribuitur, nisi quia sua libertate, ac voluntate venit, quia vult. Quod confirmat ex eodem Augustino de grat. Christi cap. 14. & de spirit. & litter. cap. 34. dicente: *Ipsium velle credere operatur Deus in ipso homine, consentire autem vocationi Dei, vel dissentire, propria voluntatis est*. Et tract. 4. in Joannem ait: *Eo quòd adjungis voluntatem tuam Deo, calificas te ipsum, calificas te non de te, sed de illo, qui venit, ut habitet in te: tamen quia agis aliquid voluntate, ideo & aliquid tibi tributum est, ita, ut dicas, adjutor meus esto*. Et lib. de Ecclesiast. dogmatibus cap. 21. sic loquitur: *Manet ad quærendam salutem arbitrii libertas, sed admonente prius Deo, & invitante ad salutem, ut eligat, vel sequatur occasione salutis, hoc est inspiratione Dei: & potest: Initium ergo salutis nostræ, Deo miserante, habemus, ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostra potestatis est*. Hæc refert P. Suarez lib. 5. de grat. cap. 46. n. 16. Ex quibus planè colligi videtur, discretionem Petri credentis à Joanne non credente, in eo quod Petrus vocatus ad fidem venerit, reduci posse, ac debere ad Petri libertatem. Eò præfertim, quòd D. August. loco citato de spirit. & litter. suam sententiam componit cum

verbis Apostoli dicens: *Quæ res non solum non infirmat, quòd dictum est; quid autem habes quòd non accepisti? verum etiam confirmat*, quæ solutio P. Suarez communis est apud ipsos.

27. Sed aliena est à mente Augustini ejusmodi responsio. Quod difficultatis est in argumento, jam à nobis supra solutum est, ad finem §. antecedentis, & iterum infra id ipsum tangemus. Ad ipsa autem testimonia modò accedamus. Illud quippè, quòd adducitur ex lib. de Ecclesiast. dogmatibus non est Augustini, sed Gennadii Presbyteri Massiliensis, continens Massiliensium doctrinam. Nam primò statuit libertatem arbitrii ad quærendam salutem indigere, ut à Deo præveniatur admonitione, invitatione, atque inspiratione: deinde asserit, initium nostræ salutis esse à Deo, quia admonet, invitat, & inspirat: ac tandem contendit, ideo non auferri arbitrii libertatem, quia determinatio nostræ relinquitur potestati, quæ est Massiliensium doctrina. Ipsum fuisse unum ex Semipelagianis clarè ostendit M. Gonet tom. 4. dup. 2. de Hæres. Semipelag. art. 5. n. 49. ideòque in lib. de viris illustribus Cassianum, & Faustum laudat, eorumque de gratia doctrinam doctrinæ Prospero anteponit, & maximo inter Doctores Hieronymo præfert Rufinum Aquilejensem Presbyterum Pelagii precursorum, ac Pelagianæ Hæresis Architectum, ut loco citato docet M. Gonet. Librum insuper illum de Ecclesiasticis dogmatibus esse Gennadii, & non Catholici Scriptoris, constat ex censura Eximiorum, doctissimorumque Lovaniensium in edit. oper. D. Augustini facta Parisiis anno 1586. ubi sapientissimi illi Theologi prædicto libro talem præfixere censuram.

28. *Liber hic non est Catholici Scriptoris, sed Gennadii Massiliensis in Gallia Presbyteri, qui supplevit, quem B. Hieronymus de viris illustribus scripsit. Unde Walafridus lib. de rebus Eccles. cap. 2. Gennadius, inquit, Massiliensis Presbyter in dogmate Ecclesie &c. Et sub eodem nomine citatur ab Algero lib. 1. de corpor. & sanguine Domini cap. 22. in prima editione, & à M. Sententiar. lib. 2. dist. 8. in edit. Lovaniensi, & manuscriptis, ac vetustis, quos consulimus, codicibus. Et quòd liber non sit S. Augustini, sed Gennadii constat ex D. Thoma quodlibet 12. art. 10. Respondeo dicendum, quòd Augustinus hanc quæstionem non determinat, sed indeterminatam relinquit in lib. de Ecclesiast. Dogmatibus, sed liber ille non est Augustini, sed Gennadii. Et in Caten. ad caput 1. Matthæi. Item Platina in Simmacho Gennadio tribuit Massiliensi, & infra: Sanè hic Auctor nusquam in hoc libro meminit peccati originalis, aut Baptismatis infantium in remissionem peccatorum. Cumque multos nominet Hæreticos nusquam meminit Pelagii, aut Catholici Dogmatis contra eum prolatis: Sed contra diligenter inculcat animas non esse ex raduce, eò quòd sciret, Pelagiam inde suum Dogma statuere. Hæc ibi Theologi Lo-*

vanientes: & in cap. 21. subjiciunt Antidotum dicentes: *Quæ deinceps leguntur usque ad caput 52. non sunt Gennadii, sed ab erudito quodam, & recentiore Scriptore in hoc loco interjecta sunt, propter errores aliquot præcedentium capitum. Undè factum est, ut hæc ipsa in manuscriptis codicibus non inveniuntur.* Hæc Theologi illi. Baronius quoque tom. 5. ad annum 433. n. 29. dicit, Gennadium esse æquè Pelagianum ac Cassianum, & tom. 6. anno 490. n. 45. ait: *Quod ad Gennadii doctrinam spectat, ipsum aliquantò æquè, ac Faustum impugnando Pelagium, fuisse Pelagii erroribus, qui ejus scripta accuratè perlegerit, intellexerit.* Et nominatim de lib. de Ecclesiasticis dogmatibus id jam diù annotaverat Ecclesia Lugdunensis adversus Joannem Scotum. Quæ omnia à nobis adducta sunt, ut constet, Gennadium fuisse unum ex Semipelagianis.

29. Gennadii doctrinam esse in omnibus, Semipelagianorum sententiæ concordem, non difficile ostenditur: primò quia de Vitale refert S. Augustinus, dixisse: *Operari Deum, quantum in ipso est, ut velimus, cum nobis nota sunt ejus eloquia; sed, si eis acquiescere nolumus, nos, ut operatio ejus nihil nobis proficit, efficiemus.* Quibus verbis gratiam quoad usum, & determinationem subjicit arbitrio. At reclamat Augustinus opponens: *Quæ si dicis, profectò nostris orationibus contradicis?* Non enim voluit August. consentire, gratiam omnem libertati voluntatis subiectam. Concors etiam est Gennadii doctrina Cassiano inter Massilienses præcipuo, qui collat. 13. ex lib. Pastoris asserit. *Adjacere homini in quamlibet partem, ut inter duos Angelos sibi adhaerentes constitutus diversis suasionibus utrimque pulsatur; in hominis verò optione consistere, ut eligat quem sequatur, & idèd manet in homine liberum arbitrium, quòd gratiam Dei possit negligere, vel amare.* Quid clarius ad rem desiderari potest? Verùm omninò adverte, Cassianum gratiam interiorem prævenientem admisisse, quod constat tum ex his verbis, tum ex collat. 3. cap. 4. & 12. ubi docet: *Quòd inspiratio in nos immittitur, quæ dormientes ad desiderium salutis exsuscitat, quæ Deum sequi compunctione saluberrimè cohortatur: gratia autem exsuscitans desiderium salutis præveniens est.* Ex quibus constat liquidò illa tria, quæ docuit Gennadius, præcipuosque inter Massilienses solam admisisse gratiam interiorem prævenientem, & comitantem, & subiectam arbitrii determinationi.

30. Illæ autem autoritates, quæ inducuntur ex lib. de Spirit. & litter. ac ex tract. 4. in Joann. nihil afferunt contra sententiam nostram; nec enim ullus unquam negavit Thomista, voluntatem liberè credere, & liberè Deo cooperari, sed contendunt omnes, libertatem istam, ut exercentur, pendere essentialiter à Prædeterminatione, qua subjiciatur Deo, non verò Deus subjiciatur creature. In hoc ergò diffidium non est, nec quòd liberè consentiens se discernat, dum

consentit, cum per consensum constituatur consentiens, & discretus à non consentiente. Controversia est solùm, an prius sit discretus per specialem Dei gratiam, ut consentiat? Hoc nos defendimus. Sicut enim consentiens liberè se determinat ad consensum, sed jam præviè determinatus à Deo, ita liberè se discernit per consensum, sed jam præviè discretus à Deo, qui, quem vult, discretum facit. Quis ergò se discernit? Fatemur esse omninò verum, quòd consentire, & dissentire propriæ est voluntatis, & quòd discernimur, cum accipimus consentiendo dona Dei. Ex quò tamen minimè inferri debet, quòd Deo deneganda sit hujusmodi discretio. Quod explicat Augustinus cap. seq. 35. dicens: *Nam si propter eam non est opus Dei, quia per nos agitur, vel quia illo donante nos agimus, nec illud est opus Dei, ut mons transferatur in mare, quia per fidem hominum fieri posse Dominus dixit, & hoc ipsorum operi attribuit: Si ergò hoc est ex determinatione Dei, licet nostræ fidei rectè attribuat, cur, quòd acceptentur dona Dei per consensum, non erit ex determinatione Dei, licet nostræ fidei rectè ab Augustino attribuat? Sic pariter, quòd aliquò sit in homine, quia ipsi videtur, & quia ipse vult, minimè tollit, quòd Deo prius visum sit, ut constet ex D. Augustino de natur. & grat. exponens illud Lucæ cap. 1. *Visum est mihi: sic habet: Potest non sibi visum esse, quòd visum sibi esse declarat, non enim voluntate tantum humana visum est, sed sicut placuit ei, qui in me, inquit, loquitur Christus: & idèd, qui Christum sequitur, potest interrogatus, cur esse voluerit Christianus? Respondere, visum est mihi, quòd cum dicit, non negat Deo visum. A Deo enim preparatur voluntas hominum; ut enim Deus honorificetur à Sancto, Dei gratia est.**

31. Ad sextum D. Augustini ex lib. 83. quæstionum 68. respondetur, quòd M. P. Augustinus loquitur permittendo doctrinam, falsam, & à se immediatè antè impugnatam, ut patet ex illis verbis: *Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt, nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam ut venirent vocati, erant in libera voluntate. Vocatio ergò ante meritum voluntatem operatur. Præterea eis qui sibi tribuit, quòd venit vocatus, non sibi potest tribuere, quòd vocatus est.* Ecce in prioribus verbis asserit Augustinus, quòd vocati venientes non possunt sibi tribuere, quòd venerint postquam vocati sunt: è contra verò asserit, quòd illi, qui vocati non venerunt, sibi, quòd non venerunt, tribuere debent; quibus verbis consonat Augustinus Osee dicenti cap. 13. *Perditio tua ex te, tantummodò in me auxilium tuum: & sibi ipsi de prædest. Sanctor. cap. 8. ubi tractans discretionem plurimum, qui ad fidem vocantur, quorum aliqui veniunt, alii non veniunt, sic quæstionem resolvit: Cum igitur*

Evan-

Evangelium prædicatur, quidam credunt, quidam non credunt: sed qui credunt, Prædicatore forissecus sonante, intus à Patre audiunt, atque discunt; qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque discunt: hoc est, illis datur, ut credant, illis non datur. Et paulò post subjungit Augustinus: *Neque enim audientes Evangelium à non audientibus, sed credentes à non credentibus discernerebat, qui dicebat: nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo. Cum ergò docet Augustinus: Etsi quispiam sibi tribuit, quòd venit vocatus, loquitur conditionaliter, aut permittendo id, quòd hoc evidenti discursu, ut falsum impugnat: nemo potest sibi rectè tribuere id, quòd alium præcellit, si id sibi convenit ex dono Dei, ut asserit Paulus: Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Sed fides, qua Petrus vocatus præcellit Joannem vocatum, convenit Petro ex dono Dei, ut constat: ergò Petrus non potest sibi tribuere fidem, qua præcellit Joannem vocatum, & non credentem: poterit ergò gloriari de eo, quòd vocatus venit, sed non in se ipso, sed in Domino, à quo accipit ipsum venire. Si enim vocationem sequitur, id ipsum Dei est, qui operatur in nobis velle, & de cujus munere venit, ut à fidelibus suis dignè, & laudabiliter serviat, & qui nos facit amare, quòd præcipit.*

32. Hoc eruditissimè explicat Illustrissim. Castel. disp. 2. q. 1. sect. 10. triplicem modum gloriandi se in homine distinguens. Potest enim quis gloriari de bonis non habitis, & tunc stultè gloriatur; & idèd dixit Apostolus 2. ad Corint. 12. *Si voluero gloriari, non ero insipiens, veritatem enim dicam. Quod exponit D. Thomas: Dicit, non ero insipiens, quia gloriabatur de his, quæ habebat. Quando enim gloriatur quis de his, quæ non habet, stultè gloriatur. Secundò potest quis gloriari de bonis habitis, ut non accepit; & hæc gloriatio elatio est: Quia quid habes, quòd non accepisti? Quasi dicat Apostolus, nihil. Omnia enim bona sunt à Deo secundum illud ex Paralip. 19. tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi; ut exposuit D. Thomas super verba Apostoli. Tertio potest quis gloriari de bonis habitis, & acceptis; de quibus si gloriatur in Domino, justè gloriatur, sic enim gloriari non est superbire, sed humiliari; si quis autem de bonis habitis, & acceptis gloriatur in se ipso, hæc est gloriatio ab Apostolo prohibita; est elatio injusta, & superba. Si enim gloriatur in se ipso de bonis habitis, & acceptis, non gloriatur quasi accipiens, ut notavit D. Thomas ibi, dicens: *Ille gloriatur quasi accipiens, qui omnia Deo adscribens gloriatur de ipso, sicut supra dictum est. Qui gloriatur in Domino gloriatur. Sic autem gloriari, non est superbire, sed humiliari sub Deo, cui homo dat gloriam, secundum illud: danti mihi sapientiam, dabo gloriam.* Quæ & est expressa D. Bernardi sententia de verbis Apo-*

stoli: *Noverat Apostolus gloriam propriam esse Creatoris, non Creature, secundum illud: gloriam meam alteri non dabo, & gloria in excelsis Deo. Iterumque, non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam. Sed consideravit rationalem Creaturam adeo affectare gloriam, ut aut vix, aut nunquam ab hoc compepsi desiderio possit: propterea saluberrimum adinvenit consilium. Quando quidem persuadens nobis non potest non gloriari: saltem qui gloriatur, non in altero, non in se, sed in Domino gloriatur: itaque qui gloriatur, jam non in meritis suis gloriatur. Quid enim habet, quòd non accepit? Si autem accepit, quid gloriatur, quasi non accepit? In eo ergò à quo accepit gloriatur, non quasi ipse magnus sit; sed quia magnificet eum Deus; hoc est, ut in illis, quæ accepit, non quasi ea non accepit; sed quasi quia ea accepit, gloriatur. Nec enim ait Apostolus, si autem accepisti, quid gloriaris; sed quid gloriaris quasi non accepisti? Ut non prohibeat, sed doceat gloriari. Quod in præsentis sufficit, cum textus iste rem apertè suadeat.*

S. III.

Aliter impugnatur eadem solutio.

33. **D**icitis, probatisque insistimus, ut magis appareat, quòd non solùm discretio in actu secundo intrinseca consentienti, sed quòd nec discretio in actu primo extrinseca consentienti juxta principia scientiæ mediæ, sit simpliciter à Deo. Nihil enim in tota Philosophia certius, quàm quòd discretio consecuta in subiecto debet per se in causâ præcontineri; ne effectus per accidens se habeat respectu causæ; sed causâ proximè causans fidem Petri, & discretionem à Joanne, quæ ex fide consequitur, est auxilium: ergo, discretio Petri, quæ non se habet per accidens respectu auxilii, debet per se præcontineri in auxilio. Discursus iste est planè demonstrativus. Modò argumentor sic: inquirendo ab adversariis, per quid primò discernatur auxilium collatum Petro credenti ab auxilio collato Joanni non credenti? Certè in alio non distinguitur, nisi quòd auxilium collatum Petro est proximè potens causare fidem, & discernere Petrum à Joanne: sed totum id habet à voluntate Petri: ergo discretio talis auxilii radicaliter, & absolutè est à voluntate Petri. Ex quibus iterum argumentum conficio. Illa est potissima, & principalissima, causa discretionis consecutæ ex fide Petri, quæ est unica, & adæquata causa discretionis causæ proximè, & infallibiliter inferentis discretionem; sed unica, & adæquata causa discernens causam proximè, & infallibiliter inferentem discretionem ex effectu, est voluntas Petri: ergo potissima, & principalissima causa discretionis consecutæ ex fide Petri, est Petri voluntas. Nec argumento obstat, quòd discretio hæc nunquam existet, nisi Deus mi-

se-

fericorditer auxilium conferat. Hoc enim probat, collationem auxilii esse necessariam, & debere præsupponi ad discretionem faciendam, sed non faciendam per auxilium, utpote non habens virtutem, sed per determinationem voluntatis ex sua innata libertate, prævisam per scientiam mediam. Valdè autem est diversum aliquid esse necessarium ad discretionem, & aliquid discernere, aut facere discretionem. Fides autem Catholica non solum prædicat, necessarium esse ad discretionem auxilium Dei, sed etiam Deum discernere. Præterea: ut existat effectus, duo requiruntur, & quòd existat forma, & quòd existat cum virtute præstandi effectum; non enim tribuitur existentia effectus facienti existere formam, sed tribuenti virtutem ad præstandum talem effectum: ergo licet ex Deo sit, quòd existat auxilium, cum tamen auxilium habeat à voluntate nostra virtutem discernendi, effectus discretionis non Deo, sed nobis radicaliter tribui debet. Deo ergo unice tribuatur juxta responsionem, quòd decretum conferendi auxilium existat; at quòd hoc auxilium semel existens sit discretivum, poterit voluntas sibi tribuere; cum tale sit auxilium à conjunctione cum scientia media efficacis auxilii, potius quàm cum illius carentia, quod determinatè est unice penes voluntatem Petri. De hoc ergo gloriari poterit Petrus in se ipso adversus Paulum, quòd Deus sit proximè potens ipsum discernere per auxilium prævium efficacem, & de eo quòd habeat talem scientiam efficacis auxilii: si namque sibi tribuere non potest existentiam auxilii, ex ipso tamen est, quòd decretum illud discretivum sit, & quòd non impedivit tale decretum.

34. Hoc ampliùs confirmari potest. Si libertas Petri, & potestas proxima ad credendum constituitur per auxilium, poterit sanè Petrus in sensu composito auxilii non credere, aut discredere; id est, conjugere cum auxilio disensum, aut negationem Fidei. Inquiri modò, quænam causa est Petrum reddens credentem, & à Joanne formaliter discretum? An auxilium? Minimè, quia Petro integrum est resistere auxilio, & cum illo conjugere fidei carentiam. Num omnipotentia applicata? Nequaquam, quia hæc non concurrat nisi à voluntate determinetur, & voluntas Petri illam potest non determinare. An scientia media? Neutiquàm, quia Petrus omnibus his instructus potest per carentiam assensus impedire scientiam mediam assensus: ergo cum nihil restet aliud, quod sit causa reddens Petrum credentem, & à Joanne discretum, præter ipsam voluntatem Petri eligentis assensum, & determinantis indifferentiam omnipotentiam sibi applicatam, auxilii sibi collati, & intellectus Divini, ratio primariò inferens fidem, qua Petrus discernitur à Joanne, voluntas Petri est, non decretum, non auxilium, non scientia, non denique ali-

quid aliud ortum habens à libertate Divina. Non scientia, neque decretum, quia utrumque valet Petrus sua libertate impedire; non auxilium, quia potest cum illo conjugere fidei carentiam. Quare ergo Petrus credit, si interrogas? Respondendum, quia vult, & redditur causa adæquata. Quid ergo Deus scientia, decreto, & auxilio præstitit Petro? Si rursus scisciteris, respondendum, quòd Petro contulit potestatem, ut posset, si vellet se discernere à Joanne: & relinquendo illi omnium determinationem, eum in occasione constituit, in qua præviderat, Petrum se à Joanne discreturum, si in ea constitueretur: at re ipsa se discevisse, Deumque dumtaxat præstitisse.

35. Sed ut magis explicetur, & ponamus finem huic hucusque protractæ impugnationi, principia ad fidem Petri concurrentia numeremus, modumque concurrentem videamus. Et quidem principia tria sunt, nimirum omnipotentia applicata per decretum indifferens, auxilium de se inconnexum, ac indeterminatum, & tandem voluntas Petri. Tria hæc influunt physicè in fidem Petri; cœterum omnipotentia, & auxilium licet influant virtute propria, non tamen propria determinatione juxta contrarios, nè tollatur arbitrii libertas: at voluntas Petri influit propria virtute, & determinatione: non satis est, quòd se ipsam ex proprio dominio detinet, verùm & ipsi data est potestas, qua, si velit se determinare, simul omnipotentiam, & auxilium determinet; nec enim omnipotentia, & auxilium aliter influere possunt. Ex his, quæ certissima sunt apud Adversarios, formatur argumentum. Lumine est conspicuum naturali, quòd ubi ad eandem actionem plura concurrunt principia, quorum aliqua uni illorum concurrunt subordinata, & illud unum suo concursu reliqua in concurrente sibi subordinat, quòd hoc directiùs, & principaliùs concurrat, & causat actionem: sic quia voluntati subordinantur in efficiendo habitus, & potentiam exequutivam, & sola voluntas efficientiam determinat, principaliùs tribuitur voluntati effectus, quàm habitui. Ex terminis enim notum videtur, quòd causa determinans est, quæ habet dominium immediatum in effectum, cum dominium in potestate determinandi consistat, & dum reliquis causis pro suo libito utitur ipsa, verè habet perfectum dominium in effectum ab ipsis dependentem, sed omnipotentia, & auxilium concurrunt ad fidem Petri, ut subordinata voluntati ejus applicanti, & determinant, voluntas verò ut subordinans: ergo fidem, & consensum directiùs, & principaliùs causat voluntas, quàm omnipotentia: ergo discretio, quæ unice consistit in fide, aut consensu directiùs, & principaliùs est à Petro discreto, quàm ab ipso Deo.

36. At dices cum P. Herrera num. 68. decretum conferendi auxilium, quia efficacem,

solum pendet à voluntate Petri, ut à non impediendo, quæ est dependentia secundum quid; scientia pariter pendet solum à Petri determinatione objectivè, quæ non est dependentia simpliciter.

37. Verùm hæc voluntariè dicuntur, nec per illa argumentum solvitur. Primum constat: quia dependentia à causa dante potestatem ad decernendum auxilium efficacem, non est dependentia secundum quid, sed simpliciter talis: & ita Deus ad decernendum auxilium, quia efficacem, ut à causa dante hujusmodi potestatem, à voluntate Petri. Hæc enim potestas ad decernendum auxilium; quia efficacem, includit constitutivè efficaciam auxilii, quæ unice dependet à voluntate Petri. Tum etiam, quia si Deus ad concipiendum decretum ita pendet à determinatione Petri, ut illa non existente, decretum conferendi auxilium, quia efficacem, in Deo esse nequit, prorsus voluntariè, & absque ullo fundamento dicitur secundum quid talis hæc dependentia. Causa enim creata juxta ipsorum doctrinam simpliciter pendet à Deo in operando, quia licet concursus in actu primo datus non inferat operationem, tamen sine illo non est possibilis operatio. Similiter voluntas ad amandum objectum simpliciter pendet ab intellectu, quia licet propositio objecti non inferat amorem, amor sine illo existere non potest. Et omnium ratio est una, & eadem, quia nimirum, sicut potestas causæ ad operandum, & voluntati ad amandum constituitur per applicationem omnipotentiam, ut ipsi volunt, & representationem objecti, ut volunt omnes; ita potestas ad decernendum constituitur per notitiam explorantem determinationem Petri, à qua redditur auxilium efficacem: ergo dependentia decreti à determinatione Petri voluntariè, & sine fundamento dicitur talis secundum quid, & non potius dependentia simpliciter; sicut quilibet alius actus dicitur simpliciter dependere à potestate illius proximè elicitiva.

38. Hæc ratio eodem modo probat dependentiam scientiæ mediæ à determinatione voluntatis creatæ. Neque enim scientiam istam alio modo potest Deus habere, nisi per hoc, quòd voluntas creatæ volens pro suo placito consentire sub hoc auxilio, determinat intellectum Divinum ad cognoscendum consensum, qui tamen Divinus intellectus indifferens erat ad consensum, vel carentiam consensum, aut disensum cognoscendum: in quo sanè respicitur dependentia scientiæ à determinatione voluntatis creatæ non secundum quid, sed simpliciter talis. Sic licet potentia visiva supponatur per omnes species visibilium completa, quia tamen, ut Petrum attingat, à præsentia dependet Petri, quæ determinat indifferentiam potentiam, dependentia hæc à præsentia Petri, non est dependentia secundum quid, sed simpliciter talis. Similiter, quia ad formandam notitiam purè

speculativam objecti, objectum complet potentiam, & se habet ex parte actus primi, dependentia ab objecto non est secundum quid talis: ergo & dependentia à voluntate faciente objectum, per hoc quòd determinat auxilium, cum sit dependentia à dante potestatem cognoscendi, est dependentia simpliciter talis. Et ratio omnium est; quia dependentia scientiæ, aut cognitionis attenditur principaliter secundum objectum, non secundum subiectum. Undè ab illo habet totam rationem propriæ speciei, seu naturæ.

39. Sed quidquid sit de modo loquendi circa istam dependentiam, hoc apud Adversarios certissimum est, scilicet voluntatem, instructam omnibus requisitis constituentibus actum primum proximè expeditum, ita posse cum illis omnibus conjugere quodlibet suæ libertatis extremum, ut quòd potius inclinet ad assensum, & fidem, quàm ad disensum, unice pendeat à propria determinatione, ad quam Deus, & auxilium non concurrunt nisi ex ipso liberrimo voluntatis placito: ergo quærenti, quare Petrus credit in hac occasione, & cum hoc auxilio, Joannes verò in eadem occasione, & cum eodem auxilio non credit? Responderi debet, Petrus credit, quia ipse vult pro innata libertate (nullo jam amplius à Deo spectando, seu petendo auxilio) non vult credere: ac proinde quocumque se vertat solutio, evadere non potest, quin ad voluntatem Petri credentis sistat hujus questionis resolutio. Frustra ergo reducitur ad Deum, ut ad primariam causam discretio Petri credentis à Joanne non credente, dum Apostolus inquit: quis te discernit?

§. IV.

Ostenditur quibus hæc solutio implicetur inconvenientibus.

40. Quæ ex prædicta solutione inferuntur inconvenientia innotescunt penitus, si observentur ea, quæ S. Prosper objecit Semipelagianis in Epist. ad S. Augustinum. Verba S. Doctoris hæc sunt: Undè quia in istis Pelagianæ pravitate reliquiis non mediocris virulentia fibra nutritur, si principium salutis malè in homine collocetur: si Divinae voluntati impiè voluntas humana præfertur, ut idèd quis adjuvetur, quia voluit, non idèd, quia adjuvetur velit: si originaliter malus receptionem boni non à summo bono, sed à semetipso inchoaret, malè creditur, si aliundè Deo placetur, nisi ex eo, quòd ipse donaverit: & paulò ante dixerat: priorem voluntatem obedientiam esse, quàm gratiam, ut initium salutis, ex eo qui salvatur, non ex eo credendum sit stare, qui salvat. Et voluntas hominis Divina gratia sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem. Ab his inconvenientibus ægrè se expedit

dit prædicta solutio. Et quoad primum sic videtur deduci.

41. Principium salutis in eo collocari debet, in quo ponitur determinatio ad bonum: idem namque est salutis principium, quod salutis initium, quæ initiari solum potest in determinatione ab bonum; undè Petrus credens per hoc suam principiat salutem, quod credit, & per hoc credit, quod se determinat ad credendum: non enim credit, quia vocatur; quippe eodem modo vocatur Joannes, nec tamen credit; nec Petrus credit, quia auxiliis sufficientibus prævenitur, nam Joannes æqualibus præventus non credit. Oritur ergo initium salutis ex determinatione ad bonum, quam determinationem ad fidem hæc sententia relinquit in hominis arbitrio: nec enim Deus per se, aut per suam gratiam hominem ad credendum determinat, sed è contra homo & Deus, & gratiam determinat, ut secum ad fidem concurrant: ergo determinatio ad bonum, & principium salutis in homine collocatur.

42. Secundum inconueniens constat ex superioribus: nam ex duobus principiis ad eundem effectum, ut toties diximus, illud est præferendum, quod determinat, illud verò postponendum, quod tantum ex determinatione alterius concurrat: undè licet Deus per gratiam sit causa consensus, adhuc si non est determinans, non est principium discretivum, sed veluti instrumentale, & principio discretivo infervens. Undè nec Deo principaliter potest tribui discretio; sed licet Deus, & voluntas humana ad fidem concurrant, voluntas concurrat determinando Deum, non tamen Deus determinaret voluntatem ad consentire præ non consentire, nec ad liberè eligere consensum, in quo stat formaliter discretio: ergo voluntas humana in hac sententia Deo præfertur.

43. Tertium inconueniens hoc modo dicendi vitari videtur minimè posse; cum negari non possit hæc causalis: *idèd Petrus adjuvatur, quia vult*: sicut nec hæc concedi: *idèd Petrus vult, quia adjuvatur*. Primum ex terminis fit manifestum. Quid enim aliud est, Petrum specialiter ad credendum à Deo, & à gratia iuari, nisi Deum re ipsa, & gratiam cum Petro ad fidem concurrere, ad quam cum Joanne non concurrat? Nam Petrus, & Joannes supponuntur æquales in omnibus acceptis à Deo, quibus ad fidem iuvatur uterque, & solum discernuntur per hoc, quod Deus, & gratia cum Petro re ipsa concurrunt, cum Joanne non item: ergo hæc causalis, *idèd Petrus adjuvatur, quia vult*, est necessaria; ratio namque unica, & adæquata concurrenti cum Petro, & non cum Joanne, est, quia Deus, & gratia determinatur ad concurrendum cum Petro, & non cum Joanne: cujus determinationis adæquata ratio est voluntas Petri. Falsitas alterius causalis ex iisdem principiis fit manifesta: quia in ac-

ceptis à Deo, quibus iuvantur ad fidem Petrus, & Joannes, per omnia supponuntur æquales: & cum ex causis omnino paribus non possint omnino dispares sequi effectus, effectuum disparitas ex alio debet oriri principio, quam ex isto: *idèd Petrus credit, quia adjuvatur*. Præterea: nullum est adiutorium gratiæ in Petro, quod non sit in Joanne; utriusque enim æqualiter est applicata omnipotentia, æquale est gratiæ collatum auxilium, in eadem sunt constituti occasione, & si quid aliud requiritur ex Deo, utriusque id ipsum supponimus communicatum: ergo disparitas in effectibus ex Deo, & ex Gratia non est: ergo Petrus credens non ideo credit, quia adjuvatur, sed ideo adjuvatur, quia vult.

44. Quartum inconueniens eadem claritate deducitur; nam Petrus, & Joannes supponuntur originaliter mali, & quod in illis receptio boni inchoatur à fide, & cum Joannes non inchoet receptionem boni, Petrus à se, & non à summo bono inchoat fidem. Quod sit evidens, tum quia in acceptis à summo bono prævenientibus utriusque libertatem sunt omnino pares, & disparitas invenitur solum in iis, quæ libertatis sunt exercitia. Tum quia receptionem boni per hoc præcisè inchoare valet Petrus à summo bono, quia summum bonum cum Petro concurrat ad fidem: sed quod summum bonum cum Petro concurrat ad fidem, habet Petrus à semetipso: ergo non à summo bono, sed à semetipso inchoat Petrus receptionem boni, quo discriminatur à Joanne.

45. Et tandem sextum, & septimum inconueniens haud difficilioris sunt probationis: quia ex eo Deus placatur, quia infidelis credit, & peccator convertitur: quod neuter habet ex dono Dei: cum dona Dei antecedentia omne exercitium libertatis, æqualia sint in Petro credente, & in Joanne non credente; æqualia sunt in Petro poenitente, & in Joanne impoenitente; & disparitas, quæ inter illos reperitur, exercitium est, aut supponit libertatis: ergo non debet tribui Deo, aut donis Dei, sed illorum libertati: ergo placatur Deus, & non ex iis, quæ ipse donat.

46. Hæc sunt præcipua inconuenientia, quæ ex responsione credimus inferri, & de quibus D. Prosper talem profert censuram: *quod cum peruersissimum esse, revelante Dei misericordia, & instruente nos tua Beatitudine noverimus, possumus quidem ad non credendum esse constantes &c.* Duo enim inter alia Massilienses sibi capitalia dogmata constituebant, alterum est, *quod voluntas hominis sibi pariat opem gratiæ*, alterum verò illorum dogma erat, *Gratia sibi non subjicit voluntatem humanam*. Utrumque peruersum, & contra S. Augustinum testatur S. Prosper, ex quibus relata deducuntur inconuenientia, & à quibus nescio qua ratione clara, & efficaci liberari possit solutio. De secundo plura diximus tota disp. 2. & circa primum, *quod voluntas sibi pa-*

pariat opem gratiæ; hoc in sententia contraria videtur esse necessariò fatendum; cum ex propria determinatione, ex proprioque dominio juxta sententiam oppositam faciat sibi gratiam cooperari, & influxum requisitum in talem operationem exercere; sed ille verè parit influxum comprincipio requisitum ad propriam operationem, qui ex propria determinatione, proprioque dominio facit comprincipium illud sibi cooperari, & influxum requisitum in suam operationem exercere: ergo, ni ea, qua par est claritate, aliud doceant nos, consequi legitimè illatione videtur, voluntatem juxta illam sententiam sibi parere, influxum gratiæ, quod non est aliud, quam sibi parere opem gratiæ.

47. Hæc ratio efficax, & mihi summi ponderis est, ut tamen illius efficacia magis pateat, suppono, quod maximè indiget voluntas ope gratiæ, cum urget præceptum non implebile nisi per actum supernaturalem. Sit ergo casus, quo voluntas auxiliis verè sufficientibus instructa tentatione gravi circa fidem concutiatur, quam ut vincat, indiget proculdubio ope gratiæ, quæ in nullo alio consistere potest, quam in eo, quod gratia influat in assensum veritatis revelatæ, ne dissentiat, & à tentatione vincatur: ut enim voluntas vincat tentationem, qua premitur, nullo alio eget, quam gratiæ influxu, & cooperatione in assensum veritatis revelatæ; his enim positis victa est tentatio, & penitus superata. Deinde parere sibi opem gratiæ non est præsentiam gratiæ sibi acquirere, sed concurrere; concurrere enim opitulatur. Sicut opem non præstat dimicanti in humanis, nisi qui cooperando adjuvat illum. Si ergo voluntas unicè facit pro suo dominio, & determinatione, in opposita sententia, gratiam influere, ac sibi cooperari, verum videtur in omni rigore sermonis, quod sibi parit opem gratiæ: ita namque est in potestate voluntatis gratiæ determinatio, ut à sola voluntate fieri possit, quod gratia præstet opem, seu virtutem opitulando exerceat.

48. Explicatur amplius hoc. Qui præveniri voluntates hominum Dei gratia fatetur, atque ut ad nullum opus bonum, vel incipiendum, vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentit, non potest asserere, quod voluntas hominis sibi parit opem gratiæ, sumptâ gratia quoad entitatem, ita ut dicat, quod voluntas sibi acquirit gratiam: in mentem namque hominum venire non potuit, quod aliquis suis actibus acquirat principium illud, à quo tales actus essentialiter dependent, & quod ad illos præsupponi necessariò ipse fatetur: atqui id Massilienses fatebantur, teste D. Augustino de prædest. Sanctior. cap. 1. *Per venerunt etiam (Massilienses) ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ut ad nullum opus bonum, vel incipiendum, vel perficiendum sibi quemquam sufficere, consentiant*: ergo solum asserere

sibi parere opem, vel influxum gratiæ. Quo supposito sequens conficitur argumentum. Voluntas omnibus auxiliis sufficientibus præventa, vel indiget novâ gratiâ ad victoriam gravis tentationis, vel non? Si primum: ergo victoria gravis tentationis non est ex solis auxiliis sufficientibus, sed ex auxilio Dei ab ipsis adæquatè distincto. Si secundum: ergo solum requiritur, quod existat actualis gratiæ sufficientis influxus; sed actualis iste gratiæ sufficientis influxus libero arbitrio subjicitur juxta Adversarios, ne destruat libertas: ergo ex libero arbitrio erit victoria gravis tentationis, & non donum Dei, contra illud Apostoli; *gratias Deo, qui dedit nobis victoriam*. Hæc quæ de victoria tentationis dicimus, facilè sub eadem forma de fide, ceterisque donis Dei, quæ merita nostra sunt, ut supra argumentabamur, quisquam deducet. At de his iterum redibit sermo agentes de necessitate orationis. Placet hic solum advertere profundissimam S. Prospero doctrinam, quam nos supra innuimus; quippe pro eodem habuit, gratiam sibi non subdere voluntatem, ac voluntatem ope gratiæ non indigere: hæc quippe ita connexa sunt, ut sit necessaria, & infallibilis consequentia: *Gratia subditur voluntati; ergo voluntas non indiget ope gratiæ*. Debet ergo concedi gratia præveniens efficaciter adjuvans voluntatem distincta ab excitante; quam nisi quisque admiserit, in ambages inextricabiles, & nodos indissolubiles incidere, ni vehementer fallor, necesse est.

S. V.

Solvuntur Argumenta.

49. **O** Bjici nobis solent varia Sacræ Scripturæ testimonia, in quibus non dari gratiam prævenientem actus nostros significatur, ut videtur ex illo Psalmi 87. v. 14. *Manè oratio mea præveniet te*. Et Psalmi 118. v. 147. *Præveni in maturitate, & clamavi*. Et v. 148. *Prævenere oculi mei ad te diluculo*. Et Isaiæ cap. 5. n. 4. *Expectavi, ut faceret vobis, fecit autem labruscas*. Et cap. 30. *Expectat Dominus, ut misereatur vestri*. Et Zachar. 1. n. 3. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*. Et tandem ex illo ad Rom. 7. n. 18. *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio*. Quæ satis dilucidè ostendunt merita nostra prævenire gratiam Dei.

50. Hoc amplius confirmari potest ex verbis Matthæi 25. *Uni dedit quinque talenta, alii verò duo, alii verò unum, unicuique secundum propriam virtutem*: quibus significatur, gratiam diversimodè acceptam, non tam habere diversitatem, & inæqualitatem ex dividente, quam ex recipientis diversa dispositione, teste D. Hilario ad prædictum locum dicente: *Distributio quidem pecuniæ inæqualis est, sed non ad dividendem referenda diversitas*.

est. Unde & Psal. 24. dicitur: *Universa via Domini misericordia, & veritas*, hoc est misericordia, & iustitia, juxta communem interpretationem: sed non esset iusta hujusmodi distributio, si in hominibus non præcederet inæqualitas meritorum: ergo præcedunt merita, secundum quorum proportionem Deus suam hominibus distribuit gratiam.

51. His omnibus per singula, & pro omnibus unus responso adest Augustinus. Ad primum in Enarr. super Psal. 87. n. 13. inter alia, quæ germanam ejus mentem prædicant, opportunè inquit: *jam manè postea quam nox infidelitatis, & tenebræ transferunt. Quod manè ut mihi esset, misericordia tua prævenit me.* Et D. Hieronymus de Christo exponit loquente: *quia matutina me resurrectione clarificabis.* Sed & quis negat, plures actus nostros prævenire, & plures misericordias Dei subsequi? Immo ille idem Propheta dixit: *Misericordia ejus subsequetur me.* Hoc autem non venit in disputationem; sed an ita oratio præveniat gratiam, pro qua oramus, ut prius nos præcederet gratia, quam oraremus. Et hoc nos asserimus, semper præcedere donum Dei, sicut scriptum est: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?*

52. Ad secundum: id D. Augustinus literaliter intelligit de fidelibus, qui Gallicinium, quod consuevit esse tempus orandi, præveniunt, magno urgente orationis affectu: sive hoc de Davide ad litteram, sive de fidelibus tropologicè intelligi malaerimus proferre. Secundo mysticè. *Si autem accipiamus, ait, hoc totum sæculum noctem, utique intempestā nocte clamamus ad Deum, ut præveniamus maturitatem temporis, in quo redditurus est, quod promissit.* Tertio allegoricè sic: *quamquam si velimus intelligere immaturum tempus* (legit enim S. Doctor pro in maturitate, immaturitate, hoc est non maturo tempore) *noctis hujus, antequam venisset plenitudo temporis, id est, quando Christus manifestaretur in carne: nec tunc Ecclesia tacuit, sed præveniens ipsam maturitatem clamavit, & in verbis Dei speravit.*

53. Ad tertium prosequitur S. Doctor: *Prævenere oculi mei ad te diluculo. Ponamus enim matutinum, quando qui sedebant in umbra mortis lux orta est eis. Nonne in Sanctis, qui prius erant in terra ad hoc matutinum oculi Ecclesie pervenerunt; quia hoc futurum antea præviderunt, ut meditarent eloquia Dei, quæ tunc erant, & in lege, ac Prophetis hæc futura nuntiabantur?* Hæc S. Doctor Athleta, & Coriphæus doctrinæ, quam defendimus, de gratia Dei, & quam apud quoscumque latentem angulos, inquirebat. Et tamen neque ex his, neque ex aliis in Enarratione illa super Psal. 118. undè ista desumuntur, quidquam contra gratiam prævenientem aut dixit, aut dici poterat à Divinæ efficacis gratiæ propugnatorum Antesignano.

54. Ad quartum Isaïæ 5. n. 4. ipse Augustinus respondet in Enarr. super Psal. 35. Pau-

lus Apostolus volebat prædicare Judæis, & invenit non uvas, sed spinas, caperunt enim pro bonis mala reddere (loquitur de prædicatione in Sinagoga Antiochiæ Pysidiæ, de qua in Act. cap. 13. n. 19.) *& persequi, & ait... ad vos missi eramus, sed quia respicistis verbum Dei ecclè convertimur ad gentes. Ergo impletum est: mandabo nubibus meis, ne pluant.* En quomodo ab Augustino gratia præveniens potius adstruitur, si aliquid erga hoc ab eo hic statuitur; cum hæc beneficia, & prædicatio, ac Pauli minæ inter prævenientes gratias ab ipso Augustino observari possunt numeratæ in lib. de spirit. & litter. cap. 34. Cui acciuit D. Hieronymus super hoc cap. 5. Isaïæ, & textum propositum: *Tolle tur Dei auxilium iis, qui indigni sunt, ut quia non senserunt Deum per beneficia, sentiant per supplicia.* Et certè certius si textus ipse inspiciatur in se ipso, abundantissimas Divinæ misericordiæ irrigationes ostendit. Quid plantare eam in fertilissimo loco? Quid est sepere eam? Quid eligere lapides ex eâ? Quid turrim in medio ejus ædificare? Quid torcular in eâ extruere? Quid denique factam esse vineam dilecto filio? An Deus erga electam, & magnificam vineam, aliquod beneficium omisit? Quare iustissimè interrogat: *Quid debui ultra facere vinea mea, & non feci?* Et si omnia fecit, & nihil omnino omisit facere, ex quibus iusta dulcissimi fructus expectatio infereretur in corde etiam inspectoris; quomodo prævenientem gratiam huic sive Synagoga, sive animæ, Deum non dedisse, vel suspicatur quis, vel cogitat? Igitur gratia præveniens vel excitans est, vel adjuvans, ultra excitantem; utraque enim prævenit nos. Expectat Dominus eos, quos excitando prævenit, & corda emolliendo, quos si prævenire noluit etiam efficaciter adjuvando, iustum ejus est iudicium, quod nos apprehendere non valemus, confiteri debemus. Hoc autem intelligi datur, eos à quibus fructus sperabat, corda indurasse, quæ emollire debuerant; & quæ, nisi indurassent, fructus facerent, quos sperare se Dominus dicit non sine efficaci gratia; neque enim Deus sperabat illos sine efficaci gratia facturos. Sperabat autem Deus, illos facturos, efficaci gratiâ juvandos, quos nisi corda indurassent, efficaciter erat juvaturus.

55. Hac eadem doctrina præ oculis habita, facilis est cæterorum locorum enodatio. Ferè omnia enim de gratia, quæ excitando prævenit, intelliguntur: quam quidem sequeretur gratia, quæ Deus adjuvando prosequitur, si excitans gratia sortita fuisset effectus suos: & ideo expectabat Dominus effectus excitantis gratiæ, ut juvaret efficaciter. Undè ad quintum nempe Isaïæ cap. 30. n. 18. Divus Hieronymus. *Expectat Dominus. Grandis clementia Dei, ut expectet nostram penitentiam, & donec nos à vitiiis convertamur, ille potentem contrahat manum, ne ferire cogatur.* Sed nec penitentia futura esset, nisi ille ju-

van-

vando præcederet; nec eam speraret, nisi ad emolliendum cor sufficienter prævenisset. Undè & Apostolus ad Romanos gratiam prævenientem ostendit cap. 2. *Ignoras, quod benignitas Dei ad penitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impenitens cor thesaurizas tibi iram &c.* Ergo habet gratiam, qua possit gratum accommodare cor, & quia non facit, peccans, iram thesaurizat. Quid super hoc sentiat Augustinus ostendit ferm. 47. cap. 3. 4. & 5. ubi gratia præveniens apertissimè reperitur, sicut in Enarr. super Psal. 93. n. 9. & cum eodem Augustino respondetur ad Sextum ex Zacharia cap. 1. 2. 3. *Audi potius vocantem, & dicentem: convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Fugientis dona persequitur, faciem redeuntis illuminat,* inquit D. Augustinus ferm. 142. super verba Joannis. *Ego sum via.*

56. Ad ultimum denique ex Epist. ad Rom. cap. 7. n. 18. *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio.* D. Augustinus respondet ferm. 152. *Quantum ergo in votis nostris, in voluntate nostra, in oratione nostra... Hoc utique accepimus, ut nec ipsa mala desideria existant de carne nostra. Sed quoad vivimus, perficere non valemus. Propter hoc ait: perficere autem bonum non invenio. Facere quid invenio? Non consentire malo desiderio. Perficere non invenio, non habere malum desiderium.* Quid idem versat lib. 4. oper. imperfect. contra Julianum cap. 103. & lib. 5. cap. 50. & 51. Et clarissimè eundem locum exponit lib. de continentia cap. 8. n. 20. de grat. efficaci, dicendo: *Bonum fit, cum id, quod malè libet, vincente bona dilectatione non fit.* Gratiam bonam delectationem frequentissimè vocat: nimirum effectum pro causa sumens. Videatur lib. de spirit. & litter. cap. 25. in fin. Et cap. 39. in lib. ad Simplic. Episcopum Mediolanensem n. 11. exponit aliter, sed quoad gratiam identidem. *Voces sunt, inquit, sub lege hominis constituti, nondum sub gratia.* Et in fin. n. 12. concludit: *Atque ita se prævaricationis reatu implicatum videt, ad hoc ut gratiam liberatoris impleret.* Uno verbo his cæterisque hujusmodi objiciendis hæc unâ S. Doctoris resolutoria solutione fit satis: *Ipsam velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia ejus prævenit nos* lib. de spirit. & litter. cap. 34. Sed nihilominus homines præveniunt subjectivè, & præparativè efficacem gratiam, quatenus excitante, quâ primò præveniuntur, eorum corda demulcentur. Itaque verum est & Deum semper prævenire, & illum non expectare. Neque per hoc quifquam intelligat, Deum non juvare efficaciter, nisi eos, quorum corda irrigatione sufficientis gratiæ invenit præparata; nam si vult, lapides etiam fluere facit, sicut scriptum est: *Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini.* A quo si inquiras: Domine, cur huic & non illi? Responsum habes in Evangelio: *An non licet mihi quod volo facere?*

57. Ad confirmationem respondetur, quod parabola de talentis diversimodè explicatur à SS. PP. Alii intelligunt gratiam habitualement, ut ipsam explicat D. Thomas 2. 2. q. 24. art. 3. & de hac, verum est, quod datur juxta propriam virtutem, vel secundum uniuscujusque dispositionem, ut inquit in solutione ad 1. *Ad primum ergo dicendum, quod illa virtus, secundum quam sua dona Deus dat unicuique, est dispositio præcedens, sive conatus gratiam accipientis. Sed hanc etiam dispositionem prævenit Spiritus Sanctus movens mentem hominis, vel plus, vel minus secundum suam voluntatem.* Undè & Apostolus dicit ad Colossens. 1. *qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.* Alii intelligunt gratias gratis datas, & que ad aliorum utilitatem conferuntur, de quibus etiam verum est, quod secundum propriam capacitatem, quam etiam ipse Deus contulit, distribuuntur à Deo: alii de quocumque alio gratiæ dono intelligunt: semper tamen verum est, non posse de primo motu intelligi, quod scilicet datum sit secundum diversitatem recipientis, quod ex eadem parabola apertè convincit D. Thomas ad prædictum locum: nam ibi ante distributionem talentorum præmittitur præventio gratiæ vocantis. Unde dicitur, quod *vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua.* Diversa ergo dispositio ad recipienda talenta ex diversa præveniente vocatione Dei oritur; licet vocatione non semper, aut non æqualiter corda præparentur, ut dictum est. Unde quia qui vocationibus, & excitationibus non delinuntur, posteriores gratiæ Dei progressus non recipiunt (nisi fortè ex superexcedenti misericordia Dei) illi vero, qui vocati præstò sunt, gratiæ beneficiis augentur, ideo dixit S. Hilarius: *Distributio quidem pecuniæ inæqualis est: Ubi non de inæqualitate primæ vocationis, & excitationis sermo est, aut esse potest; sed de inæqualitate post vocationem illam, quæ erit secundum iustitiam, nisi ex sola, & summa Dei misericordia superabundet & gratia.* Undè Psal. 24. dicitur, *Universa via Domini misericordia, & veritas.* Etenim nomine veritatis non intelligitur iustitia illa, quæ respicit debitum creaturæ, sed illa, quæ debetur Dei bonitati: undè iniquitas acceptionis personarum locum non habet in his, quæ ex gratia dantur. Potest namque ita operibus gratiosis quis pro suo mero libito plus, vel minus dare, dummodò nulli subtrahatur debitum: & hoc est, quod Pater familias Matth. 20. dicit, *Tolle quod tuum est, & vade, an non licet mihi quod volo facere?*

58. Secundò objicies, D. Paulum 1. ad Corinth. 15. *Et gratia ejus in me vacua non fuit, quæ verba explicat ibi Divus Thomas lect. 1. dicens: Ostendit, quomodo usus sit gratia ista, quoad bonum; & ideo dicit, in me vacua non fuit, id est, otiosa, quia ea usus est ad id, ad quod data est sibi.* En ubi Paulus utitur gratia efficaci, gratia nempe non otio-

T 2

fa,

sa, & vacua, sed re ipsa laborante, & agente, non subjiciente liberum arbitrium, sed voluntati quoad usum, & determinationem subiecta. Quod confirmari potest ex ipso Divo Thoma 2. ad Corinth. 6. qui non huic doctrinae refragatur, sed potius suffragatur lect. 1. ad illa verba, *exhortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, dicens, *hortatur primò in generali, quòd gratia Dei non utantur in vanum. Secundò ostendit Paulus, gratiam Dei eis esse collatam. Tertiò docet eos in speciali modum utendi dicta gratia*; quibus manifestè ostendit, usum gratiæ esse subiectum arbitrio; & ideò Paulum exhortari fideles ad ipsum, ut eo usu gratiam eis collatam efficacem reddant. Preterea D. Thomas 1. p. q. 62. art. 3. ad 2. ait: *Inclinatio gratiæ non imponit necessitatem, sed habens gratiam potest ea non uti, & peccare*: ubi de omni gratia non imponente necessitatem ad agendum, tradit subjacere usui habentis illam; atque adeò etiam de efficaci, quæ necessitatem non imponit.

59. Ad quod respondetur, quòd attentè legens D. Thomam loco citato facilè cognoscere potest, dividi ab ipso cum M. P. Augustino adiutorium gratiæ in adiutorium sine quo actus non fit, & in adiutorium quo fit infallibiliter; id est, videbit, gratiam dividi in sufficientem, quæ constituit potestatem ad operandum, & in efficacem, quæ donat actum; quarum illa non quoad usum, & determinationem subjicitur voluntati, etsi illa utamur ad id, ad quod nobis data est; cum tamen per resistentiã frustrari possit. Ista verò, id est, gratia efficax, voluntatem sibi subjicit humanam, illamque determinat, ut voluntas gratia utatur sufficienti ad id, quod data est sibi. Quæ doctrina expressè traditur à D. Thoma in ipso loco, qui nobis objicitur, dicens: *Tertiò ostendit usus efficaciam, quia hoc non à se solo, sed ex instinctu & adiutorio Spiritus Sancti. Et ideo dicit: non autem ego solus operor, sed gratia Dei mecum, quæ movet voluntatem ad hoc*. Constat, quòd D. Thomas tribuit usum gratiæ instinctui, & adiutorio distincto à gratia, qua utebatur Paulus; nimirum gratiæ Dei, quæ movet voluntatem ad hoc: & cum juxta D. Thomam 1. 2. q. 16. art. 1. in corp. *Movens voluntatem ad actum, idem est, ac applicans voluntatem ad actum*, usum gratiæ tribuit D. Paulus gratiæ applicanti voluntatem ad actum. Ex quibus contra P. Ripalda, qui hoc utitur argumento, D. Thomæ doctrina retorquetur. Nam juxta Angel. Magistr. Paulo ad utendum gratiã sufficientem, necessarium erat adiutorium, ac instinctus Spiritus Sancti, & gratia movens, & applicans voluntatem ad hoc, quòd gratia sibi data uteretur: ergo ultra gratiam sufficientem, quã potest non uti voluntas, aliud opus est gratia, quæ adjuvet, & moveat voluntatem ad usum, & hæc proculdubio est gratia efficax subjiciens sibi usum gratiæ sufficientis, minimè vero subiecta voluntati,

quæ cum perspicua sint apud D. Thomam, vel ipse non legit, vel si legit, dissimulavit.

60. Ad secundum respondetur, quòd D. Paulus non hortatur fideles ut gratiam Dei de se præcisè sufficientem ipsi reddant efficacem; efficacia quippè est prædicatum intrinsecum, & essentialiter; sed hortatur, ut gratiam sufficientem, non renitente, sed obediēte corde, recipiant; sic enim non in vacuum recipient, & præstò erunt efficacia, adjutoria, quibus Deus non solum perficit posse, sed & dat ipsum agere. Et sanè nescio quomodo P. Ripalda ex autoritate D. Thomæ ex 1. p. hoc deduxerit consequens: omnem gratiam esse arbitrio subiectam quoad usum, ex eo quòd non imponit necessitatem. Id enim gratis asseritur, & sine ullo in D. Thomæ fundamento. Scire debuisset, apud S. Doctorem hanc illationem legitimam esse: *Gratia non imponit necessitatem: ergo Deus per gratiam perficit libertatem, quæ est à posteriori, sicut à priori ista: Deus perficit per gratiam libertatem: ergo non imponit necessitatem*. Sed certè S. Doctor ibi loquitur de gratia sanctificante, cujus est inclinatio, & de auxiliis sufficientibus, quæ illam consequuntur perficiendo potentias; non de gratia adjuvante, cujus non sola inclinatio, sed & actio est. Quod patet ex ipso articuli titulo, ubi inquit: *Utrum Angeli sint creati in gratia?* De gratia autem sanctificante via non est dubium indifferenter se habere usui, aut non usui voluntatis, cum sit habitus sibi non plenè subjiciens animam; & habitibus utimur cum volumus.

61. Objiciunt tertio increpationem Christi Domini ad habitatores Bethsaidæ, & Corozain præ Tyriis, & Sidoniis, ut habetur Matthæi 11. *Si in Tyro, & Sidone facta essent virtutes, quæ in vobis facta sunt; olim in Cilicio, & Cinere penitentiam egressi sunt*. Ex qua increpatione sic formant argumentum. Si Tyrii, & Sidonii crederent majori præventi auxilio, quàm Bethsaiditæ non credentes, injustè increpantur Bethsaiditæ non credentes comparativè ad Tyrios credituros; esset namque justa illorum responsio; ideo non credidimus, quia nobis Deus non dedit auxilium præveniēns necessarium ad credendum, quale dedisset Tyriis, quò credidissent, & cum quo in sensu composito non potuissent non credere: ergo vel injusta est increpatione, vel asserendum, quòd non datur gratia præveniēns ab intrinseco efficax juxta sacram Scripturam.

62. Hoc argumentum maximè adversarios oblectat, in hoc potissimum confidunt, hoc pro maximo, & indissolubili nodo habent. Sed argumentum probat, si quid probat, primò, discretionem consentientis, aut credentis, non esse à Deo, fidem Petri non esse donum Dei, & ut cætera inconvenientia omittam, inscrutabilis sententiæ illius veri-

tatem excludit: *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat* Ad Rom. 9. dum in velle, vel nolle liberi arbitrii quærit discretionem. Primum satis vidimus contra Apostolum 1. ad Corinth. 4. *Quis te discernit, quid habes, quòd non accepisti?* Secundum etiam contra Apostolum de fide omnibus prædicantem: *Dei enim donum est, ut ne quis gloriatur*. Tertium contra Apostoli doctrinam; nam ut salutariter admonet D. Prosper de vocat. gent. cap. 25. *Ista quæstio, quam secundum Apostoli mentem impenetrabilem confitemur, per liberi arbitrii velle, vel nolle non solvitur, quia licet insit homini nolle, tamen, nisi donatum, non habet bonum velle*. Primum inconveniens ex dictis fit manifestum: si enim discretio effectus necessarii debet procedere ex discretionem principiorum, quibus influit causa; & in principiis datus à Deo, quibus influit voluntas in fidem, aut consensum, nulla requiritur discretio: ergo si argumentum aliquid probat, probat, quòd discretio, non proveniens à principiis collatis à Deo, nec ab ipso Deo proveniat, qui tantum influit per principia, quæ confert. Non minori evidentia ex argumento deducitur secundum inconveniens. Quid enim magis certum, quàm non esse donum Dei, quod homo habet ex se præ altero, qualiter Tyrii juxta arguentes haberent fidem; cum illam nullum ex donis à Deo collatis causaret; aliàs illam causaret in Bethsaiditis, qui donis Dei per omnia æqualibus supponuntur præventi. Et tandem sequitur & tertium inconveniens, quia si discretio est ex Tyriis, iniquienti cur isti vocati crederent, consentirent, & perseverarent, & non sic Bethsaiditæ eodem modo vocati? facillimè, & verissimè responderetur per velle Tyriorum; asserendo scilicet, istos, aut quosvis alios, credere, consentire, & perseverare, quia volunt. Quæ doctrina erat Massiliensibus familiaris, ut testatur D. Prosper Epist. ad D. Augustinum his verbis: *Consequens putant, ut quia Prævaricator ideo dicitur non obedisse, quia noluit; fidelis quoque non dubitetur ab hoc devotus fuisse, quia voluit*.

63. Sed ut sit citra omnem controversiam responsio, ostendam apud omnes Catholicos habere argumentum eandem manifestè difficultatem. Nullus Catholicorum negare potest, quòd Petro v. g. credenti Deus fidem donavit, Dei enim donum est, quam non donavit Joanni sub eisdem auxiliis sufficientibus: ut enim ait Innoc. Primus ad Episcopos Galliarum: *Neesse est, ut quò adjuvante vincimus; eo iterum non auxiliante vincamur*. Sed Petrus vicit credendo, minimè tamen Joannes: ergo Deus adiutorium tribuit Petro, quod negavit Joanni: sed hoc ipso quòd credenti data sit major hæc gratia, si argumento stemus, justa potest ex parte Joannis esse omissionis excusatio, dicendo quid mirum si Petrus credidit, cui donasti fidem præbendo illi auxilium efficax, ut vinceret? Et

rursus; quid adhuc de omissione mea conquereris, si nec fidem donasti, nec majus illud auxilium efficax, quo crederem, tribuisti? Enim vero id convincit argumentum, si quid probat. Quis autem dicat hanc esse justam excusationem?

64. Nec valet disparitas, quòd in sententia Thomistarum desuit Joanni non credenti aliquid essentialiter requisitum, ut crederet, nimirum gratia physice prædeterminans, cum cujus carentia non potuit fidem conjungere. Hæc inquam disparitatis ratio minimè subsistit: nam occurrent Thomistæ; (etiam in sententia omnium Catholicorum, (quidquid sit de Prædeterminatione) Deus Joanni non credenti non donavit fidem; at cum hujus donationis carentia fidem conjungere Joannes non potuit: ergo par est omnibus Catholicis difficultas hoc solvendi argumentum; nisi contra doctrinam Apostoli ad velle, vel nolle solius arbitrii referatur, & reducatur responsio. At dices; sine donatione, fidei stat, & salvatur in sententia Jesuitarum posse completum, non tamen sine physica prædeterminatione, quæ essentialiter requiritur à Thomistis. Ecce totum difficultatis, & argumenti pondus: non ad auctoritatem scripturæ reducitur, sed in eo unice constituitur, an videlicet prædeterminatio physica requiratur ex parte actus primi, vel an ex parte actus secundi se teneat? Cum ergo Thomistæ ad actum secundum asserant pertinere, argumento illo minimè prementur specialius præ Jesuitis. Omnes ergo eadem tenentur occurrere textus explicatione, quòd scilicet Deus Joanni non credenti auxilium dedit sufficiens, quo posset credere, si voluisset, undè justè de sua increpatur infidelitate. Restat autem inter disputantes dissidium, an hæc potestas, & vera sufficientia constituens actum primum proximè expeditum indigeat ulterius novo adiutorio gratiæ, ut applicetur ad actum, an non? quòd, ut diximus, nihil ad sacræ Scripturæ textum pertinet, ac proinde argumentum hoc telum leve est, quod inanimè jacitur contra Thomistas.

65. Objicies quartò: licet Deus determinativè non efficiat consensum, principaliter influit in discretionem consentientis à non consentiente: ergo magis principaliter tribuitur ipsi discretio, quamvis gratia discernens non sit ab intrinseco efficax. Antec. prob. discretio in actu primo, seu discretio primaria consentientis à dissentiente est prima ratio inferens, unum hominem esse consentientem, & alterum dissentientem; sed prima ratio id inferens simpliciter est à Deo, cum ex Deo sit præparatio omnipotentia, & auxilii collatio, prout scit congruere, ut consensus existat: ergo primaria discretio simpliciter est à Deo, etsi Deus determinativè non concurrat.

66. Fallacia argumenti ex se fit manifesta, negando ant. & ad prob. distinguendo præ-

præmissas: discretio primaria consentientis à dissentiente est prima ratio inferens effectivè, unum hominem esse consentientem, & alterum dissentientem concedo majorem, inferens materialiter, dispositivè, seu præparativè nego maj. & sub eadem distinct. min. neg. consequentiam. Non enim ratio inferens discretionem est auxilii entitas, quæ componibilis est cum carentia fidei, aut consensûs; sed efficacia gratiæ, quæ, ut diximus ex ipsis, est adæquatè à libertate Petri; ex quo fit, discretionem primariam simpliciter esse à Petro, & secundum quid à Deo, quod patet sic arguendo ex iisdem præmissis in sensu formali acceptis. Discretio primaria consentientis à dissentiente est prima ratio inferens formaliter, & effectivè, & non purè materialiter unum hominem esse consentientem, & alterum dissentientem: sed prima ratio id inferens formaliter & effectivè simpliciter est à Petro, & à Deo tantum pro materiali: ergo primaria discretio simpliciter est à Petro, & non à Deo. Ita sanè est, quòd discretio Petri credentis, à Joanne non credente non fieret, nisi Deus auxilium Petro contulisset; undè discretio illa à Deo est aliquo modo, quia à Deo est entitas auxilii, cui Petrus confert efficaciam, quæ est formalis ratio inferens Petri fidem: discretio tamen ipsa à Petro est simpliciter, & absolutè, quia auxilio à Deo conferibili, & actu collato præstitit efficaciam, à qua adæquatè, & formaliter pendet discretio. Quæ doctrina communis est inter Philosophos, qui de aqua calida loquentes asserunt, ipsam, quia est subjectum caloris, tantum materialiter calefacere, ignem vero, à quo inest aquæ calor, formaliter calefacere per aquam.

67. Secundò apparet argumenti fallacia sic præmissas distinguendo: discretio primaria est prima ratio inferens physicè, & realiter unum esse consentientem, & inferens logicè alium esse dissentientem conced. maj. utrumque inferens purè logicè nego maj. & disting. min. est à Deo prima ratio purè logicè inferens utrumque permitto min. est à Deo prima ratio inferens alterum physicè, nego min. & consequentiam. Quæ distinctio constat ex doctrina adversariorum, quia in toto illo complexo constante ex scientia auxilii explorante efficaciam, ex decreto conferendi auxilium efficaciam, & ex ipso auxilio efficaci, efficacia danda à voluntate creatæ, exploratâ per scientiam mediam; nihil est inferens physicè consensum: quocirca nec de toto, nec de aliqua parte complexi verificari potest, quòd est vera causa discretionis, quia causa, vel ratio inferens purè logicè, revera non est causa; sicut effectus inferens suam causam tantum abusivè dici potest causa suæ causæ, in quantum per modum causæ potest assumi ad illationes logicas, sicque fieri causa conclusionis, non vero rei conclusæ. Primaria autem ratio discretionis est illa, quæ est cau-

sa verè talis, id est causa physica, & quæ voluntatem de se indifferentem ad utrumlibet physicè prædeterminat ad consensum, vel fidem: hæc autem physica efficacia physicè determinans unicè, & adæquatè est à Petro; fidesque existit, ut supra argumentabamur, unicè, & adæquatè, quia ipse vult, non verò quia Deus vult. Quo ergo pacto poterit esse à Deo discretio simpliciter, & absolutè?

68. Huic solutionis doctrinæ minimè refragari valent adversæ opinionis Propugnatores, ne teneantur concedere, quòd Deus discernat non consentientem à consentiente: quod falsissimum est; cum peccans non maneat indiscretus à massa perditionis, quia agit, sed quia agendo deficit, qui defectus non determinatur à Deo. Dum enim eos redarguunt Thomistæ, eodem discursu, quo probant ipsi discretionem in actu primo consentientis esse simpliciter à Deo, posse probari, quòd etiam discernat non consentientem à consentiente, ad hanc solutionis doctrinam recurrere tenentur. Sic enim formatur argumentum: ab eo est simpliciter discretio, à quo est simpliciter complexum aliquod *in esse inferentis* aliquod extremum; vel à quo supposita una parte indifferente ad inferendum, vel non inferendum, ponitur alia determinans indifferentiam, quæ supponebatur: sed scientia media inefficax auxilii est indifferens ad inferendum, vel non inferendum peccatum, & Deus suppositâ hanc scientiâ, determinat conferre auxilium tale, quò constituitur complexum in esse inferentis peccatum: ergo à Deo est simpliciter complexum ex illa scientia, & decreto in esse inferentis peccatum, & consequenter discretio peccantis à non peccante. Huic argumento respondere solum possunt, Deo attribui discretionem in actu primo consentientis à non consentiente, non præcisè quia discernit auxilium aliàs efficaciam, sed quia discernit illud quia efficax, ex intentione, & desiderio, ut existat consensus. En quomodo fateri tenentur ipsi ad discretionem, quâ Deus discernit consentientem à non consentiente, non sufficere auxilium, quod inferat consensum, sed quòd propria causæ intentione ipsum inferat, ut Deo possit attribui discretio. Nihilominus cum negent veram discernentis Dei causalitatem; nescio quid effectivè in rebus respondeat illi intentioni, ad quam recurrunt, ut argumenti vim declinent. Nam dum intentio illa propria Dei virtute discretionem non causet, intra terminos affectionis manet, & affectionem non attingit. Undè dicendum erit, non quòd Deus discernat; sed quòd homo se discernat juxta intentionem Dei. Si quis proprietatem sermonis animadvertat, inveniet, hoc ita esse: quòd quidem non sufficere ad veritatem sententiæ illius: *Quis te discernit?* perspicuum est. Solutio ergo intactam relinquit argumenti effi-

ca-ciam: idque variis, & efficacibus formis, probat etiam Illustrissim. Castell. de liber. arbitr. disp. 2. q. 1. sect. 8. ostendens, quòd si Deus discernit consentientem à non consentiente sine gratia præveniente adjuvando, seu ex se efficaci, sequitur, quòd etiam discernat non consentientem à consentiente: cum constantissima sit adversariorum doctrina, quòd efficacia decreti, vel decretum qua formaliter discretivum, non ex sua essentia, nec ex Deo sit, sed ex nobis: undè nobis principaliter tribui potest, immo debet discretio in rei veritate.

69. Tandem objicies ex P. Ribadeneira intendente testimonium Apostoli suæ potius, quam nostræ favere sententiæ, primò quia Apostolus dicens: *Quid habes quòd non accepisti?* loquitur de dono Dei, quòd elati homines sibi superbè arrogat; sed nullus sibi arrogare potest existentiam prædeterminationis physice, cum, ut sæpius asserit Augustinus, nemo potest sibi tribuere, quòd vocatus sit: ergo ex testimonio Apostoli non deducitur gratia physicè præveniens adjuvans. Vel aliter: omnis gratia expressa ab Apostolo, est arrogata à superbo; sed nulla præmotio physica est arrogata à superbo: ergo nulla præmotio physica est expressa ab Apostolo. Secundo: consentiens distinguitur à non consentiente per proprium consensum: sed gratia ab intrinseco efficax non accipitur proprio consensu: ergo per gratiam talem non distinguitur consentiens à non consentiente. Maj. constat ex D. Augustino de Spiritu, & littera cap. 34. dicente: *Anima non potest habere dona, quibus Deus eam discernit, nisi consentiendo.* Et minor patet, quia per nos est causa consensus. Tertiò, quia gratia prædeterminans inutilis est ad discretionem memoratam ab Apostolo; discernimur enim, quatenus accipimus dona, quæ Deus discernens confert nobis; sed accipimus dona, quatenus consentimus ex Augustino, ut supra: ergo discernimur per ipsum consensum, & non per prædeterminationem, seu per gratiam physicè prædeterminantem: ergo hæc est inutilis ad discretionem. Et tandem, quia hoc testimonio Apostoli fuit convictus Augustinus ad suum errorem retractandum: sed error Augustini erat ipsemet error Pelagii negantis necessitatem gratiæ tribuentis sufficientiam simpliciter ad credendum: ergo testimonium Apostoli solum probat necessitatem gratiæ hanc tribuentis sufficientiam.

70. Ad primum, quòd nobis objicitur, minor, hæc omnia nobis opponi, quæ si quid probant, probant negationem omnium donorum Dei supernaturalium; nullum enim eorum possunt homines elati sibi arrogare; licet arroganter æquè, ac ignoranter possint negare illorum necessitatem, ut dicant: *Manus nostra excelsa, & Dominus fecit hæc omnia*, Deuter. 32. 27. Fiat ergo in ipsum argumentum, idem ejus argumentum, loquendo de gratiâ,

quæcumque sit in ejusdem opinione, præveniente. Ad primum est facilis, & perpicua solutio. Et quidem primò instatur argumentum in gratia interiori præveniente. Nam Apostolus loquitur de illo dono Dei, quòd elati homines sibi superbè arrogat; sed nullus sibi superbè arrogat existentiam gratiæ interioris prævenientis, quæ, ut de fide est, existit pro libertate Dei priori ad omnem actum salutarem nostrum: ergo nec Paulus loquitur de gratia interiori præveniente consensum nostrum. Cum ergo Apostolum loqui de gratia interiori præveniente, quam nos efficacem prædicamus, non sit unius Doctoris sententia, sed totius Ecclesiæ sensus, & fides; nec illo argumento suaderi, vel leviter potest, quòd non loquitur de gratia physicè prædeterminante. Nunc in forma respondetur distinguendo maj. Apostolus loquitur de dono, quòd sibi homines arrogat quoad effectum, conc. Maj. quòd sibi arrogat quoad entitatem, neg. Maj. & disting. Min., sed nullus arrogat sibi physicam prædeterminationem quoad entitatem, conc. Min., quoad effectum, neg. min. & conseq. Certissimum quippe est, quòd nullus arrogare sibi potest entitatem gratiæ physicè prædeterminantis. Idem dicendum de quocumque Dei dono, evidentiâ magistrâ; nam si donum est, meum non est. Ergo vel hanc gratiam agnoscit, & admittit, & tunc fatetur à Deo esse in nobis immediatè sine nobis, cum prior sit naturâ, quam nostra operatio: vel ipsam non admittit; & tunc impossibilis est arrogatio illius, quòd existimatur ab eodem non esse. Quare nullus arrogat sibi præmotionem physicam, sed solum ipsius effectum. Hoc erat delictum Corinthiorum D. Pauli tempore, & Pelagianorum in diebus S. Augustini, quòd attribuebant sibi rectas intelligentias, & bonas voluntates, quæ sunt effectus præmotionis physice; quasi in his non essent necessariò subordinati causæ primæ quoad exercitium potentiarum, & entitatem earumdem actuum. Hanc doctrinam sanctè insinuat D. Augustinus in Enarrat. super Psal. 91. n. 6. versus fin. *Quia ergo nihil potest operari, nisi illuminatus à lumine Dei, & fervescit ab Spiritu Dei, quando videris te bona operantem, confitere Deo, & dic tibi, ne extollaris: quid enim habes, quòd non accepisti?* Hic notum est, quòd bona operatio est, quam sibi arrogat homines. Et hæc est ratiocinatio profundissima D. Pauli: nullus gloriari potest pro eo, quòd accepit ex gratia, sed gloriam refundere debet in eo, à quo accepit; sed excellentiam, & prærogativam consensus discernentis hominem ab alio, accepit ex gratia Dei: ergo non potest in se ipso gloriari, sed in Domino, à quo misericorditer accipit gratiam.

71. Non meliori modo opponitur secundum, ad quòd respondetur distinguendo Maj. distinguitur consentiens à non consentiente, per proprium consensum completivè, & forma-

maliter, conc. Maj. inchoativè, primò, & effectivè, neg. Maj. & dist. Min. Gratia efficax ab intrinseco non accipitur quoad entitatem proprio consensu, conc. Min., quoad effectum neg. Min. & conseq. Effectus enim hujus gratiæ proprius, & immediatus in genere causæ efficientis est ipse consensus; cum præsit motio primæ causæ, vi cujus operatur voluntas. Hæc est mens D. Augustini; quare ad auctoritatem tanti Doctoris in argumento nobis objectam ipse respondeat eodem libro cap. 26. n. 43. *Neque enim contra ipsum diceret, quod ait, factores legis justificabuntur. Tanquam per opera; non per gratiam. . . . Sic intelligendum est, ut sciamus, eos aliter non esse factores legis, nisi justificentur, ut non justificatio factoribus accedat, sed ut factores justificatio præcedat.* Unde benè dicit: *Anima non potest habere bona, quibus Deus eam discernit, nisi consentiendo.* Sic autem intelligendum est, ut sciamus, eam aliter non esse consenturam, nisi habeat bona, quibus effectivè à Deo discernitur, non ut habitio consensui accedat; sed ut consensum habitio præcedat. Perspexit namque Augustinus responsione illa, quod accipere, & habere Dei dona, utique accipientis, & habentis est; sed vidit, non evacuari difficultatem: licèt enim consentire, & dissentire sit propriæ voluntatis, superest tamen difficultas, utrum ipsum consentire vocationi sit etiam donum Dei? ut per hoc credens non habeat, in quo gloriatur præ non credente. Ideo utrumque asseruit, & Dei donantis esse, & voluntatis suscipientis esse; sed & nodum istum à se solvi non posse. Quare immediatè subjungit: *Nam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur, illi auzem non ita? duo sola concurrunt interim, quæ respondere mihi placeat. O altitudo divitiarum! Et: Numquid iniquitas apud Deum? Cui responso ista displicet, quærat doctiores, sed caveat, ne inveniat presumptiores:* in quo sanè S. Doctor pressus difficultate à se cap. 33. proposita, humillimè fatetur suam, & hominis limitationem, quam utinam imitemur.

72. Esto ad tertiam eadem Augustini responsio, quo doctiores nos absit, ut præsumamus. Dicimus ergo, quod ille dixit; scilicet, animam nostram habere dona, quibus Deus eam discernit, consentiendo; sed ipsum consentire causare in nobis Deum, hoc per efficacem gratiam donando. Eritne inutilis gratia efficax, sine qua non habemus ipsum, non discernere, quod per ipsam accipimus? Quænam ergo manet difficultas? Non alia, nisi intelligi non posse ab argumentibus nos, quomodo hæc cohæreant. Fateor, nec nos intelligimus; sed tamen credimus. Et Augustini responsionem damus: *O altitudo divitiarum! Et: numquid iniquitas apud Deum.* Ut tamen Scholasticorum more terminos justè fecernamus, oportet, ut eorum non prætereamus formulas, juxta quas respondetur pri-

mò: dist. min. sed accipimus dona quatenus consentimus, ly quatenus reduplicando effectum, con. min. reduplicando causam, neg. min. & conseq. solutio constat ex dictis: quia licèt idem sit bonum donantis & recipientis, est tamen diversa ratio donandi, & recipienti; si quidem Deus donat per gratiam, homo recipit per usum libertatis adjunctæ. Vel secundo responderi potest, distinguendo Maj. discernimur inadæquatè, quatenus accipimus dona, conc. Maj. discernimur adæquatè, neg. Maj. & disting. Min. sed accipimus dona perfectè, & còpletè, quatenus consentimus, conc. min. sed accipimus inchoativè, & incompletè, neg. min., & disting. consequens: ergo discernimur per consensum, & non per gratiam ab intrinseco efficacem inchoativè & inadæquatè neg. conseq. per gratiam inchoativè, & per consensum completivè, & perfectè conc. conseq. Pro cujus intelligentia maximè observandum, quòd dum dicitur, quòd discernimur, quatenus accipimus dona, quæ Deus discernens confert nobis, vel ly *dona* supponit pro gratiâ non datâ alteri tam sufficiente, quàm efficaci; vel supponit pro gratia efficaci, & pro volitione infallibiliter illatâ, & connexâ cum illâ, quæ recipitur in nostrâ voluntate, sicut accidens in subjecto: & ita potest dici accipi, cum sit donum Dei ex motione virtuosa ipsius, ut causa prima supernaturali: & utroque modo propositionem afficit distinctio. Nam primo modo intellectâ propositionem, gratia utraque est donum Dei, & per utrumque distinguitur consentiens à non consentiente; sed tamen solum inadæquatè, quia deficit adhuc actus cooperantis voluntatis. Si secundo modo accipiatur propositio; cum in voluntate nostra non solum sit ratio potentiæ passivæ, & receptivæ, sed etiam activæ, per recipere etiam volitionem, non discernimur adæquate, & completè, quia primò discernimur per elicere, cum hoc sit donum Dei perficiens ipsam in ratione potentiæ activæ. Nec loquimur de linea reali exercita, quia tunc per receptionem volitionis completè discernimur, quæ terminat in re elicentiam actus, qui non inhæret, nisi eliciatur; sed loquimur de linea reali signata formalitatibus, quatenus consideramus ex una parte virtualitatem potentiæ passivæ, & ex alia virtualitatem potentiæ activæ, & elicitivæ. Et cum voluntas nostra secundum utramque discernatur per dona Dei: ideò per dona Dei, quæ respiciunt tantum unam ex his virtualitatibus, solum inadæquatè discernimur. Hæc in studentium gratiam subtiliora; prior verò modus solidior est.

73. Nec majorem veritatis speciem habent, quæ ultimo loco ex opposito afferuntur. Ita sanè est, quòd illo Apostoli testimonio convictus fuit Augustinus, cum aliter saperet: *Quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti?* Quæ verba non sinunt quemquam fidelium dicere: *ex me est discretio mea, fidem*

habui, quem non accepi. Intulit ergo ex illo principio & gratiam discretivam tribuentem potestatem, & sufficientiam, vi cujus discernitur sufficiens ad credendum à non sufficiente, & gratiam intrinsece efficacem, discernentem credentem à non credente, ut

statueret contra Pelagium non solum adiutorium præveniens, ut possimus, sed adiutorium præveniens, ut velimus; quod dum agitata Augustinum inter & Pelagium controversiæ caput referemus, prolixiori, & accuratiori dissertatione prosequemur.

DUBIUM II.

An Gratia ab intrinseco efficax sit de mente Conciliorum?

1. **C**Um Ecclesia universalis sit *columna, & firmamentum veritatis*, ut vocatur à D. Paulo 1. ad Thimot. 3. nequeunt ejus decreta non esse irrefragabilis auctoritatis, vel, ut loquebantur antiqui Patres, *legationes Spiritus Sancti*; ut esset in Ecclesia judicium certum, ne omnia revocentur in dubium, sicut Gelasius Papa ad Episcopos scribit Dardaniæ: *Nullum contra singulos quosque errores stabile persisteret Ecclesiæ constitutum.* Hoc gravi, ac firmo Ecclesiæ judicio tam veritatis auctoritate, quàm auctoritatis veritate, ut loquitur Augustinus lib. 2. contra Maximinum cap. 14. n. 3. fixo, ac immobili omnia dissolvuntur dubia, lumineque supercoelesti veritas omnibus sequenda proponitur. Etenim Ecclesia à summo Pontifice Romano in Christi nomine ad definiendum ea, quæ spectant ad fidei, vel morum doctrinam, congregata, ab eodem Christo sapientiam accipit, ab ipso illuminatur, & ipsum semper præsentem, & adjuvantem habet. Hæc est illa infallibilis Spiritus Sancti assistentia tot Sacræ Scripturæ testimoniis, Conciliorum, ac SS. PP. oraculis confirmata, quæ sit medio lumen certo, & infallibiliter veritatem revelante, & medio auxilio, seu gratia Patrum voluntates ita immobiliter firmante, ut veritates illas, etsi humanam transcendant intelligentiam, tueri velint. Undè utrumque donum Dei, & lumen, quo intellectus illustretur, & motio, qua voluntas afficiatur, in oratione, quæ Conciliis præmittitur, à Deo petitur: *Doce nos, quid agamus, quòd progrediamur ostende, ecce lumen: Esto solus & suggestor, & effector judiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre, & Filio nomen possides gloriosum; ecce numinis infallibilitatem: non favor inflectat, non acceptio munerum, vel persona corrumpat; ecce gratiam, qua voluntas afficitur ad definitionem: Quid efficiamus operare. . . junge nos efficaciter tibi solius tuæ gratiæ dono; ecce gratiæ vim infallibilem, quam explicat Augustinus lib. de grat. & liber. arbitr. cap. 16. Certum est nos facere, cum facimus; sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiat. Et lib. de gratia Christi cap. 24. Deum operari in cordibus hominum bonas voluntates mirabili, atque ineffabili potestate, & alibi: Deum occultissima, & efficacissima potestate*

hominum corda convertere. Hæc sanè clarissimè ostendunt illam assistentiam promissam sibi Spiritus Sancti, quam Ecclesia in Spiritu Sancto legitime congregata supplex à Domino petit, esse gratiam se ipsa efficacem. Quid enim sibi vult, *esto suggestor, & effector judiciorum nostrorum*, nisi quod judicia illa, quæ Ecclesiæ sunt, Spiritus Sanctus per suam gratiam efficiat, agat, & operetur? quæ tamen Patrum non lædit arbitrium, ut ex illo, *rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua* Luca 22. concludit Augustinus de corrept. & grat. cap. 8. n. 17. *An audebis dicere, etiam rogante Christo, ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse, si Petrus eam deficere voluisset, hoc est, si eam usque in finem perseverare noluisse; quasi aliud Petrus ullo modo vellet, quàm pro illo Christus rogasset, ut vellet? Nam quis ignorat tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea, qua fidelis erat, voluntas ipsa deficeret? & permanentem, si eadem voluntas maneret? Sed quia preparatur voluntas à Domino, idè pro illo Christi non posset esse inanis oratio. Quando rogavit ergo, ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, firmissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem? Ecce quemadmodum secundum gratiam Dei, non contra eam, libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana, non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem, & ut perseveret, delectabilem perperuitatem, & insuperabilem fortitudinem.*

2. Hæc ergo infallibilitas fidei, ac definitionis non oritur ex voluntate humana Patrum, sed potius ipsorum voluntas ex infallibili assistentia, & gratia Spiritus Sancti, dum Divinæ gratiæ auxilium obtinent ipsorum, voluntates efficaciter movens. Quod Coelestinus Epist. ad Episcop. Galliæ scribit cap. 5. *Quòd omnia studia, & omnia opera, ac merita Sanctorum, ad Dei gloriam laudemque referenda sunt, quia nemo aliundè ei placet, nisi ex eo quod ipse donaverit:* (auctoritatem Zosimi Pape profert in medium) *In quam nos, inquit, sententiam, dirigit beata recordationis Pape Zosimi regularis auctoritas, cum scribens ad totius Orbis Episcopos, ait: Nos autem instinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur) ad Fratrum, & Coepiscoporum nostrorum conscientiam universa retulimus.* Ecce quomodo Papa Zosimus decretum, quod adversus Coelestium edide-

rat, se Dei instinctu efformasse profiteretur: quæ ipsius verba Præsules Africani tanquam clarissimam Divinæ gratiæ professionem accipientes, ex illa sumpsere argumentum, ut illud Divini Spiritus auxilium, quod infallibilem Spiritus Sancti assistentiam esse non est dubium, cum libertate consistere probarent: quod & ipse Cœlestinus refert, & approbat, unde subdit: *Hunc autem sermonem sincerissima veritatis luce radiantem tanto Africi Episcopi honore venerati sunt, ut ita ad eundem virum scriberent: illud verò, quod in litteris, quas in universas Provincias curasti esse mittendas, posuisti dicens: nos tamen instinctu Dei &c. Sic accepimus dictum, ut illos, qui contra Dei adiutorium extollunt humani arbitrii libertatem, districto gladio veritatis, velut cursum transiens amputares. Quid enim tam libero fecisti arbitrio, quàm quoddam universa in nostræ humilitatis conscientiam retulisti, & tamen instinctu Dei factum esse, fideliter, sapienterque vidisti, veraciter, fidenterque dixisti? Ideo utique: quia preparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt: ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibuscumque voluntatis humanae singulis moribus magis illius valere non dubitemus auxilium. Nec prætereundus silentio Jacobus Neclantus Episcopus Clodienfis & ipse unus ex Tridentini Patribus in opusculo de potest. Papæ, & Concil. hoc luculenter explicans: inquit enim: *Cum confirmat, decernitve quæ fidei sunt (scilicet Pontifex) tamquam Papa, hoc est, judicialiter ferendo sententiam, tam eximio agitur Spiritu Sancti afflatu, quod illius non valeat periclitari iudicium. Non quod ea in re violentetur, nam voluntariè operatur, sed quia tam efficaci movetur impulsu, quod ex suo agit iudicio, suaviter tamen actus humanam imbecillitatem non patitur in iudicio. Hoc ergo prostruenda gratia ab intrinseco efficaci erat sufficiens, & efficacissimum argumentum. At non hoc solum probandum in præsentibus dubio assumimus; sed & ipsam esse Sacris Concilii confirmatam, præsertim in illis, in quibus Pelagii, Calvinii, & Lutheri Hæreses toto orbe fuerunt profligatæ, & damnatæ.**

§. I.

Præmittitur brevis Actorum Pelagii notitia; atque ex sensu Hæresis ejus, simulque ex doctrinis Conciliorum Diospolitani, Milevitani, & Carthaginensis illum damnantium deducitur, gratiam se ipsa efficacem Patres tenuisse, & grassanti errori objecisse.

3 **I**nter causas, propter quas, ut dixit Apostolus: oportet, & hæreses esse 1. Corinth. 11. 19. Principem, ut arbitror, locum

tenet, quòd occasione Hæresum illustratur Ecclesiæ doctrina. Nam quod ab Spiritu Sancto interius edocta tenet, quasi fide involutum, cum errores insurgunt, explicat, atque studium, & labor, adjuvante Dei gratiâ, ad profundiora penetrant, & ad quæ penetrant, evidentius exponit. Ideò, ut examine-mus, quamnam doctrinam in materiâ de gratiâ Dei Ecclesia tenuerit, oportet diligenter inspicere, in quonam erraverit Pelagius, & quidnam Patres, & Concilia illum damnantes dixerint. Nam quod occasione Hæresis ejus protulerunt, ejusdem erroribus directè opposites, haud dubium fuisse eorum doctrinam: & quod oppugnatum à Pelagio, illi nihilominus firmiter propugnarunt, robustiora, atque irrefragabilia nobis esse debent veritatis argumenta. Hinc meminisse opus est Conciliorum Milevitani, & Carthaginensis, quibus damnati fuerunt errores Pelagii, & Cœlestii. Ille enim fraudulentis responsionibus illudit Synodo Lyddæ, quæ & Diospolis dicitur celebratæ, cui præfedit Cæsarensis Episcopus cum aliis duodecim Episcopis anno 416., quos nominat Augustinus lib. 1. contra Julianum cap. 1. Unde postmodum, anno Christi 416. in dictis duobus Conciliis damnati fuerunt iidem errores octo Canonibus adversus eos unanimi Patrum consensu æditis. Pelagius è Palestina scripsit ad Innocentium. Appellavit & Cœlestius ad Summum Pontificem; sed quam appellationem, vivente Innocentio non ausus est profequi, ipso è vivis sublato ad Successorem suum Zosimum direxit, cui, Romam profectus, libellum purgatorium talibus mendaciis, & hypocri-si, tali astutia, & submissione offert, ut ambos inculpabiles, & injustè læcessitos crederet: ex quo ad Africanos scripsit Præules, reprehendens eos, quòd tam facile præbuis-sent aures eorum aceufatoribus. Turbati Episcopi talibus litteris congregantur anno Christi 418. Carthagini numero 217. acta, scriptaque Pelagii accuratius discutunt, iterumque condemnant ipsos, ad majorem firmitatem octo illos Canones resumentes, qui in Milevitano fuerant sanciti. Quod convincitur ex eo, quòd Concilium secundum Turonense anni 567. can. 20. allegat unum ex his sub nomine Milevitani, & Cœlestinus Papa Epist. ad Episcopos Galliæ, octo eodem Canones attribuit pariter Carthaginensi Concilio. Acceptis à Zosimo synodalibus litteris, quas Concilium Carthaginense ipsi scripserat, Hæreticorum calliditate detectâ, qui amplius malitiam occultare non poterant, tulit in eos damnationis sententiam, & decretum Innocentii in omnem Ecclesiam promulgavit; estque illud ipsum, de quo ita loquitur Anastasius Bibliothecarius in Innocentio: *hic constitutum fecit de omni Ecclesia; hoc est decretum fidei ad universam Ecclesiam pertinens.*

4. Cum angusti hujus discursus termini-

minimè ferant Pelagii hæresim, quam Ecclesia tanto odio execrata est, totque anathematismis perculit, fufius profequi, sat erit nobis errorem ejus circa gratiam Christi ante oculos ponere; quoniam in vera, & germana suæ doctrinæ intelligentia, & doctrinæ ex adverso oppositæ cognitione, præcipuum hujus nostræ resolutionis momentum situm est. Illud primò statuendum, quòd Pelagius ingenium, & calumiam exercens in laudem naturæ liberum arbitrium ita encomiis commendat, ut ipsum omnium virtutum originem efferat; ideo scripsit ad Demetriadem cap. 4. *Est in animis nostris naturalis quadam, ut ita dixerim, sanctitas, quæ velut in arce animi præsidens, exercet mali, bonique iudicium.* Sed cum error hic piis, & catholicis auribus offensionem esset, frangens invidiam, offensionemque declinans, ut asserit Augustinus lib. de grat. Christi cap. 37. non illâ impiâ, & non ferenda notione gratiæ usus est, sed errorem simulans, gratiam liberum arbitrium appellasse se dixit, teste eodem Augustino ibi cap. 7. dicens: *Hoc ipso quia liberum hominis arbitrium defendo, & dico, quia liberum arbitrium sufficiens est, ut iustus sim, non sine gratia Dei dico, nec contra gratiam Dei disputo.* Hanc agnovit gratiam Pelagius, sicut & naturam sufficientem ad omnia præcepta implenda; vincendasque tentationes, ut sic humana salus ex humani arbitrii à Deo in creatione accepti libertate penderet. Sed cum urgeretur ille, ut Deum nostræ justificationis auctorem confiteretur, errorem arte multiplici, variisque flexibus simulans, libero arbitrio legem, atque doctrinam addidit; quia nempe Deus dando præcepta homini, docet, quomodo sit vivendum, & in eo utique adjuvat, quòd docendo aufert ignorantiam, ut sciat homo in operibus suis, quid facere debeat, ut affirmat Divus Augustinus lib. de spirit. & litter. cap. 2. Sed cum hoc ad radicem erroris simulandam minimè sufficeret, iterum novo dolo legi, & doctrinæ exempli Christi junxit, ut affirmat Augustinus lib. de grat. Christi cap. 39. dicens: *Quod non sufficit amplius solalex propter nimiam peccandi consuetudinem, nisi Christi accedat, non inspiratio charitatis per Spiritum Sanctum, sed intuendum, & imitandum in doctrinâ Evangelicâ virtutis ejus exemplum.* Quod Christi exemplum efficacissimum Dei adiutorium nos per singula momenta ad vitanda peccata adjuvans, affirmabat versipellis ille, cum tamen non esset gratia distincta à lege, & doctrinâ, ut probat M. P. Augustinus de grat. Christi cap. 41.

5. Huic velut cardini tota Pelagii gratiæ doctrina innixa est, quam non simpliciter necessariam credidit, sed solum ad facilius operandum, teste D. Augustino lib. citato de grat. Christi cap. 26. At, ut magis ad propositum applicemus, præmittendum secundò, quòd cum Pelagius diversis verbis eandem rem diceret, ut nusquam perfectè intelligen-

retur, sic majori arte errorem suum simulans; erat enim ingenii fortissimi, celerrimi, acutissimi, & dolis, ac fraudibus dediti, ut notavit Augustinus de natura, & grat. cap. 6. & 25. Hinc maxima inter Theologos exorta est controversia illa, an in ultimo suæ hæresis statu gratiæ alicujus interioris necessitatem agnoverit? De qua plura diximus disp. antecedenti. Quare quidquid sit de hac gravissima controversia, hoc apud omnes Theologos certissimum est, nunquam veram interiorem gratiam, quam Ecclesia hoc nomine donandam credit, admisisse, scilicet quâ Deus, internâ, & occultâ mirabili, ac ineffabili potestate operatur in cordibus hominum bonas voluntates, sive adiutorium efficacæ ad velle; ut enim supra diximus, decisa fuisset cum Pelagio pro Catholicis lis de adiutorio Divinæ gratiæ, si hæc tria adiutoria Pelagius confessus fuisset, adiutorium possibilitatis, adiutorium voluntatis, & adiutorium actionis: quia nempe fides Catholica in materia de gratia auxiliante non aliud requirit, quàm, ut confiteamur, Deum nobis utrumque donare, nimirum posse, velle, & agere: posse per auxilium sufficiens, velle, & agere per adiutorium efficacæ.

6. Præmittendum tertio, quodnam, & quale fuerit auxilium illud efficacæ, circa quod fuit Augustini cum Pelagio vehementissima illa animi, ingenii, viriumque facta contentio: an nempe fuerit gratia versatilis (ut novo, & quod sciam, à sæculo inaudito nomine coepit appellari) an gratia ab intrinseco efficacæ, & infallibiliter connexa cum effectu? Efficaciam intrinsecam gratiæ abhorruisse Pelagium, vel ex eo apertissimè constat, quia calumniosè in Augustinum falsum intendebat crimen, libertatem destrui, & hæc indeclinabili gratiâ fatum induci. *Ex eorum verbis intellexi;* scribit S. Doctor lib. 2. ad Bonifacium cap. 5. *Ob hoc illos vel putare, vel putari velle, fatum nos asserere sub nomine gratiæ, quia gratiam Dei non secundum merita nostra dicimus dari, sed secundum ipsius misericordissimam voluntatem.* Et ibi: *Nos assertores fati esse criminantur, quia non dicimus gratiam nostram secundum merita dari.* Ita & PP. Concilii Carthaginensis in synodica ad Innocentium Papam Epist. inter Augustinianas 175. aliàs 90. Testis iterum D. Augustinus lib. 4. contra Julianum cap. 8. & D. Hieronymus Epist. ad Ctesiphontem, quod dicebat Pelagius, *si alterius ope indigeo, libertas arbitrii in me destruetur.* Et D. Hilarius in Epist. ad Augustinum: *his sanctitatis tuæ verbis ita movetur Massilienses, ut dicant quamdam desperationem hominibus exhiberi.* Unde & Faustus Semipelagianus lib. de liber. arbitr. cap. 4. sic contra Augustinum arguit: *Quid enim ultra speret, quem jam gratum fecit? In quo è contrario non desperet, quem prædeterminatio violenta damnavit?* Non minus perspicuè, immò clariùs hoc iterum aperuit S. Augustinus lib. de

corrupt. & grat., quem propter hoc Pelagii argumentum scribere compulsus est. Ubi & illud nunc brevius refert, nunc latius; caput enim tertium illud referendo his paucis verbis concludit. *Quomodo, inquit, meo vitio non habetur, quod non accepi ab illo, à quo, nisi datur, non est omnino alius, unde tale, ac tantum munus habeatur.* Et cap. 4. *Hoc enim dicunt qui in suis malignis operibus ab huius gratia prædicatoribus corripit volunt, præcipe mihi quid faciam, & si fecero, age pro me gratias Deo, qui mihi, ut facerem, dedit. Si autem non fecero, non ego corripendus sum, sed ille orandus est, ut det, quod non dedit: id est, ipsam, qua præcepta ejus fiunt, fidem Dei, & proximi charitatem.* Ora ergo pro me, ut hanc accipiam, & per hanc ex animo cum bona voluntate, qua præcepit, faciam. *Rectè autem corripere, si mea culpa non haberem, hoc est, si eam possem mihi dare, vel sumere ipse, nec facerem: vel si dante illo, accipere noluissem.* Quid manifestius, sensibile Pelagium necessitatem auxilii efficacis, & connexi minimè stare cum libertate arbitrii? Ac si argueret ita: si hoc auxilium est necessarium ad actum: ergo omisso non potest esse libera, quia caret homo aliquo simpliciter necessario, cujus existentia non est in hominis potestate. Si verò auxilium hoc existit: ergo actus non potest esse liber, quia cum tali auxilio nequit homo conjugere carentiam actus, nec illud impedire, aut illius influxum suspendere, cum supponatur intrinsecè efficax, & infallibiliter connexum cum actu, & illius existentia neutiquàm hominis liberæ subjiciatur potestati: ergo non stabat juxta Pelagium incolumis libertas cum necessitate auxilii ab intrinsecò efficacis ad salutariter operandum. Hic reverà fuit lapis offensivus, in quo allisus Pelagius naufragium fecit in fide; teste D. Augustino lib. de gestis Pelagii cap. ultimo num. 65. *In hoc tota hæresis ista consistit. . . quod non sit liberum arbitrium, si indigeat auxilio Dei; quoniam propriam voluntatem habeat unusquisque, aut facere aliquid, aut non facere.*

7. E contra verò M. P. Augustinus argumenti fallaciam demonstrat cap. 2. ejusdem libri dicens: *Non se itaque fallant, qui dicunt, ut quid nobis predicatur, atque præcipitur, ut declinemus à malo, & faciamus bonum, si hoc non agimus. Sed id velle, & operari Deus operatur in nobis. Sed potius intelligant, si filii Dei sunt, Spiritu Dei se agi, ut quod agendum est, agant, & cum egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant: aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant.* Transcribendi essent hic Augustini libri, ut tanti Doctoris aperta mens contra Pelagium in toto suo splendore fulgens exhiberetur. Sed quid est opus tot argumentis? Audiatur P. Benedictus Sirenius Societatis Jesu tom. 6. selectar. disp. 133. dicens: *Et tamen nihil moverunt Augustinum, quominus sententiam suam constanter eueretur usque ad mortem. Nec scandala, quæ ob id orie-*

bantur, & nonnullis accidebant, curanda esse putavit, judicans esse passiva, ut quæ inscientia veritatis, & imperitia Divinarum Scripturarum nascerentur. Hæc ille. Quæ ad longum retulimus pro intelligentia hujus Sacri Concilii, cum finis per se primò intentus à Sacrosancta Synodo præ oculis habendus sit, qui est prima ratio movens ad definiendum, & ignoratis his, quæ sacris Canonibus anathematizantur, hæresibus, mens Concilii perfectè assequi nequeat.

8. Jam ex utroque illorum, quæ adduximus fundamento, luce clarius opinor, Concilia, Milevitanum, & Carthaginense, loqui de gratia per se, & ab intrinsecò efficaciter. Moveor primò; quia ut diximus, duplex fuit error Pelagii; quia nimirum negavit gratiam interiorē posse salutariter operari constituentem, & adjutorium dans ipsum agere; sed uterque error fuit ab Augustino acriter impugnatus, & efficacissimis argumentis Pelagius de his iisdem fuit falsitatis convictus: ergo dum Concilia hæc, præsertim Augustino, & ex ipsiusmet doctrinâ Pelagii hæresim anathematizant, quam gratiam interiorē ad posse, & ad agere necessariam in suis scriptis contra Pelagium propugnabat Augustinus, à PP. sanctam sine dubio credendum; id est, eam, quæ cum libertate humana componi non posse, videbatur.

9. Moveor secundo; quia gratiam Dei ad singulos actus necessariam esse, ut fidei dogma merito crediderunt PP. Concilii Milevitanum, & Carthaginense; sicut & arbitrati sunt PP. Concilii Diospolitani, ut ex Actis dicti Concilii constat relatis ab Aurelio Episc. Cart. Episc. Bizacenæ, & Arzigitanæ Provinciæ, in quibus refertur septimum caput Pelagio objectum fuisse istud: *Gratiam Dei, & adjutorium non ad singulos actus dari, ut contradictorium catholicè confiteretur, Gratiam Dei, & adjutorium etiam ad singulos actus dari: sed gratia necessaria ad singulos actus, nempe ad velle, & operari, erat juxta Augustinum gratia distincta à gratia constituyente posse salutariter operari: ergo gratiam efficacem, seu dantem facere, distinctam à gratia constituyente posse salutariter operari agnoverunt PP. Concilii.*

10. Moveor tertio; quia decimum Pelagio à PP. Concilii objectum caput, ut constat ex actis ejusdem Concilii, fuit: *Non esse liberum arbitrium, si Dei indigeret auxilio, ut confiteretur distinctè, & clarè: Esse liberum arbitrium, etiam si divino egeat auxilio, & veritas Catholica stabilita maneret; id est, per gratiam Dei libertatem nostram confirmari potius, ac stabiliri, quàm destrui; sed gratia, quæ credidit Pelagius penitus liberum nostrum arbitrium subverti, fuit gratia ab intrinsecò efficaciter, ut stabilitum manet: ergo Concilia libertatem cum necessitate gratiæ efficacis ad singulos actus rectè conciliari profitentur.*

Id

11. Id ipsum deduco ex sacris Canonibus hujus Concilii. Etenim Can. 4. sic decernitur: *Item quisquis dixerit, eandem gratiam Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum, propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus; non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit.* Hic concilium damnat Pelagii errorem; sed error Pelagii erat negare tam adjutorium possibilitatis per gratiam interiorē, quàm adjutorium voluntatis, & actionis: ergo Concilium definit gratiam esse simpliciter necessariam, quæ det, & posse, & ipsum agere, & velle. Consequentia legitima est; Minor Augustini: audiatur enim S. Doctor argumentum hoc dilucidè versans, & claritate locutionis omnem dubitationem præveniens, de grat. Christi cap. 5. *Scire quippe debemus, inquit, quod nec voluntatem nostram, nec actionem Divino adjutori credit auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis, atque operis, quam solam in his vribus nos habere affirmat ex Deo: tanquam hoc sit infirmum, quod Deus ipse posuit in natura; cetera vero duo, quæ nostra esse voluit, ita sunt firma, & fortia, & sibi sufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio, & ideo non adjuvet, ut velimus, non adjuvet, ut agamus, sed tantummodo adjuvet, ut velle, & agere valeamus.*

12. Nec quis nobis objiciat, gratiam distinctam à Concilio, & explicatam ab Augustino non esse gratiam distinctam à sufficientem, quæ det ipsum agere, sed gratiam sufficientem, qua constituitur posse in ordine supernaturali, ut exprimentur Canonis 4. verba: *Ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus.* Non, inquam, id objiciant; quia hoc effugium in ipsis locis præclusum est. Etenim gratia, quæ facere diligamus manifestè enunciat distincta ab ea, quæ diligere valeamus: & laudatus Augustinus præter adjutorium, quo velle, & agere valeamus, adjutorium, quod velimus, & agamus evidenter prædicat; ut patebit adducta verba legenti. Et quid ulterius est adjutorium ad singulos actus; nisi præter posse, adjutorium ad agere? Ut autem omnis hallucinatio amoveatur, sciendum est, quod aliquando verbum *potest* potentiam antecedentem, aliquando consequentem exprimit. Sic sapient 8. dicitur: *Cum scirem, quia nemo potest esse continens, nisi Deus det, ubi manifestus terminus est, ni fallor, de actu continentia, quem petit; & tamen donare Deum nobis sic continentiam, non se tenet ex parte actus primæ, aliàs cui Deus continentiam actualem non daret, non esset liber, nec ipsi defectus continentia imputaretur ad culpam: esset enim incontinens necessariò, & quidem necessitate antecedente, quæ cum demerito non cohæret: ergo ly non potest & potesta-*

tem antecedentem, & consequentem aliquando significat. Est familiaris PP. similis locutio. D. Prosper lib. 2. de vocat. gent. *Deo nobiscum non cooperante nullum meritum à nobis fieri potest: & tamen gratia cooperans apud omnes ad potentiam consequentem, & cum operatione conjunctam attinet, minimè tamen ad actum primum.* Et D. Fulgentius de fide cap. 35. asserit: *Neminem à Deo non prædestinatum non posse salvari; & tamen de fide certissimum est, quod in non prædestinatis datur vera libertas, & antecedens potestas, ut salvari possint.* Sed & in Evangelio legitur. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: & tamen tractio ad potestatem consequentem pertinet, & antecedentem supponit; undè est dicere: Fieri non potest, ut aliquis veniat ad me, nisi Pater traxerit eum: ergo quod Concilium utatur verbo valeamus, non probat, quod præcisè loquatur de gratia exacta ad posse; sed contra Pelagianum dogma universim affirmat, & gratiam esse necessariam ad posse, & simpliciter exactam ad velle, & agere. Quæ energiâ loquendi utitur Concilium Tridentinum, sess. 6. de justificat. Can. 3. definiente: *Sine præveniente Spiritu Sancti adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut penitere non posse, sicut oportet: & tamen nomine adjutorii designavit efficacem gratiam: ergo & hanc rectè exprimi potuit, & expressit citatis verbis Concilium Milevitanum.**

13. Firmant insuper sententiam nostram verba Canon. 7. *Item placuit, ut quicumque dixerit; in oratione dominica ideo dicere Sanctos, dimitte nobis debita nostra, ut non pro se ipsis hoc dicant; quia non est eis jam necessaria ista petitio, sed pro aliis, qui sunt in suo Populo peccatores, & ideo non dicere unumquemque Sanctorum, dimitte mihi debita mea; sed, dimitte nobis debita nostra, ut hoc pro aliis potius, quàm pro se justus petere intelligatur, anathema sit.* En ubi necessitas orationis statuitur contra Pelagium: *Sed oratio clarissima est gratia testificatio, ut dicit Augustinus Episc. 95. & non solum gratiæ sufficientis, sed & efficacis ad velle, & agere, quod in presenti remittendum duximus ad præsentis disputationis dub. 4. Ergo Concilium, dum errorem Pelagii debellat, gratiam efficacem necessariam agnoscit. Vis argumenti hujus dependet à dicendis citato loco.*

14. Si quis tamen conetur Concilii mentem aliò trahere, seu abducere, obstat ipse Augustinus, cui unà cum Patribus communis vox erat. Indequè nemo nescit quantum præstet ejus auctoritas ad mentem Concilii percipiendam, & ad sensum, significationemque eorum, de quibus agit Concilium, perspicacius, & vividius penetrandam, cum Sæcra isti Canones adversus Pelagium ex libris Augustini fuerint accepti, ut narrat D. Prosper contra Collatorem in fine; & Augustino Concilia Carthaginense, ac Mi-

levitanam curam scribendi demandarint, ut testatur ipse Epist. 110. nunc 213. sic dicens: *Curam scripturarum mihi Fratres, & Patres mei Coepiscopi duobus Conciliis Numidia, & Carthagini imponere dignati sunt.* Quod & præstitit Augustinus in Epistolis ad Innocentium utriusque Concilii ab ipso compositis, sicut & in illis Conciliorum Milevitani, & Carthagenensis, & peculiaribus aliis, quas suo nomine scripsit ad Innocentium: ergo non potest mens Concilii melius cognosci, dum errores Pelagii his Sacris Canonibus refutat, quam ex modo, quo Augustinus hæresim istam condemnat.

15. Placet hic in laudem tanti Doctoris referre, quod accidit in Conventu Hierosolymitano celebrato à Joanne Episcopo anno 415. ubi intronatus Pelagius, unanimiterque ab omnibus interrogatus, an hæc, quibus Augustinus Episcopus respondisset, se docuisse cognosceret, illic ille respondit: *Et quis est mihi Augustinus? cumque universi acclamarent blasphemantem in Episcopum, ex cuius ore Dominus universæ Africæ indulserit sanitatem, non solum à Conventu illo, verum ab omni Ecclesiâ pellendum, Episcopus Joannes illic eum hominem videlicet Laicum in consensu Presbyterorum, reum hæreseos manifeste in medio Catholicorum sedere præcepit, quod ex Orosii presbyteri apologia pro libertate arbitrii cap. 3. & 4. refert P. Labbè tom. 3. concil. ad annum Christi 415. Tanta fuit, & est hujus S. Doctoris auctoritas, & hinc nobis fiducia veritatis oritur, & veritatis, quæ nec oppositionibus cedit, nec fortuitis casibus concussa cadit, nec per momenta transeundo deficit, & quæ nunquam Discipulis poenitentiam doloris immittet.*

S. II.

Eadem gratia per se ipsam efficax probatur ex Concilio Arausicano II.

16. Extinctis Pelagianis celebrata fuit Arausicana Synodus II. anno Christi 529. ut Jacobus Sirmondus observat sub Felice Papa IV. cujus Sacri Canones infallibilem fidei auctoritatem continent, & quia fuerunt antecederent auctoritate Pontificia editi (non enim à PP. Concilii fuerunt facti, vel inventi, sed ab Apostolica Sede ad illos transmissi, ut ejusdem Sedis auctoritate, & admonitione promulgarentur) & quia fuerunt consequenter à Sede Apostolica confirmati, cum constet, confirmata fuisse à Summo Pontifice hujusmodi decreta ex Epist. Bonifacii II., quam ex Codice Folsatensi, & alio, qui exstat in Bibliotheca S. Mariæ Laudunensis, publici juris fecit Sirmondus, & subjunxit huic Concilio tom. 1. Concilii Gallicæ, & ad Cæsarium Præsidem Concilii dirigitur, qui prius decreta Concilii ad ipsum

miserat. In hæc, inter cætera, habetur: *Quapropter affectu congruo salutantes supra scriptam confessionem vestram consentaneam Catholicis Patrum regulis approbamus &c. Dat. 8. Kalend. Februariæ, Lampadio, & Oreste VV. CC. Consulibus.* Hoc accuratissime notat Jacobus Sirmondus ad Epist. 9. Lib. 9. Apollin. Sidon. dicens: *Intererat Concilium istud, quod Leonis olim Papæ temporibus aserebatur ad hæc potius tempora differri, propter multos doctrina, & pietate præstantes viros, qui spatio interjecto fovere in Gallia visi sunt Semipelagianis, quorum placita in hac demum Synodo, quam Sedis Apostolicæ auctoritas comprobavit, penitus explosa, ac rejecta sunt.* Idem in Not. ad Conc. Arausic. II. *Cæterum gravi, ac diuturnæ contentioni, quæ sanctissimos, & doctissimos utrimque viros in Gallia centum, & amplius annis exercuit, finem postea tandem attulit Synodus Arausicana II. quæ totam de gratia, & libero arbitrio controversiam ex P. Augustini sententia composuit.* Idem in Not. in hoc loco, ait, continetur Synodus Arausica, quam per auctoritatem S. Papæ Bonifacii confirmavit. *Et ideo quicumque aliter de gratia, & libero arbitrio crediderit, quam vel ista auctoritas continet, vel in illa Synodo constitutum est, contrarium se Sedi Apostolicæ, & universæ per totum Mundum Ecclesiæ esse cognoscat.* Hoc Concilium jure optimo Concilium gratiæ dicitur; quia in eo contra Semipelagianos, qui in Gallia, maxime in secunda Narbonensi Provincia, per hujus hæresis præcipuos assertores, eximii ingenii viros, Cassianum, & Faustum, percubuerant, Christi gratiæ necessitas commendata est. Sed cum Canones hujus Concilii relativè ad errores Semipelagianorum editi fuerint, quid senserint isti de gratia, & libero arbitrio prius videndum, cum maxime ad ejusdem Concilii intelligentiam faciat.

17. Ac quidem supponendum, quod Semipelagianorum Antesignani ac præcipui Magistri, Faustus Regensis Episcopus, & Cassianus Presbyter erraverint primò, ut ostendit M. Lemos tom. 1. tract. 5. cap. 6. ex S. Prospero, in eo quòd solum fucata voce admiserint propagatione originis peccatum originale ab omnibus contrahi, re tamen ipsa illud negasse, sicut negavit Pelagius, & ex causa eadem, parique motivo, nempe ut arbitrium humanum ita forte, & sanum constituerent, ut ad omnia opera, saltem naturalia, non indigeret gratia. Hoc constat ex Epistolis Prosperi, & Hilarii ad S. Augustinum, & ex ipso Augustino de prædest. Sancto. cap. 1. his verbis: *Pervenerunt autem isti fratres nostri, pro quibus sollicita est pia charitas vestra, ut credant cum Ecclesiâ Christi, peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanum, nec ab isto malo, nisi per justitiam secundi hominis aliquem liberari.* Sed hoc naturæ malum re ipsa negavere, quia nullam ex illo relictam esse in arbitrio læsionem asere-

bant, cum tantum dicerent, temporalem mortem, ac nullum aliud malum exinde generi humano provenisse, quod anathematizavit Concilium hoc Can. 1. & Can. 8.

18. Ex hoc falsissimo asserto aliud perversum cum Pelagio, & Juliano intulere dogma, nempe imperfectam boni cupiditatem in nobis esse ex nobis, id est, independentem à gratia Dei. De Cassiano id constat, quippe qui tota Collatione 13. nihil aliud stabilire conatur. Undè cap. 12. dixit: *Dubitari ergo non potest, inesse quidem omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio Creatoris inserta, sed nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata ad incrementum perfectionis pervenire non poterunt.* De Fausto, quòd idem senserit, patet ex lib. 1. de grat. & humanæ mentis arbitrii. cap. 17. ubi ait: *Clamat voluntas, quia sola per se elevari nescit infirmitas, ita Dominus attrahit volentem, invitat desiderantem, erigit admittentem.* Quod etiam repetit libr. 2. cap. 8. & 9.

19. Convenerunt etiam ad hoc, ut dicerent, conatus illos, & illa bonorum operum initia, sive imperfectam boni cupiditatem, esse merita ad gratiam, quæ erant juvanda, ut proficerent ad salutem, ut constat ex Epist. S. Prosperi ad Augustinum, ubi refert, illos dixisse: *Ad hanc gratiam, quæ in Christo renascimur, pervenire per naturalem scilicet facultatem, petendo, querendo, pulsando, ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene usus, ut ad istam salvantem gratiam initiali gratiæ ope meruerit pervenire.* Et rursus: *Itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam, quantum attinet ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo spontè crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Quò in errore non solum inter se, verum etiam cum Pelagio, & Juliano consenserunt non meritum strictum, vel condignum, sed meritum congruum, & in lata acceptione ponentes. Id apertissime dixit Cassianus in lib. 12. inquit. cap. 13. his verbis: *Dicimus enim secundum Salvatoris sententiam, dari quidem petentibus, & aperiri pulsantibus, sed petitionem, & inquisitionem, & pulsationem nostram non esse condignam, nisi misericordia Dei, id quod petimus, dederit.* Immo omnem meriti rationem ab illis conatibus auferri videtur, & tantum in illis ponere quamdam occasionem, ex qua Deus moveatur ad dandam gratiam; nam cap. 14. ejusdem libri ait: *Præsto est namque, occasione sibi tantummodo à nobis bona voluntatis oblata, ad hæc omnia conferenda.* Quod etiam patet ex eo, quòd Semipelagianus nusquam dixerunt, gratiam dari ex justitia propter illos conatus naturales. Undè refert S. Hilarius, eos dixisse: *Non negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum querat, non autem quidquam ipsa jam valeat.*

20. Quarè rursus omnes illi dixerunt;

conatus illos non sufficere nec ad perficiendam, nec ad inchoandam salutem; quia dicebant, conatus illos non esse merita condigna gratiæ, quæ requiritur ad perficiendum, aut inchoandum consensum, sive opus aliud quod salutare. Ita de illis expressè dixit S. Hilarius in Epist. ad August. illis verbis: *Cæterum ad nullum opus, vel incipiendum, nec dum perficiendum quemquam sibi sufficere posse, consentiunt; nec enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant exterrita, & supplici voluntate unumquemque agrotum velle sanari.* Quam doctrinam tradiderat Cassianus collat. 13. cap. 9. in fin. per hæc verba: *Necque enim cum voluerit quis sanctitate perficitur, aut de agriitudinis morbo pro arbitrii sui desiderio liberatur.* Et cap. 13. ejusd. collat. ait de gratia: *Dum eam sub colore cujusdam desiderii, ac laboris impertit, & nihilominus gratia Dei gratuita perseverat.* Quod etiam sentisse Faustum facile constat ex ipso in lib. 1. de grat. & humanæ mentis arbitrii. cap. 11. propè finem dicente: *Qui vero vel initium operis sibi præsumit arrogare, vel finem, ad illum meritò dicitur, nisi Dominus edificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui edificaverunt eam.*

21. At esse in hominis arbitrio gratiæ femina, & dispositiones, scilicet in desiderio salutis, ac fidei, aut in oratione; quibus illi, hominem propriis, & naturalibus relictum viribus gratiam mereri, & ad se attrahere dicebant, damnatur Can. 3. *Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri; non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur à nobis, contradicit Isaia Propheta cap. 65. vel Apostolo ad Rom. 10. idem dicenti: inventus sum à non querentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant.* Etiam damnatur ipsi asserentes, teste D. Augustino de dono perseverantiæ cap. 23. *Quod gratia præceditur merito nostro, insequatur illa; cum accipiamus petentes, & inveniamus querentes, aperiaturque postulantis.* Qui error proferribitur Can. 4. *Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem & operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti Proverb. 29. juxta 70. preparatur voluntas à Domino, & Apostolo salubriter prædicanti ad Philippens. 2. Deus est, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.*

22. Secundò maxime præ oculis habenda gravis illa inter Theologos controversia, an Semipelagiani gratiæ interioris necessitatem ad initium fidei admiserint? Floret modo non parùm inter Scholasticos, viguitque apud peritissimos antiquiores Aevi Theologos pars affirmativa, quam variis, & efficacibus argumentis probant. Primò quia SS. Augustinus & Prosper affirmant, non unam, nec uniformem fuisse omnibus Semipelagianis sententiam. Hoc evidentissime patet ex D.

Augustino lib. de prædest. Sancto. cap. 1. de ipsis dicente: *Pervenerunt isti fratres nostri, pro quibus sollicita est pia charitas vestra, ut credant, cum Ecclesia Christi, peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanum, nec ab isto malo nisi per justitiam secundi hominis aliquid liberari. Pervenerunt etiam, ut præveniunt voluntates hominum Dei gratia fateantur; atque ut ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant.* En ubi agnoscit Augustinus admisisse aliquos gratiam necessariam, tum ad initium fidei, tum ad quodcumque bonum incipiendum, vel perficiendum. Hoc ipsum testatur S. Prosper in Epist. ad Augustinum. *Quidam horum, ait ille, in tantum à Pelagianis semitis non declinant, ut cum ad consequendam eam Christi gratiam, quæ omnia præveniat merita humana, cogantur: ne si meritis redditur, frustra gratia nominetur; ad conditionem hanc velint uniuscujusque hominis pertinere, in qua eum nihil prius merentem, quia nec existentem liberi arbitrii, & rationalem gratia Creatoris instituat &c.* Et iterum ibi refert gratuitam agnovisse vocationem Dei, sequentibus verbis: *Deum eos prædestinare in Regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono sine excessuros esse præviderit.* Idem S. Doctor ibidem testatur, hanc fuisse Semipelagianorum sententiam: *Ut ideo quis accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono natura bene usus, ad istam salvantem gratiam, initialis gratiæ ope meruerit pervenire.* Concinat & S. Hilarius in Epist. ad Augustinum declarans, Semipelagianos docuisse: *Ad nullum opus etiam incipiendum, nedum perficiendum quemquam sibi sufficere posse.* Quare, teste Gennadio in Cathalogo virorum illustrium, Faustus admisit gratiam prævenientem ad initium fidei: Et iterum ipse lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 21. affirmat: *Initium salutis nostræ Deo miserante nos habere, ut verò acquiescamus salutiferæ inspirationi nostræ est potestatis.* Hanc & admisit Vitalis Carthaginensis, ut dicit D. Augustinus Epist. 217. aliàs 107. Et Joannes Cassianus collat. 13. cap. 3. eandem internam gratiam fatetur, dicens: *Non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum principium ex Deo esse, qui nobis, & invidia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem, atque opportunitatem eorum, quæ rectè cupimus, tribuit peragendi, in cuius sententiæ confirmationem, quæ pluribus Theologis certissima est, & nequiquam ambiguae lucis, plura protulimus disp. 3. dub. 1. §. 2.*

23. Displicet tamen aliis hæc sententia, cum negativæ gravissimum fundamentum suppeditent varia SS. Augustini, & Prosperi testimonia. Etenim S. Prosper in Epist. ad S. Augustinum expressè affirmat. *Quantum ad Deum pertinet, ait, omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrii libertatem ab his eam apprehendi, qui Deo spontè credide-*

rint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint. Et paulò post. *Cum duo sint, quæ humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia & hominis obedientia, priorem volunt obedientiam esse, quàm gratiam, ut initium salutis ex eo, qui salvatur, non ex eo credendum sit stare, qui salvat, & voluntas hominis Divinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem.* Testis & S. Hilarius in sua ad Augustinum Epistolam sic loquens: *Dicunt, non negare gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medium quærat, non autem quidquam ipsa jam valeat. Nam illa testimonia, ut est illud, sicut unicuique partitus est mensuram fidei ad Rom. 12., & similia ad id volunt valere, ut adjuvetur, qui cæperit velle, non ut etiam donetur.* Et tandem D. Augustinus lib. de don. persever. testatur, nullam Semipelagianos admisisse gratiam boni operis, sive inchoati, sive imperfecti, quæ non retribuatur merito prioris bonæ voluntatis. Ita enim habet dicto cap. 23. *Putant, esse à nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulsamus: & hoc esse dicunt, quòd gratia præceditur merito nostro, ut sequatur illa, cum accipimus petentes, & invenimus quærentes, aperiturque pulsantibus: nec volunt intelligere etiam hoc Divini muneris esse, ut oremus, hoc est, petamus, quæramus, atque pulsamus.* His sibi persuadent plures, nullam Semipelagianos admisisse internam gratiam necessariam ad initium fidei.

24. Sed quidquid sit de hac alioqui gravissima controversia, nihil refert ad resolutionem præsentis dubii, sive negaverint, vel admiserint gratiam ad initium fidei: cum certissimum debeat apud omnes esse, ipsos admisisse gratiam comitantem, versatilem, & quam præcederet liberum arbitrium, & quæ esset veluti serviens, ac subdita voluntati, sicut & ipsos negasse adjutorium gratiæ efficaciter prævenientis voluntatem, & facientis illam consentire. Primum constat ex loco citato D. Augustini de don. persever. & ex D. Prosperi in Epist. ad Augustinum dicente, *Gratiæ Dei, quam comitem, nec præviam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea, secundum suam phantasiam, non negant esse præventas.* Secundum efficacissimè probatur ex utroque libro Fausti, qui Augustinum ea de causa liberi arbitrii interemptorem infami voce appellavit; quòd tale adjutorium dixerit gratiæ, quæ efficiat, ut velimus, & agamus. Exploratum est enim, & à Semipelagianis perspectum, hujusmodi gratiæ adjutorium non alio posse decreto præparari, quàm efficaci, & ab intrinsecis connexo, qua de causa fatale vocatur à Fausto, qui lib. 1. de grat. & humanæ mentis arbitr. cap. 4. dicebat: *Quomodo si sub palliato mentiti civis habitu subitò hostis appareat, aut se inimici dolosa subtilitas transfiguret in Angelum lucis, ita sub pietatis fronte gentilizaris malum, & intra gratiæ vocabulum abscondi-*

tum erit fatale decretum. Unde S. Prosper in Epistola toties citata refert, illos dixisse: *Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates, & sub hoc prædeterminationis nomine fatalem quamdam induci necessitatem:* quare prope finem Epistolæ rogat Augustinum, ut exponat, quomodo per istam præoperantem, & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium. Unde, ut refert S. Hilarius: *Molestè ferebant, ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perseverantiam, non qua fieret, ut perseveraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseverare non posset: nunc verò Sanctis in Regnum per gratiam prædestinatis non tale adjutorium perseverantiæ detur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur. Non enim hæc duo Semipelagiani conciliare poterant, quòd nostrum esset, quòd volumus, & quòd Deo donante invictissimè, quòd bonum est, volumus, & hoc deserere invictissimè nolimus.*

25. Præmittendum tertio, admisisse Semipelagianos adjutorium gratiæ interioris consistentis in sanctis cogitationibus, & illuminationibus, quas Deus distribuebat directus per scientiam, quam postea P. Molina, & asecla ejus appellaverunt mediam. Ejus usum in horum opinione non propterea damno; quamquam in Semipelagianorum sensu damandus fuerit, & sit. Absit à me, ut cenforiam, qui in fidei obsequium, nullius injuriâ, veritatem disputando inquiri. Igitur, quod asserui, patet ex Fausto lib. 2. cap. 3. ubi suam præscientiam ita describit: *Præscientia itaque gerenda præscit, postmodum prædestinatio retribuenta describit: illa prævidet merita, hæc præordinat premia. Præscientia ad potentiam, prædestinatio ad justitiam pertinet. Præscientia de alieno subsistit actu, prædestinatio autem de judicio suo. Illa facinus manifestat, ista condemnat. Illa testis, hæc judex est. Cum illa pronunciat causam, tunc pronunciat ista sententiam. A præscientia, quæ sunt nostra, produntur, à prædestinatione, quæ sunt, præparantur. Ac si, nisi præscientia exploraverit, prædestinatio nihil decernit. Premenda sunt illa verba: A præscientia, quæ sunt nostra, produntur, à prædestinatione, quæ sunt, præparantur. Ac si, nisi præscientia exploraverit, prædestinatio nihil decernit.* His enim apertè dicit, decreta Dei, quibus auxilia præparat, pendere à præscientia explorante, quid voluntas nostra factura sit, si talia sibi conferantur auxilia, alioquin Deus cæco, & improvido modo suam gratiam largitur, quia illius scientia non innititur decreto ab intrinseco efficaci.

26. Nec dicas: præscientia ista, quam Semipelagiani cognoverunt, non est media, quia nec est conditionata, sed absoluta, ut constare videtur ex verbis Fausti, qui loquitur de futuris absolutis inspectis per scientiam visionis, non de conditionatis, quæ cogno-

scuntur per scientiam mediam. Nam in contra est primò, quia Faustus loquitur de scientia præcedente omne decretum, quæ est scientia conditionata, & quæ speculatur futura sub conditione nostræ determinationis. Secundò: nam P. Suarez id apertè fatetur. Etenim lib. 2. de causa prædest. cap. 5. probat, suam scientiam mediam traditam fuisse à Massiliensibus. *Neesse est, inquit clarissimus iste Doctor, ut talis præscientia (Semipelagianorum) conditionata tantum fuerit, quia in illo signo nondum Deus decreverat, ut talibus hominibus prædicaretur Evangelium: ergo nec per absolutam scientiam prævidere poterat bonum usum, seu effectum talis prædicationis, ut jam præsentem in æternitate; quia hæc præscientia supponit illud decretum: ergo solum esse poterat præscientia conditionata, qua Deus præscivit, si talibus hominibus dederit prædicationem, bono affectu illam recipient.*

27. Sed non solum ab isto eruditissimo Viro hæc veritas præclarum accipit testimonium, sed ipsi solidum, & irrefragabile præbet D. Prosper in Epistola ad Augustinum, dicens: *Penè omnium par invenitur, & una sententia, qua propositum, & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumelia fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit: & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate, & actione, præscierit.* Quæ ultima verba convincunt suam apud Semipelagianos valere præscientiam, ut Deus cognoscat, in qua unusquisque futurus sit voluntate, & actione, si tale ei gratiæ adjutorium conferatur. Quod & expressius firmat in eadem Epistola, dum ex ore Semipelagianorum asserit: *Ad unamquamque gentem ita dispensat tempora, ac ministeria Magistrorum, ut exortura erat bonarum credulitas voluntatum, nec ita multò post Evangelium ided non audiverunt, quia nec fuerant recepturi.* Nec satis hoc; sed in eadem Epist. id amplius confirmat D. Prosper dicens: *Præscisse ante constitutionem Mundi Deum, qui credituri essent, quivè in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam foret juvanda, mansuri, & eos prædestinasse in Regnum suum, quos gratis vocatos dignos futuros electione, & de hac vita bono sine excessuros esse prævidisset, & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futuri essent voluntate, & actione præscisset.* Hæc ille ex sententia Massiliensium.

28. His meritò pro clariori intelligentia Concilii præsuppositis, quot sacre definitiones editæ sunt in hoc Concilio, tot videntur Divinæ gratiæ prævenientis, & physice præmoventis argumenta. Primum desumitur ex Can. 1. definiente: *Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem, & operationem in nos fieri conficietur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti Prov. 8. juxta 70. præparatur voluntas à Deo; & Apostolo salubri-*

ter predicant: ad Philip. 2. *Deus est, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bonâ voluntate.* Ex quo fit argumentum sub hac forma: gratia efficax, quam statuit Concilium, illa est, quâ Deus facit, ut à peccato purgari velimus, & non expectat voluntatem nostram, ut à peccato purgemur; sed Deus, ut à peccato purgemur media gratia, quæ efficax sit à consensu, tenetur expectare voluntatem nostram: ergo gratia efficax à consensu prævisio non est gratia efficax, de qua loquitur Concilium. Consequentia irreprehensibilis est: major ex verbis Concilii manifestè supponitur, & clarissimè patebit tantisper verba Canonis meditantis, unde solum probanda est minor. Causa, quæ, ut concurrat ad actionem alterius agentis, omninò dependet à determinatione illius, nec aliter valet, quàm ex illius determinatione concurrere, illius determinationem necessariò debet expectare, ut cum illo concurrat, quod sanè ex terminis videtur manifestum; sed gratia, quæ tantum extrinsecè efficax est, & ex prævisione consensus, ut concurrat ad consensum, quo à peccato purgamur, omninò dependet à determinatione voluntatis, nec aliter, quàm ex determinatione illius valet ad prædictum consensum concurrere: ergo gratia efficax ex prævisione consensus, & Deus mediâ illâ purgans nos à peccato, expectant voluntatem nostram, ut à peccato purgemur. Ubi ergo est, Deum mediâ illâ gratiâ facere, ut à peccato purgari velimus?

29. Vel aliter, & in idem ferè redit: principia, quæ, ut concurrant ad actum liberum, quo volumus purgari à peccato, & de facto purgamur, voluntatem expectant, quâ volumus purgari, non faciunt, ut purgari velimus. Hæc propositio in verbis Concilii continetur, ubi pro eodem accipitur, ut à peccato purgemur, Deum voluntatem nostram expectare, ac non fieri in nobis per Spiritum Sancti infusionem, & operationem, ut à peccato purgari velimus: sed Deus, & gratia, quæ dicitur efficax ex prævisione consensus, ut purgemur à peccato, & ut purgari velimus, voluntatem nostram expectant, quâ volumus purgari; id est, expectant à voluntate nostra determinationem, ut purgari velimus: ergo Deus per gratiam non facit, ut à peccato purgari velimus.

30. Urgentius: si Deus determinat existentiam consensus per gratiam ab intrinsecò efficacem, existet consensus, sed juxta Adversarios, non liber; si verò illum procuret per gratiam indifferentem, & determinationem non exploraverit voluntatis, voluntas fortassis pro consensu, quem procurabat Deus, dissentium eliciet: ergo ut consensum obtineat, voluntatem debet expectare; sed Deum expectare voluntatem nostram, ut à peccato purgemur, est directè contra Concilium: ergo non Deus, nec gratia, quæ dicitur efficax ex prævisione consen-

sus, faciunt, ut à peccato purgari velimus.

31. Secundò ex eodem Canone arguitur, ut uberius sit, & apertior ejus explicatio: Deus ut velimus, & operemur, operatur in nobis, non solum concursu morali, sed etiam concursu physico, ac verè effectivo. Hoc probant tot Scripturæ, Conciliorum, & PP. testimonia, quæ nisi ad improprium detorqueantur sensum, intelligi debent de tali concursu physico, & non purè morali. Primò, quia motio objecti, & finis, omnibus consentientibus Phylosophis, & est, & dicitur motio tantum metaphorica, non vera; quantum magis dicitur metaphorica illa efficientia, quæ tantum est efficientia moralis, docens, & suadens, proponendo convenientiam objecti, non immutando, atque determinando voluntatem? Secundò, quia causa efficiens communiter à Phylosophis eam definiuntibus dicitur illa, à qua primò incipit motus; non verò illa, quæ consiliat, non quæ præcipit, non quæ suadet. Tertiò, quia ut inquit D. Augustinus de prædest. Sanctor. cap. 19. *Ipse ergo, ut credere incipiamus, operatur, qui universa operatur.* Et ex verbis Apostoli ad Ephes. 1. *qui universa operatur Deus,* arguit contra Massilienses, & probat, Deum causare initium nostræ fidei sequenti discursu. Qui universa operatur, operatur, ut credere incipiamus, cum initium nostræ fidei sit unum ex singularibus contentis sub illa distributione: sed Deus est, qui universa operatur: ergo ipse operatur, ut credere incipiamus. Modò rogo Adversarios, an verbum *operor* in utraque præmissa positum accipi debeat pro causalitate morali, an de causalitate physica debeat intelligi? Primum dici non potest, quia ut ibi ait D. Thomas lect. 4. *Ex universalissima causalitate Dei probatur, quòd nec hoc ab alio, quàm à Deo potest causari.* Et ex lumine ipso nature constat, physicam esse, & non moralem hanc Dei, ac primæ causæ universalissimam causalitatem. Si autem accipi debet, & intelligi de causalitate, & efficientia physica vera; ergo etiam quando concluditur: *ipse operatur, ut credere incipiamus*, verbum *operatur*, accipi, & intelligi debet de causalitate, & efficientia physica vera, & non morali; aliàs malè argumentaretur à causalitate physica omnium ad causalitatem moralem initii nostræ fidei; quâ fallaciâ minimè deceptum fuisse Augustinum credimus: ergo cum ex illo Apostoli testimonio, *Deus est qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bonâ voluntate*, probat Concilium nos purgari velle, fieri in nobis per infusionem, & operationem Spiritus Sancti, in verbis hujus Canonis non causalitas tantum moralis importatur; sed vera causalitas, & efficientia physica, verus physicus, & prævisio concursus, qui verè prædeterminativus est.

32. Rursus, & efficacius arguitur ex Canone sexto, in quo talis adstruitur efficax gra-

gratia, quæ minimè subdatur quoad usum, & determinationem arbitrio voluntatis, vel quæ subjungatur, seu submittatur humilitati, aut obedientiæ humanæ. Hoc tale adjutorium damnat Concilium, ut assertum contra Apost. 1. ad Cor. 4. & 15. sequentibus verbis: *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus, nobis misericordiam dicit, conferri divinitus; non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet, agere valeamus, per infusionem, & inspirationem Spiritus Sancti in nobis fieri conficetur, & aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium, nec ut obedientes & humiles simus ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit.* Apostolo dicenti 1. ad Corint. 4. & 15. *Quid habes, quod non accepisti? Gratia Dei sum id quod sum.* En ubi expressè definit Concilium, nullum esse gratiæ Dei adjutorium, quo Deus nos facit velle & agere, quod sit humilitati, & obedientiæ humanæ submissum. Ex quo conficitur argumentum: per hoc præcisè dicitur gratia humilitati, & obedientiæ humanæ subjecta, quia illam ex proprio dominio, & pro suo placito determinat voluntas ad concurrendum, & influendum in hunc, vel illum actum, ipsaque agit, gratiæ activæ determinatione, minimè expectata; sed hanc activam gratiæ determinationem in sententia contraria minimè expectat arbitrium: ergo subjungitur adjutorium gratiæ obedientiæ & humilitati humanæ.

33. Nec argumento occurret qui dicendum putet, quòd per *ly obedientia*, & *ly humilitas* non intelligitur, aut significatur à Concilio obedientiæ, & humilitas, ut sunt speciales virtutes, sed pro quacumque legis implementatione accipi. Sed quid sibi suffragii potest hinc opposita sententia suspicari? Immo majus robur accipit argumentum; cum enim omnis actus honestus in hoc sensu obedientiæ sit, & humilitas, negans Concilium, gratiam subijci, atque subijungi determinationi honestæ voluntatis, sententiam penitus rejicit contrariam. Si namque apud Adversarios adjutorium gratiæ nullam habet de se efficaciam, sed in actu primo denominatur efficax à prævisione per scientiam mediam, & in actu secundo ab ipso consensu, ad cujus elicentiam voluntas pro suo dominio, & nullâ à gratiæ adjutorio determinatione acceptâ, ac expectatâ, gratiam determinat per suum consensum, qui ad præsens obedientiam dicitur, & humilitas; quomodò adjutorium gratiæ, obedientiæ, & humilitati, non solum subijungi, sed & propriissimè subijci (quod mihi durius sonat) negari potest?

34. Tertium argumentum accipitur ex Can. 9. qui est sententia D. Prosperi 22. *Divini est muneris, cum & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate, & injustitiâ tenemus.* Cujus rationem subdens immediatè Concilium,

ait: *Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur: quibus verbis non unum Dei concursum, sed duplicem distinguit, alterum, quo operatur, ut operemur, alterum, quo nobis cooperatur: sed id, quo Deus operatur, ut operemur, non potest esse concursus indifferens: ergo debet esse concursus physice prædeterminans: Min. probatur: concursus indifferens non influit, nec concurrir aliquo modo pro priori ad nostram determinationem, sed nobiscum operantibus cooperatur, ut est per se notum: sed concursus non influit, nec concurrir pro priori ad nostram determinationem, sed operantibus nobis cooperans, non est concursus, quo Deus operatur, ut operemur: ergo id, quo Deus operatur in nobis, non est concursus indifferens. Constat minor; quoniam ejusmodi concursus nobis aderit quia operamur; ita ut ratio à priori concursus Dei sit concursus noster, et si Deus operatur, operatur, & agit, quia nos operamur, non è contra.*

35. Quartum argumentum sumitur ex Can. 17. ubi dicitur: *Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas facit, fortitudinem Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium, sed per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, nullis meritis gratiam præveniuntibus: qui Canon desumptus est ex Augustini opere imperfecto contra Julianum lib. 1. n. 83. Et ex ejusdem lib. de patient. cap. 17. cui sacre definitioni si addas Canonem 20. etiam de promptum ex Augustini libro 2. contra duas Epistolas Pelagii cap. 9. ubi dicitur: *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo. Nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstet, ut faciat homo, invictè vincitur loqui Concilium de gratia præveniente, quam Deus solus in homine facit; & quam expressè prævenientem dixerat Can. 12. Nullus miser de quacumque miseria liberatur, nisi per Dei misericordiam præveniatur, sicut & Psalmista dicit: misericordia ejus præveniet me. Et: cito anticipet nos misericordia tua, Domine. Et iterum can. 18. prævenientem appellat: *Debetur merces bonis operibus, si fiunt; sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiunt.* Etenim gratia moralis solum voluntatem allicit, suadet, & inclinatur, nihil verò omninò efficit, sicut nec gratia cooperans, aut concursus simultaneus voluntatem præveniunt: sed Concilium loquitur de fortitudine Christianorum, quam Dei charitas facit mediâ gratiâ voluntatem hominis præveniente; ergo juxta Concilium datur gratia physice operans, & præveniens voluntatem nostram. Vel expressius: fortitudo Christianorum, quam Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, est terminus actionis Divinæ, & effectus, cujus causalitas importatur in illo verbo *facit*: sed incredibile est, quòd hæc fortitudo sit terminus, & verè effectus**

fui ipsius : ergo ut verificetur, quòd illam facit charitas, debet agnosci ex parte concursus Divini aliquid inferens nostram volitionem, & actionem, seu fortitudinem Christianorum, & quod sit distinctum à nostra volitione, & actione.

36. Argumentum factum novum robur accipit ex sacrae Scripturae testimoniis, quibus Concilium utitur, in quibus non minori, immò longè majori cum proprietate Deus media sua gratia dicitur causa nostrorum bonorum operum, quàm nos ipsi illorum dicamur causa; hoc enim sonat illud Apostoli ad Philippenf. 2. *Deus est, qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.* Et ad Ephes. 2. *Confidimus, quia qui cepit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri Jesu Christi.* Et 1. ad Corint. 4. *Quid habes, quod non accepisti?* Ut observat Augustinus de prædest. Sanctior. cap. 10. ubi ostendit, Deum propriè dicitur causam nostrorum operum, sequentibus verbis: *Et faciunt homines, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit, ut illi faciant, non ipsi faciunt, ut ille faciat.* Et cap. 11. *Ideo enim hæc, & nobis præcipiuntur, & dona Dei esse monstrantur, ut intelligatur, quòd & nos ea facimus, & Deus facit, ut illa faciamus.* Et de corrupt. & grat. cap. 2. *Intelligent, si filii Dei sunt, Spiritu Dei se agi, ut quod agendum est, agant.* Modò sic: sed nos ideò præcisè nostrorum operum propriè dicimur causa, quia voluntatem nostram determinamus ad illa: ergo pariter ideò Deus propriè dicitur causa nostrorum operum media sua gratia, quia per illam nos determinat, ut bona nostra faciamus.

37. Crescit adhuc argumentum factum ex aliis Sacrae Scripturae testimoniis, quibus utitur Concilium, nempe ex illo Jacobi 1. *Omne datum bonum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum.* Et ex illo Joann. 3. *Nemo habet quidquam boni, nisi illud illi datum fuerit desuper.* Et ad Ephes. 2. *Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est:* ac si ita ex prædictis testimoniis argueret Concilium: bona opera hominum sunt dona Dei: ergo dantur media gratia ab intrinseco efficaci. Meditanda namque est causalis illa Apostoli dicentis: *Gratia enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est,* quam unicè posuit Apostolus, ut probaret, fidem non esse ex nobis. Probare potuit argumento demonstrativo, fidem non esse ex nobis, eò quòd ea, quæ sunt fidei, sunt supra rationem, juxta illud Ecclesiast. 3. *Plurima supra sensum hominis ostensa sunt tibi.* Et 1. ad Cor. 2. *Quæ Dei sunt, nemo novit, nisi Spiritus Dei.* Et Sap. 9. *Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis?* Hæc omnia, quibus demonstratur, fidem non esse ex nobis, sed ex Deo, omisit in loco isto Apostolus, & omnia

illa sibi visus est comprehendere, asserens, fidem esse donum Dei, ut probaret, fidem non esse ex nobis: sed idem est formaliter dicere, fidem esse donum Dei, & non esse ex nobis, quàm quòd sit à Deo media gratia ab intrinseco efficaci, quod hic diligentius observandum, & fusius dicturi sumus infra. dub. 4. Ergo de mente Concilii est, quòd datur gratia efficax præveniens actus salutares, faciens, ut velimus credere, & operari, ne perperam dicatur Concilium insudate adversus Pelagianos, & Semipelagianos in dicto Can. 20. dum ex eo, quòd homo se habet passivè ad operationem, qua Deus facit, ut homo faciat, intulit per prius Deum operari, quàm Deo cooperari intelligatur homo: quod contra Hæreticos semper credidit firmissimum veritatis præsidium.

38. Tandem efficacissimè arguitur ex Can. 12. desumpto ex Augustino Epist. 105. ubi expressè Concilium definit, non cadere sub merito perseverantiæ donum, dicens: *Tales nos Deus amat, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito.* Ex quibus verbis optimum depromitur gratiæ ab intrinseco efficaci argumentum. Hic enim definit Concilium finalis perseverantiæ donum, quod non ad prævia hominum merita, & liberam oblata gratiæ acceptationem, aut rejectionem refundi potest; sed includit decretum præveniens omnia hominum merita, omnemque bonum usum liberi arbitrii, dicente Apostolo ad Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt Sancti:* quod Dei propositum, ut observat Augustinus, Apostolus opponit voluntati, & operibus hominis: Undè ad Rom. 9. ait: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei:* ergo cum duplici ad perseverandum adjutorio indigeat homo, alio, quo constituatur potestas perseverandi, alio, quo ipsa in bono perseverantia donetur; hoc secundum debere esse ab intrinseco efficaci, invictâ semper, & sæpius à nobis memoratâ ratione concluditur; scilicet, quia nisi ab intrinseco efficaci sit, causa, quare illud habeamus donum, non erit quia Deus dat, sed quia ex oblata ejus gratiâ illud eruimus, aut excipimus. Et quare non potius erutum, & exceptum voluntate nostrâ, quam donatum dicitur voluntate Dei? Hoc ipsum rursus multis argumentis à nobis inferius efficacissimè probabitur disp. ista dubiis sequentibus. Debet ergo ut certum agnosci, quòd, ut Semipelagianorum dogma confutaret Concilium, hæc duo semper, cum Augustino credenda proposuit; quòd adjutorium gratiæ efficit, ut operemur, & quòd nos non facimus, ut cooperetur illa nobiscum, illa scilicet gratia, quæ non datur ex merito, sed dat merita, cum datur; ut dixit D. Augustinus lib. de bon. persever. cap. 16. *Si autem gratia prævenit fidem, quoniam prævenit voluntatem, profectò prævenit omnem obedientiam,*

tiam, prævenit etiam charitatem, qua uni Deo veraciter, & suaviter obeditur, & hæc omnia gratia in eo, cui datur, & cujus hæc omnia prævenit, operatur. Et Epist. 106. *Sed ipsa gratia mereatur auferri, ut aucta mereatur perfici, comitante, non duce, pedisequa, non prævia voluntate.* Quibus nihil abundantius, & luculentius ad gratiæ ab intrinseco efficaci pro-bationem desiderari potest.

39. Hoc Concilium maximè æstimari debet, cujus reverendam, & in omni Ecclesia Catholica receptissimam auctoritatem confirmavit Concilium Valentinum ab Episcopis trium Provinciarum in Urbe Valentia in Delphinatu celebratum anno Domini 855. tempore Leonis Papæ IV. & Lotharii Imperatoris, cap. 6. sequentibus verbis: *Id ipsum constantissimè, & fide plena fatemur, quod Sanctissimi Patres auctoritate Sacrarum Scripturarum nobis tenendum reliquerunt, quod Africana, quod Arausiana Synodus professa est, quod Beatissimi Pontifices Apostolicæ Sedis Catholica fide tenuerunt.... Et in fine: Certa, & vera fide quod à Sanctis Patribus de his, & similibus sufficienter profecutum est, amplectatur fraternitas.* Quare discussa in hoc Concilio quæstione de gratia, & prædeterminatione cap. 1. statuit: *Adhærendum esse doctrinæ Patrum antiquorum. Nam de præscientia Dei, & prædeterminatione & illud tantum firmissimè tenendum credimus, quod ex maternis Ecclesiæ visceribus nos hausisse gaudemus.* Et cap. 3. *Fidenter fatemur prædeterminationem Electorum ad vitam, & prædeterminationem impiorum ad mortem. In electione tamen salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum: in damnatione autem periturorum meritum malum præcedere justum Dei judicium. Prædeterminationem autem Deum eorum tantum statuisse, quæ ipse vel gratuita misericordia, vel justo judicio facturus erat, &c.... De hac immobilitate præscientiæ, & prædeterminationis Dei, per quam apud eum futura jam facta sunt, etiam apud Ecclesiastem benè intelligitur dictum: cognovi, quòd omnia opera, quæ fecit Deus perseverent in perpetuum: non possumus his addere, nec auferre, quæ fecit Deus, ut timeatur.*

§. III.

Probatur gratia per se ipsam efficax ex Sacro Concilio Tridentino.

40. Doctrina, quæ semel Ecclesiæ placuit, amplius displicere non potest; non enim humano ingenio, sed Spiritus Sancti inspiratione, divinoque lumine edocta, quæ Dei sunt discernit, & amat. Quare Divinæ gratiæ per se ipsam efficax lux, quæ adeo luculentè in Conciliis Milevitano, & Arausiano II., ut putamus, emicuit; suo etiam micantissimo lumine splendidius in Tridentino nobis resplendere persuasum est; quid-

quid dicat P. Marin tract. de fide pag. 405. n. 50. dum liberè, æquè, ac securè (utrumque perperam) profert: *Fortè diffinitum est à Concilio Senonense contra Lutherum decret. 15. & à Tridentino contra Calvinum sess. 6. cap. 4. gratiam non esse ab intrinseco efficacem.* Sed ferendus omni patientia, quin aliquid ex opposito reponatur contumeliæ; quibus namque mens Concilii cognita est, non solum doctrina nostra manifesta erit, sed quid opposita ex Sacris Conciliis sibi vindicare possit, facillè videbit; hoc enim est privilegium veritatis, quæ nullo unquam sermonum furo potest deformari; maximè in communibus disceptationibus, cum sapientum oculis præponuntur ea, quæ ex utraque parte discutienda veniunt.

41. Et quidem pro intelligentia Concilii præmittere primò opere pretium duximus, quòd cogitatio assèrentium, gratiam per se ipsam efficacem evertere libertatis usum, fuit agnita à PP. Concilii Tridentini. Hoc fateri tenentur illi ipsi, contra quos procedimus; cum libri institutionum Calvinii editi fuerint Basileæ anno 1544. hæresisque ipsius de qua in Concilio Tridentino anno 1546. disputatum fuit, eadem 1547. fuerit proscripta: quod sanè fieri non posset, nisi PP. expressam sub nomine motionis divinæ prædeterminationem physicam, qua destrui libertatem asserebat ipse, dignoscerent. Nota ergo ipsis fuit hæc physica motio, seu prædeterminatio. Sed non ita scientia media, cum eo tempore non dum inventa, aut restituta, sed latens, & sepulta esset; ac postea aut revocata, juxta dicta à n. 25., aut excogitata fuerit. Hoc secundum liberè, ac ingenuè profitentur P. Molina in concord. q. 23. art. 4. & 5. memb. ultim. §. licet semper, & §. Nos pro nostra 1. p. q. 14. art. 13. disp. 18. memb. 2. Vasquez 1. p. q. 14. disp. 67. cap. 4. Fonseca 6. metaphys. cap. 2. q. 4. sect. 8. Herice 1. p. disp. 7. cap. 10. & aliis, qui se hujus scientiæ mediæ inventores gloriantur, & hujus inventionis tempus annotant anno 1570. Nec fortè dicant ab anno 1547. oblivione deletam scientiam mediam, & anno deindè 1560. à P. Molina iterum luci restitutam: hæc enim oblivio in doctissimis, & Catholicæ fidei Zelo ardentissimis viris est penitus incredibilis; nec oppositi Authores ad ejusmodi oblivionem recurrere possunt; cum putaverit P. Molina 1. p. q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. ultim. §. *Licet*, quod scientia media sit medium illud, per quod Hæreticis aditus, quo facilius ad pacem, unitatemque Ecclesiæ redirent, sit patefactus, & per quod concertationes, quæ ante mille annos inter Viros Catholicos obortæ sunt, quantum par est, sint compositæ. Quid ergo, recessit à PP. memoria res adeo Ecclesiæ, ut ille, & sui putant, necessaria? Crederem potius & verè, scientiam mediam non cognitam à Sacro Concilio, aut si cognitam, ut inutilem fuisse rejectam. Quomodo enim

prudenter credi potest, aut notitia, aut estimatio aliqua illius scientiæ, de qua nullum in littera Concilii vestigium, nulla apud Auctores illius temporis memoria, nulla vel tenuissima apud PP. qui superstites fuerunt Concilio hujusmodi recordatio.

42. Ut tamen Scopum Concilii plenius attendamus, Pelagianorum, Semipelagianorum, Lutheranorum, & Calvinistarum, convenientia, & discordia accuratè observanda est. Conveniunt itaque, & unanimiter asserunt, liberum arbitrium non stare cum gratia ab intrinseco efficaci, quam inimicam prorsus humanæ libertatis arbitrantur. Sed differunt, atque discordant; quia ex isto apud illos omnes inconcusso principio, cum suis Pelagius, ut superius vidimus, negavit concurrere physicè prædeterminantem, ne liberum frangatur arbitrium. Lutherus autem, & Calvinus arbitrium de medio sustulerunt, ut gratiam efficacem stabilirent. Erat ergo rata, & firma apud omnes illos consequentia ista: gratia præveniens est ab intrinseco efficaci: ergo arbitrii destruit libertatem. Hoc apud omnes erat certum principium, sub quo minores, ut ajunt, propositiones diversas inducentes, diversas inferebant Conclusiones. Etenim Pelagiani, & Semipelagiani ita palam argumentabantur: *Si Dei gratia præveniens est ab intrinseco efficaci, destruit libertatem arbitrii; at Dei gratia præveniens non destruit libertatem arbitrii: ergo Dei gratia præveniens non est ab intrinseco efficaci.* Lutherus verò, & Calvinus sub majori prædictâ fumentes istam: *Sed gratia Dei præveniens est ab intrinseco efficaci, statim inferebant: Ergo destruit libertatem arbitrii.* Quam sanè consequentiam ita firmam putabant, ut dicerent, nec ipsas inferi portas adversus eam prævalituras. Patet ergo illorum concordia, & discordia in medio probativo; discordia in Conclusionibus, quas ex eodem medio deducebant.

43. At non erravit solum in modo inferendi Calvinus consequens hæreticum contendens ex gratia ab intrinseco efficaci, sed etiam à vera & Catholica Theologia abivit; quia aliundè antecedens commentum Hæreticum cogitavit, ad consequens itidem Hæreticum deducendum. Etenim apud ipsum, omnis gratia interior sufficiens est efficax, immo gratiam in excitantem, & adjuvantem, & cooperantem divisam rejicit, ut constet ex ipso in Antidoto ad fess.6. cap.6. dicente: *Motum Spiritus Sancti sic esse efficacem, ut fidem semper gignat, fallique Tridentinos Patres; quod motum nobis offerri somniant, qui mediam electionem nobis relinquunt: quare cum hoc antecedens sit hæreticum: Omnis gratia interior est prædeterminans, quid mirum quod consequens hæreticum intulerit ex ipso?*

44. Ex hoc, quod perfractè contendebant Calvinus, & Lutherus, necessario nexu sequitur, liberum arbitrium post Adæ pecca-

tum fuisse in hominibus extinctum, & amissum, mansisse rem de solo titulo, vel titulo sine re. Ita Lutherus in art.36. eorum quos Leo X. damnavit. Et in assertionem eorumdem articulorum: *Liberum, inquit, arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re.* Calvinus pariter in Antidoto ad Can.5. fess.6. Conc. Trident. *Quia, inquit, per liberum arbitrium intelligunt (PP. Tridentini) eligendi facultatem, quæ sit in utramque partem libera, & soluta; titulum sine re esse qui affirmant, Christum habent auctorem. . . . Quod ad ipsum vocem attinet, audiant Augustinum &c. Quare constantissimè affirmabant, voluntatem sub motione gratiæ necessariò agere, nec in ipsius potestate esse non agere, aut dissentire. Ita idem Calvinus lib.2. de liber. arbitrii. contra Pighium: *Si coactioni, inquit, opponatur libertas, liberum arbitrium esse, & futeor, & constanter assevero; ac pro hæretico habeo, quisquis secus sentiat. Si hoc inquam, sensu liberum vocetur, quia non cogatur, aut violenter trahatur externo motu, sed spontè agatur sua, nihil moror.* Et lib.2. institut. cap.2. n.7. *Liberi ergo, inquit, arbitrii hoc modo dicitur homo, non quia liberam habeat boni æquè, ac mali electionem, sed quia malè voluntate agit, non coactione. Optimè id quidem; sed quorsum attinebat rem tantulam adeo superbo titulo insignire? Et cap.3. n.5. Porro, inquit, quod libertate abdicata, voluntatem dico necessitate in malum trahi, vel duci, mirum est, si cui videatur aspera locutio. . . . Offendit eos, qui inter necessitatem, & coactionem distinguere nesciunt.**

45. His ergo suppositis, sit primum argumentum mihi sanè urgentissimum ex fine hujus Sacri Concilii. Cum enim adversus Lutherum, & Calvinum specialiter fuerit congregatum ad quartum Canonem, in quo dogma Lutheri proscibitur, tres priores Canones adversus Pelagianam præmittendos duxit. Primus Pelagianam hæresim, qualis erat in principio, cum primum exorta est, damnat, dicens: *Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanam naturam, vel per Legis doctrinam fiant, absque divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo, anathema sit.* Secundus eandem Pelagianam hæresim, qualis fuit postea, anathematizat: *Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo justè vivere, ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed agrè tamen, & difficulter possit; anathema sit.* Tertius tertium statum Pelagianorum, & Semipelagianos apertè ferit: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione; atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Ex quibus ita conficitur argumentum. Sacrum Concilium affirmat, non solum inspirationem, sed etiam adjutorium præveni-

re actus fidei, spei, & dilectionis, quibus disponitur homo, ut ei justificationis gratia conferatur; illud enim adiectivum, *præveniente*, utrumque afficit, inspirationem, & adjutorium; ita ut velit Concilium non solum inspirationem esse prævenientem, sed & ipsum adjutorium: at qui adjutorium præveniens actus fidei, spei, & dilectionis est ab intrinseco efficax: ergo de mente Concilii est gratia ab intrinseco efficaci, Min. probatur: adjutorium efficax præveniens hujusmodi actus est adjutorium illos ex sua intrinseca virtute in homine infallibiliter operans, & cum ipsis infallibiliter conjunctum; nequit enim fieri, ut quis adjuvet alium, nisi & ipse operetur; juvatur etenim, qui facit, non verò qui, etsi potens, non facit. Sed adjutorium præveniens, & infallibiliter conjunctum cum hominis operatione, est per se ipsum efficax: ergo aliud adjutorium præveniens est ab intrinseco efficaci.

46. Nec dicant, eandem inspirationem vocari ibi adjutorium, ac proinde non magis efficax adjutorium esse dicendum, quam fuerit inspiratio, quam constat ex se efficacem non esse. Hoc enim si quis autumet, eadem sua ratione refelletur; quia si inspiratio efficax non est, ad potentiam pertinet, & actionem non adjuvat: egeamus ergo superveniente adjutorio, ut efficax reddatur vocatio: ac inde afferens efficaciam, quam vocatio non habet. Ideo hinc secundò, & magis firmatur adductum ratiocinium, si inspiratio, & adjutorium efficax non est eadem realiter gratia, ut jam supra diximus, & modò firmamus ex Concilio. Hoc inquam, efficacissimè persuadetur: primò, quia si adjutorium, de quo in presenti loquitur Concilium, esset realiter inspiratio, ut quid definiens Concilium necessariam esse inspirationem Spiritus Sancti, adderet, *atque ejus adjutorio?* Est enim per se manifestum, tam adjutorium, quam inspirationem esse à Spiritu Sancto: ergo si unum est realiter aliud, ad quid illa inutilis repetitio? Secundò, quia si inspiratio, & adjutorium esset eadem gratia, non assereret Concilium, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, sed absolute diceret, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione adjuvante: ergo ubi non inspirationem declarat adjuvantem, inspirationem agnoscit gratiam distinctam ab adjutorio, quod non simultaneum dicit, sed præveniens. Tertio, quia tota inspirationis ratio completur ante operationem; non enim advenit inspiratio agenti, sed ut agat: ergo omnino est ante adjutorium actionis, sine quo æquè stare potest, & consequenter adjutorium actionis supervenit, & est ab inspiratione distinctum, præstantque efficaciam, quæ vocationem esse cum effectu facit.

47. Fundatur quartò id ipsum magis: quia cum Canon iste sit adversus Semipelagianos conditus, & desumptus ex M. P. Au-

gustino, qui gratiam se ipsa efficacem à Pelagianis, & Semipelagianis impugnatam ita acerrimè propugnat, mirum esset, si Concilium hoc ipsorum asserum intactum relinqueret. Eò præsertim, quòd ipsi ejusmodi voluntatis, & actionis adjutorium ex læsione libertatis rejiciebant: ergo Concilium, vel concordiam hujus adjutorii cum libertate omisit, quod nullus credit, vel de concordia illius cum libertate doctrinam tradidit, & consequenter eam, quam negabant Pelagiani, & Semipelagiani gratiæ efficaciam, non obtare libertati, definivit.

48. Hic est mirabilis Synodi Tridentinæ ordo, quæ post definitam hanc gratiæ efficaciam cum libertate concordiam adversus Semipelagianos 3. Canone, mox in quarto ait: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, merèque passivè se habere, anathema sit.* Sifat hic quicumque rem pro dignitate considerare velit. Sciebant quidem Patres, intrinsecam gratiæ efficaciam fuisse Calvino principium, ex quo negationem libertatis deducebat. Sciebant item, libertatem principii loco assumpsisse Pelagianos, ex quo gratiæ se ipsa efficacis negationem deducerent. Rogo nunc, an aut contra Pelagianam libertatem removerint, aut contra Calvinum intrinsecam gratiæ efficaciam negaverint? Ecquid magis obvium, aut magis necessarium, quam principium refellere, ex quo error legitime consecutionis vi deduceretur? Fecit nè ita Patrum consensus? Non arbitror, aliquem adeo sensibus destitutum, ut id asserendum putet. Quid ergo fecit? Consequentiam negavit, & utriusque erroris viam præclusit, dumtaxat declarans, malè Pelagianum inferre ex libertate negationem gratiæ; male item Calvinum ex gratia negationem libertatis; cujus ergo gratiæ, aut ex qua gratia? Nempè illius, & ex illa, de qua disputatio vertebatur: illius, & ex illa, quam ab intrinseco efficacem Hæretici probè intelligebant: illius, & ex illa, cujus efficacia, si intrinseca non esset, nullus prorsus maneret controversiæ locus: si igitur gratiam istam Patres non negarunt (ut deberent, si illi non assentirentur) si consecutionem tantum utriusque hæresis rejecerunt, profectò quis non videt hinc contra Pelagianam libertatem; illinc contra Calvinum gratiam, de qua erat disputatio (nempè se ipsa efficacem) firmari? Firmarunt quidem libertatem, ut nemo inficiabitur, negando consecutionem Pelagii: eodemque jure, eadem ratione, eadem methodo firmarunt efficacem se ipsa gratiam, negando consecutionem Calvini. Quid enim aliud est inter serio disputantes negare consequentiam, quam supponere, antecedens esse verum, & consequens perpe-

ram illatum pronuntiare, sive consequens ex antecedenti non sequi? Sed antecedens illius consequentiæ nihil aliud enunciat, quam quod gratia præveniens est intrinsecè efficax, quod & nihil aliud Thomistæ illo complexo *physica prædeterminatio* significant: ergo statuto, consequentiam illam malam esse, & id à Concilio fuisse, ut fidei dogma, pronuntiatum, patens est, gratiam physicè prædeterminantem ab ipso clarissimè fuisse concessam.

49. Hoc roboratur, & explicatur magis. Videns namque Pelagius ex una parte libertatem hominis in quolibet actu meritorio, & ex alia nesciens efficaciam intrinsecam auxilii conciliari cum libertate, efficaciam negavit, in hunc modum arguens. Si gratia, qua nos movet Deus ad consensum salutarem, est intrinsecè efficax, arbitrii destruitur libertas; sed arbitrii libertas non tollitur per gratiam, qua nos Deus movet ad consensum salutarem: ergo gratia, qua Deus nos movet ad consensum salutarem, non est intrinsecè efficax. E contra Calvinus, & Lutherus videntes negari non posse intrinsecam, insuperabilemque efficaciam auxilii, nec valentes illam cum libertate voluntatis componere, Lutherus intulit, voluntatem in opere se habere merè passivè, & velut inanime quoddam: Calvinus verò, qui videre potuit efficaciam non officere activitati, & vitalitati arbitrii, videre noluit efficaciam gratiæ indifferentiæ potestatis, & dominii creati minimè contrariam esse, ac proinde arbitrio moto, atque excitato à Deo, negavit potestatem ad dissentendum: ergo totum robur Hæreticorum erat illa consequentia: *Datur gratia intrinsecè efficax: ergo destruitur libertas.* At non potuit Concilium aptius propositione quadam absoluta consequentiam istam proficere, quam dicendo: damnamus asserentes, quod *liberum arbitrium motum à Deo non cooperatur assentiendo, neque potest dissentire, si velit*; cum eundem planè sensum efficiat, ac si declararetur sic: *Ex motione, qua Deus movet liberum arbitrium non sequitur, ipsum non cooperari assentiendo*: Non ergo hæresis damnata, stat in consequenti nudè sumpto; id est, quasi nihil curando de illatione; sed quatenus malè illatum est; cum Concilium non damnet præcisè negantes usum libertatis; sed negantes, quatenus positione efficacis gratiæ putabant, illud excludi. Nec antecedens expressè hoc quarto Canone damnandum suscepit; cum evidentissimè tanquam certum, & indubitatum supponat, liberum arbitrium esse motum à Deo: ergo Canone illo sola consequentia, ut diximus, quæ ex motione inferebant Hæretici tolli libertatem, fuit damnata. Nunc sic: sed motionis nomine intelligitur in prædicto Canone gratia ex se efficax; hic namque Concilium propositionem illativam Calvinii anathematizat, & Calvinus in ea propositione terminum illum *motum* assumens, gratiam

intrinsecè efficacem intellexit, ut revera sic intellexisse, affirmant P. Suarez, & Eminentiſſimus Bellarminus: ergo injustum planè foret, hanc apud ipsum intelligere, & in eodem Canone, ut ex Calvino refertur, & damnatur à Concilio, illam, si catholica non crederetur, non refellere, aut aliam motionem interpretari, in quo nulla est, nec adversariis potest esse difficultas; cum hoc assignet discrimen inter Hæreticos, & Catholicos admittentes physicam præmotionem, P. Suarez lib. 1. de concursu Dei cap. 1. Quod Hæretici per illam volunt, libertatem destrui, vel saltem illius usum impediri: *Quibus verò, inquit, Catholici Doctores, licet cum Hæreticis conveniant in prædicto fundamento de physica prædeterminatione, negant tamen inde impediri libertatis, & indifferentiæ usum, apertè sentientes, non posse hoc consequens absque fidei errore concedi.*

50. Secundò probatur Conclusio ex sefs. 6. cap. 5. ubi dicitur: *Declarat præterea ipsius justificationis exordium in Adultis à Deo per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, qua, nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut, qui per peccata à Deo averſi erant, per ejusdem excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se, ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur.* In quibus verbis, sicut & in toto capite, evidentius, quantum capere possum, gratia ab intrinsecò efficax, retinetur. Hic enim decernit Sancta Synodus, quod totum illud justificationis exordium, vel motus hominis, quo ad justitiam se disponit, divino gratiæ prævenitur auxilio; quam prævenientem gratiam exponit dicens: *Hoc est ab ejus vocatione, quo vocationis nomine non intelligitur moralis dumtaxat gratia, atque adeo gratia solum verfatilis, aut subjecta nutui nostræ voluntatis, sed significatur gratia præveniens excitans, atque adjuvans, ut docet Concilium.* Non enim solum motio moralis, sed realis, & physica efficientia exprimitur nomine vocationis efficacis, sive quam sequitur justificatio: eaque ratione D. Paulus ad Rom. 8. vocat vocationem illam *secundum propositum*, quia nempe illa efficit, quod Deus vult. Undè Augustinus de prædest. cap. 16. dixit: *quæ vocatione fit credens*; & Catechismus Concilii Tridentini ad illum Symboli articulum: *Sanctam Ecclesiam Catholicam*, ea vocatione aperiri cor nostrum, docet sequentibus verbis: *Vocavit nos intimo quodam Spiritus Sancti afflatu, qui corda hominum aperit.* Si ergo non solum est præveniens gratia excitans, sed etiam adjuvans, hæc nequit non esse efficax, & non solum moraliter, sed verè efficienter & activè propriè movens ad consensum. Primò: quia si præter gratiam, qua Deus prævenit excitando, datur alia adjuvando præveniens, Deus non solum prævenit moraliter movens, quæ motio ad gratiam excitantem

spe-

spectat, sed physicè, & verè effective: atqui Concilium ejusmodi gratiam adjuvando prævenientem, quæ redditur efficax moralis vocatio, statuit, ut patet in ejus verbis: ergo per gratiam prævenit consensum physicè movendo: sed prævenire consensum physicè movendo, est præmovere physicè ad consensum: ergo Deus juxta Concilium non solum moraliter prævenit, sed physicè prædeterminat.

51. Secundò, quia Concilium loquitur de concursu Dei, quo adjuvat hominem, ut convertatur, & justificetur; hunc enim à numero auxiliorum Divinæ gratiæ relegare sacra Theologia minimè patitur; nam est illud uberrimum auxilium, cui cum effectu, & in re suam justitiam debet homo: undè numerans Concilium Tridentinum in hoc cap. 5. auxilia ad nostram justificationem concurrentia, credibile non est, potissimum auxiliorum fuisse ab ipso penitus omisſum. Ergo loquitur de concursu Dei, quo Deus nos movet, nos convertit, ac facit, ut faciamus, seu ut convertamur, qui concursus est, ut planum videtur, gratia physicè prædeterminans; est enim concursus iste purè gratuitus, omnino indebitus, & intrinsecè efficax. Est purè gratuitus, & omnino indebitus, cum debita, & naturalis non sit peccatori conversio ad Deum. Est intrinsecè efficax, cum nec ejus existentia, nec efficacia relicta sit determinationi voluntatis, sed Dei nobis donantis, ut non sine nobis consensum exequatur.

52. Tertio, quia sequentia verba sunt antecedentium magis explicativa; dicitur enim: *Ubi qui per peccata averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur.* In quibus explicatur, quænam sit gratia illa, à qua justificationis sumitur exordium, quod nempe sit gratia excitans, & adjuvans ab excitante distincta. Hæc namque conversio, sive cooperatio consistit in actibus illis fidei, spei, charitatis, & poenitentiae, quibus homo se disponit ad justificationem. Etiam mediis his actibus assentitur gratiæ excitanti, cooperatur solum gratiæ adjuvanti, ut disp. 1. dub. 4. §. 3. fufius diximus; & quamvis ibi sit sæpius repetitum, iterum licet advertere ex ipso Concilio Tridentino cap. sequenti dicente: *Disponantur autem ad ipsam justitiam, dum excitati Divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum.* Ubi eundem assensum, quo gratiæ excitanti assentitur, esse cooperationem, qua gratiæ adjuvanti cooperatur, explicant verba illa: *Dum excitati Divina gratia, & adjuti liberè moventur in Deum*, quod liberè moveri, est actus liberus elicere. Ergo ut homo disponatur ad justitiam, liberèque moveatur in Deum, debet esse & excitatus, & adjutus Divinâ gratiâ ipsum disponente, ut

liberè credat, & liberè moveatur in Deum: ergo si gratia illa excitans est præveniens, & efficaciter adjuvans ad liberè agendum, debet esse præveniens; & sicut gratia, cui assentitur, realiter distinguitur à consenti, cum nihil verè possit sibi ipsi realiter assentiri; ita & gratia adjuvans debet à conversione libera distingui, cum nihil etiam verè possit sibi ipsi cooperari; quæ cooperatio, quia est ipse assensus, Concilium dixit: *Quod cooperatur assentiendo.* Ubi maxime cavendum, ne confundantur hæc duo, cooperari assentiendo Deo excitanti, & cooperari assentiendo cum Deo excitante. Hæc enim sunt maximè diversa: sicut enim, ut rectè observat M. Ferre, sunt distincta credere assentiendo Deo revelanti; & credere assentiendo cum Deo revelante: credere Petro dicenti, & credere cum Petro dicente: ita quid diversum est cooperari assentiendo Deo excitanti, ab eo, quod est, arbitrium cooperari assentiendo cum Deo excitante. Primum docet expressè Concilium; sed ex ipso minimè potest deduci secundum. Non enim cooperatur liberum arbitrium cum Deo excitante; cum solum hoc verificetur, cooperari Deo excitanti; quia gratia excitans est quidem cooperans ad affectiones indeliberatas, quæ sunt primi effectus gratiæ; non tamen cooperans ad actus liberos, ad quos solum se habet excitans moraliter movens, necnon sufficientes præstans vires, quod non sufficit, ad veritatem hujus propositionis: arbitrium cooperatur assentiendo cum Deo excitante; cum significet, Deum excitantem per illam excitationem esse cooperantem arbitrio, & sic ab illis esse physicè illam cooperationem arbitrii per assensum perfectum, quod est omnino falsum; cum operatio arbitrii non sit effectus cooperationis gratiæ, sed gratiæ cooperantis, ut distinctæ ab excitante, & quæ formaliter metaphysicè connectitur cum operatione liberi arbitrii.

53. Nec reponant Adversarii, quod dixerit Concilium *eidem gratiæ assentiendo, & cooperando*, quibus gratiam excitantem, & adjuvantem eandem esse, declarare videtur. Si namque distinctas ipsas crederet, dixisset sanè *eisdem gratiis*: ergo dum dixit *eidem gratiæ assentiendo, & cooperando*, eandem omnino esse gratiam excitantem, & adjuvantem definit.

54. Hanc responſionem, ut inefficacem rejicere debent Adversarii, qui cum P. Suarez gratiam adjuvantem per modum principii propugnant omnipotentiam præparatam, quæ realiter differt à gratia excitante. Undè respondet ipse lib. 3. de auxiliis cap. 17. n. 17. *Nec obstat, quod Concilium in singulari dicat eidem gratiæ: quia potuit loqui de tota illa gratia, tanquam de uno adjutorio completo ex excitante, & adjuvante gratia, cui homo cooperatur.* Antonius Reginaldus eodem modo respondet. *Illam siquidem particula eidem relativa est,*

V

nec

nec significat identitatem gratiæ excitantis, & adjuvantis, sed solum significat eidem gratiæ excitanti hominem assentiri, & eidem gratiæ adjuvanti cooperari. Sicut, si quis ita loqueretur; Venator Cervum, & Aprum simul, & semel detegit, & dum eandem prædam insequitur, incidit in foveam; particula illa eandem prædam non indicaret, Cervum, & Aprum esse omnino idem, sed referretur dumtaxat ad utrumque. Verum, non est in his grammaticalibus trivis immorandum. Sic p.1. cap. 29. Mag. Lorcatom.2. in 1.2. disp.18. §. Nec video, ejusdem levitatis agnoscit argumentum dicens: Hoc argumentum est frivolum; quia enim gratiæ excitans, & adjuvans convenit in una ratione generica gratiæ, dictum est, & eidem gratiæ; qua Phrafi dicitur: color albus, & niger est objectum visus. Illustrissimus Castell de liber. arbitr. disp.2. q.2. sect.3. n.361. respondet, quod ly eidem gratiæ non apponitur à Sacro Concilio, quia sit eadem gratiæ excitans, & adjuvans; sed quia gratiæ præveniens, de qua loquitur S. Concilium habet in uno actu nostro duos effectus; ut statim exponit illis verbis, liberè assentiendo, & cooperando: est enim actus salutaris noster assensus, & cooperatio, quia cum ad illum præveniat gratiæ excitans, & adjuvans, voluntas se convertit liberè assentiendo gratiæ excitanti, & cooperando gratiæ adjuvanti; sicut enim rectè dicitur eadem gratiæ excitans, licet ex illuminatione intellectus, & affectione indeliberata, seu inspiratione voluntatis, quæ inter se distinguuntur, constituatur; ita dicitur eadem gratiæ præveniens, licet ex inspiratione Spiritus Sancti, atque ejus adiutorio inter se distinctis, in sua essentia compleatur. Quam solutionem illustrat Doctor iste Complutensis: Primò ex rigorosa terminorum significatione, quam indubie observavit S. Concilium, in qua suadenti minime dicimur cooperari, sed suasioni propriè assentimus, adjuvanti vero cooperamur; & ita Dæmoni suadenti malum pro nostra fragilitate assentimur, sed propriè non cooperamur, quia non adjuvat ad malum, quod suadet; adjuvanti, non suadenti cooperamur; non verò propriè assentimur: cum ergo Deus ad consensum salutarem, & excitet suadendo, & efficiendo adjuvet; Deo salutariter agendo cooperamur, & assentimur; sed cooperamur Deo adjuvanti, assentimur Deo excitanti, & suadenti; unde sicut est verum, & rectè dicitur: voluntas cum Deo adjuvante cooperatur assentiendo, sed non Deo adjuvanti, ita verè dicitur, voluntas cooperatur assentiendo Deo excitanti, non cum Deo excitante; & ideo, si ordinem verborum S. Concilii inspicias, quia in illo cap.5. prius apposuit gratiæ excitantem, quam adjuvantem, ita dixit: liberè assentiendo, & cooperando. Quia vero in Can.4. prius dixit arbitrium motum, quàm excitatum, aseruit cooperari assentiendo, in quo Ordine verborum cooperationem esse adjuvanti, & assensum excitanti edocuit. Quid plura? M. Lemos lib. 4. p.1. tract.7. cap.22. eodem modo respondet: Dicendum, quod cum Concilium Tridentinum,

sess. illa 6. citata de justificat. cap.5. docet, quod homines per excitantem, atque adjuvantem gratiam ad suam ipsorum justificationem disponuntur eidem gratiæ assentiendo, & cooperando, non est sensus, quod eidem uni excitanti, & adjuvanti assentiendo, & cooperando, disponantur; sed sensus est, quod disponuntur assentiendo eidem gratiæ excitanti, & alteri adjuvanti cooperando. Et quod iste sit sensus Concilii Sacri ex jam dictis conitare videtur, quod & potissimè confirmatur; quia Concilium Moguntinum anno 1549. hoc magis explicans sic habet: Talis autem justificationis initium ex Dei gratiæ provenire, quæ ante meritum, dum adhuc inimici, & peccatores sunt, excitati & adjuvi, & eidem gratiæ sic excitanti, & adjuvanti consentientes, & cooperantes ad justificationem disponuntur. Concilium etiam Colonienfe, quod celebratum fuit post sess.6. anno 1549. in tract. de pœnit. sic dicit: Duplex est gratiæ præveniens, una, quæ Deus prævenit peccatorem, ut resurgat, altera vero, quæ peccator prævenienti Deo assentiens resurgit. Utraque voluntatem nostram prævenit Deus, sed priorem subministrando solus operatur: in alterâ, voluntas nostra Deum prævenientem subsequens, per velle seu consensum cooperatur. Et quidem quid frequentius in sacris literis, quàm singulari numero omnia, quæ Deus in nobis operatur à vocatione ad consummationem, gratiam appellari? 55. Sic explicat hoc cap.5. Andreas Vega Ordinis Minorum inter præstantissimos Concilii Tridentini Theologos Doctorum Judicio annumeratus lib.6. in Trident. cap.6. ubi ait: Illud serio, & magna attentione advertendum est, duplicem asseruisse Patres (Tridentinos) in 5. cap. gratiam, quæ disponitur ad justificationem, excitantem scilicet, & adjuvantem. Excitat namque Deus vocatione sua sancta & illuminatione, ut surgamus à peccatis; neque contentus excitare, quadam nobis ignota sua virtutis applicatione, & voluntatis nostræ mirifica inclinatione, & inflexione benignè nos adjuvat, ut consentiamus, & obediamus vocationi suæ. Sic & Dominicus Soto lib.1. de nat. & grat. cap.16. & lib.2. cap.16. quos libros fatetur ipse se composuisse apologeticos & quasi defensorios sacrarum Tridentini Sessionum, ut legenti constabit. Et clarius in 4. dist. 14. q.2. art. 5. Tridentina Synodus sess. 6. cap. 5. decrevit, exordium justificationis in Adultis à præveniente gratiæ sumendum esse, per quam excitantem, & adjuvantem se homines ad suam justificationem liberè assentiendo, & cooperando disponant. Hoc ergo tale, tantumque testimonium ad mentem Concilii intelligendam majus momentum habere, nimisòque pluris æstimandum arbitror, quàm aliorum placitum, & judicium. Quis enim, cum de intelligentia Tridentini agitur non magis credat duobus Doctissimis Theologis, qui Patres ipsos disputantes audierunt, quicquæ studia sua in id ipsum diligentissimè adhibuerunt, dum Canones isti efformarentur, quàm aliis

aliis nova, ut fatentur ipsi, dogmata defendentibus, cum in rebus humanis magis credendum sit oculatis testibus, vel ex auditu ab ipsis deponentibus, quàm mille aliis rem ex propria imaginatione, & judicio doctibus.

56. Littera ipsa, atque contextus lectione totius, & integri Capitis, iterum clarius innotescet, si observentur duo. Primò, quod Concilium Tridentinum modo ipso, quo utitur loquendo in hoc Capite, apertissimè docet, gratiam Dei per physicam, & veram efficientiam ad opera hominis salutaria concurrere: tradens namque doctrinam de concursu hominis cum gratiâ, ut se disponat ad justificationem, ita ait: Ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat. Pende illa verba: Nihil omnino agat, ubi certè major influxus physicus tribuitur gratiæ, quàm homini. Can. etiam 4. qui ex doctrina cap.5. sumptus est, eodem modo loquitur Concilium sic definiens: Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, merèque passivè se habere, anathema sit. Qua in definitione fermonem agit de influxu physico hominis in actus, quibus se disponit ad justificationem. Extra controversiam est, & planè nos docet fides, hominem ad hos actus physicè concurrere, nec ut inanime quoddam nihil omnino agere, sed sua cooperatione physicè, veroque modo influere, ac merè passivè non se habere: ergo sentit Concilium, & docet, præcipuum influxum physicum in hos actus tribuendum esse gratiæ, non homini. Quod satis explicuit Apostolus ad Rom. cum dixit: Qui filii Dei sunt, hi Spiritu Dei aguntur, ad quæ verba S. Augustinus lib. de Gestis Pelagii cap.3. sic dicit: Plus est agi, quàm regi; qui enim regitur, aliquid agit, & ideo regitur, ut rectè agat. Qui autem agitur, agere aliquid vix ipse intelligitur, & tamen tantum præstat voluntatibus nostris gratiæ Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere, quotquot Spiritu Dei aguntur, filii Dei sunt. Nec enim aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quàm ut illi se agendam commendat, qui malè agere non potest, & hoc cum fecerit, ab illo, ut faceret, adiutam non dubiter, cui dicitur in Psalmo: Deus meus misericordia ejus prævenit me. Ita Augustinus.

57. Crescit præterea argumentum, si observetur secundò textus, quo sententiam suam probat Concilium: Undè in Sacris Litteris cum dicitur: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis nostræ admonemur. Cum respondemus: convertite nos Domine ad te, & convertemur, Dei nos gratiæ præveniri confitemur: Ex quibus sic argumentum for-

matur. Qui petit à Deo, ut illum ad se convertat v. g. per fidem, quia infidelis est, vel per salutarem pœnitentiam, quia peccator; ille, inquam, jam supponitur sancta cogitatione de convenientia pœnitentiæ præventus, & per affectum ad illam excitatus. Hæc sanè est vera mens Concilii; etenim in cap. isto docet duo, nempe unde sumatur exordium justificationis, & quibus gratiis homo ad illam se disponit, necnon modum, quo dispositio ista exercetur. Hoc secundum explicant relata verba, quibus planè docemur, Deum prius nos præveniendo admonere, ut ad illum convertamur; quæ admonitio duo sine dubio includit, scilicet, & cogitationem sanctam, quæ conversionis proponitur convenientia, & motum, quo voluntas ad illam afficitur; quem motum necessarium, esse ex eo comprobatur, quia ex illo prorumpit homo in desiderium conversionis, & in orationem, quæ gratiam postulat, quæ convertatur à Deo: nec enim aliquis enixè postulat, quod ardentè non desiderat, nec desiderare valet id, ad quod non est affectus: ac tandem, cum affici non possit ad id, cujus bonitatem non agnoscit, concluditur manifestè, præsupponi vocatum, & affectum ad conversionem illum, qui Deo dicit, Convertite me Domine ad te, & convertar: undè aliam gratiam petit, cui tribuatur conversio: non enim petit gratiam illam, quæ se agnoscit vocatum, & excitatum ad petendum à Deo conversionem ad fidem, vel pœnitentiam, cum pro beneficio recepto nullus teneatur, immo nec possit orare; potest tamen, & tenetur ad gratiarum actionem, quia oratio ad beneficium impetrandum dirigitur, gratiarum actio pro bono recepto benefactorem laudat. Petit ergo aliam gratiam, & gratiam, cui conversionem tribuat. Constat ex ipso Concilio, ubi apertè dicitur: Cum respondemus; convertite nos Domine ad te, & convertemur, Dei nos gratiæ præveniri confitemur. Notanda valdè illa particula &, quæ unit illam propositionem, Convertite nos Domine ad te, cum illa Convertemur, quæ particula pari energia æquivalet particulæ ergo: Et ex gratiæ Dei, qua nos præveniri confitemur, dum dicimus, Convertite nos Domine ad te, infert infallibiliter nostram conversionem. Hæc est gratiæ adjuvans: constat primò ex adversariis, apud quos nulla gratiæ est inseparabilis à consensu, nisi gratiæ adjuvans, quæ juxta illos cum consensu identificatur: hæc autem gratiæ, ut patet ex copulativa Concilii, inseparabilis est à conversione. Constat secundò; nam gratiæ, de qua in istis verbis Concilium, supponit munera gratiæ prævenientis per cogitationem, & vocationem, gratiæque excitantis per subitum affectum; & suum munus explet cooperando cum libero arbitrio ad conversionem: sed hæc est gratiæ adjuvans: ergo Concilium loquitur de gratiæ adjuvante dante conversionem, & inseparabili ab ipso consensu.

58. Amplius hujus discursus declaratur auctoritas. Gratiam, quam petimus à Deo, cum dicimus, *Converte nos Domine ad te, & convertemur*, est gratia præveniens conversionem nostram. Tractat namque Concilium de gratia præveniente, à qua nostræ justificationis exordium sumendum esse declarat; & in fine capitis textum explicans Jeremiæ, & illius tradens intelligentiam, dicit: *Cum respondemus; Converte nos Domine ad te, & convertemur, Dei nos gratia præveniri confitemur*, hæc gratia, quam sic orantes petimus, & qua in re ad Deum ponitur conversio, est adjuvans, & efficax. Adjuvantem declarat S. August. in Enarr. Psalm. 6. ubi versans illa verba: *Converte Domine, & eripe animam meam*, sic dicit: *An ex illa locutione intelligendum est, Convertere Domine, id est, fac me converti, cum in ipsa sua conversione difficultatem, laboremque sensisset? Nam perfecta nostra conversio paratum invenit Deum, sicut Propheeta dicit, tanquam diluculum paratum invenimus eum. Quoniam, ut eum amitteremus, non ejus absentia, qui ubique adest, sed & nostra fecit aversio.* Cui locutionis intelligentiæ assentiens S. Doctor post nonnulla subjicit: *Et in tali difficultate dicimus, Convertere Domine, id est, adjuva nos, ut perficiatur in nobis conversio.* Ecce quomodo juxta D. Augustinum illa locutio, *Convertere Domine* æquipollet huic, *fac nos converti*: & multò clariùs ibi, *adjuva nos, ut perficiatur in nobis conversio*: ergo qui Deum orat, ut illum ad se convertat, gratiam petit adjuvantem ipsum, ut convertatur. Hoc manifestè ratio convincit: nam profectò, qui videt quantum sit illi conversio ista conveniens, ad cujus convenientiam est jam affectus, videt etiam, nisi stimulis agitur superbiæ, impares esse vires ad tantum opus: ergo dum religiosè, & humiliter orat, Divinæ gratiæ postulat adjutorium, quod sibi à se novit non esse, sed à gratia Dei adjuvante, quam proinde petit. Non minori evidentia ostenditur, gratiam illam esse efficacem: tum ex verbis S. Augustini ultimò relatis, id est, *Adjuva nos, ut perficiatur in nobis conversio*: tum, quia qui petit conversionem suam poni in re, & medium petit, à quo unicè est ponenda: sed hoc medium est gratia efficax, qualiscumque sit hæc efficacia, sive intrinseca, sive extrinseca sit auxilio (quod præsentis inspectionis immediatè non est, quamvis mediatè sit; sat enim modo nobis si adjuvans gratia ab excitante distinguatur) ergo. Tum quia huic gratiæ, quam petit, infallibiliter est annexa conversio, ut constat ex verbis Prophetæ dicentis, *Converte nos Domine ad te, & convertemur*: quæ copulativa vera esse non potest, si posita gratiâ, quam petit, conversio non ponatur in re; ita ut sit verum, gratia illa existit, & homo petens non convertitur; sed gratia illa, cui connexa est conversio, est efficax, qualiscumque sit illa connexio: ergo gratia, quam petit, est gratia

efficax, & hæc efficacia gratiæ est, quæ ex textu citato Concilii in apertam consequentiam deducitur.

59. Quid argumento contrarii Auctores respondeant ingenuè me necire profiteor. Scio tamen, ita de suâ gratiâ sentire, ut duplicem aiserant convenire cuilibet auxiliorum efficaciam, aliam in actu primo, & alteram in actu secundo. Auxilium, inquit, constituitur efficax in actu primo à determinatione, seu cooperatione nostræ voluntatis prævisæ per scientiam mediam, quæ explorat, quid voluntas faceret, si cogitatione illa sancta, subitoque motu esset præventa. In actu verò secundo efficax constituitur auxilium à consentiù egrediente simul ab auxilio, & à voluntate; non tamen ex determinatione Dei facta per auxilium, sed unicè ex determinatione voluntatis, quæ unicè pro suo nutu se determinat, & auxilium. Verùm adjutorium istud nec nos efficacia sua juvat ad benè agendum, nec sententiam ab argumentis factis liberat; cum gratiæ adjuvanti, ut ab excitante distinctæ, physicus debeat attribui concursus, qui minimè juxta modum istum dicendi assignatur, dum solum statuitur gratia, quæ sit cogitatio sancta proponens objecti, conversionisque convenientiam, & affectus subitus ad illam ex tali propositione naturaliter sequutus, ac voluntatem excitans in desiderium conversionis. Præterea homo præventus sancta cogitatione conversionis representante convenientiam, atque in desiderium illius excitatus petit à Deo gratiam, quâ Deus illum ad se convertat; sed nec petit gratiam habitam, neque concursum simultaneum, quem in sua habet potestate: ergo gratiam adjuvantem, & prævenientem, & physicè in conversionem concurrentem exposcit.

60. Sed his omiffis ad locum Concilii redeamus. Inquiro ab Adversariis, an qui dicit Deo: *Converte me Domine ad te, & convertar*, gratiam à Deo petit ipsum ad conversionem prævenientem, & se gratia Dei præveniri oratione illa sua ipse constiteatur? Ita sanè respondebunt, cum hoc planè disertis verbis Concilium doceat; sed non petit gratiam inefficacem, nec petit vagè gratiam efficacem, vel inefficacem, sed determinatè efficacem, ut inferentem conversionem: ergo ipsa sua oratione Dei, se gratia efficaci metaphysicè cum conversione connexa præveniri desiderat. Cum quo sanè compossibilis non est illa gratiæ efficacis constitutio ab Adversariis posita; nam juxta illum modum constituendi efficaciam adjutorii Divini, nusquam salvatur, quòd gratia ut efficax præcedat, aut præveniat petentis hominis conversionem, fatentibus ipsis, quòd nec in statu conditionato, nec in statu absoluto, gratia, ut efficax, conversionem præcedat. Ad quid enim deserviret scientia media explorans, quid faceret voluntas sub eo auxilio con-

constituta, si in ipso auxilio efficaci certissimè cognoscat determinationem voluntatis?

61. Tandem, ut discursus iste firmetur, audiendus D. Augustinus de grat. & liber. arbitr. cap. 16. ad rem nostram elegantissimè loquens: *Certum est*, inquit S. Doctor, *nos facere, cum facimus, sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit, faciam, ut in justificationibus meis ambulatis, & judicia mea observetis, & faciatis. Cum dixit, faciam, ut faciatis, quid aliud dicit, nisi, auferam à vobis cor lapideum, unde non faciebatis, & dabo cor carneum, unde faciatis. Et hoc quid est, nisi, auferam cor durum, unde non faciebatis, & dabo cor obediens, unde faciatis: ille facit, ut faciamus, cui dicit homo: pone Domine custodiam ori meo; hoc est enim dicere, fac, ut ponam custodiam ori meo; quod beneficium Dei jam fuerat consequutus, qui dixit, posui ori meo custodiam. Hucusque S. Augustinus: ex quibus ita, & nisi fallor, evidenter argumentor. Qui rectissimè dicere potest, & debet cum Propheta Psalm. 140. *Pone Domine custodiam ori meo*, ita orans à Deo petit gratiam efficacem ad vitanda verba malitiæ requisitam, cum petit gratiam facientem, ut os custodiat, auferentem cor lapideum, & durum, dantem cor carneum, & obediens; immò signatè petit vires efficacissimas gratiæ: ergo Deum ita orans confitetur gratiam efficacem prævenientem. Patet consequentia primò ex ipsis verbis præfata orationis, nec non ex verbis, quæ S. Augustinus ad illa immediatè præmiserat: ait enim: *Certum est, nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum est, quod paulò ante posui, quod præparatur voluntas à Domino.* Ubi asserit, gratiam, qua Deus voluntatem præparat, esse gratiam, qua facit, nos velle bonum, quæ sine dubio est gratia prævia, atque præveniens. Secundò ex verbis, quæ immediatè ad relata præmiserat Augustinus, ubi dicit: *Certum est enim, nos mandata servare, si volumus, sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est.* Ecce oratio tendit ad gratiam prævenientem, quam iterum explicant verba illius dicentis, *pone Domine custodiam ori meo*: nam juxta S. Augustinum, hoc est dicere, *fac, ut ponam custodiam ori meo*: quibus nihil clariùs pro significatione gratiæ prævenientis dici, aut cogitari potuit. Tertiò & præcipuè constat consequentia illa ex Concilio docente: *Cum respondemus, converte nos Domine ad te, & convertemur; Dei nos gratia præveniri confitemur*: ergo, qui præventus cogitatione sancta, & affectu excitatus ad conversionem, Deo dicit in oratione, *fac, ut convertar, præbe mihi vires efficaces, aufer à me cor lapideum, & durum, da mihi cor carneum, & obediens, ac tandem, pone custodiam ori meo*, ipsa sua oratione, gratia Dei efficaci velle præveniri confitetur: & consequenter de mente Concilii Tridentini est gratia efficax præveniens.*

62. Non ergo jam aliquis cum P. Tyrso tom 4. disp. 4. sect. 7. n. 132. Thomistas moveat, dicens: *Monendi sunt, & hortandi Adversarii nostri, ut accendant lucernam, & quærant gratiam physicè prædeterminantem in toto illo capite, & nobis dicant, in quo angulo illius capitis latet, & in qua Concilii clausula continetur? Et erunt nobis Magnus Apollo*: Non oportet dictum Auctoris hujus in scientiam mediam retorquere, quæ licet non exprimat in verbis Concilii, & à PP. sensu fuerit remotissima; non minus quàm illis ignota, aut si quibus nota, ad Massilienses tenebras, à quibus nondum aliquis illam eruerat, rejecta; volunt tamen ipsi, ex illo eam rectè consecutione deduci. Patienter ille audiendus; neque enim ignorare nos decet, quantum modestia sit propinqua veritati. Nimis libera sanè, & Thomistis inutilis est admonitio. Satis nos ostendisse credimus ex Concilio Tridentino, physicam prædeterminationem non denuo ibi inventam, sed nulla antiquæ doctrinæ novitate, servatam. Nec explicantius tunc oportebat loqui. Nec enim opus erat exprimere gratiam ab intrinseco efficacem; cum nullus fuisset, qui verè efficacem, id est, ab intrinseco, illam negaret. Videantur AA. Thomistæ argumentum hoc luculenter, & eruditè tractantes. M. Lemos lib. 4. tract. cap. 22. Alvarez disp. 82. M. Joannes à Sancto Thoma de volunt. disp. 5. art. 5. n. 15. M. Ferre tom. 2. in 2. p. tract. 9. q. 7. sect. 12. PP. Salmanticensis tom. 6. tract. 14. dub. 4. sect. 10. Et Illustriss. Castell tract. de liber. arbitr. disp. 2. vir subtilissimus, & felicis ingenii, atque in disputationibus Gratia versatissimus. Hoc eruditè observat noster Reginaldus p. 1. cap. 8. *Quod sicut Divinus ille Spiritus hæc viâ Sanctissimos Patres adduxit, ut definiendam veritatem assequerentur, ita planè congruum videtur, ut si supplices ad illum confugiamus, nos eadem semita perducatur, ut mentem Concilii consequi valeamus. Enim verò si hujusmodi disputationes, rationes, illustrationes, & similia, non alio fine adducantur, nisi ut mens ipsa Canonum introspectatur, nec dubitari omnino possit de sensu vero decretorum; jam hæc non considerantur, ut ab ipsis Canonibus separata, sed ut illis conjuncta, quatenus post perceptam Canonum mentem, non jam ex illis, sed ex ipsis Canonibus totum vobis, ac vires omnes, argumenta, quæ adduximus, sortiantur. Et est exemplum huic rei explicanda, ut mihi quidem videtur, accommodatissimum. Certum planè est, SS. PP. testimonia se ipsis non facere rem de fide: at consensus unanimes eorumdem in explicando aliquo Sacra Scriptura loco, efficit, ut sensus ille, quem hoc pacto Sacri Ecclesia Doctores legitimum esse, declarant, ita certus sit, ut qui illum negaret, temerarius omnino, immò & suspectus de hæresi censeretur: non quòd, ut dixi, PP. auctoritas rem certam de fide possit efficere, sed quòd illorum consensus unanimes in ipsa Scriptura interpretatione indicet manifestè, illum esse*

esse Ecclesiae sensum, ad quam solum spectat de vero Scripturae sensu judicare. Hæc ille. Si ergo peritissimi Theologi, qui Synodo intererant, & præsentibus omnibus Concilii definitionibus extiterunt, in eam gratiæ efficacis sententiam contulerunt, quorum nomina, pietatem, & doctrinam lato calamo ob oculos subjicit Reginaldus p. 2. constat, quod tanquam vera, vel adminus tamquam Scripturæ, Concilii, & PP. conformior fuit in Concilio habita, & asserta gratia per se ipsam efficacis. Sed non solum tot Testium omni exceptione majorum testimonio refellitur dictum P. Tyrrii. Alia est fundatissima ratio ex Cathedismo Romano, decreto Concilii Tridentini edito, ut constat ex ejus titulo: *Catechismus ex decreto Tridentini editus*, quem Pius V. approbavit in Brevi ad Manucium *Pastorali Officio* 7. Kal. Octobris 1566. ut testatur ipse, & quem tantæ credidit auctoritatis Gregorius XIII. ut suo iussu iterum fuerit typis editus. Hic est legitimus Concilii Tridentini fœtus, vera Canonum, ac definitionum ejusdem Concilii explicatio, cujus doctrina à Patribus ejusdem Synodi, ut certior electa: ex quo gratia per se ipsam efficacis expressè deducitur, vel potius in ipsis Cathedismi verbis distinctissimè exprimitur, ait enim 1. p. ad art. 1. Symboli: *Non solum autem Deus universa, quæ sunt, providentia sua tuetur, atque administrat, verum etiam quæ moventur, & agunt aliquid, intima virtute, ac motu, ad actionem ita impellit, ut quamvis causarum secundarum efficientiam non impediatur, præveniat tamen, cum ejus occultissima vis ad singula pertingat, & quemadmodum Sapiens attestatur, attingat à fine ad finem fortiter, & disponat omnia suaviter Sapiens.* 8. *Quare ab Apostolo act. 17. dictum est, cum apud Athenienses annuntiaret Deum, quem ignorantes colebant: non longè est ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, & movemur, & sumus.* En ubi tradens modum, quo Deus cum agentibus creatis concurrat, non asserit, Deum nobis subordinari, aut applicari nobis omnipotentiam per decretum indifferens, sed quod subjiciendo causas sibi, illarum tamen efficientia non impedita, illas sua occultissima virtute præveniendò impellit ad agendum, qui impulsus est vera gratia per se ipsam efficacis, ut vel ipsa præ se ferunt conspicua verba. Placet tamen inde id ipsum aliquo ratiocinio communitate. Siquidem omnis Dei impulsus motio quædam debet; etsi sit præveniens, præmotio dici debet; & si ad certam determinatamque actionem movet, debet etiam dici prædeterminatio; quia præmotio ad aliquid determinatum prædeterminat: sed fieri non potest, ut illa virtus Dei impellens, præveniens, & non impediens causarum secundarum efficientiam, non sit physicè, ac realiter movens, ut supra dictum est: ergo hæc motio realis, & physica asserta in Cathedismo, est physicè prædeterminans.

63. Secundò ex modo loquendi, quo utitur p. 2. de poenitent. n. 11. dum ait: *Primum misericordia Dei nos prævenit, cordaque nostra ad se convertit.* Quibus verbis probatur gratia per se ipsam efficacis. Non enim gratia præveniens, quæ allicit quidem, & excitat, & per se ipsam est indifferens, corda convertit. Non concomitans gratia facit, quod actus hominis sit conversio, cum solum per eam fiat, quod actus ille, qui à libero arbitrio habet, ut sit conversio, sit supernaturalis: ergo gratia corda convertens est illa, quæ resistantiam voluntatis valet evincere, ut liberrimè se ad Deum convertat; sed gratia hæc sic operans conversionem est gratia ab intrinseco efficacis: ergo ex verbis Cathedismi ostenditur gratia per se ipsam efficacis.

64. Tertio hanc ab intrinseco efficacem gratiam expressè docet agens de utilitate orationis p. 4. n. 7. dicens: *Præclarum præterea illum orationis fructum assequimur, quod cum proclives simus ad malum, & ad libidinis varios appetitus vitio infermitatis ingentia, patitur (Deus videlicet) se nostris cogitationibus concipi, ut dum illum oramus, & mereri ejus contendimus munera, accipiamus innocentia voluntatem: sed innocentia voluntas non intelligitur hic habitualis inclinatio ad actus bonos, sed actus ipse voluntatis, quo innocenter vivere volumus, qui est ordinarius orationis fructus: ergo hic bonæ voluntatis actus à Deo accipitur: sed non accipitur à Deo, nisi accepta gratia, qua fit in nobis hæc bona voluntas: ergo cum Deus volitionem istam in nobis efficiat non adjutorio versatili, quod vertere etiam in malum possumus, sed gratia physicè prædeterminante dante nobis pro sua bona voluntate velle, & perficere, hanc innocentia voluntatem eadem gratia operatur in nobis. Videant ergo Adversarii si hæc Cathedismi sententia post accuratam tot Patrum, & Theologorum discussionem, possit dici Tridentino contraria; vel potius, omninò consentanea, tutissima usque tunc, immò ferè certa, & indubitata, cum non solum tot Sapientissimorum hominum calculis fuerit approbata, sed & dum approbatus fuit Cathedismus, simul virtualiter saltem confirmata existimari possit gratia per se ipsam efficacis. Quæ in contra possunt objici, jam supra disp. 1. dub. 4. soluta manent.*

65. Superest tamen, ut antequam intelligentiæ Concilii adaperiendæ finem imponamus, explicetur textus cap. 11. quo dicitur: *Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Ex quibus inferunt Adversarii, positum esse in arbitrii potestate, ut gratiam indifferenter inclinet, & reddat efficacem; non ergo est se ipsa efficacis, sed solum efficacis dependentia à consensu libertatis. Pro cujus intelligentiæ, maximè advertendum, quod dum Deus præcipit aliquid homini, non adimpletur præceptum, nisi Deus det ipsis, quod præcipit, ut

passim Sacræ Scripturæ nos docent, teste Divo Augustino lib. 2. contra duas Epistolas Pelagii cap. 10. n. 23. *Nihil in Scripturis Sanctis, inquit ille, homini à Domino video juberi, propter probandum liberum arbitrium, quod non inveniatur, vel dari ab ejus bonitate, vel posci propter adjutorium gratiæ demonstrandum.* Hic namque erat error Pelagii, quod in hominis potestate ex propriis viribus erat, quod præcipitur à Deo, ut testatur D. Augustinus de prædest. Sanctior. cap. 11. n. 22. *Sed cum dicitur, inquit, si credideris, salvus eris, unum horum exigitur (dicebant Pelagiani) alterum offertur. Quod exigitur in hominis quod offertur, in Dei est potestate. Cui respondet Augustinus, utrumque esse donum Dei: Cur non utrumque in Dei est, & quod jubetur, & quod offertur? ... Sic autem dicitur, si credideris, salvus eris, quemadmodum dicitur, si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Nam & hic ex his duobus unum exigitur, alterum offertur. ... Ut ergo Spiritu facta carnis mortificemus, exigitur; ut autem vivamus, offertur. Num igitur placet, ut facta carnis mortificare, non donum Dei esse dicamus; neque id donum Dei esse fateamur: quoniam exigi audimus à nobis, præmio vitæ, si hoc fecerimus, oblati? Absit ut hoc placeat participibus, & defensoribus gratiæ. Quod esse verum tam de dispositione positiva, quam negativa, quæ nullatenus dependent à voluntate nostra, certissimum docet D. Thomas, versans Epist. ad Hebræos cap. 12. lect. 3. illa Apostoli verba: *Contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei: sed contra: quia si gratia non datur ex operibus, sed tantum ex hoc, quod aliquis non ponit obstaculum: ergo habere gratiam dependet ex solo libero arbitrio, & non ex electione Dei, quod est error Pelagii.* Respondeo: dicendum est, quod hoc ipsum, quod aliquis non ponit obstaculum, ex gratia procedit. Unde si aliquis ponat, & tamen moveatur cor ejus ad removendum illud, hoc est ex dono gratiæ Dei vocantis per misericordiam suam. Gal. 1. *Cum autem placuit ei &c. Hoc autem donum gratiæ non est gratum faciens. Quod ergo à quibusdam removeretur istud obstaculum, hoc est ex misericordia Dei: quod autem non removeretur, hoc est ex justitia ejus: Provenit ergo ex gratia Dei, quod quis non desit gratiæ Dei; desse igitur gratiæ Dei fideles quidem possunt per liberum arbitrium; sed non deesse gratiæ, non habent ex se ipsis, sed ex Deo adjuvante, ne desint; undè non habet homo gratiam, quia non deest gratiæ, sed potius non deest gratiæ, quia habet ipsam gratiam. Hoc eleganter explicat D. Augustinus de dono persever. cap. 7. n. 13. 14. & 15. *Post casum hominis non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eam, neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo, ac per hoc, sicut operatur, ut accedamus, sic operatur, ne discedamus. ... manus igitur Dei est ista, non nostra, ut non discedamus à Deo. ... Propter quod & posci à se voluit, ne inferamur in tentationem, quia & si non inferimur, nulla ab eo ra-***

ione discedimus. Et ibidem cap. 8. n. 19. *Voluntate sua cadit, qui cadit, & voluntate Dei stat, qui stat. ... quod omnis qui humiliter, & veraciter pius est, esse verissimum sentit.* Et Divus Prosper in responsione ad object. Vincen-tianas 14. *Si ergo in sanctitate vivitur, si in virtute proficitur, si in bonis studiis permanetur, manifestum munus est Dei, sine quo nullius boni operis fructus acquiritur. Si autem ab his receditur, & ad vitia, ac peccata transitur, nihil ibi Deus male tentationis immittit. ... Cur autem illum retineat, illum non retineat, nec possibile est comprehendere, nec licitum vestigare, cum scire sufficiat, & ab illo esse, quod stat, & non ab illo esse, quod ruitur.*

66. Hoc ergo supposito, juxta duplicem nostrorum expositionem, oppositus sensus venit refellendus; quamvis enim nobis alteram præ altera arridere, insinuaturi sumus; quavis tamen earum adversariorum conatus reprimi, oportet ostendere. Ergo plures ex nostris existimant, quod textus ille Concilii non est intelligendus de gratia actuali, sed de gratia gratum faciente, ita ut sensus sit, Deum non deserere justificatos, (subtractione videlicet gratiæ sanctificantis) nisi illi ipsi prius eum deserant peccando. Sic constantissimè intelligunt textum Concilii Alvarez de auxiliis lib. 11. disp. 110. n. 19. *Respondetur, inquit, sensum legitimum Concilii Tridentini esse, quod Deus non privat gratia habituali semel justificatos, nisi illi, prius natura peccatum mortale committant, per quod deserunt Deum, & merentur gratia justificante privari.* Et Medina in 1. 2. q. 109. art. 10. in respons. ad 3. object. contra 4. propos. *Sciendum est, quod, quando dicunt SS. Patres, & approbant Sacra Concilia, Deum sua gratia semel justificatum non deserere, nisi prius ab eo deseratur, explanatio est de gratia justificante. Nunquam enim gratiam justificantem aufert ab homine, nisi propter peccatum mortale.* Nuño in 1. p. q. 62. art. 5. Joannes à Sancto Thoma in 1. 2. disp. 24. art. 1. Estius in 2. dist. 26. sess. 43. ad 5. *Nec tamen si justus derelinquatur à Deo, ut fit in omnibus, qui non perseverant, ideo falsum erit, quod dicunt Patres Concilii (Tridentini) Deum sua gratia semel justificatos non deserere, nisi ab eis prius deseratur. Hoc enim dictum est de gratia justificante, ut ex ipsius verbis patet, atque hunc sensum habet: nunquam Deus gratiam justificantem aufert ab homine, neque amicitia renuntiat, nisi propter peccatum ejus mortale; nam mortale peccatum est, quod gratiam expellit, & amicitiam dissolvit.* Sylvius ad 1. p. q. 23. art. 5. *Ejusmodi sententias intelligendas esse de gratia habituali, qua justificamur, ut sensus sit, Deum nunquam subtrahere gratiam justificantem ab homine, nisi propter peccatum, quo ipse deserit Deum; ita scilicet, ut quamvis sint simul tempore peccatum mortale, & amissio gratiæ, peccatum tamen sit causa meritoria illius amissionis. Undè Concilium Tridentinum expressè loquitur de justificatis. PP. Salmanticenses de grat.*

grat. disp. 6. dub. 3. asserunt, esse communem sensum Theologorum, Concilium loqui de gratia habituali. Doctor Eusebius delos Rios Primarius Complutenfis lib. 1. de libert. ad fidem disp. 2. dub. unico §. 3. n. 40. sic habet: *Si inquiras, de qua gratia loquitur Concilium: Dicimus cum frequenti Theologorum consensu quod de gratia habituali, & sanctificante; quam Deus non subtrahit ab homine, nisi per prius deseratur ab homine peccante.*

67. Et sanè sic esse intelligendum Concilium non infirmis argumentis probari potest. Primò, quia in dicto Cap. Concilium dixerat, iustos, licet in levia peccata, quæ etiam venialia dicuntur, incidant, propterea non desinere esse iustos, immò magis obligatos ad ambulandum in iustitia, qua benè viventes proficere possint, per Jesum Christum, per quem accessum habuerunt in gratiam istam, scilicet iustificantem, & statim adjicit: *Deus namque sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Ubi rationem assignans, cur per levia peccata non desinant esse iusti, hanc solum affirmat, quòd Deus illos sua gratia non deserit, nisi ab eis prius per peccatum mortale deseratur; quia nempe gratia habitualis compossibilis est cum peccato veniali.

68. Secundò, quia textus iste Concilii desumptus est ex M. Parente Augustino de natur. & grat. cap. 26. ut notatur ad marginem: in quo D. Augustinus discrimen inter medicum corporis, & Christum verum animæ medicum constituit; quòd, *Medicus homo, inquit, cum sanaverit hominem, jam de cætero sustentandum elementis, & alimentis temporalibus, ut eadem sanitas apto subsidio convalescat atque persistat, Deo dimittit. . . . Ipse autem Deus, cum per mediatorem Dei, & hominum, hominem Jesum Christum, spiritualiter sanat egrum, vel vivificat mortuum, id est, iustificat impium: Et cum ad perfectam sanitatem, hoc est ad perfectam vitam, iustitiamque perduerit: Non deserit, si non deseratur, ut piè semper, justèque vivatur.* Quibus expressè videtur D. Augustinus asserere, quòd Deus non deserit hominem iustificatum subtrahendo gratiam sanctificantem, nisi prius homo deserat Deum peccando mortaliter. Hoc etiam repetit lib. 8. de Genes. ad litteram, ubi ait: *Deum non ita operari, ac facere hominem iustum, ac sapientem, ut cum ab eo factus fuerit iustus, abscedat, sicut à corporis medico sanatur, & abit: sed potius, ut postea ibidem subjungit, sicut aer à lumine fit lucidus.* Undè subdit: *Sic homo à Deo sibi presente illuminatur; absente autem contenebratur, à quo non locorum intervallis, sed voluntatis aversione, disceditur.*

69. Tertio, quia & ipsi Adversarii tenentur sic explicare verba Concilii. Dum enim asserit: *Deum sua gratia semel iustificatos non deserere, nisi ab eis prius deseratur, vel intelligitur de gratia ab intrinseco efficaci, vel de gratia sufficienti, seu indifferenti, aut de*

gratia habituali. Primum affirmare non possunt, vel quia ipsi negant gratiam ab intrinseco efficacem; vel quia subtractionis auxilii efficacis non semper ejus causa est peccatum hominis Deum deserentis, sed aliquando sola divina voluntas, cujus rationem invenire, nostrum non est. Id testatur Augustinus lib. de dono persever. cap. 8. lib. de corrept. & grat. eodem cap. & innumeris locis, quibus docet ad inscrutabilia Dei judicia pertinere, cur ex pluribus iustis, quibusdam det, aliis non det perseverantiam usque in finem. Non minus certum est apud ipsos, Deum iustos non deserere subtractione auxilii sufficientis, cum gratia sufficiens non amittatur peccato mortali; nec juxta ipsos deficiant peccatori auxilia sufficientia, neque Deus in pœnam peccati præcedentis, negat hujusmodi auxilia; licet oppositum doceat D. Thomas 2. 2. q. 2. art. 5. dicens: *Crederet articulos fidei homo potest cum auxilio gratiæ, quod quidem auxilium quibuscumque divinitus datur, misericorditer datur: quibus autem non datur, ex iustitia non datur in pœnam præcedentis peccati, aut saltem originalis peccati, ut S. Augustinus dicit in lib. de corrept. & grat. ergo necessariò intelligendum ipsis est Concilium de gratia habituali. Etenim admisso auxilio ab extrinseco efficaci, clarius juxta ipsorum principia, Deus deserit iustum subtractione auxilii illius, utcumque efficacis, priusquam iusti Deum deserant per peccatum mortale. Si enim supponatur, ut re vera supponi potest, & debet, Deum prævidisse Petrum non consensurum sub tali auxilio, quod de facto habuit; è contra verò sub alio consensurum, & voluisset illud prius auxilium dare, cum quo prævidebat peccaturum, non verò aliud, quò prævidebat in gratia perseveraturum, evidentissimum est, Deum voluisse prius deserere Petrum subtractione illius auxilii, quod fore efficax prævidebat, quam Petrus voluerit Deum deserere peccando: cum videret Deus Petrum sub illo alio auxilio non peccaturum. Ergo etsi intelligatur Concilium de auxilio ab extrinseco efficaci, falsum omninò esset in ipsorum principiis, Deum non prius deseruisse Petrum subtractione talis gratiæ, quam desereret Deum per peccatum.*

70. Sed ita fit, quòd Concilium intelligatur de gratia actuali; sicut illud exponunt Illustrissimis Godoy de Prædest. disp. 72. sect. 4. Illustrissimus Castell. de liber. arbitr. disp. 2. q. 5. sect. 10. asserentes, Concilium solum intendere, Deum omnibus iustis gratiam sufficientem tribuere, dum de semel iustificatis negat, eos ante deserere per subtractionem divini auxilii. Quod firmat primò auctoritate plurium Theologorum inferentium ex hoc decreto adversus Hæreticos gratiam sufficientem iustis omnibus adesse. Belarminus lib. 1. de grat. & liber. arbitr. cap. 11. asserit: *Concilium Tridentinum hoc loco aper-*

tissime docere, Deum non deserere, quia non de-

negat auxilium. Vega lib. 11. cap. 11 *Patres non simpliciter, & absolute dixerunt, iustos posse servare mandata, sed adjecerunt hoc temperamentum, cum auxilio divino: & ut sciremus, hoc auxilium tam potens, quam necessarium, nulli deesse iustorum; mox subiecta sunt illa verba totius suavitatis plena: Deus namque sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Ex eodem testimonio M. Zumel disp. 4. de auxil. efficaci, & sufficienti sect. 1. assertion. 1. §. Dices. probat, quòd iustis omnibus adest gratia, qua possibilia sunt præcepta Dei: sibi namque proponens sequentem replicam, *Dices: Deum non dici deserere, quando non dat auxilium piè vivendi, sed quando avertitur ab amicitia alicujus, & hoc modo non deserere, nisi prius deseratur, hanc interpretationem tradit: Contra est Tridentinum apertissime docens, Deum non deserere, quia non denegat auxilium. Nam dicit, eos, qui piè vivunt, posse in bono proficere; quia Deus non deserit, nisi deseratur, sect. 6. can. 11. & rursus ait, iustos omnes firmissimam spem in Dei auxilio collocare, quia nisi ipsi ejus gratiæ defecerint, Deus ipsis non deerit.* De auxilio ergo actualis gratiæ locum Concilii meritò intelligit. Alioquin quis ita ineptam argumentationem Concilio tribuat? *Deus iusto non subtrahit gratiam habitualemente ante quam peccet; ergo iustus potest in bono proficere, ut ex prædicto testimonio arguit Illustrissimus Castell loco citato.* Secundò magnum hujus doctrinæ, vel interpretationis testimonium accipit Doctor iste ex M. P. August. de natur. & grat. cap. 26. in quo loquens de subtractione auxilii sufficientis, Pelagium refellens, affirmantem, non esse necessariam misericordiam Dei, ut non peccemus, sed quia peccavimus, nempe misericordiam actualem adjuvantem iustos, ut non peccent, sic habet: *Sicut ergo vulnere claudicans, ideo curatur, ut sanato malo præterito, futurus dirigatur incessus: sic mala nostra non ad hoc solum supernus medicus sanat, ut illa jam non sint, sed ut de cætero rectè ambulare possimus; quod quidem, etiam sani, non nisi illo adjuvante, poterimus: ergo expressè loquitur de adjuvante gratia sanis, id est iustis, necessaria, ut rectè ambulare possint.* Ex hoc autem principio inferit: *Ipse autem Deus cum sanat egrum, & ad perfectam iustitiam perduerit, non deserit, si non deseratur, ut piè semper, justèque vivatur.* Ubi Augustinus, ex quo verba illa desumpsit Concilium, clarissime loquitur de desertione, qua Deus actualem gratiam subtrahit, cujus sententia rationem tradit: *Sicut enim oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere: sic homo etiam perfectissime iustificatus, nisi æternâ luce iustitiæ divinitus adjuvetur, rectè non potest vivere.* Quod testimonium, quo communiter probatur, iustum præter habitualemente gratiam exigere actualem, ut possit rectè vivere, adduxit S. Augustinus, ut hanc Conclusionem immediatè contra Pelagium

inferret: *Sanat ergo Deus, non solum ut debeat quod peccavimus, sed ut præstet etiam, ne peccemus.* Sic probat optimè, Concilium intelligendum de subtractione actualis gratiæ sufficientis, præcitatus Author.

71. Qua intelligentia supposita, nescio quo efficaci argumento se fulciat adversaria sententia, ut probet ex hujusmodi testimonio dependentiam gratiæ à libero arbitrio, vel quòd gratia efficax sit à voluntate impeditibilis. Hoc facile judicabit, qui textum Concilii attentè consideret. Asserit, *quòd Deus sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis deseratur: quæ conditionalis vera est; sed non ex condicionali debet inferri causalis: Ergo quia iustus non deest gratiæ Dei, habet efficacem perseverantiæ donum.* Sicut enim hæc conditionalis est vera: *Si Deus non adjuvat efficaciter, homo peccat, cum deficiente gratia induret nos iniquitas nostra, ut docuit M. P. Augustinus serm. 88. de temp. Quid est autem quod dixit Deus, ego indurabo cor ejus? Pharaonis quidem: nisi, cum abfuerit gratia mea, induret illum iniquitas sua.* Et D. Thomas 1. 2. q. 79. art. 1. Si Deus daret auxilium efficax ad peccatum vitandum, homo non peccaret, & ideo dum peccat, Deus auxilium efficax non donat: ex qua tamen minimè inferitur causalis: *Quia Deus non adjuvat efficaciter, homo peccat, ut ibidem probat D. Thomas & D. Augustinus hujus causalis falsitatem, ostendit de peccatorum meritis lib. 3. cap. 17. & 18. ostendens, quòd qui exortus gratiæ fuerint, de sua nequitia redarguentur, & qui ejus lumine enituerint, non in suo merito, sed in Domino gloriari debeant.* Sic similiter falsa est causalis ista. *Quia iustus non deest gratiæ Dei, habet efficacem perseverantiæ donum, cum non conferatur ipsi dependenter ab ejus dispositione, nec sit in ejus potestate, sicut habet non peccare, & non deesse gratiæ Dei, qui misericorditer dat perseverantiam iustis, qui non defunt gratiæ Dei; & in quibus ipsum non ponere obstaculum ex ipso dono perseverantiæ procedit.* Aliud ergo est, Deum non deserere, nisi deserentem; & aliud, illum deserere, quia desertus est; nam potuit etiam eos qui ipsum deserunt, non deserere. Ad cuius rei intelligentiam præ oculis habendum est, quod latius alibi dicturi sumus; scilicet negationes, seu defectus actionum nostrarum, nulla ratione reduci, tanquam in causam, in subtractionem actionis Dei; sed primò, & per se in nos ipsos, quatenus ex nihilo, & defectibiles sumus. Actiones autem nostræ semper in Deum totius esse principium, tanquam in primam causam reducuntur. Ideò ratio, quare nos deficimus, nunquam potest esse: *Quia Deus deserit.* Ratio autem quare non deficimus semper est: *Quia nos non deserit Deus.* Itaque simul est, & Deum nos non deserere, & nos non deficere; sed naturâ prius, Deum nos non deserere. Item simul est:

Z

Nos

Nos deficere, & Deum nos deserere; sed naturâ prius, nos deficere; quia linea mali incipit à non esse; sicut linea boni incipit ab esse. Igitur sufficiens gratia plures effectus potest habere in cordibus hominum, quos impedit, aut excludit eorum malitia, juxta quam, si Deus nos ferri permittat, nos deserimus Deum: & hac ratione deficimus; non verò, quia Deus nos deseruerit. Quòd si misericorditer velit impedimenta illa nostra tollere, ille ita nos non deserens, erit cautâ quare nos illum, alias deserturi, non deseramus. Hæc sufficiant pro intelligentia Sacri Concilii, & ut appareat, non eum habere sententiam, quem volunt Adversarii, nec in materia gratiæ aliquid docere, quod aut Thomistis sit contrarium, aut iisdem non omninò conforme: nisi quam gratiam Augustinus adversus Pelagianos causam agens propugnavit, & quæ à Summis Pontificibus, Cælestino, Hormisdâ, Felice, Joanne II. satis expressè fuit confirmata, hanc damnatam velint à Concilio Tridentino; quod post P. Molinâ in concord. 1. p. q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. ultimo §. *Credens autem*, satis superque innuit P. Vatiquez 1. p. disp. 37. cap. 3. quod sine maxima Ecclesiæ injuria affirmari non posse, crediderim.

§. IV.

Gratia ab intrinseco efficax probatur de mente D. Augustini.

72 **J**Am accedimus ad invictissimum gratiæ defensorum Augustinum, qui pro tuenda efficaci gratia, ut ait D. Prosper in Chronic. ab anno 410. ad annum 430. adversus inimicos gratiæ tam fortiter dimicavit: & ad cujus doctrinam normam totam hanc disputationem adstringere decrevit Clemens VIII. cum de præsentis controversiæ ageretur Romæ, tribus rationibus ductus: *Prima est, quòd si, teste B. Prospero, ferè initio libri contra Collatorem, viginti annorum spatio acies Ecclesiæ ita dimicavit pro gratia contra Pelagianos, ut tandem Augustino Duce vicerit, oportet etiam, ut in causa simili eundem Ducem sequamur. Secunda est, quòd idem Sanctus nihil videtur prætermisisse eorum, quæ ad præsentis controversiæ pertinent: quandoquidem si agitur de necessitate gratiæ, eam describit dicens, esse necesse, ut nos præveniat, comiterur, & sequatur: si de vi, asserit vires efficacissimas præbere voluntati; si de effectu, asserit, facere de non volente volentem; si de modo, asserit, Deum id facere omnipotentissima facilitate. Denique sic dissolvit objectiones, ut doceat, liberum arbitrium non tantum benè cum illa gratia, quam defendit, coherere, sed etiam fieri liberius, quando ab ea fuerit liberatum. Tertia tandem ratio est, quòd cum multi Pontifices Prædecessores nostri doctrinam S. Augustini de gratia tam acres fuerint defensores, ut quasi hæreditario*

jure cum in Ecclesia relinqui voluerint, æquum non est, ut patiar illam hac quasi hæreditate privari. Undè ab illo exordium sumimus, sicut & ab ipso exorditur Concilium Florentinum sess. 7. Nunc ergo SS. Doctorum auctoritates in medium offeramus, ac in primis Augustini illustrissimi Latinorum Doctoris, quem tertia Synodus consecravit, cujus doctrinam Romana sequitur, & servat Ecclesia.

73. Hanc perennem gratiæ efficacis doctrinam totis viribus propugnat M. P. Augustinus, teste P. Molina in concord. q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. ultim. §. *Credens*: qui scientiam mediam adversus Augustinum esse non diffitetur, sicut & contra S. Thomam q. 14. art. 13. disp. 26. dicens: *Sententiam Augustini sequutus est S. Thomas*, quam ipse rejicit ibi disp. 1. memb. 6. & memb. ultimo, dum ait: *Augustinum non advertisse quædam advertenda, & quasi sub caligine constitutum arbitratum esse id, quòd re ipsa non erat: turbasse fideles, & hac occasione eorum salutem fuisse periclitatam.* Hanc similiter D. Augustini sententiam suis principiis penitus contrariam Jesuitæ Lovaniensès agnoverunt, dum aliquando dixere, ut patet ex Censura Inquisit. Vallislet. die 8. Martii 1650. *Miseram fore Ecclesiam, si Augustini placitis obstricta maneret, eamque à tutelâ, & pædagogia Augustini esse vindicandam.* Etiam P. Adam in lib. Gallicè scripto cap. 6. pag. 614. *Augustini scripta tenebris, & nubibus absoluta esse, ejusque doctrinam intricatam, cum nulla sit intricatior, quàm quæ secum ipsa pugnat.* Et cap. 8. pag. 681. *Augustinum in delectu opinionum, & rationum, quibus eas fulcit non ita felicem, quin intellectibus nostris integram relinquat facultatem dissentendi, & oppositum ejus, quòd ipse tueretur, propugnandi, & quin ipsemet Augustinus dubitet de certitudine opinionum; quas docet.* Et cap. 6. pag. 615. cap. 7. pag. 626. cap. 8. pag. 639. *Noluisse Augustinum clarè sensus suos explicare; neque illos ita feliciter explicasse, quin locus super sit dubitandi de ipsius mente. In conspectu contra Pelagianos Augustinum sese in excessus periculosos præcipitasse: cum excessu loquutum esse in materia de gratia, & prædestinatione, omninò certum, quandoquidem ejus verba mollienda sunt, nè in errorem contrarium dilabamur, licitum mihi esse debere, ut quarum moderamen Catholicum.* Et pag. 42. *Consilia Augustini, & aliorum Patrum sic rationabiliter molliò, ut vitando errorem Pelagii non incidam in excessum Augustini.* Et pag. 640. *Dummodò non incidam in errorem Pelagianorum, quem Augustinus impugnat, licet mihi non sequi impetum verborum, quibus utitur ad illos expugnandos: undè fit, ut medium teneam inter Pelagium, & Calvinum: si enim verba Augustini molliendo in profundius, quàm par est, descendere, ferem Pelagianus. Si in eorum elevatione manerem, Calvinista essem, in medio ergo cum Ecclesia sisto. Cum Ecclesia ne, quæ Augustinum se fortiter tenere per Romanæ Sedis ora-*

oracula toties dixit? Cum Ecclesia, quæ facris Conciliis toties ea ipsa Augustini verba, quæ refellis, adoptavit? Heu! Si se nosset magni isti Doctores, qui sibi post habendum volunt Augustinum! Ostendant se, ut minimum, æquè sanctos, æquè illuminatos, æquè à Deo missos, æquè necessarios Ecclesiæ, & animadvertant, hoc esse sapientiæ veræ genus, cui comparata humana scientia stultitia est. Alia passim habent alii his similia. Undè, cum certum, nimiumque vulgatum juris principium sit, quòd nulla datur major probatio, quàm proprii oris confessio, quæ inter omnes species probationis est prima, omnem aliam superans; est evidens argumentum, quòd Augustini sententia maximè distat ab Adversariorum doctrina, qui ipsam non impugnare solum, sed penitus expugnare contendunt.

74. Mens D. Augustini deducitur primò ex lib. de grat. & liber. arbitr. cap. 17. ubi loquens de charitate D. Petri se ad mortem subeundam pro Christo offerentis, ita ait: *Et quis istam, & si parvam dare cæperat charitatem, nisi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quòd operando incipit? Quoniam ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus: Certus sum, quoniam, qui operatur in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu. Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo, vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus ab bona pietatis opera nihil valeamus. De operante illo, ut velimus, dictum est, Deus est enim, qui operatur in vobis & velle: de cooperante illo, cum jam volumus, & volendo facimus, scimus inquit, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Ita S. Augustinus: pro cujus intelligentia advertendum, loqui de adjutorio voluntatis, & actionis, quod est adjutorium efficacis gratiæ; non verò de adjutorio possibilitatis, seu gratiæ sufficientis componibilis cum carentia operationis, & ulterius ipsam loqui de concursu physico adjutorio convenienti, quem probant illa verba operatur, & cooperatur, quæ eundem influxus modum apud S. Augustinum important; hoc dumtaxat excepto, quòd ly operatur prioritatem importat, sicut simultatem ly cooperatur: sed luce meridiana est clariùs, quòd per ly cooperatur importatur influxus physicus, ac verè effectivus: tum, quia aliàs gratia Dei nullum influxum physicè effectivum in consensum salutarem haberet: tum quia dicit Augustinus, cooperando perficit, qui influxus rei perfectivus, & propriissimus causæ physicè, ac verè efficientis tribuitur gratiæ cooperanti, quæ per ly cooperatur est significata: ergo ly operatur importat influxum verè effectivum. Quo supposito sequens argumentum conficitur. Gratia adjuvans voluntatem, ut distincta à gratia constituyente,

possibilitatem voluntatis, in nobis, sine nobis, physicè operatur, ut velimus; sed hæc est gratia efficax physicè influens, & prævia, seu præveniens nostrum velle: ergo gratia adjuvans voluntatem, ut distincta à gratia constituyente possibilitatem voluntatis est gratia efficax physicè influens, & prævia ad consensum salutarem. Minor hujus discursus quoad omnes suas partes conspicua videtur. Pro prima quidem; nam gratia, quæ re ipsa assequitur, atque connectitur cum nostrâ operatione bonâ, & salutari, est gratia efficax in omnium sententiâ, & maximè apud contrarios, qui efficaciam gratiæ constituunt in denominatione sumpta à consensu; sed gratia, qua Deus in nobis sine nobis operatur, ut velimus, re ipsa assequitur nostrum velle, & cum nostrâ bona operatione connectitur; quia implicatorium est, Deum in nobis operari, ut velimus, & nos non velle: ergo gratia, qua Deus in nobis operatur, ut velimus, est gratia efficax. Pro secunda etiam parte constat minor: etenim sicut nobiscum physicè cooperari, est nobiscum physicè influere, ita etiam in nobis sine nobis operari, ut velimus, est in nobis sine nobis physicè influere, ut velimus. Et præterea: quia non dicitur physicè in me operari, aut operari mecum physicè, qui in opus meum tantum moraliter influit; licet enim alliciat, aut suadeat, non tamen physicum influxum in me, aut mecum exercet: ergo gratia, qua Deus in nobis sine nobis physicè operatur, ut velimus, est gratia physicè influens.

75. Tertia verò pars clarissima est, & constat primò ex D. Thoma 1. 2. q. 111. art. 2. & 3., qui nomine gratiæ operantis semper intellexit gratiam præviam, seu prævenientem. Constat secundò; nam gratia operans, & cooperans aliquo modo in suo influxu distinguuntur, non quia diversus sit ordo gratiæ ad gratiam, sed propter ordinem effectus ad effectum. Ut quid enim tanta cura D. Augustinus, Doctor Angelicus, & reliqui Theologi gratiam in operantem, & cooperantem dividerunt, si in modo, quo influunt, & ad opera salutaria concurrunt, nulla esset distinctio? ergo influxus gratiæ operantis, cum non sit simultaneus, nec nostrâ cooperatione posterior, debet esse prævius. Tertiò: cum dicitur, Deum in nobis sine nobis operari ut velimus, perinde est omninò, ac si diceretur: Deus operatur: nos operationem Dei recipimus, & pro priori illo (ut Schola loquitur) pro quo Deus operatur, nos operari, aut cooperari Deo non intelligimus. Cujus ratio, & quidem manifesta; nam cum dicitur, operatur in nobis sine nobis, particula sine nostrum tantum excludit influxum activum, non passivam receptionem Divini influxus, quam apertissime significavit: ergo gratia hæc præcedit cooperationem nostram. Et mirum sanè, quòd hoc vocetur in dubium:

quis enim dubitare poterit, si vocum significationem non ignoret, operationem meam realiter præveniri ab influxu illius, qui, ut ego operer, facit consilio, suavione, aut impulsu? Certè id negari rationabiliter non valet: ergo sicuti Deus per sanctam cogitationem repræsentantem conversionis nostræ convenientiam, per motum subitum voluntatis nostræ nos prævenit, atque excitat, dum ait, *Convertimini ad me*, ut oremus pro conversione: ita per gratiam suam adjuvantem voluntatem nostram, & actionem nos prævenit, ac facit, ut re ipsa convertamur: ergo juxta mentem S. Augustini est, quod modo ostendimus; nempe gratiam adjuvantem, quâ Deus facit, ut faciamus, præviam, ac prævenientem esse.

76. Secundum argumentum desumitur ex D. Augustino Epist. 107. ad Vitalem; ubi ait: *Si enim, quod scriptum est, à Domino gressus hominis diriguntur, & viam ejus volet: & preparatur voluntas à Domino, & Deus est enim, qui operatur in nobis & velle, & multa hujusmodi, quibus commendatur vera Dei gratia, hoc est, quæ non secundum merita nostra datur, sed dat merita ipsa cum datur, quia prævenit hominis voluntatem bonam, nec eam cujusquam invenit in corde, sed facit.* Et ibi Vitalem alloquens, ait: *Recognoscis me, ut puto, in iis, quæ nos scire dixi, non omnia, quæ ad fidem Catholicam pertinent, commemorare voluisse, sed ea tantum, quæ ad istam, quæ inter nos agitur, de Dei gratia questionem; utrum præcedat hæc gratia, an subsequatur hominis voluntatem, hoc est, ut planius id eloquar, utrum idem nobis detur, quia volumus, an per ipsam Deus hoc efficiat, ut velimus? & iterum ibi: Hæc, & alia Testimonia Divina, quæ commemorare longum est, ostendunt, Deum gratia sua auferre infidelibus cor lapideum, & prævenire in hominibus bonarum merita voluntatum, ita ut voluntas per antecedentem gratiam præparetur, non ut gratia merito voluntatis antecedente doneatur: hoc est, gratiarum actio indicat, quod oratio; oratio pro infidelibus; gratiarum actio pro fidelibus. Qui enim est orandus, ut faciat, illi est actio gratiarum reddenda, cum fecerit.* En ubi D. Augustinus procedens de gratia adjuvante voluntatem & actionem, asserit in primis verbis, quod dirigit hominis gressus, & tunc homo vult; quod præparat voluntatem hominis; ac tandem, quod nostrum velle liberè operatur: quæ omnia ad gratiam prævenientem attinent. Præterea probat S. Augustinus, gratiam non dari ex meritis, sed ipsam dare merita, cum datur; quia, inquit, prævenit bonam hominis voluntatem; quæ causalis vera non esset, si prævenire bonam voluntatem non esset necessarium, ut gratia adjuvans illam merita bona daret; posset enim dare illa, & si non præcederet; cum tamen aliam rationem Augustinus nulli assignet; aliàs ostendatur Augustini locus; ubi hanc non requirat in gratia adjuvan-

te præcedentiam, ut ipsa dicatur merita dare, qui sanè nunquam ostendetur.

77. Deinde in verbis secundò relatis totam quæstionem cum Vitale ad hoc præcisè reducit: *Utrum præcedat hæc gratia, an subsequatur hominis voluntatem?* Et optarem maxime, ut assignent testimonium aliquod Sancti Doctoris, in quo de gratia ista effectivè adjuvante, sive quæ faciens adjuvat, asserat, nec præcedere, nec subsequi, sed purè comitari bonam hominis voluntatem. Quin potius, quod diligenter observandum, negata hujus gratiæ præcedentia, infert Augustinus fore, ut gratia subsequatur, ait enim: *Hoc est, ut planius id eloquar, utrum ideo nobis detur, quia volumus, an per ipsam Deus hoc efficiat, ut velimus? Quid hæc verba contineant, statim apparet. Si enim gratia datur, quia volumus, vel quod idem est, quia ex nostra determinatione datur; tunc gratia necessariò nostram subsequitur voluntatem: ergo cum gratia adjuvans hoc etiam efficiat, ut velimus; inde Deus per illam non potest non esse præcedens. Verùm namque est, & quod determinatum ab alio, ut influat, est in concurrendo posterius determinante, & quod medium, quo Deus efficit, ut faciamus, aut velimus, præcedat voluntatem & actionem. Diligenter observa, simultaneam rationem gratiæ, qua Deus facit, ut faciamus, S. Doctorem non putasse commemorandam; sed præcedentem, aut subsequentem tantum: quarum primam statuit, secundam rejicit. Illa autem media illi meritò non est visa possibilibus, dum agitur de ordine donantis. & recipientis, moventis, & moti, agentis, & acti, id est, de formali ratione gratiæ operantis.*

78. Verba, quæ tertio posuimus loco, eandem gratiæ adjuvantis antecedentiam, & sonant, & docent: sed placet immorari circa illa: *Hoc est, gratiarum actio indicat, quod oratio, oratio pro infidelibus, gratiarum actio pro fidelibus. Qui enim est orandus, ut faciat, illi est actio gratiarum reddenda, cum fecerit.* Hic addenda oratio illa, qua utitur Ecclesia Dominica 14. post Octavam Sanctissimæ Trinitatis, quâ sic Deum orat: *Tua nos quesumus Domine gratia semper & præveniat, & sequatur, ac bonis operibus jugiter præstet esse intentos.* Sicut & oratio Feriæ tertiæ post secundam Dominicam Quadragesimæ: *Perfice, quesumus Domine benignus in nobis observantia sanctæ subsidium, ut quæ, te Auctore, facienda cognovimus, te operante impleamus:* Ex quibus fit argumentum. Cum cramus, aut Ecclesia Deum orat, sive pro infidelibus, sive pro peccatoribus, ut convertantur, sive pro justis, ut perseverent, gratiam prævenientem petit, quæ expressè petit oratione relata; sed gratia, quam petit, est adjuvans, & efficax, ut constat ex verbis Augustini: *Qui enim est orandus, ut faciat: ecce petitur gratia non inefficax, non sufficiens tantum, sed gra-*

gratia faciens, quæ est efficax; vel gratia præstans, nos bonis operibus jugiter esse intentos, quæ est gratia efficaciter adjuvans ad bene operandum: ergo hæc gratia præveniens, & efficaciter adjuvans est, de mente D. Augustini loquentis quidem secundum spiritum orantis Ecclesiæ.

79. Tertium argumentum petitur ex Epist. 105. ubi versans M. P. Augustinus illud Apostoli ad Rom. 8. *Quid oremus, nescimus*, ita docet. *Quid enim oremus, ait Doctor Gentium, sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quid est autem interpellat, nisi interpellare nos facit? Indigentis enim certissimum indicium est interpellare gemitibus. Nullius autem rei esse indigentem fas est credere Spiritum Sanctum. Sed ita dictum est interpellat; quia interpellare nos facit, nobisque interpellandi, & gemendi inspirat affectum, sicut illud in Evangelio: non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis: Neque enim & hoc ita fit de nobis tanquam nihil facientibus nobis. Adjutorium igitur Spiritus Sancti sic expressum est, ut ipse facere diceretur, quod, ut facimus facit. Nam, non esse intelligendum Spiritum nostrum, de quo dictum est interpellat gemitibus inenarrabilibus, sed Spiritum Sanctum, quo nostra infirmitas adjuvatur, satis ipse demonstrat Apostolus; inde enim cepit: Spiritus, inquit, adjuvat infirmitatem nostram; deinde ita subjunxit: quid enim oremus, sicut oportet, nescimus. Hucusque S. Augustinus, & post pauca explicans illud ad Galatas 4. *Misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra clamantem, Abba Pater;* dicit: *Non hic ait, in quo clamamus, sed ipsum Spiritum Sanctum clamantem dicere maluit, quo efficitur, ut clamemus.* Deinde idem gratiæ adjutorium explicans subjunxit: *Non quia tot sunt Spiritus, sed omnia hæc operatur unus, atque idem Spiritus dividens propria unicuique, prout vult, quia Spiritus ubi vult, spirat: sed quod fatendum est, aliter adjuvat nondum inhabitans, aliter inhabitans; nam nondum inhabitans adjuvat, ut sint fideles; inhabitans adjuvat jam fideles.* Et cum dixisset: *Cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat, quam munera sua;* adjecit: *non itaque frustra Deo cantatur, & misericordia ejus præveniet me.**

80. Hoc Augustini testimonium magnum, & inexpugnabile sententiæ nostræ munimentum est. Loquitur enim, non de gratia, quæ solum per cogitationem sanctam prævenit, & per motum subitum ad orandum excitat voluntatem, sed de gratia verè adjuvante ex se efficaci. Patet primò ex verbis Apostoli: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram*, quæ Augustinus contra Pelagianos retorquet: deinde ex ipsis Augustini verbis, adjutorium Spiritus Sancti sic expressum est, quod non est illud, Pelagio non invisum, solius possibilitatis, sed quod subministrat Spiritus voluntatem adjuvat, & actionem.

Adjutorium autem istud esse efficax, & physice effectivum ex iisdem Augustini verbis planè convincitur, cum dicat: *Ita dictum est interpellat, quia interpellare nos facit, nobisque interpellandi, & gemendi inspirat affectum: Sicut illud in Evangelio: non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis: & iterum: Spiritum Sanctum dicere maluit, quo efficitur, ut clamemus.* Enim verò, si verba ista non continent, atque expriment gratiam adjuvantem efficacem, atque physice influentem, nescio, quibus hæc gratia verbis exprimi possit, aut significari. Porro gratia faciens interpellare, quæ significata est per *Interpellat*, gratia faciens loqui, significata per verbum ipsum *loqui* (quæ verba apud omnes Philosophos actiones important exercitas) hæc, inquam, gratia efficax, & physice influens est; per illam enim efficitur, ut clamemus. Quomodo ergo negari potest, quod ipsa sit prævia; & præveniens effectivè hominis voluntatem? Cum juxta D. Augustinum propter hanc gratiam non frustra Deo cantetur, *miseriordia ejus præveniet me*: ergo gratia ista est misericordia efficaciter præveniens. Secundò: quia hæc gratia physice efficit, nos Deum interpellare, nos clamare, nos loqui: ergo est præveniens; sicut omne medium physice, & infallibiliter inducens effectum, effectum ipsum præcedit. Tertio: gratia re ipsa inspirans interpellandi, & gemendi affectum istum efficienter præcedit, nec id probari debet, sed supponi, ut per se notum: ergo & gratiæ adjutorium re ipsa interpellare, & gemere nos faciens, interpellationem, & gemitum efficienter præcedit; utriusque enim gratiæ, aut utriusque gratiæ effectus eadem in verbis Augustini est ratio. Immo potiori, si dici potest, jure debet efficienter præcedere gratia interpellare nos faciens; quia perfectius donum per ipsam nobis confertur à Patre luminum, à quo omne donum perfectum est. Undè tantum præstat in hac interpellatione Divina operatio, ut cum nobis absolutè attribui non possit; doceamur tamen, Divino magisterio, rectissime deferri absolutè Deo: *Non enim, inquit, vos estis qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et iterum: *Ipse Spiritus interpellat.* Andici potuit: *Non Spiritus Patris vestri, sed vos loquimini? Non ille; sed vos interpellatis? Augustini mentem, & doctrinæ veritatem clarius adhuc probationes, quam assertiones ejus ostendere, quis non videt? Quarto: nam ipse August. Epist. 106. loquens de merito, sive de bono opere voluntatis humanæ, docet, voluntatem nostram ad illud se habere, ut comitem, non ut ducem, ut pedissequam, non ut præcedentem, dicit enim S. Doctor: *Sed gratia ejus meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, comitante, non ducente, pedissequa non prævia voluntate.* Undè ille, qui dixit; *fortitudinem meam ad te custodiam, causamque red-**

reddat, dicens: *Quoniam Deus susceptor meus est: tanquam requirens, quibus id meritis fuerit consecutus, nihilque inveniens ante gratiam Dei, Deus meus, inquit, misericordia ejus preveniet me.* Quae verba, & si alia non essent, vel sola ad intentum de mente Augustini convincendum sufficerent. At enim, voluntatem esse pedissequam respectu illius gratiae, quam ipse operans, & merens comitatur; & iterum gratiam illam, quam voluntas merens comitatur, ait, esse misericordiam prevenientem: sed gratia illa, quam voluntas comitatur, dum agit, & meretur, est gratia adjuvans etiam apud Auctores contrarios: ergo gratia adjuvans est taliter preveniens, ut voluntas comitetur, & sequatur; ita ut ratio, quare comitetur, & sequatur, sit gratiae preventio; quod nihil est aliud, praeterquam efficaciter prevenire.

81. Quartum argumentum praebet nobis D. Augustinus in Enchirid. cap. 32. ubi de gratia illa adjuvante voluntatem, & actionem, ita mirabiliter eloquitur: *Iterum ne quisquam, etsi non de operibus, de ipso gloriatur libero arbitrio voluntatis, tanquam ab ipso incipiat meritum, cui tanquam debitum reddatur premium bene operandi ipsa libertas, audiat eundem gratiae praedonem dicentem; Deus est enim, qui operatur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate. Et alio loco, igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Cum proculdubio, si homo ejus aetatis est; ut ratione jam utatur, non possit credere, sperare, diligere, nisi velit, nec pervenire ad palmam supernae vocationis Dei, nisi voluntate cucurrerit. Quomodo ergo non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, nisi quia & ipsa voluntas, sicut scriptum est, à Deo preparatur? Alioquin si propterea dictum est, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia ex utroque fit, id est, ex voluntate hominis, & misericordia Dei, ut sic dictum accipiamus, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; tanquam diceretur, non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei. Non ergo sufficit sola misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis: ac per hoc si rectè dictum est, non volentis hominis, sed miserentis est Dei, quia id voluntas hominis sola non implet, cur non & è contrario rectè dicitur, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? (Ecce idem argumenti genus, quo supra eundem S. P. sequentes, utebamur, ex illo: *Non enim vos estis, qui loquimini*). Porro si nullus Christianus dicere audebit, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissime contradicat, restat, ut propterea rectè dictum intelligatur, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & preparat adjuvandam, & adjuvat preparatam. Praecedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia, quae autem non praecedit ipsa, in eis est ipsa. Nam*

utrumque legitur in sanctis eloquiis: *& misericordia ejus preveniet me, & misericordia ejus subsequetur me. Nolentem prevenit, ut velit: volentem subsequitur, ne frustra velit.* Haec ad verbum S. Augustinus.

82. At in illis quis non videat gratiae adjuvantis, & effective operantis praecedentiam ad opera nostra doceri pluries? Ut enim probet, meritum non incipere ab homine, sed à Deo, illud adducit Apostoli ad Philipp. cap. 2. *Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & operari*, qui textus si de gratia adjuvando preveniente non intelligatur, minime intentum convincit: nam si gratia ideo voluntatem adjuvat, & illius meritum, quia voluntas sibi facit gratiam cooperari illam ad concurrendum determinans; inevitabiliter, ut nos credimus, sequitur, quod influxus gratiae sit posterior, ac per consequens meritum prius. Oro enim adversarios, ut dicant, an ipsi determinare gratiae influxum, meritorium sit? Negare non possunt. Praecedet ergo meritum influxum gratiae. Haec magna vis est Augustiniani argumenti semper ineluctabilis.

83. Secundo, dictum Apostoli, *non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*, sentit S. Augustinus, verum esse non posse, nisi quia, & ipsa voluntas, sicut scriptum est à Deo preparatur; sed non quia preparatur dumtaxat per sanctam cogitationem, & motum subitum voluntatis, quia preparatio ista est insufficientis, ut saepissime vidimus ex Patre Augustino rejiciente gratiam Pelagii: ergo, quia preparatur ex Dei ulteriori gratia; sive ut ibidem ait, quia adjuvatur voluntas preparata; atque gratia, qua Deus voluntatem sic preparatam adjuvat, est gratia, quae facit nostrum bonum velle, & cum volumus, jam nobiscum cooperatur ad perficiendum opus, quod ipsa fecit nos amare, seu velle: ergo praedicat S. Doctor gratiam efficaciter adjuvantem prevenientem.

84. Tertio, & est argumentum S. Doctoris. Si cursus aequaliter efficitur ex adjutorio gratiae, & ex hominis voluntate, nulla est ratio, quare non dicatur; non sufficit misericordia Dei, ut efficiatur cursus, si non adfit voluntas hominis; sicut dicitur; non sufficit voluntas hominis, si non adfit misericordia Dei: at hoc, Augustino Judice, nullus Christianus potest dicere, ne Apostolo apertissime contradicat: ergo cursus non fit aequaliter ex utroque. Cui nam ergo primas tribuemus? Certè si cursus est à voluntate determinativè, ab illa etiam est dominativè; & si est à gratia, ut à voluntate determinata, cursus est à gratia, ut voluntati subiecta: sed nullus non videt, primas partes tribuendas esse principio dominantanti, quam principio subordinato: ergo, ut principalis tribuatur gratiae bona operatio, debet gratia efficaciter adjuvans esse preveniens.

85. Quarto, potiori titulo tribuitur opus cau-

causae illae, quae praestat efficaciam reliquis operis principiis, quam principio cuilibet de se inefficaci, & cum operis carentia conjungibili, atque à tali causa efficaciam accipientem: at si gratia adjuvans non praecedit, & de se est inefficax, & à libero hominis arbitrio efficaciam acceptura, voluntas creata tribuit efficaciam gratiae de se indifferenti ad opus, & cum carentia operis conjungibili: ergo non ipsi gratiae, sed voluntati potiori titulo tribuendus erit consensus salutaris. Et tandem ait S. Augustinus, totum Deo dari debere, quia voluntatem Deus praevinit, seu praeparat adjuvandam, & adjuvat preparatam: nam etsi bona hominis voluntas multa Dei dona praecedat, quia nimirum intentio efficacis boni operis, quae est voluntas bona, praecedit operis executionem, quae executio est bonum opus; tamen adjutorium gratiae, sive gratia adjuvans efficaciter hanc bonam praecedit voluntatem, ut manifestè constat ex illis, *nolentem prevenit, ut velit, volentem subsequitur, ne frustra velit*; ubi boni operis intentionem ponit gratia adjuvante preveniri, & illam, ait, gratia subsequitur Divina, quae adjuvando praevinit, ac praestat boni operis executionem: ergo juxta Augustinum gratia efficaciter adjuvans praevia est, atque efficaciter preveniens.

86. Hanc ergo S. Doctoris intelligentiam ipsa ejus verba produunt, quae non nisi per summam violentiam aliò distrahi possunt: eandem firmat argumentorum ejusdem vigor; nam citra, aut extra sensum istum, potentissimus Ecclesiae Miles robore vacua exhibuisset argumenta. Consideret qui velit, quid, remota gratia ex se efficaci preveniente, valeret tot Doctoris verba. Interim nos adjiciamus illa, quibus suum discursum, totumque illud Capitulum concludit, dicens: *Cur admonemur orare pro inimicis nostris, utique nolentibus pie vivere, nisi ut Deus in illis operetur, ut velint? Iterum, cur admonemur petere ut accipiamus, nisi, ut ab illo fiat, quod volumus, à quo factum est, ut velimus? Oramus ergo pro inimicis nostris, ut misericordia Dei praevinat eos, sicut praevinit & nos: oramus autem pro nobis, ut misericordia ejus subsequatur nos.* Ex quibus argumentor ita. Gratia, quam admonemur à Deo petere pro inimicis nostris nolentibus pie vivere, est gratia efficaciter adjuvans eorum voluntates, ut velint pie vivere; est gratia adjuvans, quia nullus vult nisi adjutus; est gratia efficacis, tum quia, cum Deus nos exaudit, per illam facit, quod volumus; tum quia similis est illi, qua Deus nos praevinit, ut velimus, & ab operato in nobis velle, constat, illam efficacem fuisse: sed hanc gratiam Augustinus docet, esse prevenientem, dicens: *Oramus pro inimicis, ut misericordia Dei praevinat eos*: ergo gratia efficaciter adjuvans voluntatem preveniens est juxta Augustini sententiam.

87. Quintum argumentum depromitur

ex cap. 6. de bono persever. ubi dicit: *Nihil fit, nisi quod ipse facit, aut fieri ipse permittit*, Cujus rationem reddens ait: *Potens ergo est & à malo in bonum flectere voluntates, & in lapsum pronas convertere, ac dirigere in sibi placitum gressum.* Ecce in quo ponit Dei omnipotentiam, quia flectit, & convertit, & voluntatem dirigit, & directorem voluntatis ac determinatorem Deum agnoscit movendo potenter voluntatem ad suum actum determinatum. Ubi maxime advertendum, quod ubi Augustinus utitur verbo *flectere*, nos humanae explicationis gratia (quod alibi exposuimus) & conformiter ad ejus doctrinam, utimur voce *physica Praedeterminatio*: cum Sacra Scriptura etiam humano more loquens, multoties dicat: *Deum compellere voluntates hominum*; dixit enim Christus per Evangelium: *Compelle eos intrare*, & Ecclesia Deum orans ait: *ad te nostras etiam rebelles compelle voluntates.* Hic exclamat immortalis ille D. Thomae Discipulus Sapientissimus Lemos tom. 3. tract. 4. cap. 4. n. 39. *O bone Deus! Ecclesiam, & Scripturam audimus rigidioribus vocibus in hac materia uti, & timemus in eadem causa nomen determinationis, sed physica Praedeterminationis admittere.* Non ergo putent, aut cupiant adversarii à nostra sententia animos deterrere propter vocis rigorem. Non aliud significamus, nisi quod Augustinus per verbum *flectere*; nisi quod Christus, & Sponsa ejus Ecclesia per verbum *compellere*. Si minus placeat; concedant rem, & de voce non curabimus; non enim physicum rigorem necessarii motus in illa intelligimus, qui motionem Divinam in voluntate differre à naturalium causarum motionibus dicimus; quia infallibilitatem, non necessitatem importat. Neque petant exemplum ex creatis rebus; hoc enim movendi genus solius Dei est; ille enim necessariorum, & liberorum solus est Auctor.

88. Sextum, & quod mihi ponderis non exigui videtur argumentum, desumitur ex eodem M. P. super Evangelium Joannis tract. 12. ubi postquam dixit, actum fidei, quo credimus in Deum, esse opus Dei juxta illud Apostoli ad Rom. 4. *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum*: explicans illa verba, *qui credit in me, opera quae ego facio, & ipse facit*, sic habet: *Audi ergo jam, & intellige, qui credit in me, opera, quae ego facio, & ipse facit. Sed prius ego facio, deinde & ipse facit, quia facio, ut faciat.* En ubi gratia, per quam Deus proprie facit, ut faciamus actum, quo credimus in ipsum, est gratia, per quam Deus ipse prius facit talem actum, & deinde nos eundem facimus. Sed si Deus pro aliquo priori dat existentiam talis actus, debet immediatè influere in ipsum, & habere prioritatem in operando ipsum: ergo tale adjutorium est preveniens actum fidei. Non enim per concursum simultaneum, aut per gratiam indifferentem facit Deus prius in nobis actum fidei,

fidei, & deinde nos illum facimus, cum gratia hæc sit præveniens, & ex se cum opere connexa, id est, faciens opus; quam negant Adversarii: & quia Deum in nobis facere actum fidei priusquam illum faciamus, nihil aliud sit, quam applicare, aut determinare voluntatem, ut illum cum ipso faciat: quod non exequitur Deus medio concursu simultaneo, qui simul natura est cum concursu voluntatis. Et maximè, cum inutilis sit omnis recursus, vel ad infallibilitatem præscientiæ divinæ, vel ad efficaciam gratiæ provenientem ex determinatione voluntatis creatæ. Non enim infallibilitas præscientiæ Dei est infallibilitas causalitatis in consensum salutarem: cum apud ipsos scientia media non sit causativa consensus; nec Deum conferre auxilium efficax prævisum, infallibiliter non ex se connexum cum consensu sufficiat, ut cum proprietate dicatur, Deum facere voluntatem dissentire: ergo, ut Deus propriè faciat, ut faciamus actum fidei, requiritur gratia adjuvans præviè efficaciter applicans, & determinans voluntatem, quæ prout à Deo descendens habet efficaciam, ut existat consensus, & non ex creaturæ determinatione, Dei voluntatem determinante, nè actus ille salutaris, & efficacia auxilii magis tribuatur voluntati, quam Deo.

89. Tandem probatur ex variis aliis testimoniis D. Augustini. Et quidem de corrept. & grat. cap. 12. ubi ait: *Divina gratiâ voluntas indeclinabiliter, & insuperabiliter agitur.* Et lib. 4. ad Bonifac. cap. 9. *Deus ex nolentibus volentes facit. Deus præbet efficacissimas vires voluntati.* Quomodo namque modus iste loquendi salvari potest sine gratiâ physicè, & efficaciter præveniente? Non enim tribuit Deus efficacissimas vires intra ordinem gratiæ, dum vires auxilii sortiuntur efficaciam ex determinatione voluntatis, & dum infallibilis connexio auxilii cum actu est omninò extrinseca, & accidentalis auxilio. Non divinâ gratiâ indeclinabiliter, & insuperabiliter agitur voluntas, nec Deus ex nolentibus volentes facit, dum gratiæ non resistere, non ex Dei gratia, sed ex voluntatis determinatione provenit; ac si velle converti esset idem, ac ex propria determinatione converti. Et maximè in sententia Adversariorum, qui non aliud agnoscunt adiutorium quo, quam ipse actus, ut dependens à Deo: tunc enim non solum impropria, sed falsissima essent huiusmodi locutiones: voluntas indeclinabiliter, & insuperabiliter agitur à Deo, ut velit; cum, eo sensu admisso, voluntas non agatur, ut velit; sed agat volens dumtaxat; nec ipsum velle possit causalitatem effectivam exercere in se ipsum, quæ realem distinctionem, & prioritatem inter utrumque extremum exposcit. Et similiter Deus per adiutorium gratiæ operatur in nobis velle, quod propriè verificari non potest, si à Creatura accipit efficaciam, & determina-

tionem, ut operetur in nobis velle. Nec tandem, quòd sit vera gratia, qua Deus efficit, ut voluntas velit, cum velle voluntatis, esto sit effectus gratiæ, non tamen sit propriè verum gratiæ adiutorium, de quo in præsentibus loquimur. Ergo de primo ad ultimum loquitur Augustinus de adiutorio quo realiter distincto ab adiutorio sine quo non, docens, quòd sit præveniens, & efficaciter adjuvans voluntatem, ut velit.

90. Clariori stilo efficacem ab intrinseco gratiam rectè componi cum libertate liberi arbitrii docet S. Doctor lib. 3. operis imperfecti contra Julianum cap. 166. *Florum ita alloquentem: Quia oratu tuo, Beatissime Pater Flore, apud Constantinopolim Manichæi Epistola inventa est, atque ad has directæ partes; opera est aliqua ejus inserere; ut intelligant omnes, unde hæc pro trahere argumenta descendant; contra quem Augustinus ait: Orante homine dicit, hoc factum: cur ergo non confiteris, sine ulla forinsecus sonante iussione, Deum occulto instinctu ad quòd voluerit efficacissimè implendum præparare, atque excitare hominum voluntates, qui liberam non defendis intelligendum, sed præcipitandum extollis arbitrium? Quibus verbis pari passu procedit S. Doctor, ut ostendat, gratiâ Dei efficacissimè agi liberum arbitrium, ut agat; & moveri, ut se moveat, ad quòd Deus voluerit. Sed de hoc satis: ut quid enim referam alia D. Augustini testimonia, cum omnia opera sint testimonium unum, clamans ad defensionem gratiæ ab intrinseco efficacis, quamvis secretissima, & à nostris sensibus omninò remota ejus operatio soli Deo plenè cognita sit, ut dicit Augustinus lib. 2. contra litteras Petil. cap. 84. *Si tibi proponam questionem, quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimisit arbitrio, fortassis eam difficile soluturus es: quomodo enim attrahit, si dimittit, ut quis, quòd voluerit, eligat? Et tamen utrumque verum est; sed intellectu hoc penetrare pauci valent.* Quare concludendum cum S. Hieronymo, qui Dialogos adversus Pelagium incipiens, ubi profunda, & coelestia Augustini de gratia scripta legisset, sibi silentium imposuit in Dial. 3. dicens: *Quia si nova voluerimus dicere, à clarissimo ingenio occupata sunt meliora.**

S. V.

De mente D. Thomæ ostenditur gratia ab intrinseco efficax: tangitur ex occasione locus S. Fulgentii, atque ab aliis magnis viris testimonia peruntur.

91. **A**ngelicus Præceptor D. Augustini doctrinæ fidelissimus custos, & hæres, ut scribit Urbanus V. in Bulla ad Tolosanam Aca-

Academiam directæ: *Nos attendentes, quanta à Deo scientia dotatus, ordinem fratrum Prædicatorum, & universalem Ecclesiam illustraverit, ac B. Augustini vestigia insequens Ecclesiam eandem doctrinis & scientiis quam plurimis illustraverit: & infra: volumus insuper, & renovere præsentibus vobis injungimus, ut dicti B. Thomæ doctrinam tanquam veridicam, & Catholicam sectemini, eamque studeatis totis viribus ampliari.* Hæc quippè est, & semper erit irrefragabilis, & invictissima, cui tantum tributum est, ut, teste Clemente VIII., *Christiana eruditionis suæ divinum illud habeat Christi Domini testimonium: bene scripsisti de me Thoma.* Totus est Angelicus M. in prædicanda, & defendenda intrinseca prævenientis gratiæ efficacia. Hoc non solum patens, & manifestum est in omnibus suis operibus, sed maximè in suâ Summâ Sacræ Theologiæ, quam venerari magis, majorique observantia proficere debemus, cum sit, ut præclare scribit Eminentiss. Cardinalis Perronius, prout legitur in Perronianis; hæc S. Thomæ Summa omnium illius operum Compendium, ac veluti testamentum ejus, & extrema voluntas. Hanc Academia Parisiensis uti miraculum, & Scholasticæ Theologiæ oraculum, semper habuit, publice legit, atque etiam, si dicere fas est, adoravit. Omittis ergo variis, quæ pro intelligentia Conclusionis ad examen denuò vocari minimè debent, hoc unum maximè notandum, quòd si à nobis probetur solidè, esse de mente D. Thomæ auxilium adjuvans liberum arbitrium, præveniens consensum liberum, physicè, ac verè effectivè influens in consensum liberum, victoriam in causâ, liteque ista sub tanto iudice reportabimus, sperantes semper iudicis in terris Summi, Romani Pontificis definitivam sententiam, magno solatio, prout decet eos, quorum causam apud supremum illud tribunal Angelicus Thomas sustineat. In hoc, ut sæpius insinuat, stat maximum illud utriusque Scholæ dissidium, an nempe gratia solum adjuvet liberum arbitrium, cum consentit, vel, an adjuvet liberum arbitrium excitatum, ut consentiat? Hoc secundum negat Schola Societatis: è diametro adversatur Schola D. Thomæ propugnans verum auxilium præveniens consensum liberum, & liberum arbitrium excitatum efficaciter adjuvans, non præcisè cum operatur, sed ut operetur. Præveniens dixi consensum salutarem, non quidem prioritatem temporis, cum in eodem instanti temporis, in quo gratia adjuvat arbitrium, & arbitrium influit in consensum à gratia, auxilium existat; sed præveniens dicitur, quia præcedit prioritatem naturæ, & causalitatis; quia nempe ita adjuvat, ut moveat liberum arbitrium ad consensum. Defensores scientiæ mediæ, & auxiliorum indifferenciam hanc prioritatem, seu physicam præcedentiam gratiæ denegant adjuvanti. Hos refert M. Lemos tom. 4. lib. 4. 1. p.

tract. 7. cap. 17. n. 262. Cujus hæc sunt verba: *In summa omnes huius doctrinæ defensores hoc faciunt fundamentum, quia vident, quòd si adjuvantem gratiam etiam prævenientem constituunt, ac excitantem, penitus illorum doctrinam ruit, & efficacia auxilii prævenientis gratiæ, prout venit à Deo, manifestè firmatur. Adeo enim hoc est manifestum, ut aliquando, qui hanc defendebant doctrinam, spontè consenserint, quòd si adjuvans gratia, qua ratione distinguitur ab excitante, convinceretur esse præveniens, etiam convinci, & nullo modo posse negari efficaciam prævenientis gratiæ, prout venit à Deo independentem à nostra cooperatione arbitrii, & auxilium physicè prædeterminans.* Hæc ille.

92. Hoc ergo supposito probatur ex Divo Thoma, dari gratiam adjuvantem distinctam ab excitante, prævenientem consensum liberum, ut agat. Nam juxta Angelicum M. omnis gratia adjuvans voluntatem, ut agat, est gratia operans; sed omnis gratia operans est præveniens: ergo datur gratia adjuvans distincta ab excitante præveniens consensum liberum. Audiatur Angelicus M. 1. 2. q. 111. art. 2. ubi doctrinam istam profundè explicat. Et primò in argumento *sed contra* ex mente D. Augustini: *Sed contra est, quòd Augustinus dicit in lib. de grat. & libr. arbit. cap. 17. cooperando Deus in nobis perficit, quòd operando inceptit; quia ipse, ut velimus, operatur incipiens, quòd volentibus cooperatur perficiens: sed operationes Dei, quibus movet nos ad bonum, ad gratiam pertinent: ergo convenienter gratia dividitur per operantem, & cooperantem: sic firmissimo, & arctissimo vinculo nexa, & sociata est utriusque S. Doctoris doctrina. Deinde in corpore: *Respondendo dicendum, quòd, sicuti supra dictum est, gratia dupliciter potest intelligi: uno modo divinum auxilium, quo nos movet ad bonum volendum, & agendum. Alio modo habituale donum nobis divinitus inditum. Utroque autem modo gratia dicta convenienter dividitur per operantem, & cooperantem. Operatio tamen alicujus effectus non attribuitur mobili, sed moventi. In illo ergo effectus, in quo mens nostra est mota, & non movens, solus autem Deus movens, operatio Deo attribuitur, & secundum hoc dicitur gratia operans. In illo autem effectus, in quo mens nostra, & movet, & movetur, operatio non solum attribuitur Deo, sed etiam animæ, & secundum hoc dicitur gratia cooperans.* Et infra: *unde post præmissa verba subdit Augustinus: ut autem velimus operatur; cum autem volumus, ut perficiamus, nobis cooperatur.* Si igitur gratia accipitur pro gratuita Dei motione, qua movet nos ad bonum meritorium, convenienter dividitur gratia per operantem, & cooperantem. Hucusque D. Thomas: in quibus utramque gratiam, operantem scilicet, & cooperantem docet esse gratiam adjuvantem, per illam quippè nos adjuvat, ut velimus bonum, per istam verò nos adjuvat, ut bonum volitum exequamur.*

93. Hoc idem iterum exprimit in solutione ad tertium dicens: *Cooperari dicitur aliquis alicui, non solum sicut secundarium agens principali agenti, sed sicut adjuvans ad presuppositum finem. Homo autem per gratiam operantem adjuvatur à Deo, ut bonum velit. Et ideo præsupposito fine, consequens est, ut gratia nobis cooperetur.* Quo textu duo manifestè tradit Angelicus M. & quòd gratia, tam operans, quàm cooperans est gratia adjuvans, & quòd utraque est præveniens. Hoc autem secundum, & si planum sit in verbis relatis, explicuit clarius S. Doctor art. 3. in corp. ubi numeratis quinque gratiæ effectibus, ait: *Et idèd gratia secundum quòd causat in nobis primum effectum, dicitur præveniens respectu secundi effectus, & prout causat in nobis secundum, vocatur subsequens respectu primi effectus. Et sicut unus effectus est posterior uno effectui, & prior alio, ita gratia potest dici præveniens, & subsequens secundum eundem effectum respectu diverforum. Et hoc est, quòd Augustinus dicit in lib. de nat. & grat. cap. 32. prævenit, ut sanemur, subsequitur, ut sanati vegetemur; prævenit, ut vocemur, subsequitur, ut glorificemur.* Quam doctrinam repetit in solutionibus ad 1. & 2. atque in illis docet, gratiam, qua prævenimur, & juvamus ad operandum, dici subsequenter respectu illius, qua prævenimur, & juvamus, ut velimus; ad utrumque enim, quia utrumque bonum est, præveniri egemus gratia, & adjuvari.

94. Ex quibus conficitur efficax argumentum probativum Conclusionis. Deus per gratiam adjuvantem prævenientem consensum salutarem liberum adjuvat arbitrium, operando: Sed juxta D. Thomam non solum operatur, cum agimus, sed operatur, ut agamus: ergo datur verum gratiæ adiutorium præveniens consensum salutarem, quo Deus non solum operatur, cum agimus, sed etiam operatur, ut agamus: sed hoc adiutorium est adiutorium distinctum ab excitante, & physicè movens liberum arbitrium, ut agat: ergo datur verum gratiæ adiutorium præveniens consensum salutarem, & physicè movens liberum arbitrium ad consentiendum. Min. probatur quoad utramque partem. Quoad primam, quia loquimur de adiutorio adjuvante arbitrium jam excitatum: ergo debet esse adiutorium distinctum à gratia excitante. Quoad secundam probatur: quia per hoc adiutorium distinctum ab excitante Deus non prævenit movendo moraliter ad consensum, quòd adiutorio excitanti ex parte convenit, sed per motionem physicam: sed Deus operans in nobis, ut velimus per auxilium physicè movens, physicè præmoveret liberum arbitrium: ergo datur gratia liberum arbitrium præveniens, & adjuvans physicè movendo, ut operetur; quòd Dei adiutorium est: ab intrinseco efficax. Etenim si auxilium physicè præoperans, & cooperans non esset ab intrinseco efficax, &

physicè movens, sed dependeret ejus efficacia in operando, & cooperando à libero arbitrio, dicant, obicere, ad quid instantissimè desiderabat D. Prosper, ut constat ex ejus Epistola, quòd D. Augustinus hoc lucidè aperire dignaretur: *Quomodo per istam præoperantem, & cooperantem gratiam liberum non impediat arbitrium? Cui semper satisfacit Augustinus, non recurriendo ad dependentiam gratiæ à libero arbitrio, sed dicendo, ut constat ex cap. 16. de grat. & liber. arbitr. Certum est nos facere, cum facimus; sed ille facit, ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati.* Undè Fulgentius de Incar. D.N. Jesu Christi sic dicit: *Non dicat voluntas, scilicet nostra, meum est velle credere, Dei autem gratia est adjuvare; sed dicat, gratiæ Dei est adjuvare, ut sit meum velle credere. Tunc enim verè, re-eteque, ejus est hoc velle, cum eum gratia præveniens cæperit adjuvare.*

95. Secundum testimonium desumitur 3. contra Gent. cap. 149. n. 5. ubi sic loquitur Angelicus Magister: *Cognitio præcedit voluntatis motum: cognitio autem supernaturalis finis est homini à Deo, cum per rationem naturalem in ipsum attingere homo non possit: ed quòd facultatem naturalem excedat: oportet ergo, quòd motus voluntatis nostræ in ultimum finem auxilium divinum præveniat. Hinc est, quòd dicitur ad Titum 3. non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit. Et ad Rom. 9. non est volentis, scilicet velle: neque currentis, scilicet currere; sed miserentis Dei: quia scilicet oportet, quòd ad bene volendum, & operandum homo divino præveniat auxilio: sicut consuetum est, quòd effectus aliquis non attribuitur proximo operanti, sed primo moventi. Attribuitur enim victoria Duci, quæ labore Militum perpetratur. Non ergo per hujusmodi verba excluditur liberum voluntatis arbitrium, sicut quidam malè intellexerunt, quasi homo non sit dominus suorum actuum interiorum, & exteriorum, sed ostenditur Deo esse subjectum. Et Threnor. 5. dicitur: Convertite nos Domine ad te, & convertemur. Per quod patet, quòd conversio nostra ad eum prævenitur auxilio Dei nos convertentis. Legitur tamen Zachar. 1. ex persona Dei dictum: convertimini ad me, & convertar ad vos: non quia Dei operatio nostram conversionem præveniat, ut dictum est, sed quia conversionem, qua ad ipsum convertimur adjuvat subsequenter, eam roborando, ut ad effectum perveniat, & stabiliendo, ut finem debitum consequatur. Per hoc autem excluditur error Pelagianorum, qui dicebant, hujusmodi auxilium propter merita nobis dari, & quòd justificationis nostræ initium ex nobis sit, consummatio autem à Deo.*

96. Ita D. Thomas: quæ si diligenter observes, videbis primò, quàm ad mentem S. Thomæ suam doctrinam tradiderit Concilium Tridentinum sess. 6. de justfic. cap. 5. dicens: *In sacris litteris, cum dicitur; conver-*

simini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis nostræ admonemur: cum respondemus, convertite nos Domine ad te, & convertemur; Dei nos gratia præveniri confitemur. In quo iterum videbis rationem ex Concilio compactam, firmissima illatione esse constructam ex illo Threnorum; quam repetit D. Thomas 1. 2. q. 109. art. 6. ad 1. dicens: *Quòd conversio hominis ad Deum fit quidem per liberum arbitrium, & secundum hoc homini præcipitur, quòd se ad Deum convertat: sed liberum arbitrium ad Deum converti non potest, nisi Deo ipsum ad se convertente, secundum illud Jerem. 31. convertite me, & convertar: quia tu Dominus Deus meus. Et Threnor. ultim. convertite nos Domine ad te, & convertemur.* Videbis tandem, gratiam operantem, & cooperantem prævenientem liberum arbitrium statuisse D. Thomam ut necessariam ad sententiam Pelagii eliminandam.

97. Ex quibus sequens conficitur argumentum: juxta utrumque ex Jeremia textum, D. Thoma interprete, ut homo in re conversionem ponat, requiritur auxilium movens liberum arbitrium, ut convertatur: sed hoc auxilium est præveniens, & infallibiliter inferens nostram conversionem, ut probatum dedimus §. 3. præsentis dubii n. 92. ergo si de illo auxilio loquitur D. Thomas, quòd in illo Threnorum à Deo exposcimus, auxilium, quòd in præfenti docet prævenire conversionem, est auxilium efficax infallibiliter inferens conversionem.

98. Secundò, quidquid sit, an Pelagius negaverit pro omni statu auxilium possibilitatis, certissimum est, negasse, ut supra annotavimus, adiutorium actionis, quo Deus efficaciter faceret, ut nos velimus. Undè S. Hieronym. Epist. ad Ctesiphontem refert Pelagium dicentem: *Si nihil ago absque Dei auxilio, & per singula opera ejus est omne quòd gesserò: ergo non ego, qui laboro; sed Dei in me coronabitur auxilium.* Ecce totus erat in negando adiutorium actionis: ergo è regione pugnans hic Divus Thomas contra ipsum pro gratia, hoc adiutorium præveniens, & efficaciter movens voluntatem statuit.

99. Efficaciter tandem hoc convincit ratio D. Thomæ. Adiutorium efficax præveniens actus fidei, & dilectionis, illos ex sua intrinseca virtute infallibiliter operatur, & cum ipsis infallibiliter conjungitur: sed adiutorium præveniens, & infallibiliter connexum cum effectu est per se ipsum efficax: ergo adiutorium, de quo loquitur D. Thomas, est ab intrinseco efficax. Consequentia irreprehensibilis est; minor certa, & major probatur nitidis ejusdem Doctoris verbis; siquidem ad hujus sensus proprietatem, nulla alienantium terminorum umbra; sed plena eorundem significandi virtute, trahit in probationem Apostoli sententiam: *Non est volentis, neque currentis, velle & currere; sed miserentis Dei.* Deindè locum ex Jeremia

*Convertite nos Domine, & convertemur, pari rigore accipit. Locum verò ex eodem: Convertimini ad me, ad prioris sensum interpretatur: cum tamen, si efficacia prævenientis gratiæ non esset ex ejusdem virtute infallibiliter operativa, sed ex libero arbitrio illi id eveniret, oppositum dicere, & facere teneretur, ut adversarii faciunt; temperando scilicet sententiam Pauli, & ad posteriorem reducendo priorem Jeremiæ. Clara ergo est mens S. Thomæ. Hæc est illa doctrina, quam PP. Ecclesiæ tenuerunt; illamque Thomas SS. PP. studiosissimus à majoribus acceptam tradidit. Quòd vero Deus expectet motionem nostram, ut nos convertat, adèd alienum est à Patribus, ut super hoc tale ferat judicium D. Fulgentius de Incar. & grat. cap. 29. *Quomodo Deus omnia, quæ vult, facit, si volens hominem salvum fieri, cujus salus non nisi à bona incipit voluntate, ipsum velle non in homine inchoat, sed ut ab homine nascatur expectat? Et paulo post: ita ne ordo rerum credi, putari, vel permittitur, ut Deus, qui Creator est hominis, valeat hominem facere, non mutare, & qui nullius eget adjutorio, ut hominem faciat, operari tamen, quòd vult, in hominis voluntate non possit, prius quàm in homine ipsum velle repererit? Hanc amentiam à fidelibus suis arceat, & ab infidelibus auferat Deus. Hæc sanè est mens D. Thomæ, qui loco citato ex 1. 2. in solutione ad 4. sic habet: ad 4. dicendum, quòd hominis est præparare animam, quia hoc facit per liberum arbitrium. Sed tamen hoc non facit sine auxilio Dei moventis, & ad se attrahentis, ut dictum est (nempe in corpore articuli:) unde patet, quòd homo non potest se præparare ad lumen gratiæ suscipiendum, nisi per auxilium gratuitum Dei interius moventis. Ecce, quam ex Fulgentio doctrinam audivimus, verbis Thomæ æqua integritate sonantem.**

100. Tertium argumentum desumitur ex cap. 8. ad Rom. ubi explicans Angelicus Magister illa verba: *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*, sic ait: *Aguntur; id est reguntur, sicut à quodam Ductore, & Directore, quòd quidem in nobis facit Spiritus, in quantum illuminat nos interius, quòd facere debemus. Hoc certè est illustratio objectiva. Contrariorum, de qua dicunt, quòd per illam Deus specialius agit velle, & quòd creata voluntas agitur, seu movetur à Deo; sed audiant D. Thomam: *Homo autem spiritualis non tantum instruitur à Spiritu Sancto quòd agere debeat, sed etiam cor ejus à Spiritu Sancto movetur.* Ergo secundum D. Thomam Deus nedum per illuminationem interiorem, quæ se tenet ex parte objecti, operatur in Creatura, sed cor ejus, id est voluntatem, tangit interius, movetque præviè ad operationem per physicam prædeterminationem; de qua motionem prosequitur: *Ideo plus intelligendum est, quòd dicitur, Spiritu Dei aguntur; illa enim agi dicuntur, quæ quodam superiori instinctu moventur.* Quare contra se objicit ibi hoc*

argumentum, quod contra prædeterminationem opponunt Contrarii, cuius solutionem tradit dicens: *Non tamen per hoc excluditur, quin Viri spirituales per voluntatem, & verum arbitrium operentur, quia ipsum motum voluntatis, & liberi arbitrii Spiritus Sanctus in eis causat, juxta illud ad Philipp. 2. Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere*: quibus verbis prædeterminationem efficacem ponit ex parte voluntatis; de hac enim solum dubium esse potest, an libertatem auferat; & Deum statuit causam motus ipsius voluntatis, & quod Spiritu Sancto movetur, & operatur: ergo intelligitur Deus pro aliquo priori causans in voluntate physicam motionem, quæ sit præveniens actum voluntatis, & non præcisè illustratio: quia, adhuc posita illustratione Dei, si rationem illustrationis non transcendit, voluntas adhuc manet indifferens, seu suspensa ad actum. Hunc Deum influxum physicum, non solum in effectum, sed in causam, ipsamque Dei gratiam se extendentem, tam ad potentiam voluntatis, quam ad actum docet D. Thomas 3. contra Gent. cap. 88. *Solus Deus potest movere voluntatem per modum agentis, eamque in aliquid inclinare, & movere voluntatem per modum agentis absque violentia: hinc est, quod dicitur Proverb. 21. Cor Regis in manu Domini, & quocumque voluerit, inclinabit illud. Et ad Philipp. 2. Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate. Rursum: impossibile est, quod voluntas moveatur à principio extrinseco, quasi ab agente: sed oportet, quod omnis motus voluntatis ab interiori procedat: nulla autem substantia creata conjungitur anime intellectuali quantum ad sua interiora, nisi solus Deus, qui solus est causa ipsius, & sustinens eam in esse: à solo ergo Deo potest motus voluntarius causari.* Et cap. 89. *Quidam verò non intelligentes, qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit absque præjudicio libertatis voluntatis, conati sunt has auctoritates malè exponere, ut scilicet dicerent, quod Deus causat in nobis velle & perficere, in quantum dat nobis virtutem volendi, non autem sic, quod faciat nos velle hoc, vel illud; sicut Origenes &c. quibus quidem auctoritatibus Sacra Scriptura resistitur evidenter. Hoc ipsum quod Salomon dicit, quocumque voluerit inclinabit illud; ostendit non solum divinam causalitatem ad potentiam voluntatis extendi, sed etiam ad actum ipsius. Dicitur enim Isaiæ 26. omnia opera nostra operatus es in nobis Domine: unde non solum virtutem volendi à Deo habemus, sed etiam operationem. Et cap. 148. Dei auxilium non excludit à nobis actum voluntatis, sed ipsum præcipuè in nobis facit: unde & Apostolus dicit ad Philipp. 2. Deus est, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. Et cap. 149. Homo, inquit, non movet se ipsum ad hoc, quod adipiscatur Divinum auxilium, quod supra ipsum est, sed potius ad hoc adipiscendum à Deo movetur: motio autem moventis præcedit motum mobilis ratione,*

& causa: non ergo propter hoc datur nobis Divinum auxilium, quia nos ad illud per bona opera promovemur, sed potius nos ideo per bona opera proficimus, quia Divino auxilio prævenimur. En quomodo Deus movet, prævenit, seu prævenit motum hominis operantis, qui nequit seipsum, sine Deo præveniente, dispo- nere. Undè in 2. sentent. dist. 37. q. 2. de Deo dicit: *Utrumque agenti influit, & ut agat, & ut benè agat.* Clarius, aut expressius nihil dici potuit. Habes manifestam sententiam: habes probationem ex Sacris Litteris S. Thomæ evidentem: habes, loca Scripturæ, si aliter exponantur, malè exponi, & Scripturæ resisti: habes denique quidquid nos dicimus, brevissimè à Doctore traditum; nec nos melius nos ipsos explicare possumus, quam ille se, & nos illum sequentes explicat. Sed & licuit illi dicere: *Quidam verò non intelligentes, qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit absque præjudicio libertatis voluntatis &c.* Cujus verba sunt magna consideratione dignissima.

101. Quartò probatur conclusio ex Divo Thoma q. 3. de potent. art. 7. ubi loquens de multiplici modo, quo Deus operatur in natura, & voluntate, sic habet. *Primò quidem, quia dedit rebus naturalibus virtutes, per quas agere possunt. Secundò in quantum conservat virtutem naturalem in esse. Tertio modo, in quantum movet eam ad agendum, in quo non intelligitur collatio, aut conservatio virtutis activæ, sed applicatio virtutis ad actionem.* Quæ verba expressè continent concursum prævium, seu physicam prædeterminationem. Hæc enim nihil aliud est, quam id, quo Deus applicat virtutem ad actionem, non quo confert, aut conservat virtutem activam; sed ultra eam, & post ejus conservationem: ergo si juxta D. Thomam Deus applicat virtutem causæ creatæ ad actionem, & per applicationem istam non confert, nec conservat virtutem activam, juxta eundem necessarius est Dei concursus prævius. Hic autem observat, concursus Dei non se tenere ex parte actus primi, nec per modum potentia, nec per modum virtutis constituentis potestatem agendi; sed esse applicationem pertinentem ad actum secundum; cum nec virtutem afferat activam, nec illam conservet, sed utramque applicet ad actionem. Quo autem sensu hæc applicatio, ut asseritur à gravissimis Thomistis, actum primum perficiat, roborat, vires augeat, & medicinalis adjutorii rationem habeat, opportuno loco à nobis explanabitur.

102. Expressit insuper intentum D. Thomæ in corpor. artic. dicens: *Sic ergo, si consideremus supposita agentia, quodlibet agens particulare est immediatum ad suum effectum. Si autem consideremus virtutem, qua fit actio, sic virtus superioris causæ erit immediatior effectui, quam virtus inferioris; nam virtus inferior non conjungitur effectui, nisi per virtutem superioris,*

ris, ut dicitur in lib. de causis, quod virtus prima causa prius agit in causatam, & vehementius. En quomodo juxta D. Thomam causa prima & superior causam secundam, & inferiorem cum suo effectu conjungit: sed causa conjungens alteram causam cum suo effectu, determinat ad agendum causam, quam cum effectu conjungit: ergo juxta D. Thomam prima causa secundam determinat, prima verò à secunda non determinatur: ergo concursus Dei cum causa secunda est illius determinativus.

103. Hanc etiam doctrinam tradit Divus Thomas eisdem, vel similibus verbis lib. 3. contra Gent. cap. 70. n. 3. *Virtus inferioris agentis pendet à virtute superioris agentis in quantum superius agens dat virtutem ipsam inferiori agenti, per quam agit, vel conservat eam, aut etiam applicat ad agendum; sicut Artifex applicat instrumentum ad proprium effectum, cui tamen formam non dat, per quam agit instrumentum, nec conservat, sed dat ei solum motum.* Quibus verbis clarissimè docet, concursum, quo Deus applicat virtutem agentis creati ad operandum ita se habere, ac se habet Artifex ad instrumentum, cui formam non dedit, nempe applicativè, id est, non conferendo virtutem, in quo consistit adæquatè conceptus physicae prædeterminationis.

104. Agnovit iterum Divus Thomas id ipsum cap. 67. per totum, & præcipuè n. 4. ubi sic loquitur de concursu Dei: *Quidquid applicat virtutem activam ad agendum, dicitur esse causa illius actionis; artifex enim applicans virtutem rei naturalis ad aliquam actionem dicitur esse causa illius actionis, sicut cocus decoctionis, qua est per ignem. Sed omnis applicatio virtutis ad operationem est principaliter, & primò à Deo; applicantur enim virtutes operativa ad proprias operationes per aliquem motum, vel corporis, vel animæ: primum autem principium utriusque motus est Deus; est enim primum movens omnino immobile, ut supra ostensum est. Et similiter omnis motus voluntatis, quo applicantur aliqua virtutes ad operandum, reducitur in Deum, sicut in primum appetibile, & in primum volentem. Omnis igitur operatio debet attribui Deo, sicut primo, & principali agenti.* Hæc ibi: quam rationem eo præcisè sine induxit S. Doctor, ut ostenderet, quod Deus est causa operandi omnibus operantibus. Id præ se fert titulus Capitulo ipsi præfixus; & ratio inducta hoc vincit syllogismo. *Quidquid applicat virtutem activam ad agendum est causa illius actionis; sed Deus applicat omnes virtutes activas, sive naturales, sive liberæ ad agendum, cum Deus sit primum movens omnino immobile: ergo omnis operatio debet attribui Deo, sicut principali agenti.*

105. Tandem in eodem lib. 3. contra Gent. cap. 56. n. 4. concursum prævium ut expressissimè astrueret, sic ait: *Quid autem*

velit aliquis volens, non potest cognosci per cognitionem substantiæ ipsius: nam voluntas non tendit in sua volita omnino naturaliter: propter quod voluntas, & natura, duo principia activa ponuntur. Non potest igitur aliquis intellectus cognoscere, quid volens velit, nisi fortè per aliquos effectus; sicut, cum videmus aliquem voluntariè operantem, scimus, quid voluerit: aut per causam, sicut Deus voluntates nostras, sicut alios suos effectus, cognoscit, per hoc quod est nobis causa volendi. Plura ex hoc textu diligenter observanda veniunt: Primò, non posse cognosci in voluntate nudè sumpta aliquod illius exercitium determinatum, & hoc, quia indifferens est ad utrumlibet; quod ostendit D. Thomas ex eo, quod voluntas non tendit in sua volita omnino naturaliter: sicque exclusa manet sententia plurium Adversariorum asserentium, Deum cognoscere, quid voluntas vellet in supercomprehensione voluntatis. Secundò, quod Deus voluntates nostras cognoscit per hoc, quod est nobis causa volendi. Ubi additur, id convenire Deo respectivè ad actiones nostras liberæ, eo modo quo cognoscit alios suos effectus, per hoc quod est causa illorum. Ex quibus imprimis exclusa manet scientia, quam mediam appellant; cum tota ejusmodi cogitationis ratio ad eam scientiam, juxta S. Doctorem pertineat, quæ causa rerum est; indeque virtus potentia ejus, & non futura voluntatis humanæ determinatio reddit infallibilem præscientiam actionum nostrarum liberarum. Quod si ita est, ut verè apud S. Thomam ita est, prævenientem, efficacemque ab intrinseco motionem Dei esse apud S. Doctorem necessariam, nemo non videt. Siquidem infallibilitas tota futuri eventus non reducitur in causam, nisi in quantum illa efficax est, a nullo dependet, & cætera, quæ ad eventum requiruntur, à se dependere facit; ut per se est notum. Abigant physicam præmotionem, & videbunt, neque efficacem posse esse causam primam, neque alia à se dependentia facere; immò ab aliis, quoad scientiæ infallibilitatem, dependere. Undè sapienter, & omnino ad hæc consequenter S. Doctor addit: *Concursum Dei ad effectus alios cognoscendos esse Deo rationem illos cognoscendi.*

106. Sed quia P. Suarez, quibusnam necio præjudiciis abductus, asserit, quod ea, quæ pro determinatione dixerat D. Thomas q. 3. de potent. tacitè retractavit 1. p. q. 105. audiendus est hic D. Thomas art. 5. in corpore sic ad rem eandem tradens doctrinam: *Similiter considerandum est, quod si sint multa agentia ordinata, semper secundum agens agit in virtute primi agentis; nam primum agens movet secundum ad agendum. Et secundum hoc omnia agunt in virtute ipsius Dei. Et ita ipsa est causa omnium actionum agentium. Tertio considerandum est, quod Deus movet non solum res ad operandum, quasi applicando formas, & virtutes rerum ad operationem, sicut etiam Artifex ap- pli-*

applicat securim ad sciendum, qui tamen interdum formam securi non tribuit; sed etiam Sc. Non vacat, integrum expendere articulum: legat qui velit, & profundius consideret qui altam S. Thomæ doctrinam noverit, aut nole cupiat; ibi enim primam, & potissimam rationem de causæ primæ virtute, & singulari motionem, quæ ab ipsa sunt, jure, adeo compendiosè, & apertè tradit, ut minus sapientes capiant; sapientiores autem ulteriora concipiant. His autem, & illis una, eademque doctrina ibi est, quam & nos defendimus ab illo edocti, & quam ille semper constantissimè docuit. Satis pauca illa exscripsisse verba, quibus D. Thomas non solum doctrinam repetit alibi traditam, verum, & eisdem verbis, & exemplo rem explicat. Sed quia illi voci applicando addidit particulam quasi, minimè locis supra relatis appositam, & particula hæc, ut limitativa, plerumque usurpatur, ideò advertendum, non accipi in præcisi limitativè, sed potius ampliativè, aut explicativè, ut statim dicemus. Undè in solutione ad 3. potuit prætermitti; ait enim: *Dicendum, quod Deus non solum dat formas rebus, sed etiam conservat eas in esse, & applicat eas ad agendum, & est finis omnium actionum.* En omisit particulam quasi, quia illam non adjecerat, ut limitationem. Dignum autem est, eâ aliquando uti; nè videamur allerere, id omnino valere applicandi verbum dictum de causa prima, ac de secundis alias applicantibus; cum è contrario applicativus Dei concursus sit singularis rationis, humanum captum superexcedentis, ut expressè ibidem S. Doctor animadvertit. Applicatio ergo, juxta significandi vim conceptam ex causis secundis, dicit motionem, seu determinationem cum necessitate naturæ motæ; sed prout transfertur vox ad primam causam, altissimum movendi, & determinandi modum sine necessitate significat; & ideo opportunum est adverbium quasi. En igitur amotam subordinationem Dei ad nos, & statutam subordinationem nostri ad Deum; nam quia applicat virtutem ad agendum, virtuti à se applicatæ non subordinatur, sed illam sibi subordinat. En D. Thomas non ed præcisè salvat, Deum esse causam actionum cujuscumque agentis, quia dedit formam, aut virtutem conservat; sed quia datam, & conservatam movet, & applicat ad agendum. En qualiter intelligendus sit D. Thomas, dum asserit, Deum movere voluntatem ad agendum. Ut enim patet ex verbis, & textibus D. Thomæ relatis, idem valet, movet efficaciter ad agendum, ac applicat ad agendum. Ex quibus tale surgit argumentum. Agens, quod applicat voluntatem ad operandum, aut volendum, exercet immediatum dominium supra voluntatem, & volitionem: sed Deus voluntatem applicat ad operandum, aut volendum: ergo exercet immediatum dominium

in voluntatem, & volitionem, ac in dominium voluntatis: sed hoc immediatum dominium exercere nequit Deus, nisi medio concursu prævio, antecedenti, & connexo cum actu voluntatis: ergo de mente D. Thomæ est, quod detur hujusmodi concursus. Idem repetit D. Thomas 1. 2. q. 109. art. 1. in corp. & ad 3. art. 2. in fin. corp. item art. 9.

107. Sexcenta alia in medium adduci testimonia poterant; sed his omnibus omiſſis, quia mens D. Thomæ tanta perspicuitate, atque evidentia refulget, ut summum haberi debeat argumentum, quod universa ejus doctrina huic sententiæ, sine qua stare non potest, testimonium reddat. Solos hujus rei testes appello gravissimos Societatis Theologos. Et quidem, hanc esse D. Thomæ sententiam, testatur, præter P. Molina citatum supra liber Societatis de ratione studiorum, ubi inter præscriptas Theologiæ Professoribus regulas, regul. 5. ita habetur: *In Theologia doctrinam S. Thomæ, ut cavetur 4. p. Constit. cap. 14. nostri sequantur, exceptis paucis, quæ declarat in hunc modum; Nostri itaque non cogantur defendere, quæ sequuntur. . . . Secundas causas esse propriè, & univocè instrumenta Dei, & cum operantur, Deum in illas primum influere, aut eas movere.* Ubi communi Societatis suffragio hanc existantem Doctoris Angelici sententiam esse, quæ Societatis Theologorum arbitrio committebatur. His adde Viros ex eadem Societate eximios, in quibus illustriora Sapientiæ, pietatis, religionis, fidei, & omnium virtutum decora emicant; neque aliquid a fide alienum, vel quod nostri temporis hæreticorum redoleat officinam, reperitur; immò cœlestium Ecclesiæ dogmatum, fragrantiam ab Hæresum foetido errore discernentes; qui, etsi non omnes expressè Sancti Thomæ meminerint; omnes tamen ejusdem doctrinam, ut communem, veram, & firmiter tenendam in hac parte amplectuntur, & prædicant. Eminentissimus Cardinalis Bellarminus ita certam & exploratam habet efficaciam intrinsecam gratiæ, ut agens de efficaci gratia ex liberi arbitrii cooperatione dependente, atque de Prædestinatione ante prævisa merita, quæ à sententia nostra de efficaci gratia, indivisa est, de opposito sensu ita loquatur lib. 1. de grat. & liber. arbitr. cap. 12. *Hæc opinio aliena est omnino à sententia B. Augustini, & quantum ego existimo à sententia etiam Scripturarum Divinarum. . . . hæc opinio evertit omnino fundamenta prædestinationis Divinæ, quam S. Augustinus ex Divinis Litteris solidissimè comprobavit.* Et lib. 2. de grat. & liber. arbitr. cap. 9. *Prædestinationis Divinæ nulla ratio ex parte nostri assignari potest. . . . Diximus autem, nullam rationem assignari posse, ut excludamus non solum merita propriè dicta, sed etiam bonum usum liberi arbitrii, aut gratiæ, aut utriusque simul, à Deo prævisum; etiam si non dicatur, esse meritum, nisi de congruo, & etiam si non dicatur ve-*

ra

ra causa, sed tantum conditio, sine qua non prædestinaretur is, qui prædestinatur. Et cap. 11. *Neque solum SS. Patres hoc affirmant, sed antiquiores, & doctiores ex ipsis, quos ceteri postea secuti sunt, & ad fidem Catholicam hanc sententiam pertinere tradunt, & contrariam ad Pelagianos rejiciunt.* Notabo aliqua loca, ut qui fortè contra sentiunt, intelligant ex judicio Sanctissimorum Patrum, in quam manifesto errore versentur. Denique concludit: itaque Sedes Apostolica, non tantum semel, sed etiam secundo, & tertio adversus Pelagianorum reliquias, pro defensoribus gratiæ, & prædestinationis sententiam tulit; ut jam hæc sententia non quorumvis Doctorum opinio, sed fides Ecclesiæ Catholica dici debeat: id quod in sequenti capite adhuc apertius, Deo juvante, monstrabitur.

108. Hoc idem stabilit alterum ejusdem Societatis clarissimum Lumen Franciscus Cardinalis Toletus super Luc. cap. 5. annot. 54. loquens de Molinæ sententia: *Huic doctrinæ, inquit, adversari videtur, quod ipsemet Paulus de sua vocatione ad Galat. 1. scripsit: cum autem placuit ei, qui me segregavit ab utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, ut revelaret in me Filium suum, & evangelizarem illum in gentibus, continuo non acquievi carni, & sanguini. Non dicit Apostolus, quando novit, me obediturum, sed quando illi placuit, qui per gratiam me vocavit. Non expectat Deus semper arbitrium nostrum; quia sua gratia ipsum excitat, ipsique dat velle, & perficere, quia etiam rebelles convertit, & compellit voluntates. Tunc ergo vocavit, quando illi placuit: etsi ante vocasset, utique respondisset, & obtemperasset. Non ergo ratio, aut tempus vocationis hujus, & similia referri debet in hominis arbitrium, sed in Dei beneplacitum, cui sic visum est, sicque disposuit. Potest autem intelligi Chrysoſtomus sic, tunc vocasse Discipulos, quando sciebat illos obtemperaturos, nimirum per gratiam suam. Sciebat enim, quando ipse operaturus erat in eis, ut obtemperarent vocanti, & tunc vocavit. Nisi sic intelligas, doctrinam non probo. Nec solum doctrinæ huic Chrysoſtomi in hac parte non consentio, sed contrariam omnino veram existimo; nimirum tunc vocasse Discipulos multos, & præsertim Mattheum, quando plus erant impediti, magisque detinebantur, ne venirent. Sic Petrum, & Andream vocavit, quando retia mittebant in mare, nec expectavit, ut jam essent missa, nec pervenit, antequam mitterentur, sed dum mittebant: hoc enim majus adferebat impedimentum. Sic Paulum vocavit, quando in via erat, nec prævenit professionem ejus, priusquam acciperet litteras à Summo Sacerdote; & vocavit, dum opus fervebat, minusque ad obsequendum paratus erat. Sic nunc Mattheum vocat, non antequam sederet, sed dum ad ipsum Telonium sedebat, & ipsi operi incumbebat. In hoc enim virtus vocantis magis clarescit, & magnitudo gratiæ revelatur, minusque homo de sua virtute, meritivè potest presumere. Totus est Augustinus in hac doctrina, quam in hac parte probo.*

109. P. Alphonsus Salmeron è primis S. Ignatii Sociis disp. 21. cap. 8. Epist. ad Rom. Prædestinationem omnino gratuitam defendit, omnemque præscientiam boni usus gratiæ exploratricem rejicit, dicens: *Quidam ad vitandam Pelagianam invidiam asserunt, Deum velle ex se dare gratiam omnibus, undè & illam cunctis ex se offert; & quia vidit, qui eam recepturi, & ea bene usuri essent, ideo istis statuit conferre gratiam, & vitam æternam, cavevis autem non ita. Nec ex hoc sequitur, quod gratia detur ex meritis, quasi Deus prævidens opera acceptaverit illa tanquam digna gratia, sed accipiuntur, ut causa, sine qua non. Exempli gratia, Rex arma, & coronam donat ex liberalitate sua; ex prudentia tamen ea non vult dare, nisi illis quos novit armis esse bene usuros. . . . Sed & hoc falsum est, & multis rationibus perimitur. Quia etiam juxta hunc loquendi modum, gratia non esset prædestinationis effectus, sed potius causa. Non enim prædestinatur quis, nisi gratia bene usus, prævideatur: at hoc sequitur gratia collationem. Nec enim videri potest bonus usus gratiæ futurus, si in potestate ejus fuerit male uti, nisi ponamus ante Dei conspectum, quod verè acceperit gratiam, & quod perseveranter ea bene usus fuerit: quoniam futurum contingens, secundum D. Thomam, à Deo non prævidetur ut futurum, sed ut præsens. Si ergo prædestinatio requirit boni usus gratiæ prævisionem, & hæc divina prævisio boni usus gratiæ requirit collationem gratiæ, apertè infertur, quod collatio gratiæ non esset effectus prædestinationis, quod est perplexum, & contra vim ipsius vocis, prædestinatio. Nam si in Dei præscientia collatio gratiæ præcedit bonum usum ejus, quomodo ergo, quod est posterius, potest esse causa, aut ratio prioris? . . . Infertur ergo prædestinationis certitudinem non ab operum bonorum præscientia, sed à benigna Dei providentia proficisci. Nec ideo quia quis præscitur salvandus, sed contra, quia prædestinatur salvandus, ideo præscit eum salvandum sub ratione futuri, & non sicut in contingentibus. Ideo in prædestinatione continetur certitudo salutis, & in ea, certitudo conferendæ gratiæ, & bonus usus gratiæ, & meritorum, & perseverantia in finem. Repugnat enim divina Sapientia certè aliquid in finem ordinare, & non ad certa, & promoventia in finem media.*

110. Benedictus Pererius ex eadem Societate lib. 8. de commun. principiis cap. 8. de D. Thomæ sentent. ita pronuntiat: *Hæc doctrina in hoc, quod ait D. Thomas, Deum actu concurrere ad quamlibet secundarum causarum operationem, non est opinabilis, aut probabilis tantum, sed est omnino vera, certa, & indubitata, de qua fas non erat Christiano Philosopho dubitare. . . . In eo autem, quod adjungit D. Thomas, causas secundas, & in his voluntatem nostram à Deo moveri, applicari, & determinari ad volendum, licet nonnulli dissentiant Theologi, ego tamen manibus, pedibusque in eam sententiam perquam libenter eo. Hoc enim*

enim

enim est ingenium, hæc conditio, hic nexus, atque connexus moventium, & casualium per se, & essentialiter subordinatarum, ut posterior non moveat, nisi mota à priori.

111. P. Joannes Mariana de inordinato novitatis amore lib. 4. cap. 4. Ab hoc præclaro fonte emanarunt illi turbines, & procellæ, quibus nostra Societas tentavit exagitare Sapientissimos Dominicanæ familiæ Theologos, quos potius venerari debebat, ut prioris doctrinæ Antistites, quam sequi hesternæ Ludovici Molina Commenta. Cujus viri libellus ab examine Theologorum Sacræ Inquisitionis, delatus fuit Romæ; ubi modo liberum arbitrium acerrimè contra gratiam pro palma luctatur. P. Coferus lib. controvers. cap. 5. de liber. arbitr. dicit, peccatorem non posse à peccato resurgere, neque piè erga Deum affici, aut pio affectu de Christo ut Redemptore suo loqui sine divina motione, & gratia præeunte, sicut post D. Augustinum adversus Pelagium definiunt ex Scripturis Concilia Milevitanum, & Arausicanum: quod ipsum ubi ex Scriptura probavit, subdit tantam esse voluntatis, & cordis duritiem, ut nisi misericors gratia Dei præveniat, & mentem illustret, affectumque moveat, nunquam seridè peniteat, vel ad Deum revertatur; debet enim Deus prævenire nos in benedictionibus dulcedinis. Fonseca 1. Metaphys. cap. 2. q. 3. sect. 8. dicit, in quibusdam effectibus necessarium esse recurrere ad divinam determinationem, & præstitionem, quod repetit lib. 5. cap. 2. q. 9. sect. 2. rat. 6. P. Azorius lib. 1. instit. moral. cap. 21. q. 8. Oportet queritur, an Deus quando cum natura, vel voluntate operatur, ipsam moveat, & applicet ad agendum? S. Thomas apertè sic ait: Deus non solum dat formas rebus, sed etiam conservat eas, & applicat ad agendum &c. Catechismum mihi videtur verissima S. Thomæ sententia: eam enim planè videtur Augustinus tradere lib. 3. de Trinit. cap. 3. 4. 5. & 6. &c.

112. Legantur P. Henriquez de fin. hominum cap. 11. Conimbricenses in 2. Physic. cap. 2. q. 13. Philippeus in suo ad Oseam Prophetam Commentario, Dionysius Petavius tom. 1. Theologiæ dogmatum lib. 4. cap. 8. n. 9. & lib. 9. cap. 15. n. 6. P. Claudius Tiphanius lib. de ordine, & de priori, & posteriori pag. 204. Legatur & P. Bernardinus Mazziotta ejusdem ordinis tom. 1. selectar. quæst. q. 2. per totam æquè subtiliter, ac fortiter, & verè Thomisticè defendens irrefragabilem veritatem illius principii: Omne quod movetur ab alio movetur doctrinis de præmotione physica semper firmiter inhæret. Undè & n. 76. agens de motibus liberis docet ex D. Thoma 1. 2. q. 9. art. 4. & q. 6. de malo art. 1. In Angelis, & animabus spiritualibus metaphysicè (id est ultra naturam sensitivam) & spiritualiter se moventibus, cum immanenter operantur, intelligentes suo intellectu, & sua voluntate volentes, dari principium moveus distinctum à subjecto, quod movetur. Et ibidem postea sequutus Capreolum in 2. dist. 6. q. 1. art. 3. ait: Volunta-

tem movere, & velle aliquod particulare bonum, hoc nimirum, aut illud, non simpliciter, quæ voluntas est, secundum quam rationem movetur à suis actibus, sed quæ supponitur mota à Deo, & fecisse primos actus aliquos, quos ait Augustinus fieri in nobis sine nobis. Sed cum clarissimos è S. J. viros commemoraverimus, facere non possumus, quin & in ipsos propensum alium, nulla non laude dignum, in medium adducamus, communis, & semper sanæ, & irrefragabilis doctrinæ testem: ille ipse est Ecclesiasticæ Historiæ Parens, atque immortale Rom. Eccles. decus, & ornamentum Cæsar Cardinalis Baronius, qui subjungendam modò Epistolam ad Illustrissimum Archiepiscopum Viennensem scripsit. *Illustr. & Rev. D. Ignoscas, si tardius, quàm par est, ad litteras Rev. Dominationis vestræ rescribo, quas ut puras, & Orthodoxas in omnibus exosculatus sum, à quibus absit, ut vel in minimo apice, vel puncto dissentiam. Tantum modo de libris Molina remanet controversia. Legi eos, sed non sine stomacho, cum in illis nihil potentius agere præ se ferat, quàm S. Augustino adversari (licet Sanctum nunquam nominet) eumque oscitantia redarguere, sequè illo in iis disputationibus vigilantior, acutioremque jactare. Quis potest eum talia loquentem absque nausea tolerare? Licet ut anguis effugiat, & è manibus facile elabatur, ut & si temerarium quis inveniatur, haud facile possit hæresis convincere & sugillare. Non hujusmodi Commentatoribus indiget Ecclesia Dei, quæ puritate, candore, nitore delectari tantummodò consuevit, ipsa non habens maculam, nequè rugam. Legi, inquam, eum, & ad quinquaginta, & amplius notavi propositiones, verba, phrasas, quas vel saltem affines esse erroribus Pelagianorum, sive Semipelagianorum (licet ipse cautius intra Catholica fidei limites, vel protestando saltem, se contineat) nemo puto, qui absque affectu illas perlegerit, negabit omnino. Quid Ecclesia Dei indiget hujus Molina libris, ut discat quæ à tot Sanctis Patribus, Conciliis, atque Decretis, jam ante tot sæcula didicit, atque docuit? Quod ad ipsum D. N. Clementem Papam attinet, hoc ipsi in proposito est, hoc in voto, hoc denique in Decreto, ut nec latum unguem à vestigiis Prædecessorum recedat, sed iisdem insistat quàm firmissimè. Scit planè, tot Sanctos Pontifices, Innocentium, Sixtum, Cælestinum, Hormisdam, ac denique Felicem, cujus sunt Canones Arausicani Concilii, hoc professos suis scriptis esse, atque restatos, Romanam Ecclesiam in iis, quæ spectant ad gratiam, & liberum arbitrium sequi semper consuevisse P. Augustinum. Testatur equidem id tot verbis Hormisdas suis Litteris, aded ut alio judicio opus non sit, cum jam præjudicatum sit. Laborat nunc in discutiendo Molina volumine, de quo vel abjiciendo, vel purgando, vel retinendo, adhuc sub Judice lis est. Meâ squidem scientiâ, eo non indiget Ecclesia Catholica, in quo vel saltem quædam auditui horridula essent corrigenda. Mortui RR. Patres meos Societatis Jesu, nè æstimationem*

eorum in defensionem librorum ejus periclitari sinant, & in discrimen adduci. Colo ipsos omnes, Deus scit, ut Patres, ut de illis illud usurpem: opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. At nolo prolixior esse. Vale, Pater amatissime, atque doctissime, lucerna pedibus meis, cum per obscura contigerit ambulare. De Beatis Viris in Sanctorum numerum collocandis ad aliud tempus servavit hoc Deus. Romæ Idibus Martii anno Domini 1603. Vestræ Illustrissimæ, ac Reverendissimæ Dominationis Frater, & Servus Cæsar Card. Baronius.

113. Quodnam ergo veri non dico jam Sanctorum Augustini, & Thomæ, sed communis in Ecclesia sensus, certius argumentum offerri potest? His, quorum auctoritas non numero, sed sapientiæ pondere judicari debet, potius adhibenda est fides, quàm Recentioribus quæstionem istam iterum in dubium revocantibus. Licuit his immorari, nam cum de re gravissima disceptetur, summè interest Ecclesiæ Catholicæ, ut præ oculis habeamus, quid majores nostri, cum Doctores Sancti, tum magni nominis viri, ut verum, & inconcussum fuerint amplexi; quamnam tutam, sanctam, & veram doctrinam crediderint. Hoc enim argumenti genus, ubi de rebus agitur, quas Divina revelatio firmat, insuperabile est, fuit, & erit. Victoriæ quærimus, non nobis, sed veritati: undè ex Thomisticis castris neminem produximus; ne aliquid humani pati videamur. Satis nobis, si qui nobis cedere nolint, cedant suis, quibus & nos cedimus libenter, & in hoc maxime lætamur.

§. VI.

Aliorum Sanctorum Patrum auctoritate probatur.

114. CUM Apostolus asserat ad Ephes. 4. quod Deus Ecclesiæ suæ dedit nedum Apostolos, Prophetas, Evangelistas, & Pastores, sed Doctores etiam, ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia, ad circumventionem erroris; Ecclesia semper Præcedentium Patrum monumenta consuluit: necesse namque est, inquit Vincentius Lyrensis Commonitorii cap. 38. Omnibus Catholicis, qui sese Ecclesiæ legitimos filios probare student, ut SS. Patrum fidei inhæreant, adglutinentur, immoriantur, prophanas verò novitates detestentur, horrescant, persequantur. Quare Concilio Ephesino divinitus placuit, nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacra sibi consentiens SS. Patrum tenuisset antiquitas. Sic & Synodus Nycæna adversus Ichonomacos testimoniiis Patrum definiuit, Sacras Imagines retinendas, ac esse veneratione dignas. Et Synodus Ephesina Gen. 3. decrevit, quod fuit antiquitas traditum teneatur, & quod adinventum nuper

explodatur. Sicut & Concilium Tridentinum, quod in rebus fidei, aut morum nullus Scripturam contra unanimem consensum Patrum interpretari valeat. Fuit & communis SS. Patrum procedendi modus, qui pro Hæreticorum erroribus evellendis ad constantem Patrum, qui ipsos præcesserant, mentem recurrerant. Sic S. Augustinus lib. 1. & 2. adversus Julianum ex consensu SS. Patrum Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ doctrinam de peccato originali perpetuam fuisse Ecclesiæ fidem ab Apostolis descendentem, demonstrat. Et S. Hieronymus adversus Luciferianos auctoritatem traditionis agnovit. Cum ergo mens SS. Patrum sit certa, & inconcussa veræ doctrinæ basis, ac fundamentum, unumque ex præcipuis in rebus Theologicis argumentum ex auctoritate defumatur; sitque locus iste arguendi ab auctoritate, quæ fundatur super revelatione divina, efficacissimus, ut docet D. Thomas 1. p. q. 1. art. 8. ad 2. & modus arguendi ex auctoritate aliorum Doctorum Ecclesiæ, etiam sit ex propriis, & si probabilibus, ipsorum præfidium ad defensionem gratiæ ab intrinseco efficacis, advocamus.

115. Et primò probatur ex S. Prospero. Nam ex illo constare videtur, Pelagianam hæresim, aut ut minimum Semipelagianam in eo maxime consistere, quod negaret gratiæ adjuvanti prioritatem, & illam diceret purè comitem in concurrando ad opus salutem, & concurrentem ex determinatione creatæ voluntatis. Non ego censuram fero, nec de meo hic quidquam loqui constituo. Sed, an hæc apud S. Prosperum ita se habeant, doctiores interrogo. Nam etsi mihi ipse non falli videar, fortassè fallor. Conferantur duo hujus S. Doctoris testimonia, quæ habentur in Epist. ad S. Augustinum. Primò dicit: *Nec considerant se gratiam Dei, quam comitem, non præviam humanorum voluntate esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundum suam phantasiam non negant esse præventas.* Secundò dicit: *& quoniam in istis Pelagianæ pravitatis reliquiis non mediocris virulentia fibra nutritur, si principium salutis malè in homine collocatur, si divinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur, ut ided quis adjuvetur, quia voluit, non ided, quia adjuvatur, velit.* Hæc dub si conferantur testimonia, videtur in primo loqui de gratia adjuvante, (quam Massilienses comitem vocabant, non præviam) ut demonstrant verba secundi, *ut ided quis adjuvetur, quia voluit, non ided quia adjuvatur, velit:* quod teste S. Prospero est impiè voluntatem creatam præferre voluntati divinæ. Habetur præterea, qualem admiserint gratiam Semipelagiani, & motivum, quod illos impulit ad ita de gratia sentiendum. Nam in primis non negabant, gratia Dei voluntates hominum præveniri, ut patet ex illis, *quas ab ea secundum suam phantasiam non negant esse præventas,* quia nimirum

rùm Sancta cogitatio voluntatem prævenit; deindè concedebant, voluntates Dei gratia adjuvari, ut idè quis adjuvetur, scilicet à gratia, sed non à gratia præcedente, sed à gratia comitante, ibi; *quam comitem, non præviam humanorum voluntate esse meritorem.* Hoc autem juvamen præstabat gratia voluntatibus, ut illis subjecta; quod patet dupliciter, tum ex illis: *Nec considerant, se gratiam etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea non negant esse præsentas:* tum ex illis: *ut idè quis adjuvetur, quia voluit, non idè, quia adjuvatur, velit.* Motivum autem ita sentiendi exprellit ibidem S. Prosper, rogans S. Augustinum, ut exponat, quomodo per præoperantem, & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium. Tria ergo dixerunt de gratia: primum, quòd voluntatem prævenit: secundum, quòd voluntates adjuvat, ut comes, non ut præcedens merita: tertium, quòd illud juvamen præstat, ut subjecta voluntati, & ex illius dominio, ac determinatione, ut libertas non impediatur. In quonam ab his differat advertariorum sententia, ipsi dicant; nec illi invidiam creare contendimus: nobis in præfentiarum sufficit, S. Prosperum gratiæ efficaciter adjuvanti concessisse prioritatem in concurrente ad merita.

116. Secundò probatur ex S. Hieronymo asserente, liberum arbitrium ultra sufficientiam in actu primò indigere efficaci auxilio, quòd minimè pendeat ex solo usu liberi arbitrii: sic enim Epist. ad Ctesiphontem, contra Pelagium ejus errorem refutans, habet: *Legem enim Deus in adiutorium posuit, ut in eo Deo referendæ sint gratiæ, quòd tales nos condiderit, qui nostro arbitrio possimus & eligere bona, & vitare mala; & non intelligunt ista dicentes, quòd per os eorum intolerabilem blasphemiam Diabolus sibilat. Si enim in eo tantum Dei est gratia, quòd propria nos condidit voluntatis, & libero arbitrio contenti sumus, nec ultra ejus indigemus auxilio, ne, si indigerimus, liberum frangatur arbitrium: ergo nunquam ultra debemus, nec illius clementiam precibus flectere, ut accipiamus quotidie, quòd semel acceptum in nostra est potestate. Istiusmodi homines tollunt orationes, & per liberum arbitrium non homines propria voluntatis, sed Dei potentia factos se esse jactant, qui nullius ope indigent.* Et paucis interpositis proponit argumentum Pelagii: *si nihil ago absque Dei auxilio, & per singula opera ejus est omne, quòd gessero; ergo non ego, qui laboro, sed Dei in me coronabitur auxilium, frustra que dedit arbitrii potestatem, quam implere non possum, nisi me semper adjuverit; destruitur enim voluntas, quæ alterius ope indiget; sed liberam dedit arbitrium Deus; quòd aliter liberum non est, nisi fecero, quòd voluero, ac per hoc ait: aut utor semel potestate, quæ mihi data est, ut liberum servetur arbitrium, aut si alterius ope indigeo, libertas arbitrii in me destruetur.* Hæc ex Pelagio D. Hieronymus, qui postea sic profes-

quitur: *Qui hæc dicit, quam non excedit blasphemiam? Quæ Hæreticorum venena non superat? Et post plura, quibus relata refutat doctrinam, subdit: Quis destruit liberum arbitrium? Ille, qui semper Deo agit gratias, & quocumque in suo rivulo habet, ad fontem refert? An, qui dicit, recede à me, quia mundus sum, non habeo te necessarium; dedisti enim mihi semel arbitrii libertatem, ut faciam, quòd voluero, quid rursus te ingeris, ut nihil possim facere, nisi tu in me tua dona compleveris.*

117. En ubi S. Doctor affirmat, quòd positâ gratiâ dependente ex solo usu liberi arbitrii, nec indigeret homo gratiâ novâ, quæ esset penitus inutilis ad velle; nec gratias agere deberet Deo pro eo, quòd benè utatur sufficientiâ illâ ad consensum salutarem: & quòd semel constitutâ istius generis sufficientiâ, alterius ope non indigeret ad benè operandum; cum tamen non destruetur liberum arbitrium, sed securius, & firmiter servetur indigens ope, & auxilio Dei; liberum namque arbitrium alio non indigens, non creatura, sed Deus est, de quo solum verificatur alio non indigere. Et tandem, quòd ad providentiam Dei non spectaret indifferentiæ illius determinatio. Undè in transitu illo indifferentiæ ad actum dormitaret, dormireque Deus posset: cum creatura libera non esset, nisi ubi semel sufficientiam acciperet, nullo ultra adiutorio à Deo expectato, faceret, quòd ipsa vellet. Nemo argumentationem istam ita accipiat, ut putet, me de errore, quem impugnabat Hieronymus, adversam sententiam insimulare: absit hoc. Unum tantum contendo, ratiocinium Sancti Doctoris contrarios premere; dum eorum sensum, eadem, quæ ille contra errorem procedens, deducebat inconvenientia, sequantur.

118. Hæc est ergo mens D. Hieronymi, quam fufius totâ illâ Epistolâ explicat; ulteriusque deducitur ex his, quæ habet super illud Marci cap. 9. ubi Christo dicenti, *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti,* subjecit Evangelista: *Et continuò exclamans Pater pueri cum lacrymis agebat: Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* Ad quæ verba S. Hieronymus relatus à D. Thoma in Cate-na aurea dicit: *Per hoc etiam monstratur, quòd credulitas nostra infirma est, nisi innixa subsistat adiutorio subsidii Dei. Fides autem cum lacrymis optata vota capit.* Et quidem magnum sententiæ nostræ argumentum est. Neque enim sine Dei Spiritu clamabat pater ille, qui verè se credere dicebat; sed infirmæ fidei adiutorium à Domino postulabat. Num, adiutorium ut posset? Et quomodo jam, nisi potens, credebatur? Potuit nè dicere illi Dominus: habes unde credas: sufficientiam dedi, credere potes: quid ultra à me petis? Absit; immò adjuvit ad ita credendum, ut illi fides assequeretur, quòd credenti esse possibile, protulerat Dominus: ergo ex Sancto Evangelio, interprete etiam Hieronymo, ma-

manifestè, quantum capio, habetur petitio hominis istius directè tendens ad impetrandam gratiam, quâ adjuvaretur ipse ad perfectè credendum; ac proinde directam fuisse ad gratiam adjuvantem; illam nimirum, quâ perfectè credidit, & optatam filii salutem obtinuit: ergo postulavit, seu clamavit lacrymans pro gratia efficaciter adjuvante: sed gratia illa, quam postulavit, gratia est præveniens; nam ut docet Concilium loco supra relato: *cum respondemus, converte nos Domine ad te, & convertemur, Dei nos gratia præveniri confitemur:* ergo necessaria est gratia efficaciter adjuvans, quæ sit præveniens.

119. Tertio S. Hilarius suo quoque suffragio nostram conclusionem probat, immò fortius confirmat; dum etiam infirmam illam fidem, quæ petitionem adiutorii præcessit, sine prævio alio adiutorio actus, non existimavit posse catholicè concedi. Nam in Epistola sua, quæ etiam habetur tom. 7. oper. D. Augustini ante librum de prædest. Sanctior. ita dicit referendo cavillationes Massiliensium, quibus Sancti Augustini occurrebant argumentis: *Nam illa testimonia, ut est illud, sicut unicuique parvitas est mensuram fidei, & similia, ad id volunt valere, ut adjuvetur, qui ceperit velle, non ut etiam doneatur, ut velit.* Et rursus: *Alia autem ad id referunt, ut ex his eam gratiam accipiant commendari, qua unusquisque post voluntatem juvatur; ubi apertè hoc ipsum de Massiliensibus refert, quòd S. Prosper, illos nimirum, negasse gratiâ adjuvante voluntates hominum præveniri, licet, ut testatur S. Prosper, eadem gratiâ alia ratione præveniri voluntates, non negaverint.* Undè S. Augustinus respondens Hilario Epist. 94. sic habet: *Illud verò quòd sequitur, ne nos inferas in tentationem, non sic accipiunt, tanquam Deus orandus sit, quo nos ad superandas tentationes adjuvet peccatorum; sed gratia per orationem impetranda, gratia est præveniens; ergo cum negarint, petendam esse gratiam adjuvantem, ut in hoc loco Augustinus testatur S. Hilario respondens, non est dubium, negasse Pelagianos gratiæ adjuvanti prioritatem in concurrente ad nostra merita: quam uterque Sanctus Doctor ab ipsis concedendam exposcunt.*

120. Quarto S. Fulgentius in eadem fuit sententia, & gratiæ adjuvanti efficaci ex se ipsâ prioritatem, ac præcedentiam tribuit in concurrente ad opera nostra salutaria. Jam supra illum meminimus, num. 99. juvat autem eundem modò cæteris Patribus intextere. Lib. enim 1. de prædestin. ad Monimum cap. 4. ita habet: *Quoniam ut veritati obedire, atque consentire valeamus, ipsa Veritas illuminat, ipsa adjuvat, atque confirmat.* Premenda vox illa adjuvat, quæ certè incongruè ad aliud proferretur, quàm ad significandam prioritatem in adiutorio Divinæ gratiæ ex se ipsâ efficaci; præcedit enim lux, æquèquæ præcedit actionis adiutorium, quòd, si actio-

nis est, sine actione non est: & propterea efficacis est; hoc enim sibi vult efficacia, sine actione non esse. Sicut ergo ex solo Dei dono lux illuminat, ita ex solo Dei dono auxilium ejus efficaciter adjuvat. Deinde in eodem lib. cap. 8. ait: *Inchoat Deus in homine voluntatem bonam, deindè eandem voluntatem adjuvat inchoatam, ut eadem voluntas & Divino bono bona sit, & Divino adiutorio malam superare concupiscentiam possit.* Ecce juxta S. Doctorem, Deus inchoat voluntatem bonam, & inchoatam adjuvat: sed ad quid adjuvat? *Ut nempe Divino bono sit bona:* ergo adiutorium illud præcedit bonitatem, utique perfectam, nam id subjecit postquam dixerat, *inchoat in homine voluntatem bonam,* & hoc esse adiutorium voluntatis benè incipientis, cujus bonitatem gratia Dei inchoaverat: sed voluntas tunc est perfectè bona, quando se per actum exercet perfectum: ergo gratia, ut ita se voluntas exerceat, voluntatem adjuvat, sicut ut inciperet, adjuvaverat. Undè sicut dicens: *Inchoat Deus in homine voluntatem bonam,* prioritatem significavit adiutorii Dei efficaciter, seu quòd idem est, verè donantis: ita qui dicit, adjuvat, ut velit, prioritatem eandem significat in adiutorio: ergo prævia est gratia adjuvans, cum effectu, ex sola donatione, & misericordia Dei.

121. Noluit S. Fulgentius id nostris relinquere discursibus; clarius voluit ex sua haberi doctrina prioritatem gratiæ efficaciter adjuvantis; quare lib. de Incarnat. pag. 197. ait: *Non dicat humana voluntas, meum est velle credere, Dei autem gratia, est adjuvare; sed dicat, gratiæ Dei est adjuvare, ut sit meum velle credere. Tunc enim verè, rectèque ait, ejus hoc velle, cum eum gratia præveniens ceperit adjuvare.* Quid clarius pro gratiæ efficaciter ex se ipsâ adjuvantis prioritatem, atque in influendo præcedentia? Gratia adjuvans præcedit velle, & tunc verè, rectèque velle dicitur nostrum, quia nimirum juvamen illud gratiæ præveniendò, nobis donat velle, ut sit, & dicatur nostrum. Nihil enim boni nostrum est, nisi donaverit Deus, qui solus est verum, & effectivum principium omnis boni. Quòd si oculos vertas ad dogma Pelagii asserentis, velle esse nostrum, non Dei, quia licet adjuvet possibilitatem, non tamen adjuvat voluntatem, videbis è contra S. Fulgentium asserere, velle nostrum, potius esse Dei, quàm nostrum: immò idè esse nostrum, quia nos gratia præveniens efficaciter adjuvat, ut velle nostrum habeamus.

122. Hoc tale, tantumque istorum SS. Patrum testimonium majus momentum habere arbitror, cum floruerint tempore, quo errores isti prodierunt, & Ecclesiæ judicio fuerunt confixi, licet alii SS. Patres minori expressione locuti sint, ut observat D. Augustinus lib. de prædest. Sanctior. cap. 14. *Quid igitur opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habue-*

runt necessitatem in hac difficili ad solvendum questione, versari; quod procul dubio facerent, si respondere talibus ogerentur? Unde factum est, ut de gratia Dei, quid sentirent breviter quibusdam Scriptorum suorum locis attingerent, immorarentur verò in eis, quæ adversus alios inimicos Ecclesiæ disputabant. Sed ad alios accedamus.

123. Eleganter id ipsum illustrat D. Laurentius Justinianus lib. de obed. cap. 16. Præclarum procul dubio est istud spectaculum, gratissimum Deo, Beatissimis Spiritibus omnino mirandum, atque ab his, qui rationales sunt, extollendum laudibus, operibusque sectandum, si tamen invitati sunt, si adjuvi, si tracti. Ad nuptiale convivium (sicut legitur Matthæi 22.) invitati sunt multi, sed quoniam tracti minime exitere; alius in villam, alius verò ad negotiationem proficiscens, se excusando aeterno privare convivio. Porro parum est, spirituales invitari ad nuptias, nisi quis adjuvetur, atque trahatur. Adjuvatur (inquam) cum gratis donatur velle: trahitur autem, quando cooperante gratia, etiam tribuitur posse perficere. Magistrum veritatis audi dicentem Joan. 6., nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Trahit namque Pater ad Filium, conferendo gratiam, infundendo lumen, & tamen ore, & manifestando se. Ita quippe si desint, qui invitati sunt, remanent foris & excluduntur à Regno. Trahi profectò à Patre non est volentis. neque currentis, sed solius ipsius miserentis. Hoc Propheta insinuare volens, de Patribus veteris testamenti loquens, ait: non enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non salvavit eos, sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuiisti in eis. Psal. 13. Invitatus itaque quis ad nuptias gaudeat, consentiat, & oret, ut cum effectu trahatur. Invitatus, inquam, à Domino, ut omnibus, quæ possidet, renuntiet, & ut abneget semetipsum, tollat Crucem suam, & sequatur Christum. Quamquam supra vires, supra naturam, & laboriosissimum esse videatur; non contradicat vocanti, nec resistat gratiæ, neque trahentem repellat, quin potius gratias agat, assensum tribuat, crucemque bajulando contra se viriliter dimicando decertet. Agat, inquam, gratias Deo, quia gratis vocatur, non utique ab hominibus, non ab Angelis, sed à Deo, nec qualicumque vocatione, sed sancta, spirituali, sed celesti, de qua Apostolus ait: qui vocavit nos in sortem Sanctorum in lumine. Vocantur planè multi ad fidem, dicente Domino, quod multi sunt vocati. Illorum tamen sic vocatorum pauci sunt qui hujusmodi, de qua agitur, vocatione sint digni. Communis est illa; ista verò specialissima.

124. Hanc perennem, non sufficientis tantum gratiæ, sed intrinsicè efficacis, doctrinam repetit, Divinæ electionis altissimum Mysterium proponens in fasciculo amoris cap. 10. Scio equidem, & verè scio, maximas amicorum Christi esse delicias, omniumque præ-

sentis vitæ delectabilium transcendere jucunditatem. Gratis utique donantur, non pro libito volentium, aut quæventium: tribuit enim se cui vult, & quem ipse elegerit, dilectionis suæ conubio efficit dignum. Hoc planè auctoritatibus Scriptorum, & potissimè ex præsentis Salvatoris sententia comprobatur. Cum enim dixisset: Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audi vi à Patre nota feci vobis: repente intulit, vos non me elegistis, sed ego elegi vos. Nempe si electionem Dei hominum præcederent merita, absurda Domini sententia videretur. Patendum est igitur nulla in electione Dei opera bona præcedere. Ut quisque eligatur ad vitam, gratificetur ad veniam, & in unitate persistat, in Dei pendet arbitrio, quem enim prædestinavit ad gloriam, per gratiam vocando justificat. Unde & cum Propheta dicit: misericordia ejus præveniet me Psal. 58. Quæ, oro, in Jacob præcesserunt merita, ut antequam egredieretur de utero, cum Esau fratre suo decertaret, & vinceret: nondum ad lucem venerat, nihil boni adhuc egerat, genitoribus ignotus erat, & tamen prioris germani plantam tenens futurorum præfagia figurabat. Qui agnoscebat intus, & diligebat ex se, atque prædestinaverat ad vitam, gratiæ suæ portenta monstrabat. Porro in electione Dei in juniore, gratiæ nihil inventum est dignum, & tamen ore prophetico Dominus testatur est, dicens, Jacob dilexi, Esau autem odio habui. . . In aequitatis etenim censura disponens omnia, nemini calumniam irrogat. Nam cui vult, miseretur, & quem voluerit, indurat. Juxta igitur sententiam Pauli: non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei prædestinationis electio. Tot hominum millia in Judæa erant, cum ipse Dominus Regnum Dei predicaret, & tamen non quos hominum commendabat opinio, ad Apostolatus elegit apicem, sed quos ipse voluit. Nempe quos præsciendo prædestinavit, hos vocavit, justificavit, glorificavit. Quemadmodum autem in aula regia vasa sunt multa, quædam in honorem, quædam verò in contumeliam: ita & in Ecclesia Dei populus est multus: quorum alii ad gloriam, alii ad sempiternum sunt præsciti interitum. Nam qui ad gloriam provehantur, priusquam fierent, prædestinati sunt, eorum nullis præcedentibus meritis. Huic sententiæ concordat Apostolus, inquiens: qui elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem, ut essemus Sancti, & immaculati coram illo.

125. Nihil apertius, ac nitidissima notioni Divinæ motionis explicandæ opportuniùs. En verissima Dei gratia: Non recurrit S. Doctor ad gratiam prævisam efficacem in talibus circumstantiis; non gratiam statuit dependentem ex solo usu liberi arbitrii; non asserit, quod cogitatio sufficiens ex ipso arbitrio transit in congruam; non ad completum ex gratia excitante, & omnipotentia indifferenter præparata ad concurrendum cum voluntate creata ad omne exercitium, ad quod se determinaverit, efficaciam gratiæ reducit; sed hanc agnoscit in eo, quod homo à Deo

à Deo invitatus gratia sufficiente sit adjutus, & tractus efficaci; cum parum sit invitari, nisi quis efficaciter adjuvetur, atque trahatur: quod tamen trahi non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. Unde totum est Dei, quod invitatus ad nuptias gaudeat, consentiat, oret, ut trahatur; quod non contradicere vocanti, nec resistat gratiæ, neque trahentem repellat. Tota littera ipsa, atque contextus clamat hanc intrinsicam gratiæ efficaciam: quod gratia hæc gratis donatur non pro libito volentium, atque currentium; quod ut in unitate persistat ex Dei pendet arbitrio, quia misericordia ejus prævenit nos; quod Deus discernens merita, nemini injuriam irrogat: nam cui vult, miseretur, & quem voluerit, indurat; cum juxta sententiam Pauli, Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis prædeterminationis electio. Hic, qui gratiæ intrinsicam efficaciam ex Dei, & non ex libero descendente arbitrio non agnoscit, nebulas vult offundere lucidissima veritati.

126. Consentiant ceteri Patres. S. Dionysius de Divin. nomin. cap. 5. ante fin. prædeterminandi nomen usurpans citatus à Divo Thoma q. 3. de verit. art. 1. asserit namque cap. de Divinis nominibus: Exemplaria esse dicimus in Deo existentium rationes substantialiticas, & singulariter præexistentes, quas Theologi prædeterminationes vocant, & bonas voluntates existentium prædeterminativas, & effectivas; secundum quas substantialis essentia omnia prædestinavit, & produxit. Hæc D. Dionysius, quibus familia habet D. Thomas in Commentario, quo ea D. Dionysii verba ita illustrat: Hujusmodi, inquit, rationes Sacra Scriptura vocat prædeterminationes, & bonas voluntates, quæ sunt distinctivæ entium, & effectivæ ipsorum: quia per hujusmodi rationes super substantialis Dei essentia prædeterminavit omnia, & produxit. D. Ambrosius recte utrumque componens, & quod aliquid fit in homine, quia ipsi videtur, & quia ipse vult, cum eo quod Deo prius visum sit; quem laudat D. Augustinus de natur. & grat. cap. 13. super illud Lucæ cap. 1. Visum est mihi, ubi sic habet. Potest non soli visum esse, quod visum sibi esse declarat, non enim voluntate tantum humana visum est, sed sicut placuit ei, qui in me, inquit, loquitur Christus: & ideo qui Christum sequitur, potest interrogatus, cur esse voluerit Christianus? Respondere, visum est mihi, quod cum dicit, non negat Deo visum. A Deo enim præparatur voluntas hominum, ut enim Deus honorificetur à Sancto, Dei gratia est. Quod etiam pertinet illud libri 2. de vocatione gent. cap. 9. Sive initia, sive profectus fidelium, sive usque in finem perseverantium cogitemus genus, nulla species cujuscumque virtutis occurrit, quæ vel sine dono Divina gratia, vel sine consensu nostræ voluntatis habeatur.

127. Divus Chrysostomus Homil. 13. in Joannem docet, quod gratia Dei semper in be-

neficiis priores sibi partes vindicat. Et hom. 76. Non vos me elegistis, inquit, sed ego elegi vos: hoc est in amore præcurri. Et explicans illa verba Apostoli ad Philippenses 2. Deus operatur in nobis velle &c. si (inquit ex aliorum persona sibi objiciens) voluntatem in nobis ipse operatur, quomodo nos adhortaris? Etenim, si ut velimus ipse facit, frustra nobis dicit, obedite: non enim obedimus, frustra dicit in timore, ac tremore: nam totum Dei est. (Nota simile fieri argumentum contra præmotionem Dei, ideòque & contra gratiam prævenientem, sed pro hoc loco respondeat Chrysostomus) non ad hoc dixi, Deum esse operantem in vobis (ideòque influentem in causam, eamque moventem) & ut velitis, & ut operemini, (ut scilicet, otiosi esse velitis) sed ut sollicitudinem vestram relevarem. Si volueritis; tunc operabitur voluntatem, & promptitudinem ipse vobis dat, & operandi efficaciam. Quando enim (per ejus gratiam) voluerimus, voluntatem postea adauget: utpotè volo boni quidpiam operari, bonum istud ipse operatur, & per ipsam etiam voluntatem, &c. & postea: Ostendit hæc & securos nos esse facit, Deum omnia operari. Vult enim nos juxta voluntatem suam vivere. Si verò vult, agit ergo nos ad hoc, immò ipse istud omnino operatur. Vides quomodo S. Doctor non aliud à nobis sentit, & docet (quod aliqui minus rectè illum accipientes, putarunt) quin potius bonarum nostrarum actionum Deum operatorem verè, propriè, & effectivè constituit. Quod si operator illarum est, causa est illarum, ipsæque effectus sunt Divinæ actionis: undè actiones nostræ actione Dei præceduntur, à qua habent, quod actiones nostræ sint. Unde optimè dicit: Agit nos ad hoc; scilicet, ut agamus. Nec quemquam terrere debet, quod dixerit, Deum, si voluerimus, operaturum, quasi voluntas nostra præcedat. Nam & expressè dicit: Si volueritis, tunc operabitur voluntatem. Et quid est, operari voluntatem, nisi operari ipsum velle? Nempe duplicem agnoscit gratiam: aliam dantem velle; aliam augmentem, & addentem operationem. Indequè verum est Deum omnia operari. Quod si non adeò exactè se explicat, ut posteriora tempora requirerent: causam habes supra ex S. Augustino annotatam, n. 122. Videatur etiam homil. 12. in 1. Epist. ad Corint.

128. D. Bernardus eamdem Divinæ motionis idæam exprimit lib. de grat. & liber. arbitr. dicens, Quod gratia voluntatem applicat operi, & opus applicat voluntati. Et post medium, illud ex Sapient. 8. advocans: Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter: attingit, inquit, à fine ad finem; hoc est à summo Cælo usque ad inferiores partes terræ, à maximo Angelo usque ad minimum vermiculum: attingit verò fortiter; non quidem mobili discursione, vel locali diffusionem, vel subjectæ Creaturæ tantum officiali administratione; sed substantiali quadam, & ubique præsentis forti-

titudine, qua utique universa potentissime movet, ordinat, administrat. Legeffis integrum opus; singula enim exscribere, non vacat.

129. D. Gregorius lib. 1. moral. cap. 12. *Superna pietas prævire agit aliquid sine nobis, ut subsequente libero arbitrio, quod jam appetimus, agat nobiscum.* Et homil. 9. in Ezechiel. *Deus aspirando nos præviret, ut velimus, qui adjuvando subsequitur, ne inaniter velimus, sed possimus implere, quod volumus.* Dicimus ne aliquid aliud nos?

130. D. Bonaventura lib. 2. dist. 24. q. 6. *Absque dubio sicut auctoritates Sanctorum dicunt, necesse est, ponere liberum arbitrium à gratia moveri, & excitari. Ab ipsa enim gratia operante præviretur, & à cooperante ad opera meritoria elevatur, ita quod respectu operis meritorii gratia est, sicut principalis motrix, & voluntas sicut pedissequa.* Et postea assignans duos modos, quibus gratia dicitur movere liberum arbitrium, secundum dicit esse huiusmodi. *Sicut lumen non solum operatur cum aere, sed etiam operatur in ipsum aërem ratione continuationis cum suo fonte; Sicut etiam gratia non solum operatur cum libero arbitrio, sed etiam operatur in liberum arbitrium, & liberum arbitrium movet: quod gratiæ operanti convenire docet; gratia enim operans, inquit, liberum arbitrium præviret, & movet.* Præterea dist. 25. q. 5. ponens distinctionem inter hæc tria, voluntatem induci, invitari, & cogi, dicit, *quod voluntas induci potest ab agente creato, mutari verò ab alio non potest, nisi ab agente increato, cogi verò ab aliquo non potest: Ubi agnoscit voluntatem à Deo solo immutari, non per suasionem (hoc enim est induci, non induci dicitur voluntas, quando fit persuasio, ut ibidem ait) sed per veram actionem, qua in voluntatem realiter operatur. Quomodo enim efficaciter immutaret Deus, si in illam non ageret? Et dist. 26. *Deus per gratiam movet voluntatem, nec tamen hoc voluntati repugnat; quia voluntas sic vult moveri à Deo: unde sic movetur à Deo, quod movetur etiam à se ipsa, & ideo omne opus meritorium attribuitur gratiæ, & libero arbitrio.* Et dist. 37. q. 1. clarius adhuc affirmat, *Deum in ipsas causas influere, & operari, quia, inquit, Deus est causa primordialis, ideo est maxima influentia in causas secundas; ergo non solum in effectum.**

131. Addamus etiam, quem à nemine laudatum vidi, S. Martyrem, & Episcopum Petrum Paschasium; ille enim, qui, quam ab ore S. Thomæ doctrinam accepisse traditur, primus in suum Mercenariorum Ordinem, ubi gloriosè semper custoditur, invenit, tit. 16. contra sectam Mahometi, n. 363. postquam prævirentem efficaciter gratiam ex Ecclesiæ orationibus ostendisset, sic profectur. *Quapropter Regius orans Propbeta, à Deoque beneficia petens, agebat: misericordia ejus præviret me, & misericordia ejus subsequetur me. Tanquam si dixisset: præviret velle, & subsequatur perficere; hoc est, Dei*

miseriordia mihi bene operandi, & perficendi voluntatem tribuat. Et si bonum operamur, recognoscemus, à Deo gratiam, & voluntatem bene operandi accipere; quia neque Adam (in statu innocentiae) ab alio illam accepit, quam à Deo. Ecce eandem Augustini, & Thomæ doctrinam doctissimi huius Sancti Martyris ore expressè traditam: quam si bene operamur, recognoscere nos debere, dicit; id est, Deum (etiam in statu innocentiae) voluntatem ipsam operandi dare, nosque illam accipere. Non ergo voluntas gratiam determinat; sed gratia voluntatem. Quod ergo magis solidum, imperturbabile, perpetuum, jucundumque huius veritatis fundamentum assignari valet, dum SS. Patres Ecclesiæ Magistri uno, eodemque consensu aperte, frequenter, perseveranter gratiam adjuvantem facientem nos velle, & agere, ac proinde ex se ipsa efficacem tenuerunt, scripserunt? Si ergo diversis temporibus scribentes, ac docentes conveniunt, pari pietatis affectu, ac reverentia ab omnibus suscipi, ac venerari debet; maximè, cum doctrinam istam à primis sæculis ad nostra tempora transmissam, dum exorti sunt novi Hæretici, usque semper fuerit Ecclesiæ ad eorum errores revincendos.

S. VII.

Ex auctoritate Theologorum Scholasticorum novum sumitur argumentum.

132. Signum certum, & quidem à posteriori, veritatis doctrinæ; immo firmiter à Theologorum Scholasticorum auctoritate sumitur argumentum, quos qui sequitur, securus incedit, nec circumfertur inanis vento doctrinæ. Interrogemus illos de semitis antiquis, juxta Divinum monitum, quænam sit via bona, & ambulemus in ea. Eam ergo, tenendam mihi tutissimè statuo, quam constantes frequentant sacræ doctrinæ Magistri, quorum sapientiâ, subsidio, & diligentia floret, juvatur, & illustratur Ecclesia. Hi enim ut veri SS. Patrum Discipuli, quam ab ipsis acceperunt, nobis commendant veritatem. Ideò sensus continuus Ecclesiæ circa gratiam meritò ab ipsis repetendus.

133. Doctor Subtilis Scotus negat in signo illo priori, quod concipimus antecedere decretum Divinæ voluntatis, scientiam, qua Deus contingentia conditionata futura cognoscit. Quam sententiam P. Molina in concord. 1. p. q. 14. disp. 48. *S. Etiam si Scotus damnat: Illam esse, ait, plusquam periculosam in fide, eo quod asserat, Deum aeterno suo decreto ante prævisionem actus liberi voluntatis, determinare in quam partem voluntas sit determinanda, quasi à sola libera determinatione Dei, & modo influendi cum causis secundis pendeat, quod liberum arbitrium, & quæcumque alia causa secunda, hoc, vel illud operetur, vel non operetur.* Et disp. 34. fatetur Scoti sententiam ef-

esse, quod concursus Dei generalis sit influxus in ipsasmet causas, quo à Deo moveantur, & applicentur. P. Suarez disp. 22. Metaphys. sect. 4. censet, Scotum sentire, quod prima causa determinet secundam quoad exercitium, etiam si libera sit, quodque Deus definiat concursum suum ad unum determinatè exercitium libertatis. Idem P. Azor. lib. 1. instit. moral. 4.

134. Hæc sanè est mens Subtilis Doctoris lib. 1. Sentent. dist. 8. ubi sic loquitur: *Nulla causa secunda causat, nisi primam causam concusante causatum ejus, & hoc prius naturaliter, quam ipsa causa proxima causat; ubi loquitur de prioritate causalitatis, quam convenire voluntati divinæ docet lib. 1. dist. 39. S. Juxta, dicens: Non solum ipsa in volitione prior est naturaliter suo actu, sed etiam in quantum est volens.* Et dist. 39. *S. Viso, de contingentia rerum, dicit, quod voluntas (divina) facit rem determinatè esse veram.* Et postea: *patet, ait, quod est determinatio intellectus divini ad illud existens, ad quod determinatur voluntas divina, & certitudo infallibilitatis.* Et S. ad 1. *Neceste est ponere primam determinationem in voluntate divina respectu factibilium.* Et in eadem dist. q. 5. *inquires, cur si essentia divina naturaliter repræsentat contingentiam, antecederet ad actum divinæ voluntatis non repræsentat illa? Et respondet: tunc autem non sunt vera contingentia, quia nihil est tunc, per quod habeant veritatem determinatam: posita autem determinatione voluntatis divinæ, jam sunt vera, videlicet pro illo secundo instanti.* Et hoc idem erit ratio divino intellectui (quod erat in primo) intelligendi ista, quæ sunt jam vera in secundo instanti, & fuissent cognita in primo instanti si fuissent in primo instanti. Et dist. 41. *S. Sed contra, Deus, inquit, non præviret, istum bene usum libero arbitrio, nisi quia vult, vel præordinat istum bene usum eo, quia sicut dictum est dist. 39. certa prævise futurorum contingentium est ex determinatione voluntatis divinæ: determinat ergo voluntas divina primum ab æterno, quid factura sit, ac deinde hoc ipsum facit in tempore.* Et in 4. dist. 49. *non est contra naturam voluntatis, quod determinetur à causa superiori &c. sed esset contra naturam ejus determinari ab habitu, sive à natura inferiori. Ad formam, scilicet argumenti propositi, contra naturam ejus est determinari in suo ordine, & nihil aliud primò repugnat sibi: sed ex consequenti est contra naturam ejus determinari à causa inferiori, quia tunc ipsa non esset superior: non est autem contra naturam ejus determinari à causa superiori, quia cum hoc fiat, quod sit causa in suo ordine. Contra: si causa superior determinat, ergo voluntas in suo ordine causandi determinatur: ergo in suo ordine causandi non est contingens. Respondeo, propter causalitatem ejus in suo ordine, est aliqualis contingentia, sed quod effectus, qui provenit ab ipsa, & aliis, non omnino contingenter proveniat, hoc est, quia alia causa prior est determinata ad illum effectum.*

Et dist. 41. *S. Quod licet: si quæras, inquit, quare voluntas divina magis determinatur ad unum contradictorium, quam ad alterum? Respondeo, indisciplinari esse querere omnium causas, & demonstrationem.* Et mox: *& ideo huius, quare voluntas voluit hoc, nulla est causa, nisi quia est voluntas: Sicut huius, quare calor est calefactivus, nulla est causa, nisi quia calor est calor, quia nulla est prior causa.* Ex quibus manifestissimum est, & luce meridiana clariùs, statuisse Scotum prævium influxum Dei in voluntate, quo ipsa præviretur, & ad unum oppositorum ita determinatur efficaciter, ut non maneat in ipso potentia propinqua, seu consequens, & in sensu composito ad oppositum, ut præmiserat ipse dicto loco ex 4. dist. 49. per hæc verba: *Nunquam causa secunda præviret à causa superiori agente ad unum oppositum potest potentia propinqua exire in aliud oppositum.* Videndus sapientissimus Lemos lib. 3. p. 1. tract. 2. cap. 22. ubi demente Scoti fatis fusè agit. Meritò ergò P. Macedo, qui olim, ut ipse ait, Societatis institutum, & doctrinam tenuerat; cum in sacro Minorum Ordine, post longa studia, mentem suam aperuisset, dixit de Thomistis: *Quibuscum, uno excepto, Scotistæ, qui veri Scoti discipuli esse volumus, concordamus.* Et hanc viam, ait, *ingenuo, ac libero more dicendi, videri sibi rectius ad portum veritatis perducituram. Uno excepto dixit; quia non vult (id quibusdam etiam Thomistis probatur) præmotionem consistere in qualitate; non quia libertatem lædat; hanc enim difficultatem parvi pendit; sed quia putat, componi non posse cum auxilio sufficienti. Legatur tom. 2. collation. 9. per totam.*

135. Alexander Alensis 1. p. q. 9. memb. 2. q. 26. memb. 7. art. 2. in constituenda Dei prævia motione in creatum arbitrium consentit, docens: *Quod causa prima plus influat, quam secunda, quia secunda non influit sine prima, immo habet à prima, quod influat.* Cujus rationem reddit 1. p. q. 4. memb. 1. *quia causa non exit de potentia in actum sine aliqua sui mutatione.* Et p. 2. q. 100. memb. 3., sic habet: *Si aliquid egreditur à nostro libero arbitrio, hoc est secundum quod recipit influentiam à Deo. Prædeterminationem ergo si velis dicere, non aliud dices, quam influentiam, ut ille nominat, agentem in causam, ut ista agit. Nec putavit ille influentiam istam, secundum quam aliquid egreditur à libero arbitrio, inducere necessitatem, aut coactionem; quin immo novit, alienam esse præmotionem liberi arbitrii ab eo genere, quo præmovent, & præmoventur causæ naturales. Id animadvertit ille 1. p. q. 26. memb. 4. ibi enim sibi sequens objicit argumentum: *omnia, quæ sunt providentiæ, Deus prædeterminat, quia suum providere est prædeterminare: sed ea, quæ sunt in nobis, id est actus liberos, Deus non prædeterminat: ergo ea, quæ sunt in nobis, non sunt providentiæ.* Ad quod respondet concedendo ma-*

maiores & negando minores, & ad illius probationem, quæ ex Damasceno petitur respondet: *Ad auctoritatem Damasceni dicendum, quod ipsemet soluit dicens: non prædeterminat ea, quæ sunt in nobis, quia non compellit ipsam virtutem, id est, non cogit liberum arbitrium ad faciendum hoc vel illud.* Exponit ergo auctoritatem Damasceni, dum explicat, quam prædeterminationem negat S. iste Pater; nempe quæ sit cum impositione necessitatis, non tamen quam ille admittit, non necessitatem, qualis est etiam in effectu divina providentia; quod non satis aliqui, opinantes aliter sentire Damascenum, animadvertunt; atque Alenfem simul à nobis abire, autumant; cum planum sit, quod si Doctor iste præmotionem arbitrii negasset, & concessa majori, absolute negaret minorem, nec enim opus erat Damascenum explicare; sicut & illum exposuit D. Thomas 1. p. q. 23. art. 1. & q. 5. de provident. art. 5. ad 1. & 3. contra gent. cap. 90. Et Magister sententiarum in 1. dist. 27. *Voluntas quippe Dei consequens, semper efficax est, ut fiat omne quod vult, & nihil fiat, quod nolit, quæ de homine semper impletur, quocumque se vertat.* Gregorius Ariminensis in 1. Sententiar. dist. 17. q. 2. art. 2. ad 7. disertè asserit, quod *Deus determinat liberè agens naturale, quod agens naturale à primo agente liberè determinatur.* In quo loco posuissè determinationem Dei, sicut clarum est ex illius verbis, fatetur Franciscus Suarez tom. 2. Metaphys. q. 5. Et in 2. dist. 34. & 35. ait, quod *Deus movet voluntatem nostram, facitque ipsam agere.* Verba prioris loci sunt. *Deus determinat liberè naturale agens, ut hæc pars prius quam illa corrumpatur.* Item. *Hæc res prius producit, ad cuius productionem agens naturale à primo agente liberè determinatur, ut illam prius producat, ad cuius productionem ipsum primum agens determinatè concurrat.*

136. Ægidius S. R. E. Card. de divina præmotione agens in 2. dist. 5. q. 2. ipsam constituit in anima nostra agentem. Et dist. 14. q. 3. explicans, quid faciat Deus per hunc impetum, quem libero creato arbitrio imprimat, ita dicit: *Sed cum anima humana quantum ad suam essentiam creetur immediatè à Deo, oportet, quod immediatè quantum ad voluntatem, & liberum arbitrium sit supposita ipsi Deo; Deus enim licet non possit cogere voluntatem, quia tunc voluntas non esset voluntas, sed implicaret contradictionem, potest tamen eam pro libito immutare, quia cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, vertet illud.* Ecce prævium Dei concursum immutantem voluntatem à Card. Ægidio traditum. Et iterum ibi: *Quantum, inquit, ad liberum arbitrium non sumus subiecti, nisi soli Deo; licet indirectè, ut persuadendo, aliis sumus subiecti.* Et in eodem 2. dist. 25. q. 1. in responsione ad argumenta, ait: *Propter quod, licet Deus non possit cogere liberum arbitrium, potest tamen ipsum immutare.*

137. Preiis vestigiis suum Doctorem Subtilem quem nobiscum loquentem supra audivimus, alii eruditi, & præstantissimi viri Ordinis Fratrum Minorum ex Primariis Concilii Tridentini Theologis sequuti sunt. Andreas Vega in quæstionibus ad materiam de iustificat. q. 11. versus finem prædeterminationem physicam admittit, respondens argumento sibi proposito subsequenti forma: *Dicit tamen aliquis: saltem quando Deo non movente, nec instigante nos prius ad penitentiam, ex potestate nostri arbitrii converteremur ad Deum, & doleremus de peccatis nostris, nos limitarem, & determinarem concursum divinum specialem ad eam conversionem, & dolorem, & præcederet naturæ efficientiæ voluntatis efficientiam divinam, & non ille faceret, at nos faceremus, sed nos contra, ut ille faceret, & nobiscum concurreret. Et consequenter, cum nos hoc non faciamus, nec provocemus concursum divinum aliquo alio actu, quam ipso dolore, ut supponimus, videtur, quod prius natura nos dolebimus de peccatis nostris, quam Deus specialiter concurrat: & ita non erit necessarium auxilium Dei speciale ad illum dolorem.* Ad hanc replicam, quæ totam difficultatem attingit, quæ est in istis concursibus Dei specialibus, sic respondet: *Quamvis in potestate nostra sit, facere, quod Deus nobiscum concurrat ad penitentiam (possimus enim penitere) hoc autem sine suo concursu fieri non potest; tamen non possumus facere, ut Deus sic concurrat nobiscum ad penitentiam, ut concursus ipsius limitetur à nostro, & posterior sit nostro. Semper enim causa prima plus influit in effectum, & plus agit, quam causa secunda, & facit eam concurrere, non è contrario. Et quemadmodum, quando Deus concurrat nobiscum solum generaliter, licet in potestate nostra sit scribere cum volumus, & facere consequenter, ut Deus nobiscum concurrat ad scribendum; tamen nunquam scribemus, quin Deus prius natura moveat manus nostras ad scribendum, quam nos ipsi. Ita & in concursu speciali intelligendum est, licet in potestate nostra sit, dolere de peccatis nostris, & consequenter facere, ut Deus ad dolendum nobiscum concurrat; tamen nunquam dolebimus, nisi præcedente gratiâ divinâ nostra opera, & movente voluntatem ad eum dolorem. Et possemus dare hoc exemplum, ut intelligere ista possit, quæ quidem difficilia sunt, etiam rudis. Si Petrus in puerili ætate haberet in potestate sua scribere, propter presentiam Angeli, vel Magistri, & Pædagogi sui influentis in manus ejus, & facientis eas potentes ad scribendum, & moventis eas, quandocumque Petrus scribit, & non aliis; equidem licet Petrus posset scribere, quandocumque ei colliberet, tamen nunquam scriberet, quin suus Angelus prius ipso moveret manus suas, & faceret eas causare motum, & daret potentiam ad eum motum. Ita intelligendum est de concursu divino, & voluntate nostra; neque major est difficultas de concursu generali, & speciali; utrovis enim modo concurrat Deus, semper præcedit natura*

tura efficientia illius efficientiam nostræ voluntatis. Ecce defendit priorem prioritate causalitatis divinum concursum, & ex quo prior est, semper determinare, & non determinari à voluntate creata, ut sic causa prima plus influit in secundam, faciens causare istam. Quod enim dicat in potestate nostra esse concursum Dei, hoc solum ex consequenti indirectè, & valdè impropiè intelligi debet, quatenus actus est in potestate nostra, nec existere potest sine determinatione Dei.

138. Idem præstantissimus Magister mentem suam luculentius aperit in Commentario Tridentini cap. 4. dicens: *Neque solum oportet credere, necessarium esse nobis divinæ gratiæ adiutorium, ut ad iustificationem præparemur, sed & illud constanter asserendum est, quod ex cap. 5. (Tridentini) in secunda conclusione collegimus, & prius, & principalis Deum ipsas (dispositiones intellige) efficere, quam nos ipsos, & ei præcipuè esse adscribendas.* Et hanc doctrinam ut certam amplectuntur omnes Scholastici Doctores, quos legerim, post Magistrum in 2. dist. 24. cap. 4. *Quam etiam disertè tradidere antiqui Doctores.* Citat deinde Augustinum, Chrysostrum, Gregorium, Isidorum, ac subdit: *Et confirmari potest hæc sententia Patrum nostrorum, quia præparationem ad iustificationem principalis tribuit Scriptura Deo, quam nobis. Sapius enim vocat præparationes nostras opera Dei, quam opera nostra; & frequentius docet, ad illas obrinendum, humiliter postulare auxilium Dei speciale, & pro illis ad præparandam Deo gratias agere; & sæpè gloriam operum nostrorum nobis interdicit, docetque non nobis, sed Deo potius omnia bona nostra tribuere, ut patebit ex testimoniis capite proximo citandis. Item: quandocumque ad aliquem effectum concurrunt causa universalis, & particularis, prius, & principalis est ille effectus à causa universali, quam à particulari: plus enim influit in effectum causa universalis, quam particularis, ut etiam Philosophi fatentur: causa quippe universalis movet ad agendum causam particularem, & facit suo influxu, & applicatione, ut illa operetur: non habet autem hanc vim causa particularis in universalem. Et hac ratione, ex consensu omnium Philosophorum, in operibus, quæ Deus facit nobiscum concursu suo generali, priorem, & potiorè partem sibi ipse vendicat. Quare & idem multò magis asserendum est de operibus, quæ Deus facit nobiscum concursu suo speciali: nam hæc propria Dei opera appellantur. Quod nisi ita esset, non esset omnino certum, omnes peccatores præveniri à Deo ad suam conversionem; neque fuissent circa omne dubium recepta (in Tridentino) quæ communiter de gratiâ præveniente inferius ab omnibus Catholicis concessa monstrabimus. Vix aliquid efficacius dici potest ad adstruendam efficaciam intrinsicam gratiæ. Quanti autem habenda sit huius viri auctoritas, si quem lateat, legat magnum illum Petrum Canisium in præfatione, quam editioni Coloniensi operum Andreae eisdem præfixit.*

139. Alfonso à Castro lib. 7. de Hæresibus verb. *Gratia* arguens pro necessitate gratiæ, & oratione, qua tenemur à Deo petere gratiam, & qua Paulus ipse petit illam, ut tentationem superaret, ait: *Quod si Paulus, dum hoc petebat, potuisset quamvis difficile, præstare, merito respondiisset illi Dominus illud quod B. Lucia pro suæ Matris salute B. Agatham deprecanti, eandem Agatham respondiisse fertur: ut quid, inquit, à me petis, Virgo Lucia, quod ipsa poteris Matri tuæ præstare contumud? Verum, quia Paulus non poterat tam improba tentationi Satanae etiam cum magna difficultate resistere, ideo Dominus dicit illi: sufficit tibi gratia mea.* Et infra: colligimus ergo cujuslibet boni initium, & ejusdem perseverantiam à divina gratia pendere, & non ex solo hominis arbitrio. Explicatius infra: *nostrum liberum arbitrium citra Dei motionem, præventionem, & cooperationem non potest aggredi aliquod opus verè bonum: cum tamen à Deo monitum, & præventum fuerit, potest Deo momenti obedire, Deo operanti cooperari.* Ecce duo, Dei videlicet monitionem, & nostram obedientiam, Dei operationem, & nostram cooperationem. Ubi illud observa, quod jam me alibi notasse, memini; familiare esse Theologis antiquis rō non potest, de impotentia consequenti accipere; ut sensus sit: *Fieri non potest, aut verificari non potest: eodemque sensu eximius iste Theologus dixit: Non potest aggredi.* Sicut & in Evangelio legimus: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum.* Idem Auctor lib. 9. verb. *Liberum arbitrium: dicit enim Paulus, prædestinationem illam divinam, qua aliquos præordinavit ad vitam æternam, non pendere ex nostris meritis, sed ex sola misericordia divina, qua sine nostris meritis ad tam grande bonum nos elegit.* Et idem sentit de reprobatione, ea videlicet, quæ non est actus positivus suæ voluntatis, sed sola privatio prædestinationis, qua non vult ordinare aliquem ad vitam æternam. Hæc, inquam, reprobatio etiam fit sine nostris demeritis, sed per solam divinæ Majestatis voluntatem, qua noluit hunc destinare ad gloriam. Et infra explicans, quomodo cum hoc stet libertas nostræ voluntatis, dicit: *Nec obstat, quod talis prædestinatio sit infallibilis, ut propter hoc nostrum liberum arbitrium juxta illam operari cogatur, quoniam, qui prævidit finem Prædestinatorum, videlicet gloriam æternam, prævidit etiam media, per quæ talis finis est acquirendus, opera scilicet bona, quæ cum Dei adiutorio illi sunt operaturi.* Et lib. 12. verb. *prædestinatio in secunda hæresi: etsi admittamus, quod juxta Pauli doctrinam falsum est, prædestinationem divinam ex meritis hominum prævisis procedere, ita ut prædestinationis divina causa sit præscientia meritorum; hoc tamen de illis solis meritis intelligendum esset, quæ Deus præscivit illum in articulo mortis habiturum.* En quomodo clarè, dilucidè, apertè nostræ suffragatur sententiæ, gratiam adjvantem physicè, & non moraliter in nostros

actus influentem agnoscens, quæ ex prædestinatione ante prævisa merita infallibiliter sequitur.

140. Cornelius Mussus Episcopus Bitontinus Ordinis Min. dum federet in Concilio fuit in eadem sententia, quæ tantò diligentius investiganda, quantò ille majoris doctrinæ, & auctoritatis fuit. Hic cap. 8. ad Rom. ad illa verba: Quos præscivit, & prædestinavit. Ubi primum nomine Judæorum adversus Apostolum objicit in hæc verba: *Insanis Paule: gentem nostram sibi ascivit omnipotens, quia prænovit nos Sanctos, & pios futuros esse: Ethnicos autem non ascivit sibi, quia illos idolatras, fornicatores, prophanos prænovit. Ne ergo, dicas, Paule, Deum pro sua voluntatis beneplacito, secundum propositum, ut libet, vocare. Ideo namque evocat ex multis aliquos, quoniam illorum piam servitum ab æterno prævidit, Sanctum, fidelemque cultum: divina enim vocatio irrationalis esse non potest: esset verò irrationalis, nisi meritorum præscientia præcederet: illa itaque est ratio aliquos vocandi, non propositum Dei meracissimum. Non ita est, inquit Apostolus, non, inquam, ita: nam, quæ præscivit, & prædestinavit, id est, quos prænovit bene operaturos, & ideo filii sui Imagini conformes, idè prænovit, quia etiam prædestinavit, ut tales essent, & propterea vocavit, justificavit, glorificavit. Non definiit, quia præsciverit: præscivit certè, & primum definiit: & ita littera legi debet: his qui secundum propositum vocati sunt, nam quos præscivit, & prædestinavit: & quia prædestinavit, tandem vocavit. Prædestinare ergo antecedit præscire: prædestinatio autem est propositum miserendi. Qui ergo vocantur, ex meritorum præscientia nequaquam vocantur; ita quòd illa sit ratio vocationis prima, sed vocantur ex miserendi proposito, quia propositum illud prænovationem præcedit. Cum ergo dicit: quos prædestinavit, vocavit, quos vocavit justificavit &c. quòd posterius ponitur, posterius est, & quòd primò ponitur prius est: prædestinatio est prior vocatione, vocatio justificatione, justificatio glorificatione: hic notum est contra: quos enim præscivit tales esse, idè præscivit, quia ut tales essent secundum propositum definiit. Elegit nos ante Mundi constitutionem ut Sancti essemus. Nota verbum, non quia Sancti futuri eramus. Est & locus ille: non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit. Argue modò sic: eo modo quos nos salvos fecit, eo modo prædestinavit, nos salvos fieri: salvos nos fecit non ex operibus factis, sed misericordiam: prædestinavit nos itaque salvos fieri, non ex operibus prævisis, sed ex misericordia, & ita secundum propositum. Et certè mens capere nequit, quòd Deus idè prædestinavit me, quia prænovit me bene operaturum. Nam ecce, cur prænovit me bene operaturum? Quia ego, sum bene operaturus, hoc sane habet primam causam. Quæro, & quidem hæc est, quia me bene operaturum determinavit. Igitur cum il-*

lud, quòd est prius priore, sit prius & posteriore, & quòd est causa causæ, sit causa causati; necessarium est, ut prædestinatio divina scientiam divinam antecedit. Cavè autem intellige, ne me temeritatis arguas, quòd divina metiri videar, definireque, quid ibi prius, quid posterius; cum nulla sit anterioris, posteriorisque ratio. Neesse est enim, me loqui, sicut loquitur Paulus noster, modo humano, quoniam homo sum, & hominibus loquor. In divinà illà luce caligamus nos: habitat namque lucem inaccessibleem, quem nullus hominum vidit, nec videre potest.

141. Postmodum divinæ providentiæ infallibilitatem, prædestinationis omnimodam certitudinem, mirabilemque divinæ gratiæ efficaciam eruditissimè exponens, hanc cum hominis libertate componit, dicens: *Secundò, ipsa (divina scilicet providentia) necessitatem rebus nullo modo imponit: divinæ enim providentiæ, inquit Dionysius, non est naturam corrumpere, sed servare: hæc vero est quarumdam rerum natura, ut contingenter agant. Ex divina ergo providentiæ, & determinatione quantumvis certa, & infallibili, & efficacissima, non fiet ullo tempore, ut contra causarum naturam necessariò agant, quinimmo quòd erit efficacior, fiet non solum id, quòd fiendum est, sed eo modo, quo natum est fieri, videlicet contingenter, vel necessariò. Infallibiliter ergo eveniet contingenter, quòd divina providentia eventurum ordinavit infallibiliter contingenter; infallibiliterque necessariò eveniet, quòd divina providentia eventurum ordinavit infallibiliter necessariò. Aliud est enim, Achillem contingenter pugnare, aliud Æmillem necessariò pugnare; aliud Æmum Achillem infallibiliter pugnare. Hoc enim ultimum communius est utroque, & stat cum necessitate, & contingentia: (observa quòd de infallibilitate motionis sæpius diximus; nimirum, motio Dei infallibilis infert effectus causarum secundarum; alios autem liberos, alios necessariò. Propter quòd diximus, nihil contra nos argumenta, quæ solent objici, valere; dummodo non probetur, infallibilitatem esse necessitatem, quòd certè nemo probabit): Causæ quippe necessariò causantes; & contingenter causantes infallibiliter divinam providentiam sequuntur: illa tamen necessariò, hæc contingenter. Necessitas itaque, & contingentia sunt modi agendi causarum inferiorum secundum se ipsas: infallibilitas est modus earum, ut divina subsunt providentiæ, quæ nequaquam proprios tollit, immo compatitur. Hoc modo concordiam gratiæ efficacis cum libertate componit. Non recurrit ad scientiam mediam antecedentem decretum divinæ voluntatis; non ad gratiam dependentem à libero arbitrio, sed in ipsamet providentiæ, in voluntatis divinæ causalitate, atque efficacia modum hujus concordie invenit.*

142. Joannes Antonius Delphinus Ordinis etiam Minorum insignis Theologus hanc eandem gratiæ efficaciam propugnat lib. 4. de liber. arbitr. S. Opera Dei: Dei opera in

tres quasi Classes distribuemus. In prima igitur ea sunt, quæ Deus ita operatur, ut nulla ex parte liberum arbitrium nostrum, aut Deum ipsum præveniant, aut ad illa efficienda concurrat. Hujusmodi sunt prædestinatio, & reprobatio, vocatio, admonitio, pulsare ad ostium, aliquando etiam inspiratio, & illuminatio; nempe cum illuminatio repentinus quidam motus est instar coruscationis prætervolans &c. Deinde opera illa Dei sunt in altera Classe, quæ sic Deus in nobis efficit, ut nos tamen secum velit cooperari, adeoque sibi consensum liberi arbitrii exhibere, qualia sunt omnia, quæ motionem liberi arbitrii nostri quamquam designant. Ea vero à potenti Deo, pariterque à nobis eodem temporis momento efficiuntur, sed tamen Deus prævenit nos, quia prius naturà, quàm nos illa operatur, ut trahere nos ad se, aperire cor nostrum, disponere, ac præparare nos ad justificationem, & mox ad vitam æternam &c. Denique in tertiâ Classe sunt opera, quæ Deus facit; non tamen nisi in iis, qui dispositi sunt, aut ad bonum per liberum arbitrium adjutum gratia Dei præveniente, sive inclinatione gratiæ gratum facientis, aut certè ad malum per liberum arbitrium dissentientis, ac repugnans gratiæ Dei, & Spiritui Sancto. Talia sunt opera, donare fidem, & spem, effundere charitatem suam in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, quem donat nobis, remittere peccata, augere fidem, spem, & charitatem, glorificare.

143. Franciscus Horantius doctrina, & Religione præstantissimus, qui adversus Calvinum scripsit, eandem circa gratiam, & liberum arbitrium doctrinam habet lib. 1. cap. 53. In primo, inquit, statuamus oportet eos (locos) qui sic Deum erga nos agere volunt, ut nos divina opi cooperari negare videantur, ut non est volentis; & quoties volui congregare, (ad Rom. 9. & Marthæ 23.) & id genus innumerari. In altero gradu is locorum ordo est, quibus licet non sic expressè operatio nostra excludi videatur, ejus tamen operis solus Deus Auctor inducitur, ut, ego auferam cor lapideum, (Ezechiel 36.) Et post plures alios enumeratos subdit: *Sit jam tertius locorum ordo, ubi nomen ipsum beneficii collati explicat, nihil nos fuisse cooperatos ipsius productioni, ut est, gratiam, & gloriam dabit Dominus &c. (Psalm. 83.) creberrima sunt hujusmodi testimonia, quibus nos operum nostrorum gloria interdicimur, ed quòd non nos ipsi (ut blasphemii Pelagiani garriebant) virtute nostra, sed Dei gratia justos facit. Paulò post tria operum genera, quæ in justificatione nostra extant, distinguit. In primo, inquit, operum genere, nullam voluntas nostra partem habet, nec consensum, nec cooperationem, ea sunt prædestinatio, vocatio, admonitio, pulsatio, aspiratio, atque illuminatio. Hæc porrò sic justificationem nostram præeunt, ut tempore etiam quandoque consensum nostrum præcedant: si enim, ut rectè dicebat Augustinus, non est in voluntate nostra positum, non sæpè visis tangi; cur hoc non idem in bonum*

*ipsi voluntati eveniet? Secundi generis opera sic in nobis Deus exercet, ut & nos nostrum etiam assensum illis præbeamus: ea sunt omnia, quæ motum quempiam liberum animi nostri designant. Hæc non prius tempore à Deo, quàm liberè à nobis, sed simul à Deo, & à nobis fiunt, à Deo tamen prius natura. Prioris generis beneficia aspernari, & repudiare, cum priora sint nostris actibus, liberè possumus: posterioris donis etsi liberè utatur voluntas, cum simul sint cum operatione nostra, intelligi non potest, Deum operari, quin & nos operemur: multò minus nostra operatio sine divina vel intelligi potest, veluti nos trahere, convertere, nostrum cor aperire, & alia penè innumerabilia. Videat mecum, & paulisper consideret Christianus Lector, quàm ad harmoniam celestem Scripturæ canant; nempe potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. At idem ipse alibi: venite ad me, &c. Si quis vult venire. David precatur, Domine, labia mea aperies, qui alio in Psalmo ait: aperios tuum &c. Clamamus nos, Domine Deus virtutum converte nos; contra clamat & ipse, convertimini ad me. Consensus hic mirificus, & divinæ misericordiæ nos admonet, qua Deus promptissimus est ad ostium pulsans; & simul nostræ inopiæ, inbecillitatis, & impossibilitatis admonet. Prioris quidem, dum nos ad se converti vult: non quòd à nobis sit principium (absit; est enim Pelagiana hæc blasphemia) sed ut qui dives est in misericordia, paratissimum se ostendat, ut per ipsum non stet, quominus aut trahamur, ut & corda nostra adaperiantur. Posterioris verò, cum omnia hæc nobis à Deo donari flagitamus. Restant tertii Ordinis opera, quæ licet Dei solius muneris sint, non tamen infunduntur, nisi simul homo rationis particeps, ope divina per liberi arbitrii motum sit dispositus. Hinc soluit omnes locos ex Scripturis allatos à Calvino. Mox cap. 54. alludens ad eandem operum partitionem: *Si sermo sit, inquit, de eis primi Ordinis auxiliis, & gratiis, quas Deus in nobis sine nobis liberè operantibus repente operatur, proculdubio majora, ac plura subsidia pro sua misericordia confert electis, quàm reprobis: adest enim omnium corda pulsans, impariter tamen. Quinimò sæpenumero in Scripturis legimus, è duobus eisdem audientibus exhortationes, atque admonitiones, alterum animo percussum in viam rediisse, alterum vero minime: quemadmodum videre est in Pharaone, & Nabucodonosore. Ad hoc pertinet, quòd Christus ait: vae tibi, Corozaim, vae tibi Betsaida, quia si in Tyro, & Sidone facta fuissent virtutes. Et scribis, & Phariseis: Viri Nini vitæ surgent in judicio; unde collige, segnius aliquando profecisse eos, qui cumulatiores hujusmodi munera receperunt, quàm qui exilliora, propter majorem duritiem obstinati pectoris libertatem comprimentem. In secundi verò generis auxiliis, quantò Deus ferventius excitat, tantò voluntas ipsa melius agit, & magis moveretur.**

144. Hæc omnia postea cum nostra libertate componit lib. 3. cap. 11. Omnia, inquit,

vult Deus, quæ fiunt sub Cælo, & in Cælo: omnium est divina voluntas causa. Agnosce mysterium, intueri Sacramentum. Vult omnia mirè se se accommodans his causis, quas sibi in operationem copulavit. Omnium est causa, sed ea sic in lucem profert, quemadmodum natura sua habent à suis causis proficisci. Est enim res hæc sic vera, sic clara, omnique alii vero consona. Producitur ignis à generante se igne; vult Deus ignem productum. Vbi si Deum spectes primum producentem, effectus liber est, qui tamen simpliciter est necessarius, & naturalis, necessitate quidem, & naturalitate à sua proxima, & immediata, ac particulari casu contracta. Rursum amor boni, aut odium mali, à recta voluntate creata nascitur, non minus liberè, quàm si Deus nihil ibi prorsus ageret. Vult itaque amorem meum, quem mecum unà producit, sed ita vult, ut velit etiam me producere, & ita producere, quemadmodum voluntas mea nata est ad producendum, nempe libera ad utramque (ut Philosophi loquuntur) contradictionis partem. Sed id ipsum clarius explicabitur, si dicamus, voluntatem divinam omnium esse principium, & omnium causam, quæ præbet etiam rebus ipsis virtutem causandi (ita dixerim) & principandi, atque cum eis operatur. Quo igitur pacto ea mens, quæ voluntati creata dedit, & esse, & operari, suam actione, aut libertatem auferet, aut modum operandi invertet? Quare sicut divina voluntate non destruitur creata voluntas, ita divina libertas creatam libertatem stabilis, & confirmat, tantum abest, ut imminuat, aut destruat. Apud omnes constare debet, divinam voluntatem (quæ nihil temeritatis habet, sed magis omni consilio est plena, atque sapientia in divinis Litteris nominata legitur) disponere omnia suaviter! Si ergo effectus naturalis nobis habeatur etiam is, qui à Deo est, non nisi quod à particulari causa necessariò producat; quare non etiam liber effectus erit eis, qui à proxima radice libera proficiscitur, quantumvis una omnium causa ab omnibus habeatur? En quam certa, constans, ac indubitata fuit apud veteres Theologos Ordinis Minorum hæc de prævia efficaci motione sententia. Videantur Faver in 1. dist. 39. disp. 54. cap. 4. & 5. Hugo Cavellus in 2. dist. 37. n. 13. & tom. 3. edit. Scotica Lugdunensis tract. de primo principio cap. 4. conclus. 4. n. 8. Scholio 3. Hieronymus Tamariz in floribus Theologiæ q. 2. de Scient. Meullisse tom. 2. Metaph. cap. 3. p. 5. q. 3. Ludovicus Caspensis disp. 6. de scientia sect. 6. Ildephonfus Brisellus tom. 1. in 1. p. controvers. 11. dist. 3. art. 1. Felix variis in locis primi principii, & tentativæ Complutensis. Theodorus

Smiliga tract. 3. de Deo, disp. 2. q. 5. Angelus à Monte Piloso tom. 2. primæ partis disp. 30. art. 8. Macedo in collationibus S. Thom. & Scoti, tom. 1. collat. 10. 11. & 12. & tom. 2. collat. 9. His adde, si alios queras, Card. Baronium, cum omnibus illis ex Societ. Jesu quos superiori §. adjecimus. Adde etiam Spenceum, Capreolum, Driedum, Gregorium, Stapletonum, Ekium, Dominicum, & Petrum à Soto, Hieronymum Perez, cum aliis, quorum expressa testimonia producit M. Zumel tom. 3. variar. disputation. in 1. p. & 1. 2. disp. 5. post conclusion. 2. latè: ubi & aliquos in oppositum sensum perperam abductos egregiè vindicat. Nec prætereundum, omnes illos scripsisse ante exortam istam controversiam; crescit enim dicentium auctoritas, cum procul abest omnis de studio partium suspicio.

145. Veneremur ergo in tot Doctorum gloria, quorum assertio nec casum redolet, nec injuriam, hanc mirabilem gratiæ divinæ efficaciam, quam tot Sapientum eruditio confirmat, nullis in oppositum temporibus illis reclamantibus Theologis. Hanc non dependentem ex libero arbitrio, sed ejus efficaciam ex Deo descendere mihi religio est: quinimò crederem, non sine discrimine, post tot manifestos Duces, veterem hanc doctrinam, quasi novellam otiosa disputatione agitari, & denuò discutì posse. Hanc omnis ætas confirmabit, cum ita dignissimè de Deo sentiat, nec aliquid amplius dicat, quàm illud Apostoli, omni verborum proprietate acceptum: Deus est, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate sua. Non est currentis, neque volentis, sed Dei miserentis. Prudenter itaque, & fortiter conculcanda est ratio divina omnis humanæ sapientiæ intelligentia, ne plus sapere contendat, quàm oporteat, & ne contentione oculum mentis obnubilante, & gratiæ lumen repellente, occultetur veritas, & falsum pro vero defendatur. Quare huic dubio finem impono eisdem verbis, quibus Summus Pontifex Zosimus sextam Epistolam ad Episcopos Africa, Gallia, & Hispaniæ incipit: Cum adversus statuta Patrum venit, non tantum illorum prudentiæ, atque sententiæ, qui in ævum victura sanxerunt, sed ipsi quodammodo fidei Catholicae disciplinae irrogatur injuria. Quid enim tam Sanctum, atque Venerabile est, quàm penitus non exorbitare ab itinere majorum, quorum Canonica Institututa veluti quædam fundamenta sunt ferenâs fidei jacta ponderibus.

DUBIUM III.

An Gratia ab intrinseco efficacæ Theologicis rationibus probari possit necessaria in statu naturæ corruptæ?

ET si in doctrina gratiæ magis ponendum sit, quod est consonum dictis Sæctorum Patrum, & traditioni Ecclesiæ, auctoritas tamen debet esse rationi conjuncta, teste Divo Augustino de vera Relig. cap. 23. dicente: Auctoritas rationi præparat hominem, & ratio ad intellectum, cognitionemque perducit. Est enim ratio fundamentum solidum, super quod omnis Sapientiæ, & doctrinæ nostræ solidatur auctoritas, ipsa est quæstionis iudex, quæ errores detegit, sapientiam parit, veritatem extollit; si tamen vera ratio sit, ad propria unumquodque reducens principia; idest, ad humana quæ humana sunt; quæ verò Divina, vel etfi humana, auctoritate magis, quàm discursu sustinenda, ad ipsam, præ ratione, auctoritatem; ut extrema vitentur vitia; hinc plus justo rationi deferentium; illinc eamdem jure suo privantium. Qua de re doctissimè, more suo, disserit Canus noster de locis Theolog. lib. 9. Quamvis ergo inter SS. PP. & Theologos Scholasticos circa efficaciam gratiæ, veritatis æquabilis unitas, & concordia sit, hanc ulterius rationibus Theologicis stabilire operæ pretium duximus, ut magis veritas pateat, veritas placeat, veritas moveat. Theologicis, dixi, rationibus; illæ enim Theologo rationes sunt, ut innui, quæ principia supponunt, non scita, sed credita; vel facit, ut scita creditis inferviant.

S. I.

Probatum primò necessitas gratiæ ab intrinseco efficacis ex necessitate Divinæ motionis.

NEcessitatem Divinæ motionis probat D. Thomas 1. 2. q. 9. art. 4. Dicendum, quod secundum quod voluntas movetur ab objecto, manifestum est, quod moveri potest ab aliquo exteriori: sed eo modo, quo movetur quantum ad exercitium actus, adhuc necesse est ponere voluntatem ab aliquo principio exteriori moveri. Cujus rationem assignat D. Thomas immediate subjiciens: Omne enim, quod quandoque est agens in actu, & quandoque in potentia, indiget moveri ab aliquo movente. Manifestum est autem, quod voluntas incipit velle aliquid, cum hoc prius non vellet: necesse est ergo, quod ab aliquo moveatur ad volendum. His verbis clarissimè rationem dedit nobis D. Thomas, quæ ad hanc formam reducitur. Voluntas quantumvis completa sit in actu primo proximo, & expedito, per assistentiam omnium

talem potestatem constituentium, est indifferens indifferentia potentialitatis: tum, quia complexum ex voluntate, & requisitis ad complendam potestatem est quid potentiale, & separabile tam ab actu, qui est ultima formalis potentiæ perfectio, quàm à determinatione ad actum: tum, quia illa indifferentia potentialitatis præcedit actum secundum, & adstantibus omnibus constitutivis actus primi proximi, & expediti, potest componi cum carentia illius: tum denique, quia quod jam ex se habet determinationem, & applicationem ad actum, nec à se, nec ab alio potest expectare ad talem actum determinari, & applicari, cum jam ex se determinatum, & applicatum sit. Sed juxta D. Thomam omne, quod est ita indifferens indifferentia potentialitatis, sive quod quandoque est agens in actu, & quandoque in potentia, indiget moveri ab aliquo movente: ergo voluntas eget tali motione, ut hunc actum potius, quàm alium eliciat: sed id quod eget, ut sic determinetur, & applicetur, est concursus prævius primæ causæ, seu physica prædeterminatio: tum quia agens liberum à nullo alio agente creato potest determinari sufficienter ad actum, ut docet D. Thomas 1. 2. q. 9. art. 5. Tum quia si ab aliquo extra Deum determinaretur, de hoc etiam erit quæstio, à quo illud creatum determinans voluntatem, determinatur, ut voluntatem determinet? Cum eadem sit ratio de isto, ac de voluntate: ergo vel admittendus est processus in infinitum, vel fisci debet in Deo, qui suo concursu prævio voluntatem determinat, & reducit de potentia ad actum.

2. Elucidabit hanc Ang. Præceptoris doctrinam sequens discursus. Voluntas quantumvis sit completa complemento actus primi, & potestatis proximæ, non est ex se, & ex natura sua potius determinata, & applicata ad hunc actum, quàm ad oppositum; cum adhuc stante illo complemento conjungibilis sit cum quolibet ex suis actibus, immò, & cum exercitio negativo, omnisque actus omissione. Est etiam in potentia physica, & reali ad quemlibet ex suis actibus, eò quod illorum quemlibet potest physicè in se recipere, & ab illo physicè, ac realiter actuari; quia ab omni suo actu realiter distinguitur, neque per actum constituitur potestas, sed exercetur libertas: ergo eget aliquo extrinseco, quo ad istum præ alio oppositio determinetur, & applicetur: cum applicatio illa, & determinatio conveniat causæ in exercitio operanti, quam ex se non habet, quantumvis in genere potentiæ sit completa: Comple-

plementum enim non dat applicationem, & determinationem, sed potestatem voluntati tribuit, ut incipiente Deo, ipsa se determinet ut causa secunda sui actus. A Deo ergo debet incipere huiusmodi determinatio, tollique indifferentia. Non enim potentialitas reducit ad actum, nisi ab aliquo existente ex natura sua in actu, & per aliquid actuale ab eo dimanans, & præcedens actum potentiae, à qua per reductionem ad actum excluditur potentialitas. Hoc argumentum eximia, prout mos illi est, efficacia, & claritate ponderat nobilissimus Metaphysicus Bernardinus Mazziotta Soc. J. inter selectas ejus, quæst. 2. illudque, sicut Thomistæ omnes, sumpsit ex iis, quæ dicto art. 4. docet D. Thomas tam verbis citatis, quam posterioribus, dicens: *Unde necesse est ponere, quod in primum motum voluntatis, voluntas pendeat ex instinctu alicujus exterioris moventis, ut Aristoteles concludit in quodam cap. Ethicæ Eudimicæ. Quod idem prius docuerat q. 6. art. 1. ad 3. Dicendum, quod Deus movet hominem ad agendum non solum sicut proponens sensui appetibile, vel sicut immutans corpus, sed etiam sicut movens ipsam voluntatem; quia omnis motus tam voluntatis, quam naturæ ab eo procedit, sicut à primo movente. Et sicut non est contra rationem naturæ, quod motus naturæ sit à Deo, sicut à primo movente, in quantum natura est quoddam instrumentum Dei moventis: ita non est contra rationem actus voluntatis, quod sit à Deo in quantum voluntas à Deo movetur: est tamen communiter de ratione naturalis, & voluntarii motus, quod sint à principio intrinseco. Quod repetit ibi art. 4. ad 1. Dicendum, quod Deus, qui est potentior, quam voluntas humana, potest voluntatem movere, secundum illud Prover. 21. Cor Regis in manu Dei est: & quocumque voluerit, vertet illud. Quod eadem deductione, probat de verit. q. 6. de elect. human. art. 1. & 3. contra Gent. cap. 89. sed expressius cap. 91. ubi sic discarrit. Oportet omne multiforme, & mutabile, & deficere potens reduci sicut in principium in aliquod uniforme, & immutabile, & deficere non valens: omnia autem, quæ in nobis sunt, inveniuntur esse multiplicia, variabilia, & defectibilia. Patet enim, quod electiones nostræ multipliciter habent, cum in diversis, & à diversis diversa eligantur. Mutabiles etiam sunt: tum propter animi levitatem, qui non est firmatus in fine ultimo: tum etiam propter mutationem rerum, quæ nos circumstant. Quod autem defectibiles sint, hominum peccata testantur: Divina autem voluntas uniformis est, qui unum volendo, alia omnia vult; & immutabilis, & indeficiens est. Oportet ergo, omnium voluntatum, & electionum motus in Divinam voluntatem reduci, non autem in aliquam aliam causam, quia solus Deus nostrarum voluntatum, & electionum causa est. Quam doctrinam iterum docuit 1. p. q. 115. art. 3. in corp. Dicendum, quod cum omnis multitudo ab unitate procedat, quod autem immobile est, uno modo se habet, quod verò*

moveretur, multiformiter: considerandum est in rota natura, quod omnis motus ab immobili procedit.

3. Hoc principium, quod in his doctrinis nititur, verum tenet in voluntate ultimò completa, & expedita ad actum, & illius carentiam, quod planum fiet, sic arguendo. Omnis unitas, seu uniformitas, actualis determinatio, & carentia actualis defectus repta in aliquo multiformi, mutabili, & defectibili causatur à voluntate Dei, quæ est ex natura sua uniformis, immutabilis, & indefectibilis: sed voluntas nostra prout indifferens indifferentia dominii, & potestatis proximæ est multiformis, mutabilis, & defectibilis: ergo determinatio ad unum, quæ redditur uniformis, & pro tunc firma, & non deficiens, si bonum elegit, est ex determinatione Dei. Vel aliter: omne mutabile ad plura, ut ad unum determinetur, necesse habet determinari ab aliquo immutabili; sed voluntas, etiam prout indifferens indifferentia dominii, & potestatis proximæ, mutabilis est ad plura; ergo ut determinetur ad unum, ab ente immobili debet determinari. Vel aliter: quod non ex natura sua, sed per accidens redditur uniforme per determinationem ad unum, & non deficiens, quia elegit bonum, id habet à voluntate per se uniformi, & indefectibili, ut à propria causa, & ex illius influxu: sed voluntas prout indifferens indifferentia dominii, non ex natura sua, sed per accidens redditur uniformis per determinationem ad unum, & per accidens redditur non deficiens, quia ex natura ex se defectibili potius deficeret, quam principio omnis boni se uniformaret: ergo id habet à voluntate Dei per se, & ex natura sua uniformi, & indefectibili, ut ex propria causa, & ex illius influxu. Vel aliter: determinatio contingens ad alteram partem, cum ex se haberet ad utrumlibet, immediatè reducitur ad determinationem ortam ab ente per se necessario: sed voluntas etiam prout indifferens indifferentia dominii, se habet ad utrumlibet, & contingenter ad unum determinatur: ergo illius determinatio ad hoc potius, quam ad aliud, immediatè reducitur ad determinationem ortam ab ente per se necessario, quod est Deus.

4. Hæc efficacissima ratio ex duplici principio desumitur, ex illo nempe Philosophi 7. Physicor. text. 1. 2. & 3. Omne autem, quod movetur, ab alio moveri necessum est, quod multoties repetit 8. Physicor. & D. Thomas hic text. 43. super illa verba: *Ipsam seipsum movens necesse est, ex immobili esse: lect. 1. post multa ita ait: Hic ostendit, quod etiam se perveniat ad primum, quod etiam se ipsum movet, nihilominus oportet devenire ad primum, quod est immobile. Et ex alio non minus evidenti, unumquodque operatur in quantum est in actu. Natura ipsa ostendit veritatem illius principii: omne, quod movetur, ab alio mo-*

vetur, in naturalibus, in quibus nihil se ipsum primò movet. Sic in viventibus corporeis pars illa, à qua primò incipit motus reliquarum, non movetur à se, sed à generante: undè motus cordis, quod se habet, & est primum movens intrinsecum, non movetur à se, sed ab alio. Similiter in intellectualibus, intellectus movetur ad conclusionem ex præmissis; cognitio autem præmissarum illi inest medio intellectu agente, qui saltem ad producendam primam speciem movetur à Deo. Voluntas etiam ad electionem mediorum movetur ex intentione finis, ad primam autem intentionem movetur à Deo. Idem patet in agentibus non vitalibus, quia secundum alterans, ut Philosophorum more loquar, in sua actione pendet, ut à movente, à primo alterante; primum verò alterans, ut à movente pendet ab intelligentia motrice. Assumpsit ergo hoc principium, ut verum, primum, & sapientibus per se notum Aristoteles 8. Physicor., nec non D. Thomas ibi, & 1. p. q. 2. art. 13. & 3. contra gent. cap. 13. ut probaret existentiam Dei.

5. Etiam nititur ratio præmissa in illo alio principio, *Unumquodque operatur, in quantum est in actu*, cujus verissima intelligentia hæc est: tantum habet causa de activitate ad agendum, quantum habet de actualitate: & è contra, tantum deficit activitatis, quantum caret actualitate. Ex quo immediatè sequitur: ergo causa existens in potentia vera, & reali caret activitate requisita ad existentiam actus, nec potest in actum prorumpere, nisi ab ea potentialitas removeatur: quam sanè causa potentialis per se ipsam, sive ex se ipsa, remove à se minimè potest; cum causa, quæ ex se caret activitate, sive actualitate, illam ex se non habet. Si ergo illam ex se non habet, quomodo auferri potest ab ea ejusdem potentialitas, quæ solum per veram actualitatem auferri potest? Ergo cum una, & eadem causa non possit simul carere, & habere illam actualitatem, illam sibimetipsi præstare non potest.

6. Nec nobis reponant, quod licet voluntas sit in potentia formali, quia ex natura sua non est in actu operationis, cum sit indifferens ex natura sua ad actum, & ad carentiam illius; habet tamen actum ex propria determinatione; nam est in actu virtuali: quia id habet indifferentia dominii, ut possit pro suo libito ad extremum, quod maluerit sese determinare. Non, inquam, id dicant. Nihil enim, opinor, minus aptum ad solvendum præsens argumentum, quod iterum instaurando fiet manifestum. Actus, qui præstatur virtualis, & indifferentia dominii quantumvis figuretur completa, si tamen ex se, & ex natura sua, non habet determinationem requisitam ad existentiam consensus prædissensu, aut præ omissione consensus; aliquo eget extra se existente, à quo determinationem accipiat requisitam ad consensum

prædissensu, aut præ consensus omissione: sed actus ille dictus à contrariis virtualis, & indifferentia dominii, si re vera sit potentialis, nec ex se, nec ex natura sua, sed contingenter habet illam determinationem requisitam ad consensum prædissensu: dum actus potentialis cum indifferentia dominii (quantumvis velint illam imaginare in sua linea completam) si re vera est potentialis, conjungibilis sit cum carentia actus, & operationis: ergo actus ille potentialis (quem solutio vocat virtuales), & indifferentia dominii (quantumvis figuretur completa) nec ex se, nec ex natura sua habet actum operationis. Dum enim in voluntate nuda per comparisonem ad actum naturalem, & in voluntate auxiliata per gratiam, & charitatem, comparative ad amorem Dei supernaturalem, statuimus virtutem sufficientem, & completam; hæc sufficientia tamen, sive complementum actus primi, potentialis est: immò & potentialis duplici potentialitate; altera, nimirum subjectiva in ordine ad primum motorem, altera, quæ dicitur activa, quia se habet in ordine ad actum, quem producit; sed & passiva est; nam ab eodem informatur. Unum è duobus modò convincere intendimus; scilicet, quod si virtus illa est in potentia hac secunda, non continet quidquid ex omni capite requiritur ad existentiam actus, quia non continet actu, & formaliter, aut saltem virtualiter actualitatem illam, quam debet producere exiens in actum, & quæ excluderetur potentialitas subjectiva in ordine ad motorem: vel quod si illam actu continet virtuali, non potest actum recipere, quia per omnia esset in actu tanta actualitate, quantum præstaret actus, sive operatio, cum quo incompatible est, quod actum recipiat, quia nihil recipit id, quod perfectius jam habet: est autem longè perfectior actus virtualis, quam formalis; cum importet actualem continentiam totius perfectionis actus formalis. Undè actus virtualis competens voluntati sufficienter auxiliata, ac proinde indifferentia dominii constituta per auxilia sufficientia, non habet ex se, aut ex natura sua actum, quo reddatur formaliter operans. Tota hæc ratio fortè clarior sub his terminis evadet. Actus ille virtualis, qui ponitur in solutione, aut est continentia virtualis actus producendi, aut non? Si neges: ergo est pura potentialitas ab alio determinanda; nam potentialitas à se ipsa non potest habere actum determinationis, ut est evidens. Si verò dicas, esse continentiam virtualem determinationis actualis, infero: ergo suscipere non potest actum determinationis actualis, neque à se, neque ab alio. Hanc consequentiam ostendo; quia magis excludit potentialitatem susceptivam actus formalis continentia virtualis, sive (quod idem est) virtualis actus, quam ipse actus formalis; virtualis enim præstat formali actui in perfectione; actus autem formalis

excludit actualem potentialitatem; cum illam compleat: ergo magis illam excludit continentia virtualis; & proinde potentia continens virtualiter actum formalem non potest illum suscipere.

7. Hæc enim est illa maxima, & infinita distantia, quæ versatur inter indifferentiam sufficientiæ Divinæ, & indifferentiæ creatæ. Voluntas enim Divina, cum sit actus purus, non est indifferens ad nolitionem, & volitionem liberam entitativè sumptam, undè non est indifferens indifferentia passiva, sed purè, & omnibus modis activa, ut explicat D. Thomas 1. contra gent. cap. 82. ac per consequens ex se, & à se habet suum velle, & suum nolle absque ulla intrinseca distinctione. E contra verò indifferentia dominii creati, quantumvis completa, non est actus purus, sed potentialis, reducibilis ad actum per operationem realiter distinctam, & entitativè superadditam, quam non habet ex se, & à se, sicut Deus: ergo actus virtualis, & indifferentia dominii creati aliquo eget, à quo reducatur in actum. Si enim affirmatio est causa affirmationis in causis præcis, & negatio debet esse causa negationis: ergo si causa præcis, & adæquata, quare Deus suam determinationem, & suum actum liberum habet à se, & non ex influxu alterius est sua actualitas omnem potentialitatem excludens, potentialitas virtutis, & indifferentiæ erit causa præcis habendi ab alio determinationem, & actum. Quare merito definiit potentiam passivam Philosophus 9. Metaphysicæ, dicens, quod potentia passiva est principium transmutationis ab alio, prout aliud est. Quam sic exponit ibi Angelicus Magister: *Hoc dicit, quia etsi idem patrat à se ipso, non tamen secundum idem, sed secundum aliud.* Ergo actus virtualis, qui simul sit potentia passiva formalis, & perfectibilis, debet reduci ab alio ad actum formalem.

8. Totum id luculentissimâ ratione confirmari potest. Primò, quia potentia passiva, quæ talis, est impedimentum aliquod agendi, id ipsum ad quod in potentia comparatur: nam agens, ut tale, est perfectivum, & ut tale est in se perfectum, & actuatum, potentia autem passiva est perfectibilis, imperfecta, & potentialis; sed prius est, quod auferatur impedimentum agendi, quam quòd agens agat: ergo illa potentia, quæ est in actu virtuali incompleto, indiget reduci ab alio in actum ad illius elicentiam; cum id, quod est in potentia, non possit se ipsum determinare ad actum, qui est ejus formalis determinatio, cum non sit in actu. Hanc rationem maximè animadvertere debent adversarii nostri, qui præmotionem vice impedimenti concipientes, indè putant lædi libertatem, quòd putatum impedimentum non possit voluntas removere. Argumentum hoc si perpendant, illos premit; nam quodnam majus impedimentum, quam defectus actualitatis necessariæ ad ope-

rationem? Quid magis ligat activam potentiam, quam potentialitas? Nos autem non premit. Quia propterea dicimus, motionem Dei, non impedimentum, sed expedimentum, si dicere est, esse. Quod argentiùs expono, & confirmo sequenti argumento. Secundò, quia id, quod est in potentia formali ad aliquem actum, nequit esse in actu virtuali respectu ejusdem. Quomodò enim quod est in actu virtuali ad actum, potest comparari ad illud, ut quid potentiale, & perfectibile per ipsum, cum illum præhabeat modo perfectiori, vel æquè perfectò? Sic Sol non est perfectibilis per calorem, quia calorem continet virtualiter: nec unum simile v. g. calidum ut sex potest agere in calidum ut sex, quia habet in se æqualem perfectionem. Ulteriùs perfectibile, & potentiale indiget perfectione, ad quam est in potentia formali, quæ minimè indiget, quod est in actu virtuali respectu alicujus perfectionis, cum illum aut virtualiter, aut eminenter, vel formaliter habeat. Divisi eminentiæ à virtuali continentia; quia illa petit formaliter, superiori modo perfectionem contentam; ut scientiam prædicamus de Deo. Virtualis enim id non petit; undè calidum non prædicamus de Sole. Ad rem autem nostram utrumque æquè militat. Undè Deus non indiget perfectionibus, quas creaturis communicat, quia illas aut virtualiter, aut eminenter habet; nec ignis indiget calore, quem producit in ligno, quia illum in se formaliter præhabet: ergo vel non est in actu virtuali voluntas respectu talis perfectionis, vel negandum, quòd sit in potentia formali ad proprium actum. Tertio, quia si idem potest esse in potentia formali ad aliquem actum, & in actu virtuali respectu ejusdem nulla erit illa unica assignabilis ratio, qua Philosophi negant, idem posse agere in se ipsum. Hoc enim unice probant, quia unumquodque agit in quantum est in actu, & patitur in quantum est in potentia; & idem respectu ejusdem non potest esse in actu, & potentia. Inquiri modò: prædicta ratio, vel assumitur, ut principium, ad probandum idem non posse agere in se ipsum, quod idem non potest esse simul in potentia formali, & in actu formali, vel sumitur pro principio, quod idem non potest esse in actu virtuali, & in potentia formali? Si hoc secundum; falsum erit juxta hunc modum dicendi. Si primum assumit verum, sed impertinens, & insufficientes; posset enim aliquid agere in se ipsum, quatenus esset in actu virtuali, & in potentia formali. Effetque inde mala illatio: unumquodque agit in quantum est in actu: ergo nihil agit in se ipsum: ergo si idem potest esse in potentia formali, & in actu virtuali respectu ejusdem, prædicta ratio non probat, idem non posse agere in se ipsum.

9. D. Thomas semper in eodem principio insistens, hanc efficacem Dei motionem necessariam exposcit, ut iterum videre est 1. 2.

q. 109.

q. 109. art. 1. dicens: *Non solum autem à Deo est omnis motus sicut à primo movente, sed etiam ab ipso est omnis formalis perfectio, sicut à primo actu. Sic igitur actio intellectus, & cujuscumque entis creati dependet à Deo quantum ad duo; uno modo in quantum ab ipso habet perfectionem, sive formam, per quam agit: alio modo in quantum movetur ab ipso ad agendum: Quod repetit art. 9. & q. 110. art. 2. & q. 112. art. 2. & art. 3. & q. 113. art. 3. & art. 4. dicens, quòd Deus movet animam hominis ad convertendum eam ad se ipsum; in quibus omnibus contradistinguit D. Thomas virtutem activam, quam à Deo creatura accipit ab ejus concursu influente in ipsam, ut agat, verèque, & physice movente ad operandum, ut creatura in ipsa operatione immediatè dependeat à Deo, sicut dependet in operandi virtute; cum res, quæ in aliqua formalitate, aut ratione positiva, & reali non dependet immediatè à Deo, nec absolute à Deo dependet: sicut enim res, quæ est ab alio, non potest secum identificare hoc, quod est esse à se; ita nec res, quæ absolute dependet à Deo, potest secum identificare operari à se, aut quodvis aliud de perfectione essendi, & operandi; in se enim, sed non à se, habet operari, & esse; cum æquè in utroque dependeat à primo, summo, & unico principio omnis naturæ, virtutis, & operationis. Debet ergo Creatura non solum in posse operari, sed in ipsa actuali operatione immediatè dependere à Deo; quæ immediatè actualis operationis dependentia intelligi nequit sine influxu Dei in causam, qui causam præmoveat: sicut intelligi non potest dependentia quantum ad esse, & operandi virtutem sine prævia Dei motione utrumque tribuente. Qua ratione verum est, quòd *motio moventis præcedit motum mobilis ratione, & causa, ut inquit D. Thomas 3. contra Gent. cap. 149. licet enim tam Deus, quam voluntas operentur, ordinantur secundum prius, & posterius; nec voluntati conferri potest, quòd operetur absque Dei motione: quod semper docet S. Doctor, & maximè 1. contra Gent. cap. 13. dicens: In moventibus, & motis ordinatis, quorum unum per ordinem movetur ab alio, primum est causa movendi omnibus aliis. Quod & iterum clarissimè scribit 1. 2. q. 113. art. 6. sequentibus verbis: In quolibet motu, quo aliquid ab altero movetur, tria requiruntur. Primò quidem motio ipsius moventis. Secundò motus mobilis. Tertio consummatio motus, sive perventio ad finem. Et art. 8. in quolibet motu naturali primum est motio ipsius moventis, secundum autem est dispositio materia, sive motus ipsius mobilis: ultimum verò est finis, vel terminus motus, ad quem terminatur motio moventis. Est ergo Deus primò in nobis operans, & primum movens voluntatem ad agendum, ita ut gratia prior, voluntas posterior operetur. Quam doctrinam, ut certissimam præ oculis habens M. P. Augustinus lib. 2. contra duas Epist. Pelag. cap. 9. dixit: *Avertat ergo Deus***

hanc amentiam, ut in donis ejus nos priores faciamus, posteriorem ipsum; quoniam misericordia ejus prævenit me.

10. Hæc est invictissima ratio D. Thomæ, quam illidere conantur Adversarii, dicendo primò: voluntas non determinatur à Deo ad peccandum, aliàs Deus esset causa peccati; nec determinatur ab alio agente creato; quia nullum agens creatum potest movere, aut determinare quoad exercitium voluntatem alterius; & tamen ipsa, quandoque est actu peccans, & quandoque peccans in potentia; & ut actu peccet, non indiget applicari, & determinari ab aliquo exteriori principio: ergo stat, voluntatem quandoque esse in actu operantem, quandoque in potentia, & quòd non indigeat ab exteriori principio applicari, seu determinari ad agendum. Secundò: quia ex nostra ratione ad summum convincitur necessitas concursus prævii ad primum actum, simpliciter, & omnibus modis primum, vel ad primum in aliquo particulari negotio; non tamen ad actum, quo eligimus media ex intentione finis, qui est actus potissimus, in quo explicatur indifferentia potestatis, & dominii. Hoc ex ipsa ratione concluditur: eò voluntas indiget concursu prævio ad actum, quia ante illius elicentiam est in potentia formali ad actum; sed quando potentia est proximè potens eligere, non est in potentia formali ad electionem, cum jam sit actuata per intentionem finis, ex qua electio necessariò sequitur: ergo ad illam non eget concursu prævio. Tertio: posita, & supposita finis intentione, & præmotione Dei, voluntas est in potentia ad electionem, & per eam perfectibilis; & tamen, ut determinetur, non indiget alio actu præter suis intentionem, nec nova, & distincta præmotione physica: ergo potentialitas, & perfectibilitas voluntatis per actum electionis non probat, voluntatem indigere actu priori, nec prædeterminatione divina. Et tandem: ut amor Dei supernaturalis, & hoc quod est, voluntatem amare Deum auctorem supernaturalem, sit effectus charitatis, sufficit, quòd voluntas illum non eliciat, nec Deum amet, nisi actuata per charitatem, ita ut charitas sit tota virtus proxima, vel saltem partialis: ergo, ut volitio creata, & hoc quod est, voluntatem amare Deum, sit effectus Dei verè, & propriè, non est necessarius concursus prævius, sed sufficit simultaneus.

11. His omnibus subtiliter, & acutè objectis, non difficiliter prædò est solutio. Sed monitum lectorem volo, versari nos in materia, in qua ad Metaphysicam demonstrationem per principia pervenire non possumus: & quicumque illam quærit, errat. Revelationibus inhærendo procedere debemus; quia supernaturalia mente tractamus. Principia autem altiora sunt; ad quæ nimirum, comparantur revelationes (quas tanquam principia accipit Theologia nostra) velut conclusiones.

D d

Inde

Inde est, quod in iis, quæ ex fide deducuntur, nescimus, cur ita sint: & nescimus dumtaxat, ita esse, quia revelatio non exposuit nobis causam, sed veritatem. Unde nec à nobis exigit scientiam, sed fidem. Fides autem docet, Deum, qui infinitum bonum est, nihil continere mali: quod si non continet, utique non producit. Si ergo in aliqua actione & bonitas reperiatur, & malitia, illa à Deo est, à quo est omne bonum; hæc à Deo non est, à quo nullum est malum. Hæc ex fide habemus. Qua vero ratione cohæreant, ad causam pertinet, quam ex fide non habemus; non ad veritatem, quam ex illa novimus. Unde sufficit nobis, si respondentes detegamus, illationes contrarias non concludere; v. g. ista: *Malum est identice bonum; creatura non eget determinatione ad malum: ergo nec ad bonum*, in qua est tota vis primæ objectionis. Nunc ad illam dico, quod vel argumentum procedit de peccato omissionis, vel de peccato commissionis; si de primo, vel procedit in sententia admittente possibilitatem puræ omissionis, vel in sententia hanc absolutè negante: juxta primam caret omni difficultate; nam peccatum puræ omissionis incurritur per meram cessationem ab actu; & ad non agendum non eget agens principio, à quo præmoveatur. Si tamen procedat de peccato omissionis causatæ, aut occasionatæ ab alio actu, eadem est ad præsens difficultas, ac de peccato commissionis. Quam ut solvamus, adverte, duo in peccato commissionis reperiri, & entitatem actus, & malitiam. Ad malitiam non potest voluntas à Deo præmoveri, sed illam ponit voluntas à bono deficiens ex propria determinatione, juxta dicta; indiget tamen, præmoveri à Deo ad entitatem, quæ bona est, & à Deo causatur. Coeterum voluntas nunquam se determinat per se, & directè ad malitiam, quia nemo intendens ad malum, operatur; sed directè, & per se ad bonum se determinat, cui malum conjungitur, & ne hoc amittat bonum, declinat in malum, & peccat. Ex quo fit, quod voluntas & se determinat, & determinatur à Deo ad entitatem actus, quæ bona est, & perfectio, saltem physica, voluntatis. Licet ergo ad hanc entitatem consequatur malitia, Deus ad malitiam nullatenus voluntatem determinat, cum sola voluntas, ut prima causa defectibilis se ad illam possit determinare. Ex quibus ad argumentum distinguo antecedens: stat, agens quandoque esse in potentia operandi entitatem actus, quandoque actum hunc operans, & quod non indigeat ab aliquo exteriori principio applicari, & determinari ad illam operandum neg. antec. ad operando deficiendum, conc. ant. à Deo enim est bonitas, quæ est de linea perfectionis, & directè volita; à defectibili verò voluntate est malitia, quæ est de linea imperfectionis, & indirectè, seu ex consequenti volita. Hæc nulla difficultate concipiuntur.

Quenam enim extat in eo, quod Deus sit causa effectuum, & non defectuum? Nam sicut potentia peccandi sequitur entitatem creaturæ rationalis absque influxu aliquo Dei, illam creantis, ita & malitia sequitur entitatem actus absque Dei influxu, qui solum tendit, & movet ad id, quod in actu est entitatis, & directè intenditur à voluntate peccantis. Hinc nec ulla manet difficultas argumenti; quæ enim consequutio est: *Principium deficiendi potest se determinare ad defectum: ergo & ad effectum?* Igitur à potentia (quæ logicè tantum dicitur) deficiendi ad actum deficiendi se primò determinat. A potentia verò efficiendi ad ejus generis actum debet à Deo determinari; quia actus iste perfectio est; ille verò imperfectio, & non esse. Scio, difficultatem aliam manere, quæ non est hujus loci; quomodo, scilicet, Deus ad effectum citra defectum determinet? Hanc autem, quam gravem fatemur, cum sit extra terminos præsentis objectionis, disputatione sequenti veniet discutienda, juxta prænotata; id est, reducendo assertiones nostras, prout Deus dederit, ad veritatis principia, cujus supponimus, non inquirimus, supernaturalem rationem, seu causam; quæ Dei scientiæ, non nostræ subest.

12. Neque plus officit, quod secundo loco objicitur. Nam omittendo doctrinam de speciali Dei concursu ad primum simpliciter actum, quam loquendo de Angelis tradit D. Thomas 1. p. q. 63. art. 5. argumentum probationis nostræ, cum ex ratione potentialitatis, & dependentiæ secundorum agentium procedat; ubicumque reperiatur potentialitas, & ratio dependentiæ, locum habet, etiam non considerato titulo, quo à generante sunt primi motus, aut actiones geniti. Igitur actus electionis sub intentione finis, perfectio est, secundum quam transit voluntas de potentia actu potentiali in actum complementem: ergo supposita intentione finis, manet integra vis argumenti nostri. Intentio autem finis non actuat lineam electivam: unde actus intentionis, licet determinet ad illam; non tamen determinat ad illam exercendam sine Deo; sed dante Deo, & dependenter à Deo; ut qui intentione inceptit, electione, & executione perficiat: ad modum, quo intentio naturæ singularis determinat eam ad generationem; sed non ad illam exequendam sine prævio concursu causarum universalium. Unde ex igne applicato hic, & nunc passo infertur ignis generatio, ponenda tamen dependenter ab illis. Hinc etiam quod tertio loco objiciebatur, dissolutum manet; cum minor, cujus nulla extat probatio, sit ex dictis manifestè falsa.

13. Nec firmiori titulo nititur, quod ultimò objicitur, quamvis hoc debili argumento se protegant Adversarii, quod & sæpè per modum exempli repetunt, ut explicent concursum omnipotentis cum voluntate creata, & ut

S. II.

Neccitas Gratiæ ab intrinseco efficacis ex oratione probatur.

& ut probent, volitionem nostram esse effectum Dei. Sed irritò conatus; nam ut supra num. 9. expresse S. Thomæ testimonio probavimus, duplex debet esse dependentia causæ creatæ à Deo: alia quantum ad formam; alià quantum ad operationem; & titulo secundæ dependentiæ diximus, præmotionem requiri. Eandem doctrinam repetit eadem q. 109. art. 9. dicens de homine iusto, & in charitate existente; & de auxilio requisito, ut per charitatem operetur: *Sicut supra dictum est, homo ad rectè vivendum dupliciter auxilio Dei indiget. Uno quidem modo, per quod natura humana corrupta sanetur, & etiam sanata elevetur ad speranda opera meritoria vitæ aeternæ, quæ excedunt proportionem naturæ: alio modo indiget homo auxilio gratiæ, ut à Deo moveatur ad agendum. Quantum igitur ad primum auxilii modum homo in gratiæ existens non indiget alio auxilio gratiæ, quasi alio aliquo habitu infuso: indiget tamen auxilio gratiæ secundum alium modum, ut scilicet, à Deo moveatur ad rectè agendum, & hoc propter duo: primò quidem, ratione generali, propter hoc quod sicut supra dictum est, nulla res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi in virtute motionis Divinæ. Quibus positis, fatemur quidem, quod, ut amor Dei sit effectus charitatis, sufficit, quod ab illa procedat; nec voluntas illum sine charitate eliciat. Sed rogo, ut dicant, an ut ita sit, debeat charitas præcedere amorem? Affirmabunt certè. Sed ecce vertitur in ipsos Adversarios argumentum. Quia enim amor dependet à charitate, debet charitas præcedere per modum formæ: ergo quia dependet à motione Dei, debet motio Dei præcedere, per modum determinantis. Igitur tollenda est è medio æquivocatio, ne quæramus in principio secundo, quod est proprium primi; nec excludamus à primo, quod non reperimus in secundo. Agentis, seu virtutis secundæ est facere à se dependentem actionem, ratione continentiæ: unde dum semel amor à virtute contentiva egrediatur, salvatur ratio effectus. Agentis verò primi est facere à se dependentem actionem secundi ratione virtutis continentis, & ratione motionis, ut cum D. Thoma diximus: unde, ut salvetur ratio effectus respectu Dei, non sufficit, quod det præcedentem formam, aut virtutem, sed requiritur, quod det etiam præcedentem motionem. Et sicut dando motionem, si ab ipso non esset forma, non salvaretur propria ratio effectus Dei; ita dando formam, si non daret motionem prædictam, effectus proprii Dei ratio non salvaretur. Non ergo sufficeret ad hoc concursus simultaneus, & consequenter nulla est memoratæ objectionis illatio.*

14. **C**um salus ex Dei misericordia, & oratione mediante donetur, totumque bonum nostrum benè operandi, sicut oportet, misericordiæ Dei sit adscribendum, & non meritis nostris, quæ absque gratia Dei nihil sunt, Apostolo hoc de se attestante, qui ait ad Corinth. 1. 15. *Gratia Dei sum id, quod sum.* Et ad Thimotheum scribens 2. 11. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit, omnibus simpliciter est necessaria oratio.* Hoc, sacro erudiente eloquio, novimus, nam Luca cap. 18. legitur: *Oportet semper orare, & non deficere,* & Matthæi cap. 6. *Sic vos orabit: Pater noster &c.* quibus verbis, præceptum fuisse à Christo Domino impositum, & non tantum datum consilium, constat ex Canone Missæ, ubi orationi Dominicæ præmittuntur illa: *Præceptis salutaribus moniti, audemus dicere: Pater noster &c.* Debemus insuper tentationes vincere; arma autem, quæ docente Domino habemus, sunt vigilia, & oratio: *Vigilate, inquit, & orate.* Vigilia, nè ex inopinato irruat inimicus: oratio, ut Deus victoriam det per Dominum nostrum Jesum Christum. Hoc argumentum statim prosequemur, ea supponentes, quæ ad promissam gratiæ efficacis probationem expedient.

15. Ex orandi necessitate ita efficax defumitur argumentum, ut si solum hoc esset, istam, quam tuemur sententiam, totis viribus ultrò amplecteremur. Id ipsum asserbat M. P. Augustinus de dono persever. cap. 7. *Si alia documenta non essent, hæc dominica oratio nobis ad causam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret.* Et infra: *Prorsus hac in re, non operosas disputationes expectet Ecclesia, sed attendat quotidianas orationes suas.* Non ergo operosas Theologorum disputationes, non doctrinas, quæ communi Theologorum consensu firmantur, attendat quis, sed solum hanc orandi necessitatem, quam si ea, qua par est animi intentione ponderaverit, gratiam se ipsa efficacem agnosceret.

16. Ut ergo hujus efficacia argumenti mox proponendi elucescat, supponimus necessitatem orationis, quoties homo graviter est tentatus; ut illam supponunt Theologi 2. 2. q. 83. art. 2.: quæ satis constat ex Psal. 49. *Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me:* quibus intimavit Deus præceptum, dum ait: *invoca me:* promittit auxilium illis: *erua me:* & significavit, se per orationem honorari, postremis verbis. Similiter Psal. 90. *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Ac tandem Psal. 119. *Ad Dominum, cum tribularer, clamavi, & exaudivit*

me, constat ex verbis Lucæ cap. 18. *Oportet semper orare, & non deficere*: quia, ut benè advertit Theophilactus in Catena D. Thomæ: *Postquam arumnarum, & periculorum Dominus meminit; subdit horum remedium, quod est oratio jugis*; nam cap. 17. antecedenti dixerat Discipulis Christus, quantis erant affligendi periculis, & ærumnis.

17. Est etiam oratio necessaria quotiès homo opus habet auxilio Divino, & eo habet opus, quotiès instat adimpletio alicujus præcepti gravis, maximè si sit supernaturale, ut præceptum diligendi inimicum, præcepta Fidei, Spei, & Charitatis, ac Pœnitentiæ, ut oportet, ut justificationis gratia infundatur, quæ, ut impleantur, requiritur Spiritus Sancti inspiratio, & adjutorium, uti diffinit Concilium Tridentinum sess. 6. de justificat. Can. 3. & in lib. de Ecclesiast. dogmatibus cap. 56. dicitur: *Nullum credimus ad salutem, nisi Deo invitante, venire: nullum invitatum salutem suam, nisi Deo auxiliante, operari: nullum, nisi orantem, auxilium promereri*. Quod etiam docuit D. Thomas in 4. dist. 15. q. 4. art. 1. q. 4. dum ait: *Ad orationem quilibet utinetur ex hoc ipso, quod tenetur ad bona spiritualia sic procuranda, quæ non nisi divinitus dantur: undè alio modo procurari non possunt, nisi ab ipso petantur*. Quæ doctrina est D. Augustini de dono perseverantiæ cap. 16. illis verbis: *Immo cum constet, Deum alia, etiam non orantibus, sicut initium fidei: alia non nisi orantibus preparasse, sicut usque in finem perseverantiæ: Ex quibus patet, quod debemus perseverantiam petere, quia tenemur perseverare. Quod idem Augustinus ulterius docet de grat., & liber. arbitr. cap. 16.*

18. Præmittendum, & supponendum secundò, hominem præcepto Divino obligatum habere sufficientes vires ad ejus adimpletionem; sicut & hominem graviter tentatum, sufficientiam habere, ut resistat, nec tentationi succumbat. Primum, ut per se notum supponit D. Augustinus de grat. & liber. arbitr. cap. 16. dicens: *Magnam aliquod Pelagiani se scire putant, quando dicunt, non jubere Deum, quod sciret, non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat? Definitum est in Tridentino sess. 6. de justificat. cap. 11. dicente: Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis*. Et à Sanctissimo Domino Innocentio X. qui ut hæreticam damnavit illam Jansenii propositionem: *aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conatibus secundum præsentem, quas habent, vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, quæ possibilia fiunt: cum ergo hæc sit falsa, vera est illius contradictoria, scilicet: Nulla Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conatibus secundum præsentem, quas habent, vires, sunt impossibilia: & illa quoque vera est, non deest illis gratia, quæ possibilia fiunt*. Non minus certa secunda hujus suppositionis pars, quod homo graviter ten-

tatus, dum obligatur præcepto resistendi, sufficientiam habeat, ut non succumbat. Constat ex illo Pauli ad Corint. 10. *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis*. Quæ verba sic D. Thomas explicat ibi lect. 3. *Ostendit paratum adjutorium in tentatione. Ubi commendat Deum adjutorem, qui dat nobis resistendi potentiam; quod notatur ibi (sed faciet cum tentatione provenitum). Perseverantiam; quod notatur ibi (ut possitis sustinere). Verè fidelis Deus, qui dat potentiam, ne vincamur, gratiam, ut mereamur. Dicit ergo (fidelis &c.) quasi diceret: Vos ad hoc hortor, & moneo, quod potestis*. Hucusque D. Thomas manifestè ostendens ex Apostolo, ex fidelitate Divina adesse homini graviter tentato potestatem, id est, sufficiens auxilium, ne vincatur, & quo possit vincere.

19. Præsupponendum tertio, quod quidquid oratio meretur, vel impetrat, hoc ipsum dari à Deo fides docet, dicente Augustino de prædestinat. SS. cap. 14. n. 17. *Frequentationibus autem orationum simpliciter apparebat Dei gratia quid valeret: non enim poscerentur à Deo, quæ præcipit fieri, nisi ab eo donaretur, ut fierent*. Et de dono perseverantiæ cap. 6. dicit, inquit, *mibi quisquis audeat; utrum Deus dare non possit, quod à se posci imperavit? Hoc certè qui sapit, non dico desipit, sed insanit*. Et cap. 7. n. 15. *Quod poterat nobis etiam non orantibus dare, sed oratione nostra nos voluit admoneri, à quo accipiamus hæc beneficia. A quo enim, nisi ab illo accipimus, à quo justum est, ut petamus? Sic ergo, quod Ecclesia orando accipit, à Deo accipi credit. Et cum aliàs conversionem liberam creaturæ, fidem actualem, à Deo exposcat, utrumque esse ex Deo, confitetur*.

20. Hoc sanè illud est, quod docet Augustinus lib. 4. ad Bonifacium cap. 9. *Oramus ergo, non solum pro nolentibus, verum etiam pro repugnantibus, & oppugnantibus. Quid ergo petimus, nisi ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes? A quo, nisi ab illo, de quo scriptum est, preparatur voluntas à Deo. Et Epist. 107. ad Vitalem num. 18. Scimus pro eis, qui nolunt credere, nos qui jam credimus, rectè fide agere, cum Deum oramus, ut velint. Et de dono perseverantiæ cap. 33. n. 63. ita testatur: Quando enim non oratum est in Ecclesia pro infidelibus, atque inimicis ejus, ut crederent? Quando fidelis quisquam amicum, proximum, conjugem habuit infidelem, & non ei petivit à Domino mentem obedientem in Christianam fidem? Sicut ergo in his orationibus, ita & in hac fide nata est, & crescit, & crevit Ecclesia, qua fide creditur, gratiam Dei non secundum merita accipientium dari. Quandoquidem non oraret Ecclesia, ut daretur infidelibus fides, nisi Deum crederet, & averseas, & adversas hominum ad se convertere voluntates. . . . Nam si hæc ab ipso quidem poscit Ecclesia, sed à se ipsa sibi dari putat, non veras, sed perfunctorias orationes habet, quod absit à nobis. Quis enim ve-*

ra-

raciter gemat, desiderans accipere, quod orat à Domino, si hoc à se ipso se sumere existimet, non ab illo? Et infra num. 65. hæc igitur, quæ poscit à Domino; & semper, ex quo esse cepit, poscit Ecclesia, &c. Et hoc probat Augustinus de prædest. SS. cap. 20. ex illo D. Pauli: *Orationi instate, vigilantes in illa in gratiarum actione, orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium verbi sui ad loquendum mysterium Christi, propter quod etiam vincit sum, ut manifestum illud, ita, ut oportet, me loqui*. Subdit Augustinus: *Quomodo aperitur ostium verbi, nisi cum sensus aperitur audientis, ut credat, &c.* Ex ista necessitate orationis inferemus gratiæ efficaciam, sicut illam intulit D. Augustinus dicto cap. 14. de prædest. SS. dicens: *Frequentationibus orationum simpliciter apparebat, Dei gratia quid valeret: non enim poscerentur à Deo, quæ præcipit fieri, nisi ab illo donaretur, ut fierent*.

21. Ratio fundamentalis hujus asserti defumitur ex eo, quod, ut nemo negat, aut negare potest, necessitas orationis fundatur in indigentia, & necessitate; & quia res necessaria est, & quia ipsam habere non possumus ex nobis. Constat ex Canonica Jacobi cap. 1. illis verbis: *Si quis vestrum indiget Sapientia, postulet à Deo; ubi necessitas postulandi sapientiam incumbit illis, qui sapientia indigent, tacite innuendo, orandi necessitate minimè obstringendos illos, qui sapientiam non indigerent, quia haberent illam, ut luculentè expressit D. Augustinus de dono persever. cap. 16. Profectò, qui ex ipso, (scilicet Deo) hanc (id est perseverantiam) se habere putat, non orat, ut habeat: ubi D. Augustinus illum negat orare pro bono perseverantiæ, qui licet scit, esse à Deo, illam tamen se ex Deo habere putat; & ideo ad illam habendam jam non credit, Deum sibi esse necessariam; sed gratias agit illi de dono, quod jam gratitudinis, & non petitionis objectum est. Constat etiam ex D. Hieronymo lib. 1. Dialogor. contra Pelagium cap. 2. Nam, ut ait S. Doctor Epist. ad Ctesiphontem q. 2. n. 617. *Afferunt, se per arbitrii libertatem nequaquam ultra necessarium habere Deum. Quem errorem, ut impugnet, ad necessitatem orationis recurrit S. Doctor; ibi: Scilicet nunc mihi Scripturarum testimonia replicanda sunt; quomodo per singula Dei à Sanctis flagitetur auxilium, & in singulis operibus suis illo adjutore, & protectore uti desiderent. Lege totum Psalterium, omnes Sanctorum voces; nihil erit, nisi ad Deum in cunctis operibus deprecatio: quibus verbis obligationem orationis fundat in necessitate habendi auxilia, quæ per nos acquirere non possumus. Et merito. Quid enim stultius, exclamat Augustinus de natur. & grat. cap. 18. quàm orare, ut facias, quod in potestate habes? Et de dono persever. cap. 23. Quis enim veraciter gemat desiderans accipere, quod orat à Domino, si hoc à se ipso se sumere existimet, non ab illo? Hucusque Catholici omnes conveniunt.**

22. His ita constitutis fit argumentum. Nihil stultius, quàm hominem orare, ut faciat, quod ita habet in potestate, ut nullo alio indigeat, ut faciat: sed homo justus graviter tentatus ita habet in potestate consensum, quo tentatio superatur, ut ad illum ponendum, nullo indigeat, quod non habeat in potestate: ergo nec tenetur, nec potest consensum petere honestum, quo tentationem vincat. Hic sanè discursus demonstrativus videtur: nam quod deficit, vel est aliquid ex se indifferens, & à voluntate determinabile; vel est aliquid connexum, & suapte naturam ab intrinseco determinatum: primum dici non potest, quia si aliquid deficeret indifferens, cum illud requiratur ad potestatem constitutivam libertatis, homo ille non supponeretur perfectè, seu completè, & expedite potens in actu primo, ac subinde nec cum libertate; & aliquod præceptum homini justo secundum præsentem, quas habet, vires, esset impossibile. Si autem requisitum deficiens, quod precibus procuratur obtineri, est aliquid ex se connexum, & suapte natura determinatum, atque aded à voluntate indeterminabile, non est aliquid requisitum ad posse, quod debet esse indifferens, & inconnexum cum aliquo extremo determinatè, sed erit requisitum ad actu operari; atqui auxilium ab intrinseco connexum cum actu est auxilium gratiæ physice prædeterminantis: ergo vel hoc debet à Deo petere, vel nihil tenetur, aut potest petere, quo tentationem vincat. Hoc sanè magnum accipit robur à necessario fidei argumento, quo SS. PP. contra Pelagianorum errores militabant; ut enim illi evidentissimè urgebant Adversarios, incommoda fidei illis obijciendo; ita & nos ea, quam putamus magni ponderis, ratione, eadem incommoda deducentes, in sententiam nobis oppositam procedimus; prout argumentum præstitit M. P. Augustinus lib. 2. de peccat. merit. & remis. cap. 2. dum dixit: *Repellamus itaque ab auribus, & mentibus nostris eos, qui dicunt, accepto semel libero voluntatis arbitrio, nec orare nos debere, ut Deus nos adjuvet, ne peccemus. Et tract. 53. in Joann. illi dicunt: ut quid rogamus Deum, ne vincamur tentatione, quod in nostra est potestate? Et D. Hieronymus in Epist. ad Ctesiphontem: istiusmodi homines tollant orationem, & per liberum arbitrium non homines propriæ voluntatis, sed Dei potentia factos se esse jactitant, qui nullius ope indigent. Et Patres Concilii Carthaginensis in Epist. ad Innoc. Papam: Nobis disputatio eorum contradicit, negari liberum arbitrium, si hoc à Deo poscitur, quod in nostra est potestate.*

23. Si dicas cum P. Vincentio Ramirez S. J. de prædest. disp. 5. cap. 3. n. 219. *Patres, quando orationem consulunt pro eo, quod in nostra est potestate, non loqui de potestate plena, & adæquata, qualis est potestas libertatis, & arbitrii, sed de potestate semiplena, & incompleta, quæ*

quæque absolutam sufficientiam non constituit, qualis est ea, quam ego habeo ad movendum ingens pondus meis viribus improporionatum: cuius sublevatio in mea est potestate dependente ab adiutorio aliorum, quos orare possum, ut me adjuvent. Et n. sequenti 220. profequitur: *Id comprobatur (ni fallor) argumentum, quod contra Pelagium instruxerunt M. P. Augustinus, & Hieronymus. Dicebat ille, posita lege, & doctrina, naturam ex se habere sufficientiam, & potestatem expeditam ad opera salutaria, ex quo arguebant Patres, frustra, & inutiliter nos orare, ne inferamur in tentationem juxta illud Orationis Dominica, & ne nos inducas in tentationem: nam quid stultius, ut inquit Augustinus, quam orare ut facias, quod in potestate habes? Ergo censebant, quod à potestate adæquata, & expedita ad exercitium voluntatis bene valet ad frustraneitatem, & inutilitatem orationis pro obtinendo illo, quod in potestate expedita habetur; neque locum esse distinctioni potestatis dependentis, & independentis ab adiutorio alterius. Hec prædictus Auctor.*

24. Sed quis hanc doctrinam non mirabitur? Dominus dixit: *Oportet semper orare* Luca 18. 1. Docuit Apostolus ad Theſſal. Epist. 1. cap. 5. vers. 17. *Sine intermissione orate.* Ita simpliciter Ecclesia, ita Patres docuerunt; ita & nos prædicamus; ita & credimus: *Oportet semper orare, & non deficere.* Quod si Auctor iste fatetur, orandum esse pro eo, quod sine alterius auxilio exequi non possumus, ut exemplo explicat: agnoscat saltem hujus argumenti vigore, ita quidem esse; sed & propterea talem nobis esse potestatem, ut sine Dei adiutorio haberi non possit actuale exercitium. Unde quæcumque possumus. Et quia talis nostra potestas est, ut Dei adiutorio semper indigeat; ideo oportet semper orare, & non deficere. Hoc, ut clarissimè ostendamus, quædam consideremus.

25. Primum quidem, quod Pelagius tandem, ut supra diximus, concessit, quod Deus adjuvabat potentiam per gratiam, ut scribit D. Augustinus lib. de grat. Christi, maximè cap. 3. ejus verba referens. Secundò, quod loco citato ex tract. 53. in Joan. S. Augustinus manifestè procedit etiam in casu, quo potestas sit constituta per gratiam. Constat evidenter ex ejus verbis: *In utroque illius beneficia cognoscimus: nam & agenda sunt gratia, quia data est potestas, (nempè supernaturalis) & orandum, ne succumbat infirmitas: ergo adhuc post acceptum beneficium gratiæ sufficientis, pro quo debemus gratias agere Deo, debemus orare, ut nobis largiatur aliam gratiam, qua potestas jam constituta ad actum salutarem reducatur, & ne succumbat potentia infirma. Tertio in ordine ad actus positivè salutares non intelligitur homo accepisse absolutè liberum voluntatis arbitrium, nec illi actus dicuntur esse absolutè in*

ejus potestate libera, donec accipiat gratiam præcontentivam talium actuum; sed SS. PP. laudati absurdum putant, quòd homo, accepto semel libero voluntatis arbitrio, & accepta potestate, non debeat orare pro eo, quod ita est jam in sua potestate: ergo juxta SS. PP. tenetur homo orare pro eo à Deo obtinendo, ad quod habet sufficientiam potestatis. Quod est dicere, non habet homo sufficientiam potestatis, ut faciat non adjuvante actionem Deo. Quarto: ratio D. Hieronymi æquè urget in potestate constituta per gratiam. Probatur assumptum, & ratio est, quia ex opposito sequeretur, quòd talis potestas non esset potestas creata, sed divina, quæ jam nullius ope indigeret; sed hæc ratio æquè urget in potestate constituta per gratiam, quia & cum gratia est potestas creaturæ, & limitata: constat ergo, quòd contra mentem SS. Doctorum Augustini, & Hieronymi adducitur solutio. Arguebant hi SS. Doctores Pelagianos deducendo eos ad inconveniens, & absurdum, nempe quòd non nisi stultè possemus fundere orationem Dominicam, sic: Ille, qui in sua potestate omnino jam independente ab alio habet actum, vel vitationem mali, stultè hoc oraret; sed per vos homo sic independentem habet potestatem: ergo stultè oraret. Hic est genuinus sensus SS. DD., ut vel ex sententiis à nobis modo propositis satis constat, & legenti totum contextum evidentius patebit.

26. Hoc sicut certum est, ita sine dubio tenendum; sed & discurrendo per singula Dei auxilia supponentia sufficientiam potestatis nullum est aliud, quod possit à Deo posci, nisi efficax ab intrinseco, quod sufficienti partium enumeratione, me ostensurum spero. Non enim homo justus gravi tentatione vexatus à Deo petit auxilium comitans, seu concursum simultaneum; stulta enim esset oratio. Primò; nam qui habet in potestate consensum, eodem jure habet in potestate quidquid cum consensu identificatur; sed homo justus, in ipsorum principiis, habet in potestate consensum, quo tentatio superatur, & concursus simultaneus apud ipsos identificatur cum consensu: ergo eomet jure, quo homo ille habet in potestate consensum, & ideo consensum non valet prudenter petere; habet etiam in potestate concursum simultaneum, quem prudenter postulare non valet, ut illum obtineat. Secundò: potestas libera, & sufficientia constitutiva libertatis includit constitutivè præter auxilia gratiæ in suis principiis omnipotentiam à Deo paratam, & applicatam ad concurrentem cum voluntate, ut concursus non existat pro dominio, & determinatione Dei, sed unice pro determinatione, ac dominio voluntatis: nec ista applicatione supposita, sine qua sufficientia vera non intelligitur, jam Deus potest vel suspendere, vel concursum elargiri nisi ad

nu-

nutum voluntatis: ergo homo justus tentatus graviter, cui supponimus adesse sufficientiam, habet in potestate concursum Dei simultaneum: ergo stultissimè oraret Deum, ut concursum præberet simultaneum. Nam quid stultius, quam orare Deum, ut tibi det, quod in potestate habes?

27. Non fortuna meliori asseri potest, peti ab homine gravi tentatione vexato, ne Deus auxilium auferat sufficiens. Hic enim, dum orat, non petit, si rectè orat, ut à se non auferatur libertas; sed postulat, ut potenti gratia libertatem adjuvet in bonum, ne deficiat: postulat, ut dona sua faciat libertatis merita: postulat, ut sibi det vincere, quia certat pro corona, & non coronatur, nisi qui in agone vincit; per Dominum autem Jesum Christum dat Deus ipse victoriam quidem, non solum vincendi potentiam. Rogo ergo, an in sano sensu negari possit, homines, & maximè Sanctos ita orare? Non opinor, aliquem concessurum; clamabant enim in conterritum continuè, & expressè orationes Ecclesiæ. Qui ergo ita orat, non petit à Domino, ne auferat sufficientiam potestatis; immò si id, & non ultra peteret, præsumptuosa esset oratio, & damnanda; scilicet: *Conserve in me potestatem, & ego bene utar; atqui postulare, atque orare, ut auxilium sufficiens non auferatur, est petere, ut non auferatur libertas, non verò ut tentationis sibi donetur victoria: ergo qui orat, non petit, ne à se Deus auxilium sufficiens auferat. Secundò: sublato auxilio sufficiente cessat tentatio, alioquin homo tentaretur supra id, quod potest, contra promissionem Dei explicatam ab Apostolo 1. ad Corinth. 10. *Fidelis est Deus, qui non patietur, vos tentari supra id, quod potestis: & homo auxilio sufficiente destitutus succumbendo non peccaret, dum illum non amitteret in poenam peccati, quia supponitur justus, & nemo peccat in eo, quod vitare non potest, maximè si impotentia non est voluntariè contracta. Ex eo autem, quòd auxilium sufficiens non auferatur, non statim adest victoria: alioquin nemo potens vincere, vinceretur: ergo petere solum auxilii sufficientis conservationem, potius est petere, ne auferatur aliquid compossibile cum tentatione, & casu, quam petere, dum instat tentatio, victoriam tentationis. Dum ergo victoriam petit, non petit, ut gratia sufficiens non auferatur, sed ut per efficacem adjuvetur. Tertio: auxilium sufficiens affert obligationem resistendi, resistantiam tamen non donat, nec victoriam: ergo si oratio sistit in auxilii sufficientis conservatione, non tendit, ut per victoriam sit locus coronæ, sed potius, ut subsistat unice potentia vincendi simul cum tentatione quantum ex Deo est. Quid hoc erit, nisi ex se sperare victoriam?**

28. Non similiter ad aliud effugium convolare possunt, quod orans oratione petit, cum graviter tentatur, auxilium uberius, &

robustius, ut vincat: nam, vel ille excessus auxilium relinquit in linea sufficientis, & à voluntate determinabilis; vel est auxilium ab intrinseco infallibiliter connexum cum actu? Hoc secundum negant ipsi contra Thomistas. Primum argumenta facta non solvit, quia sufficientia, & robur indifferens non dat victoriam, sed vincendi obligationem, & potentiam, cum quâ lapsus componitur, & carentia victoriæ. Hæc diximus, non ignorantes, quòd auxilia sufficientia sunt etiam objectum orationis; & Ecclesiam sæpe ipsa petere, non abnuimus, ut discretè probat Illustris. Castell de leg. & grat. sufficiente q. 4. sect. 8. Licet enim omnibus gratiæ sufficientis auxilia dentur; non tamen æquè omnibus. Unde majores, & minores vires per sufficientem gratiam confert Deus; & ideo intra terminos gratiæ sufficientis petere possumus virium augmentum. Sed tamen dicimus, non hic sistere orationes, nam præcipuè tendunt semper ad gratiam efficacem, quæ etiam nomine potentie multoties comprehenditur, id est consequentis, quatenus exercitium ipsum esse non potest sine hujusmodi adiutorio Dei. Hic est sensus Ecclesiæ orantis: *Ut quæ nobis agenda præcipis, te miserente adimplere possimus* in fest. S. Patritii 17. Martii. Quem etiam sensum expressit Trident. sess. de justificatione cap. 11. dicens: *adjuvat, ut possit.* Nunquam ergo talis potest esse sufficientia, quæ orandi necessitatem excludat; quia petere debemus velle, & facere, & non solum posse. Unde quantumvis habeamus posse, debemus orare, donec veniat facere; quia petimus, ne deficiamus, & cum solo posse possumus deficere.

Hinc solum restat, ut asserant, hominem justum tentatione pressum obligari præcepto orationis, ut petat auxilium, quod Deus prævidit congruum, & efficax. Ita P. Aranda cum communi Societatis sententia disp. 7. sect. 13. Doctor Prado Complutensis disp. 6. sect. 7. à num. 107. Et novissimè P. Ramirez de Prædest. disp. 5. cap. 3. à num. 216. Sed præsertim num. 244. ubi asserit: *Respondeo quaeritis, id, quod semel, & iterum insinuavimus, scilicet, casum orationis, pro quo petimus liberationem à malo, esse casum plenæ potestatis ad ipsum vitandum; sed non per orationem, quæ supponat casum, nec quæ petat liberationem à malo ex suppositione casus; verum quæ petat suppositionem casus non aliter, quam in circumstantiis, in quibus conjungendus est cum conversione ex quo modo donandi, & purificandi casum, censeatur Deus donare, & potestatem conversionis. Et in potestate conjungendâ infallibiliter cum conversione, ipsam conversionem.* Et infra: *Doctrina Tridentini pro confirmatione adducta in id tendit, ut ex clamoribus, & orationibus nostris, quibus Deus adjuvantem infirmitatem nostram exoramus, probet necessitatem gratiæ contra Pelagium; & exhortatione divina, ut potestate bene utamur acquiescendo gratiæ, qua excitamur,*

li-

libertatem nostram contra Calvinum, & Lutherum firmet; quod vero clamores nostri sint pro signo subsecuto ad libertatem per gratiam constitutam excitantem, ubi aserit? Nec aserere potuit, si doctrina Tridentini supra expensa animadvertatur. Et iterum infra solutionem adhibitam identicam cum solutione P. Aranda affirmat, & consonam debere esse omnibus Auctoribus Societatis. Hæc prædictus Auctor.

30. Non abnuo, ex clamoribus nostris probari à posteriori necessitatem gratiæ contra Pelagium; sed qui à nobis querit, ubinam Concilium aserat, clamores esse pro signo subsecuto ad libertatem, & adeo fidenter asserere non potuisse pronunciat, interrogandus erit, ubinam Concilium illud signum excluderit? Exceptiones ab excipientibus probandæ sunt. Doctrina Concilii in re, si quæ alia gravissima, generalis est; conformis insuper omnino Christi Evangelio, dictis Sanctorum, & inconcussa Ecclesiæ auctoritati, & praxi; quoniam oportet semper orare. Quo ergo jure P. Ramirez, ut novæ patrocinetur doctrinæ, nulla (qua opus erat) Spiritus Sancti revelatione, verba limitat Christi, docens casum, in quo non sit orandum? Quo insuper jure affirmat, non potuisse asserere necessitatem orationis pro omni casu Concilium? Ego autem dico, potuit quidem, & debuit. Ubi enim docuit secundum fidem, dona Dei esse merita nostra, orandum pro ipsis Dei donis, quomodo non doceret? Censetur, inquit ille, Deus donare. Nova prorsus loquela, quam non novit Ecclesia. Non censetur tantum, sed cum veritate censetur; quia donat, ut semper illa dixit, sciens certissime vocum proprietatem. Quod si capere satis non possumus, expedit magis, fateri ignorantiam humanam, quam alienare verba divina. Tollimus lumen, si sensus nostros verba Dei facimus. Sed & ubinam solutio ad argumentum factum? Ecce eodem vigore reddit: quod auxilium sufficiens sit congruum, & efficax, vel est in potestate liberi arbitrii, vel non? Si primum, frustra, & inaniter à Deo petitur, quod est in ejus potestate. Si secundum: rursus inquiri; vel est simpliciter requisitum, ut existat consensus salutaris, quod Deus conferat auxilium illud prævisum congruum, & efficax, vel non? Si primum: ergo auxilium illud pertinet ad potentiam, (juxta eorum doctrinam) sine qua peccare homo non posset; & consequenter non petitur, sed supponitur; cum supponatur homo potens peccare. Si secundum: ergo licet oratio sit requisita ad melius, non tamen ad absolutam elicentiam actus, quod Pelagius non negavit, ut videre est apud D. Augustinum de grat. Christi cap. 41.

31. Insuper ex solutione legitima consecutione deducitur, quod oratio ad summum sit simpliciter necessaria ad impetrandam gratiam dantem posse; non verò sit simpli-

citer necessaria ad gratiam dantem ipsum, exercitium salutare; sed hoc consequens est penitus falsum: ergo & ipsa solutio. Minor certissima est. Primò, quia in oratione Dominica ipsa exercitia salutaria petimus. Pro his semper orat Ecclesia. Sic Feria 6. Hebdomadæ Sanctæ: *Ut gratia tua munere ab omnibus tibi gradibus fideliter servietur... Ut stabili fide in confessione tui nominis perseveret... Ut Deus adaperiat aures præcordiorum... Ut augeat fidem, & intellectum... Ut eruat ab erroribus... Ut auferat velamen de cordibus... Ut auferat iniquitatem à cordibus.* Et in Sacrosancto Missæ Sacrificio: *Libera me, per hoc Sacrosanctum Corpus, & Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis, & universis malis; & fac me tuis semper inbarere mandatis, & à te nunquam separari permittas.* Et ulterius, *libera nos, quæsumus Domine, ab omnibus malis præteritis, presentibus, & futuris... Quæ ope misericordiæ tuæ adjuti, & à peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi.* Tot istæ urgentissimæ expressiones, rogo, quid significant, & an verè significant? An à Deo petatur, quod ipse dat? Si verò non dat, quare petatur? Hoc erat robor Augustinianum argumenti: quod si sinceram veritatem verborum Ecclesiæ orantis ad suum quisque sensum interpretetur, omnino evanuit. Secundò, quia præcipitur sic: *Orate pro invicem, ut salvemini;* salus autem non est tam per gratiam dantem posse, quam per dantem exercitia salutaria. Tertio, quia id petimus, quo impetrato, Deo damus gratias. Apostolus autem inquit, *Deo gratias, qui dedit vobis victoriam per Jesum Christum.* Et ratio est aperitissima: nam hæc sunt potissima dona Dei, ut diximus, & inferius dicemus, ex quibus pendet nostra salus, & eis non positus, homo damnabitur: immò tantò majori poena, quanto majori præventus fuerit gratia dante posse. Utraque ergo gratia est objectum orationis, nempe & dans posse sufficiens, & dans actum; & ad actum salutarem impetrandum est simpliciter necessaria oratio. Sequela autem majoris probatur. Oratio tantum petit actum, & exercitium salutare, quatenus petit auxilium sibi conferri, non præcisè secundum suam intrinsicam entitatem, & prout formaliter dat posse, sed prout prævisum est efficax, & infallibiliter conjungendum cum actu salutari, ut Doctor iste propugnat; sed oratio sic petens auxilium non est simpliciter necessaria juxta ejusdem doctrinam: ergo. Minor probatur primò: auxilium efficax sic prævisum non est simpliciter necessarium, ut expressè concedit disp. 11. cap. 4. num. 102. dum solvit argumentum, intendens probare, quod ille, cui Deus non conferret auxilium prævisum efficax ex motivo efficaci, non haberet per se exacta ad consensum salutarem, cum in sua non esset potestate, quod Deus ex tali motivo conferret auxilium prævisum efficax. Concedit namque hoc ultimum, & me-

ri-

ritò; cum hoc unice pendeat ex libertate Dei; & tamen salvat, quod habeat omnia per se exacta ad consensum salutarem: quia, quod auxilium conferatur à Deo ex motivo efficaci, accidit quidem in hac providentia, non tamen est simpliciter necessarium: ergo neque oratio illud impetrans. Secundò: stultè quis orat, ut ipse concedit, id, quod habet in sua potestate; sed quod auxilium ex sua entitate dans posse, sit efficax, est unice in potestate creature, in illius principiis; qui idcirco docet, quod habens auxilium sufficiens, & dans potestatem, stultè oraret pro alia gratia dante actum: ergo oratio sic petens auxilium, non est simpliciter necessaria juxta solutionem.

32. Diximus, quod ad summum esset simpliciter necessaria oratio ad impetrandam gratiam dantem posse: quia si attentè consideretur solutio, contra ipsam argui tertio potest, quod nec ad hoc sit simpliciter necessaria, nempe ad non peccandum, urgente tentatione, & inde nec ad merendum. Et quidem, quod ipsa ad non peccandum non sit simpliciter necessaria, videtur colligi ex eo, quod docet disp. 21. cap. 5. ubi cum n. 88. hanc statuisset conclusionem: *Nulli creaturæ rationali in quovis statu, aut tempore deesse potest sufficientia ad non peccandum;* & contra illam proponeret argumenta, & locus esset opportunus recurrendi cum Tridentino fess. 6. cap. 11. ad orationem, per quam verificatur, quod *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat, ut possis,* hic orationem missam facit, qua impetretur gratia ad non peccandum, instante præcepto arduo, vel gravi tentatione, & præcisè aserit, quod si præceptum est supernaturale, & homo careat gratia supernaturali dante posse, præceptum hic & nunc non obligabit inexcusabiliter; & consequenter, etsi non sit adimpletio, non erit peccatum; si autem sit præceptum naturale, vel tentatio contra ordinem naturæ, per vires naturæ aderit sufficientia ad vitandum peccatum. Ita in summa docet, præcipuè num. 95. & 98.

33. Doceat ergo nos ad quid sit necessaria oratio? Ad opus salutare, juxta illum, non est necessaria; quia licet à Deo propriissimis vocibus illud petat Ecclesia; tamen petit id, quod Deus non dat, ut ipse judicat, proprie loquens. Ad potentiam non peccandi sub tentatione, aut præcepto, non requiritur; quia dum ista potentia deficiat, nemo peccabit, & præceptum non urget: ergo ad non peccandum, sive sub tentatione, sive sub præcepto, nihil à Deo petere tenebimur; multò minus potentiam non peccandi. Dicent fortasse; non peti gratiam ad posse non peccare in iis casibus præcepti, aut tentationis, sed ad posse mereri. Attamen cum ratione ejusdem gratiæ Deus, juxta illos, det utrumque posse; nescio quo spiritu petere possimus potestatem istam, si

nihil petere possumus, præter potestatem. Quis enim excusabit orationem istam? *Da mihi potestatem bene, & malè agendi; & bene agam; nam à te nihil ultra peto.* Insuper ejusmodi potestas, juxta Auctorem, cujus verba retuli, nunquam potest deesse: non ergo debet peti, nec ad merendum. Hic præterire non possum, quod jam innui, scilicet omnino oblitum fuisse eum orationis ibi; cum maxime eam meminisse oporteret. In ejus sensu omnia bene componi posse, omisa oratione, non credam; at video orationis mentionem ibi desiderari, ne ex taciturnitate contra ipsum formetur argumentum, quod ex eodem actu tacendi, seu silentio deduxit S. Augustinus de grat. Christi cap. 40. *Et certè, inquit, maxime hic erat causa exprimentendi, quam diceret gratiam.* Ecquænam alia maxime est causa exprimentendi necessitatem orationis, quam cum de illis agimus, propter quæ Dominus orare nos docuit, *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo?* Et de quibus Apostolus 2. ad Corinth. 13. dicebat: *Oramus autem Deum, ut nihil faciatis mali?*

34. Ut autem majori efficacia impugnetur solutio, dignum erit, doctrinæ ab hoc Auctore traditæ incommoda summi momenti pro rei gravitate ostendere. Siquidem, juxta illum, supposita completa potestate ad exercitium liberum, stultè homo oraret pro tali exercitio libero: & respectu illius, quod attinet ad observantiam præceptorum, vitiationemque peccati, & gravis tentationis urgentiam intra terminos ordinis naturalis, concedit ipse per naturalia potentiam completam. Nescio qua ratione, ubi hæc admittantur, possit existimari necessaria oratio, aut quo jure requiratur gratia; cum tamen & obligatio, & necessitas orandi juris naturæ sit. Sed & de supernaturali ordine loquendo, idem, quantum ex ejus dictis deprehendere possum, dicendum videtur. Judicat ille, quod non imputatur homini commissio, vel omisio ejus, ad quod pro instanti urgentiæ præcepti non habet completam potestatem, & ideo docet, quod si præceptum est supernaturale, & non adest gratia, non obligat inexcusabiliter; nec recurrit ad hoc, quod saltem habebit gratiam, qua possit orare Deum, pro impetrando auxilio dante potentiam ad actum præceptum: immò hunc recursum, quem ex Cardinali de Lugo refert citata disp. 21. cap. 3. non approbat; sed à cap. 5. per plures conclusiones mentem suam aperit, nunquam recurrendo ad orationem. Ubi est ergo necessitas orationis ad liberè non peccandum? Quippè, si adest sufficientia, nihil pro quo ulterius oretur, invenit; si verò non adest, non peccare liberum non erit. Necessario enim non peccat, qui peccandi non habet (si dici potest) facultatem. Comprehendat iterum argumentum hoc opera de ordine naturæ. Cum enim istiusmodi Au-

E c

ctoris

floris doctrinis semel admissis, non possit ille aliundè negare, quòd si homo est rationis compos, & cum deliberatione, & advertentia præcepti procedit, peccat, dum operatur contra præceptum naturale; manifestè contra ipsum arguitur, quòd ad vitandum peccatum in ordine naturali, non est necessaria oratio, nec gratia; quod est expressè contra rectam doctrinam traditam à D. Augustino toto libro de natur. & grat. ubi ex professo impugnat Pelagianos in eo, quod asserunt, hominem sine gratia posse servari immunem à peccato. Et à Concilio Milevitano cap. 3. & 4. definiente gratiam necessariam ad non peccandum: & rursus cap. 5. ad adimplenda mandata Legis: ex quibus agnoscitur, quòd nedum necessaria ponitur ad illam partem iustitiæ, qua homo salutem suam operatur, & meretur faciendo bonum salutare, verum etiam ad illam, qua declinat à malo, etiamsi per talem declinationem (scilicet à malo) non mereatur vitam æternam, ut in peccatoribus accidit. Quocirca D. Thomas 1. 2. q. 109. art. 8. & 9. & 10. gratiam agnoscit necessariam ad non peccandum etiam in iustificato: nam Apostolos, quos dixerat mundos, admonuit Christus: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.*

35. Sed dices: D. Thomas in 2. dist. 28. q. 1. art. 2. expressè tenet, quòd homo sine gratia etiam dici potest vitare nedum singula, verum etiam omnia peccata mortalia, & impugnat sententiam hoc negantem: ad quod movetur ex libertate arbitrii, quæ per peccatum mortale non tollitur. Et in solut. ad 6. subtiliter distinguit, & adnotat, quòd aliud est resistere peccato, & aliud victoriam de peccato habere: & primum docet, posse stare sine gratia, non secundum; quia primum potest esse sine merito vitæ æternæ: *Sed ille propriè vincit peccatum, qui potest pertingere ad hoc, contra quod est pugna peccati: hoc autem non potest esse nisi in eo, qui opus meritorium operatur. Undè talis victoria vitam æternam meretur, & sine gratia non fit.* Hæc D. Thomas, ex quibus infertur, necessariam solum esse gratiam ad vitacionem peccati meritoriam, ut affirmat solutio, & sententia, quam modò versamur. Sed contra est: & in primis D. Thomas sententiam, quam ibi tenuit retractavit 1. 2. q. 109. art. 8. ubi amplectitur sententiam, quam impugnaverat illo loco ex Sententiaris, & soluit argumenta, quæ ibi contra illam proposuerat, & exigit gratiam habitualement, ut homo diu conservetur sine novo peccato mortali. Quod efficacissimè probat in corp. articuli, & in argumento *sed contra* auctoritate D. Augustini lib. de perfect. iustitiæ. Ita Eminentiss. Card. Cajetanus in expositione hujus articuli. At ex opposito cum aliis doctissimis Thomistis adversatur ipsi M. Bolivar tract. de grat. Dei dub. 12. §. 5. n. 37. dicens: *Responder Cajetanus in presenti D. Thomam mutasse sententiam, quod tamen*

*alii Thomista renuunt concedere; quia D. Thomas nec in art. 4. hujus questionis, nec in 8. ubi nostram sententiam docuit, meminit se oppositum sensisse in Sententiaris: si autem aliquando D. Thomas sententiam mutat, vel limitat in partibus, in quibus ultimum, & perfectum iudicium expressit, semper memoriam facit sententiæ, quam alibi docuit: undè luculenter, & profundè S. Doctoris mentem aperit. Videndus ibi, nec enim in hoc modò tempus consumere licet; maxime cum ibi D. Thomas minime faveat solutioni P. Ramirez, quin potius hanc ibi impugnat apertè; quia licet ibi teneat, (ut supponitur ab ipso) quòd homo existens in peccato mortali habituali potest conservari sine novo mortali extra gratiam; tamen in calce articuli suam sententiam exponit, ut præcisè intelligatur de gratia gratum faciente, non vero excludatur gratia actualis: *Si tamen, inquit, gratia intelligatur aliquis habitus infusus, & non ipsa divina voluntas, per quam omnia bona causantur, & mala repelluntur.* Hæc S. Doctor. Porro licet tantum meminerit voluntatis divinæ, in eâ virtualitèr claudit illa, quibus in tempore voluntas divina impletur. Ad quod notetur elegans doctrina D. Augustini de prædest. Sanctor. cap. 10. ubi super illa Apostoli verba ad Ephes. *Creati in operibus bonis, quæ preparavit Deus*, adnotat, quòd in illo preparavit, insinuat æterna prædestinatio, & voluntas Dei: in illo autem, *creati*, significatur temporalis gratia, quæ est ipsa donatio beneficii ab æterno preparati. Ita & D. Thomas in voluntate Dei exprimit gratiam, qua nos à ruina, & casu peccati liberat. Quid ergo ex prædicto Sententiarum textu contra nos? Immodò quid non pro nobis? Audiatur q. 24. de verit. art. 13. hæc ipsa explicans in corp. art. *Si gratiam Dei velimus dicere, non aliquid habituale donum, sed ipsam misericordiam Dei, per quam interior motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad hominis salutem; sic nec ullum bonum homo potest facere (ut esset resistere malo) sine gratia Dei.* Hæc S. Doctor. Distinguendum ergo est inter posse non peccare, posse resistere, & posse vincere. Ad primum præcisè tale, sive prout importat solam negationem peccati; non requiritur gratia; nam in hoc sensu non peccare, neque est meritorium, neque aliquid importat de bono positivo, ut colligitur ex D. Thoma dicta q. 24. de verit. art. 9. ad 5. Posse resistere peccato, requirit gratiam actualem, sed non habitualement. Posse tandem vincere, requirit utramque. Et quia neque resistere actu peccato, neque vincere, potest evenire sine efficaci Dei auxilio, semper pro illo orandum est.*

36. Quia vero meminimus supra, doctrinam P. Ramirez in eum sensum posse abduci, ut videatur, neque necessariam esse simpliciter gratiam ad merendum vitam æternam, (absit tamen, ut hoc in ipso suspicemur) propte-

pterea placet adhuc, vitandas deductiones, quæ ex doctrina solutionis fieri possunt, ostendere. Etenim Scriptor iste disp. 21. cum à cap. 3. retulisset aliorum sententias circa illam quæstionem, quæ inquit: an omnibus dentur auxilia sufficientia ad salutem? Et inter eas sententiam illam, quæ asserit, quòd saltem nunquam deest auxilium ad orandum, & impetrandum mediâ oratione auxilium necessarium, cum oratio fusa cum quatuor debitis comitibus habeat infallibilem effectum, juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. q. 83. art. 15. ad 2. & art. 16. hac via non incedit, sed conclusione sexta sufficientiam perpetuam auxiliorum, citra omnem orationem, & orandi necessitatem, salvare conatur; quia frequentissimè Deus pulsat corda hominum, & præcipuè urgente mortis tempore, aut defectus usus rationis: quam conclusionem tertio loco probat n. 188. *Quia sic, inquit, aptius percipitur, & explicatur axioma illud: facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam. Nam aliter stare poterit, quòd detur motus efficax affectivè detestativus peccatorum, cui non correspondeat in re effectus salutaris ex defectu gratiæ sufficientis: juxta hanc verò conclusionem, cum Deus ex lege sua per Christum, cujus meritis ad Rom. cap. 5. ubi abundavit delictum superabundavit & gratia, præveniat humanas voluntates, eas ita antecedenter excitans per gratiam, ut omnes pii earum conatus evadant salutare.* In quibus procedit consentaneè ad modum, quo ex professo de hoc disserens disp. 17. cap. 3. n. 68. explicaverat illud axioma: *In tantum, inquit, dicitur, facienti quod est in se, Deus non denegare gratiam, in quantum per Deum non stat, voluntate conante in aliquem virtutis actum, ipsum non evadere supernaturalem, cum Deus provideat semper gratiam dantem potestatem ad supernaturales actus.* Hæc est doctrina hujus Auctoris, qui, ut salvet, quòd gratia non consequitur ad conatus naturales, & sic recedat à doctrina Semipelagianorum, docet, quòd potius gratia veluti antecedit, & semper præstò est, ut ita insurgente ex natura aliquo virtutis motu, hic supernaturalitate non careat, ex defectu gratiæ dantis potestatem, & præcontinentiam supernaturalitatis. Igitur præcisè ab oratione, qua petimus à Deo auxilia supernaturalia, semper nobis adsunt auxilia supernaturalia ex lege per Christum. Ergo ex tali lege exonerati sumus à necessitate orandi, & petendi auxilia supernaturalia necessaria, cum non sit opus petere id, quod scimus præstò nobis esse, etiamsi non petamus. Ad summum ergo utilis erit juxta doctrinam solutionis oratio, ut frequentiora, citra necessitatem operandi, nobis dentur auxilia, aut intensiora; non verò, ut dentur auxilia necessaria ad benè operandum, & merendum vitam æternam: & ita utilis erit oratio ad melius, aut facilius, non verò simpliciter necessaria, quod tanquam hæreticum rejicitur à

P. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 1. de orat. in communi cap. 6. n. 7. ubi ita habet: *Non mihi satis constat, an Pelagius omninò rejecerit orationem tanquam inutilem: vel solum erraverit ejus necessitatem negando.* Hæc satis fit notasse contra peculiarem istum discurrendi modum; nè faciliè quisquam præsumat, novas sibi vias invenire, aut eas ingredi, quas prudentior animadvertet fugiendas. Confiteri debemus cum Tridentino, jubendo Deum monere, ut faciamus, quod possumus, & petamus, quod non possumus, atque adjuvare, ut possimus: quod ultimum de potestate consequenti, sive exercitii, optimè juxta nostram sententiam intelligitur.

37. Secundò probatur conclusio: principalis omnis gratiæ efficacia, negato concursu physice prædeterminante, pendet à nostra libertate, quæ unicè pro suo libito auxilium reddit efficax, vel inefficax, ut docent ipsi Adversarii, apud quos efficacia auxilii, seu gratiæ, est denominatio extrinseca unicè sumpta à consensu libero voluntatis; distinguentes enim auxilium efficax in illud, quod est efficax in actu primo, & in illud, quod est efficax in actu secundo, de efficaci in actu primo asserunt, esse tale, quia voluntas in statu conditionato prævidetur auxilium determinata ad consensum; & ideo illud determinata, quia ipsa volet, & non quia Deus determinabit, ut indifferentiam auxilii ipsa determinet: auxilium verò efficax in actu secundo, ideo est tale, non quia voluntas in statu absoluto à Deo determinatur, ut auxilium indifferens determinet, sed præcisè quia ipsa pro suo placito illud determinat: omnis quippè determinatio voluntatis libertati relicta est. Quomodo ergo hæc auxilii efficacia à Deo exposci potest, dum homo habet in potestate sua à nullo impediibili, quòd auxilium illud sit efficax? Vana ergo, & imprudens est oratio illa, qua homo exposcit efficaciam auxilii, quod pro suo nutu, & placito reddere potest efficax, & conjungere cum operatione, quin ad hoc aliquo indigeat in sua proxima potestate non existente. Quæ non minus imprudens agnosci debet, ac in auribus Dei execrabilis foret sequens oratio: *Domine cum solo auxilio, quod mihi dedisti, scio, me nullo alio superaddito indigere, ut impleam actum præceptum: sed cum hoc auxilio nolo mandatum implere: obsecro, da mihi aliud, quo mandatum tuum adimplere velim.* Hic autem modus orandi refelli non posse videtur, si vera sit opposita sententia. Ponamus enim, orantem esse hominem doctum, qui judicet omninò certa principia illa, quibus concursus indifferens fulcitur, & gratia physice prædeterminans impugnatur. Hic ignorare nequit, quòd in instanti, in quo urget præceptum, sibi adest auxilium sufficiens, quia obligari non potest ad impossibile. Existimat etiam, & judicat evidens, se nullo alio Dei egere auxilio, ut actum præceptum eliciat: im-

immò putat, se demonstrasse talis auxilii repugnantiam. Scit insuper, se propterea non consentire, si non consentit, quia non vult, collato sibi auxilio, efficaciam præstare, illud ad consensum determinando: cum tamen hæc efficacia, & determinatio unice, & adæquatè à sua pendeat voluntate, quin aliquo alio indigeat: scit tandem, se loco istius auxilii posse aliud habere à Deo, quo volet: & nihil sibi petendum à Deo manere, quam collatio hujusmodi auxilii, quod licet indifferens etiam sit, tamen illud determinare volet: ergo cum orando auxilium petit efficax, sciens se auxilio, quod habet, noluisse efficaciam præstare, perindè orat, ac si orando diceret: *Domine, possum auxilio mihi collato adimplere præceptum, sed cum hoc nolo. Obsecro, da mihi aliud, quo mandatum adimplere velim: quæ oratio est vana, inutilis, imprudens, in auribus Dei inexcusable, minimèque Deo acceptabilis; nec ab homine docto, immò Christiano possibilis fieri, qui nedum imprudenter, sed impudenter sic Deum orans, non Deum rogaret, sed se ipsum extollere videretur.*

38. Hoc efficacissimè confirmari potest Adversariorum doctrinà: dum enim Thomistæ retorquent comminationem Christi Domini in Tyrum, & Sidonem, dicentes: omnes tenentur dicere, quòd aliquid defecit ad poenitentiam Corozaitis, & Bethsaiditis, quod in illorum non erat potestate; reclamant Auctores isti, quod Chaos magnum firmatum inveniunt inter sententiam Societatis, & Thomistarum doctrinam. Nam apud Thomistas ita requisitum est ad poenitentiam auxilium gratiæ physicè prædeterminantis, ut conjunctio poenitentiae cum physica prædeterminationis carentia sit prorsus implicatoria: ex quo fit, ut habitatores Corozain, & Bethsaidæ, juxta hanc sententiam increpentur injustè. At in nostra, inquit illi, sententia justissimè increpantur, eò quòd habuerunt quiddam necessarium erat, ut poenitentiam agerent: ex quo ipsi putant, manifestam reddidisse disparitatem. Sed urgent argumentum Thomistæ sub hac forma: habitatoribus Corozain, & Bethsaidæ defuit auxilium efficax, quòd omnes fatentur: sed habere auxilium efficax non erat in illorum potestate: ergo defectus auxilii efficacis non existentis in potestate hominis non reddit increpationem injustam. Sed quid, precor, huic argumento respondent? Constantissimè negant minorem, asserentes efficaciam auxilii, sive auxilium ut efficax, esse unice in potestate, ac manu libertatis: unde, quòd auxilia eis collata efficacia non fuerint, ipsorum culpa fuit; nam pro suo placito auxilia determinavere ad consensum, cum potuissent ad consensum, & per hoc illa reddere efficaciam. Hac ergo Adversariorum doctrina efficax formatur argumentum. Bethsaiditæ poterant, & debebant orare pro auxiliis effica-

cibus; quod ita est certum, ac certum est, quòd tenemur orare, ut præcepta impleamus supernaturalia, & ut tentationes superemus; sed hæc oratio esset imprudens, & inutilis, quia oratione sua peterent, quod unice erat in potestate sua: ergo prædeterminatione negata, & negatur necessitas orationis. Ut enim inquit D. Fulgentius lib. 2. de verit. prædest. cap. 4. *Dum, quod præcipitur, ex nobis habere non possumus, admonemur, ut à quo nobis datur præceptum, ab ipso petamus auxilium: vel ut asserit D. Basilii de instit. Monach. cap. 1. Ut homo cognoscat donum Dei, ac propriam indigentiam, orationibus ostenditur. Frustra enim petitur auxilium, à quo datur præceptum; dum hoc minimè indigemus, & hujus observantiam per gratiam sufficientem habere possumus.*

39. Tertio principaliter probatur Conclusio. Ridicula est oratio, qua non solum petitur, quod ipse orans solus in potestate habet, sed dum à Deo petitur, quod ab ipso Deo non pendet, quod ipse Deus nequit efficere, quod non est sub ejus formali, & immediato dominio, ut diximus ex M. P. Augustino de dono persever. cap. 2. n. 3. *An ista irriforia petitio est, cum id à Deo petitur, quod scitur, ipsum non dare, sed ipso non dante, esse in hominis potestate? Sed semel quòd liberum arbitrium sit auxiliis sufficientibus instructum, & quòd Deus applicet suam omnipotentiam per decretum indifferens, non est sub formali, & immediato dominio Dei, quòd actus liber existat: ergo frustra, & irriforie oraret quis à Deo meritum, & perseverantiam finalem; & sic de aliis operationibus, quæ ad libertatem in actu secundo pertinent. Ex quo apertissimè concluditur, quòd facta illa suppositione concursus Divini per auxilium indifferens, & sufficientiæ voluntatis constitutæ hujusmodi auxiliis sufficientibus, hominem non indigere Deum orare, ut donet ipsi actum salutarem, sed Deum potius indigere orare hominem pro elicentia actus liberi, quem Deus vellet, ipsum elicere: & ratio est; quia elicere actum liberum pendet unice ex libero hominis arbitrio, cui, supposita sufficientia ex parte actus primi, unice immediatè subjicitur; dominio autem Divino non subjicitur immediatè, sed ad summum, mediatè, & remotè, in quantum ipsum in actu primo sufficiens constituit: ergo potius indigeret Deus, hominem exorare in dicta suppositione pro elicentia actus, quem vellet existere, quam homo Deum, ut rectè observavit M. Bolivar de provid. Dei dub. 7. §. 2. n. 7. *Et si Deo aliquid utilitatis accresceret ex nostris bonis operibus, potius Deus indigeret, in sententia Adversariorum, ope hominis in actu primo constituti, quam è contra: indigeret enim ad hoc, ut esset actus bonus, & ut ejus omnipotentia ad ipsum concurreret, quòd homo se ad actum bonum determinaret, quòd non in Dei, sed in hominis est potestate. Cui addimus, quòd nec**

nec ad hoc deficeret Deo desiderium strictè tale; nihil enim apud ipsos communius, quam quòd Deus ardentè desiderat actus nostros liberos: qui modus loquendi non antecedentem voluntatem; sed, quantum ex Deo est, efficacem manifestè significat.

40. Hoc sanè meritò ad inconueniens deducitur; cum nihil falsius, & impossibilius. Quid enim sanctius in Ecclesia, quam orationem esse practicam subjectionis confessionem, ut per illam homo se Deo subjiciat, tanquam primo principio, Deum Dominum, & Auctorem creationis, & gubernationis rerum omnium agnoscens, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 83. art. 3. dicens: *Per orationem homo Deo reverentiam exhibet, in quantum scilicet ei se subjicit, & proficitur orando, eo se indigere, sicut auctore suorum bonorum.* Ex quo infert: *manifestum est, quòd oratio est propriè actus religionis.* Quod totum repugnat Deo erga hominem: cum absurdum sit, exhibere reverentiam homini, ipsi se subicere, huncque profiteri auctorem alicujus boni à Deo desiderati. Immò David ait: *Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges.* Psalm. 15. Secundò, quia, ut docet Divus Thomas ibi art. 10. *Oratio est actus rationis, per quam aliquis superiorem deprecatur: sicut imperium est actus rationis, quo inferior ad aliquod ordinatur: illi enim propriè competit orare, cui convenit rationem habere, & superiorem, quem deprecari possit.* Ex quo infert immediatè S. Doctor, quòd cum in Divinis Personis una non sit altera superior, illis non convenit se orare. Et 3. p. q. 21. art. 1. probans eadem ratione, Christum Dominum in quantum hominem Deum orasse, cum sibi hoc secundum proposuisset argumentum. Præterea Joan. 14. n. 16. dicitur: *Ego rogavi Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis: & sunt Filii verba: ergo Filii est orare.* Respondet: *ad secundum dicendum, quòd hoc Filius dicit de se ipso, non ratione personæ, sed ratione naturæ assumptæ.* Est enim, ut inquit ibi art. 5. ad 2. *Oratio actus patriæ, quæ est servitus Dei, & importat defectum virtutis in orante; cum sit ratio specialis objecti patriæ, ut exhibeatur aliquid Deo in recognitionem servitutis, ut probat D. Thomas in 3. d. 9. q. 1. art. 5. ad 3. Neque his amplius immorandum; cum nemo Catholicus dubitare possit, rem futuram blasphemiam, si quis diceret, Deum orare; ipsumque verè recedere à confessione omnipotentiae Dei, & à primi principii creationis, & gubernationis rerum excellentia: cum in Deo impossibilis sit servitus, & defectus virtutis, ut actus nostri liberi existant; quin potius ipsius voluntas nostræ potestati, ac voluntati dominetur: non enim ita est voluntas nostra in nostra potestate absoluta, & independenti, quin Deus etiam ipsi voluntati nostræ magis dominetur, ut dixit Augustinus de corrept. & grat. cap. 14. *Deus magis habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas.* Deum*

ergo fundere preces ad creaturam, est manifestus error.

§. III.

Ejusdem argumenti valida prosecutio: diruitur difficultatis species, quæ pro contrariis objici solet.

41. **C**um modus iste dicendi propugnans, quòd data potestate expedita in nobis per gratiam sufficientem ad consensum salutarem, frustra, & stultè petimus à Deo consensum salutarem, adeo arridere videatur Doctoribus adversæ opinionis, ut P. Ramirez loco citato ex disp. 5. cap. 3. n. 219. asserat: *Habere aliquid in potestate, & sufficientia adæquata, indigereque adjutorio alterius, quòd in nostra potestate non sit, est ingens chimaera: audè respondere, non stultè, & inutiliter peti id, quòd in nostra potestate adæquata est, quia est in nostra potestate adæquata cum dependentia ab adjutorio alterius, est se implicare in terminis.* Hæc auctor iste: quare satis accuratè, & aliquantò prolixius rem hanc perquirere, & disputare operæ pretium duximus: maximè cum tanti momenti sit, & ineluctabile argumentum creditum fuerit ad Augustino, quòd semper invictè Pelagio opposuit, ut testatur ipse Epist. 144. ad Anastasium, ubi postquam de Pelagianis dixit, quòd destruunt orationes, quas facit Ecclesia subdit: *Non quia hoc audent apertè dicere: sed eorum sententiam velint nolint, hoc utique sequitur. Nam ut quid nobis dicitur, vigilate & orate, ne intretis in tentationem?* Quo eodem argumento usus est S. Prosper contra Cassianum: nec non & alii SS. PP. contra eundem errorem.

42. Et primò crederem sanè dogma Catholicum, quòd supposita libertate, & potestate expedita, tenemur prudenter, & utiliter orare Deum pro consensu salutari. Divinæ Scripturæ auctoritas, Ecclesiæ, & SS. PP. doctrina statuendo dogmati isti sufficiunt, quin stare argumento minimè indigeamus, cum à multis jam sæculis falsam istam Adversariorum ratiocinationem frerit Augustinus, nec non alii SS. PP. Undè non capio, quomodo possit in bono sensu defendi, ut probat sequens discursus. Qui asserit post collatam homini à Deo potestatem ad adimpletionem præcepti, nullo egere, quod in ipso non sit potestate adæquata, & completa, non potest defendere, hominem tali instructum potestate egere oratione, qua petat à Deo auxilium, aliquod requisitum ad operandum, vel actum præceptum elicendum: sed asserere, hominem, postquam illi data est potestas, & sufficientia completa, & adæquata ad operandum, non egere oratione, quæ petat auxilium ad operandum, videtur assertum Pelagia-

giam: ergo ut salvetur necessitas orandi, adstruenda est indigentia alicujus auxilii, ut simpliciter requisiti, quodque in potestate hominis non sit; quamvis homini collata sit à Deo potestas, & sufficientia adæquata operandi. Totus hic discursus constat ex Divo Hieronymo in Dialog. adversus Pelagium lib. 1. cap. 1. circa finem, ubi interlocutores sunt Critobulus agens partes Pelagii, & Atticus fidem Catholicam defendens. Sic Critobulus pro Pelagio loquitur: *Non nego gratiam, cum ita me à Deo asseram conditum, ut per Dei gratiam meam datum sit voluntati, vel facere quid, vel non facere.* Cui Atticus occurrit: *Dormitat ergo Deus in operibus nostris semel data liberi arbitrii potestate, nec orandus est, ut in singulis operibus nos juvet, cum voluntatis nostra sit, & proprii arbitrii facere, si volumus, vel non facere, si nolumus.* Ad quæ Critobulus: *Concessa semel liberi arbitrii potestate, nostra voluntati cuncta derelicta sunt.* Ex quo rursus intulit Atticus. *Ergo, ut dixi, non debeo à Deo per singula auxilium deprecari, quod semel meo datum est iudicio.* Hic sanè D. Hieronymi discursus totus, nec verbo dempto, ad nostrum intentum facillimo negotio facit. Enim verò, si datà semel arbitrio humano ad actum supernaturalem sufficientiã, & potestate adæquatã, & completã, quæ constituitur partim ex applicatione Omnipotentis, partim ex auxilio sufficienti, sivè de se inconnexo, jam nullum Sanctis necessarium est auxilium ad præceptum implendum: ergo à Sanctis Deus non est orandus, ut auxilium impendat, quia tale auxilium nec est necessarium, nec possibile, ut Deus eos in singulis operibus adjuvet. Patet consequentia quoad utramque partem: cum pro auxilio non dabili, orare non possint; & si quid Sanctis deficit pro priori ad actuale operandi exercitium, non est aliud, quàm concursus simultaneus, quem, ut diximus, à Deo postulare minimè possunt. Nam quid stultius, quàm orare, ut habeas id, quod habes in potestate adæquata? Quilibet autem in plenã libertate constitutus, ita habet in potestate concursus simultaneum, ut Deus negare illum minimè possit. Hanc consequentiã probationem non latuisse Hieronymum constat ex illis verbis: *Ergo, ut dixi, non debeo à Deo per singula auxilium deprecari, quod semel meo datum est iudicio.* Ac si apertius dixisset: post datam potestatem, adhuc alius Dei requiritur concursus, sed non debeo pro illo impetrando orare, quia illum in mea potestate habeo.

43. Argumenti vim iterùm explico, & confirmo. Semel atque Deus constituit hominem potentem elicere actus supernaturales per auxilia gratiæ, & omnipotentiam decreto illo indifferenti applicatam, ut actus ponatur præceptus, nihil restat, aut requiritur, quod non sit in hominis potestate: ergo ut ponatur id, quod requiritur ad existentiam actus, Deus non est orandus. Hæc sanè con-

sequentia illa est ipsissima, quam intulit Hieronymus ex verbis prioribus Critobuli, ac subindè ab eo solo negari poterit, qui Hieronymum malè argumentatum esse audeat calumniari. Assumptum constat ex verbis illis Critobuli: *Non nego gratiam, cum ita me à Deo asseram conditum, ut per Dei gratiam meam datum sit voluntati, vel facere quid, vel non facere.* Quæ Pelagiani verba maximè pensanda sunt, in illis quippè manifestè adstruit ultra donum conditionis egere arbitrium gratiã, quæcumque illa sit, dante voluntati potestatem agendi, & non agendi, quã data à Deo, & in homine recepta, jam homo ulteriori non eget gratia, quæ sibi non sit subiecta. Sed Atticus agens Hieronymi personam, ex illa intulit: *Dormitat ergo Deus in operibus nostris, semel data liberi arbitrii potestate, nec orandus est, ut in singulis operibus nos adjuvet.* Et rationem subjicit, quæ est ipsa nostri discursus efficacia: *Cum voluntatis nostra sit, & proprii arbitrii facere, si volumus, vel non facere, si nolumus.* Atqui juxta concursus indifferentis assertores, semel data liberi arbitrii potestate per gratiam, unicè est nostræ voluntatis, & arbitrii facere, si volumus, vel non facere, si nolumus: ergo nostri discursus consequentia illa ipsissima est, quam intulit D. Hieronymus: nam voluntas ubi primùm à Deo accepit libertatem, illum pro suo placito determinat, ac Deum necessitat ad concurrendum: ut quid ergo Deum orabit?

44. Præterea: ex hac propositione Critobuli, *Concessa semel liberi arbitrii potestate, nostra voluntati cuncta derelicta sunt;* ex ista, inquam, propositione, quæ est dogma apud Pelagium, intulit Hieronymus; ergo, *ut dixi, non debeo à Deo per singula auxilium deprecari.* Cujus rationem reddit, statim adjiciens: *quod semel meo datum est iudicio;* quasi diceret, si quid restat necessarium, ut agam, meo subiectum est arbitrio, non opus habeo oratione. Hæc sanè est adversariorum doctrina, quod, concessa semel liberi arbitrii potestate, nostræ voluntati cuncta derelicta sunt: nam, ut illi asserunt, facta arbitrio potestate operandi liberè per auxilia gratiæ, & applicationem omnipotentis per decretum indifferens, quidquid desideratur, ut existat actus, scilicet concursus simultaneus, hujusque determinatio nostræ libertati, ac voluntati unicè derelicta sunt: ergo necessitas orationis non salvatur, nisi admittamus necessarium, aliud auxilium supponens libertatem adæquatè constitutam per auxilia indifferentia, & illam efficaciter applicans ad operandum. Quocirca ut D. Hieronymus hanc cunctorum in nostra potestate derelictionem impugnet ex verbis Apostoli ad Rom. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis,* ad hoc inquam, ostendendum redit ad necessitatem orationis, quia hanc consequentiam credidit infallibilem: *Concessa semel liberi arbitrii potestate, nostræ voluntati cuncta derelicta sunt:*

er-

ergo non debeo à Deo per singula auxilium deprecari. Verba enim maximi Doctoris immediate subiecta post relatam D. Pauli sententiam hæc sunt: *Ex quibus intelligamus, nostrum quidem esse velle, & currere, sed ut voluntas nostra compleatur, & cursus, ad Dei misericordiam pertinere, atque ita fieri, ut & in voluntate nostra, & in cursu liberum servetur arbitrium, & in consummatione voluntatis, & cursus, Dei cuncta potentiæ relinquuntur.* Ecce D. Hieronymus contendit, admittendum, aliud esse auxilium superadditum potestati, ut cuncta non voluntati, sed Deo relinquuntur, & hoc probat subdens: *Scilicet nunc mihi Scripturarum testimonia replicanda sunt, quomodo per singula Dei à Sanctis flagitetur auxilium, & in singulis operibus suis illo adjutore, & protectore uti desiderent. Lege totum Psalterium, omnes Sanctorum voces: nihil erit, nisi ad Deum in cunctis operibus deprecatio.* Ex quibus duo certissimè constat: primum est bonitas illius consequentiæ; & ex hoc primo, constat secundum, quod admitta orationis necessitate, admitti debet consequenter necessitas alterius auxilii potestati, ac libertati nostræ superadditi: hoc autem auxilium est prædeterminatio.

45. Scio, summam adversariis esse difficultatis rationem, quod si ultra potestatis constitutionem, aliquo egemus, quod in manu nostra non sit, & sine quo actus à nostra potestate non procedet, requiratur, injustas esse peccatorum correptiones. Hoc eorum motivum jam aliàs à nobis tactum est. Sed numquid novum est illud? Immo antiquissimum; hoc enim etiam Augustino objiciebatur. Audiamus eum libro de corrept. & grat. Primum testimonium habetur cap. 4. quod ita incipit: *Patimini me paululum, fratres mei, non adversus vos, quorum rectum est cor cum Deo, sed adversus eos, qui terrena sapiunt, vel adversus ipsas humanas cogitationes pro celestis, & Divina gratiæ charitate certare. Hoc enim dicunt, qui in suis malignis operibus ab hujus gratiæ prædicatoribus corripiti nolunt. Præcipe mihi, quid faciam, & si fecero, age pro me gratias Deo, qui mihi, ut facerem, dedit. Si autem non fecero, non ego corripendus sum, sed ille orandus est, ut det, quod non dedit, id est, ipsam, qua præcepta ejus fiunt, fidem Dei, & proximi charitatem: ora ergo pro me, ut hanc accipiam, & per hanc ex animo cum bona voluntate, quæ præcepit, faciam. Rectè autem corripere, si eam mea culpa non haberem: hoc est, si eam possem mihi dare, vel sumere ipse, nec facerem, vel si dante illo, accipere noluissem.* Hæc S. Augustinus. Secundum testimonium desumitur ex eodem lib. cap. 5. quod sic finitur. *Apostolus, inquit, ait, quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Cur ergo corripimur, arguimur, reprehendimur, accusamur? Quid facimus, qui non accepimus? Qui hoc dicunt extra culpam se videri vo-*

lunt in hoc, quod non obediunt Deo, quia utique ipsa obedientia munus ejus est, quæ necesse est, ut insit ei, cui charitas inest, quæ sine dubio ex Deo est, & dat eam Pater filiis suis. Hanc, inquit, non accepimus, quid itaque corripimur, quasi nos eam nobis dare possimus, aut nostro arbitrio dare nolimus? Ita ibi S. Augustinus, quæ argumentum Pelagianorum, & solutionem, qua illi possent occurrere, evidenter continent, nullibi à S. Doctore ita expressam, sicut in his locis.

46. Ex illis autem constat, nihilò efficacius argumentari Recentiores contra nostros Thomistas, quàm Pelagiani tunc temporis contra S. Augustinum, & Catholicos argumentarentur. Constat insuper, argumentum unum, & idem istis, & illis esse commune, nec novam aliquam nobis objici difficultatem, quæ S. Augustino objecta non fuerit. Nec propterea dico, commune esse sententiam, quod eis et oppositam damnare; tantùm autem pronuncio, fuisse commune argumentum. Argumentum quippe Hæreticorum, ut ex verbis patet relatis, tale erat. Qui non habet in sua potestate omnia requisita ad actum, ad quem obligat lex, injustè corripitur, atque injustè increpatur: sed adjutorium voluntatis, & actionis ad actum lege præceptum est per vos necessarium, nec illud per vos homo habet in sua potestate: ergo injustè corripitur, & injustè increpatur homo, qui illum omittit. Vel aliter confici potest Pelagianorum argumentum, & ratio sub hac forma: ille solus dignus est, qui corripatur, & accusetur propter omissionem actus præcepti, qui habens in sua potestate adjutorium, quo eget ad illum actum, tali adjutorio ideo caret, quia non vult illud accipere, cum possit: sed auxilium gratiæ adjuvantis necessarium est ad actum præceptum, & illud homo non habet in sua potestate, atque adeo illud sibi acquirere non potest, nec sibi, & illud sumere ad operandum: ergo omittens actum præceptum injustè propter omissionem corripitur, increpatur, accusatur. Vel tertio sic argumentabantur: auxilium, quo Deus discernit consentientem à non consentiente, talis est naturæ, ut illo existente, existat consensus infallibiliter in eo, qui discernitur; tantæ verò necessitatis, ut deficiente illo, consensus infallibiliter non existat: ergo, ut homo tanquam reus de fractione accusetur præcepti, illud debet habere in potestate, sin minus reprehenditur sine causa.

47. Conferas, rogo, argumentum hoc cum argumento illo Recentiorum, quod variis objectum terminis, vocomque obscurissimis ambagibus replicatum proponitur, ut inter utrumque discrimen aliquod assignes. Quoniam autem Hæreticorum argumentum nulli Catholicorum potest non esse suspectum, omnes ad argumentum respondere tenentur; sed quali solutione contrarii Recentiores occurrant, diligenter attende. Major-

jorem non solum admittunt, verum & totis viribus stabilire, atque firmare contendunt: deinde negant secundam minoris partem, quod scilicet concursus gratiae operantis actionem, sive gratiae adjuvantis influxus in actum, non sit in nostra potestate, ut possit homo corripri, & omissionis reus accusari? Porro, hominem posse iuste corripri, & iuste omissionis damnari, non negabant, immo fatebantur, atque docebant Pelagiani; dummodo illis concederet Augustinus cum ceteris Catholicis, hoc adiutorium, quod necessarium est ad actum praecipuum, in hominis esse potestate constitutum. Quod ex ultimis utriusque testimonii verbis constat aperte. Quid enim sibi volunt illa Pelagianorum verba, quibus primum concluditur? *Recte autem corripere, si eam mea culpa non haberem: hoc est, si eam possem mihi dare, vel sumere ipse, nec facerem; vel si dante illo, accipere noluissem.* Quid illa in fine secundi? *Hanc, inquit, non accepimus; quid itaque corripimur, quasi nos eam nobis dare possimus, aut nostro arbitrio dare volumus?* Quod ergo discrimen inter has assignent solutiones, penitus ignoro.

48. Non solutionem istam probavit Augustinus; illam acerrime impugnat, ut constabit legenti, & evolventi sua volumina, & maxime librum de Corrept. & Grat. in quo toties argumentum inculcat, & rejecta, atque negata arbitrii potestate ad tale sibi adiutorium acquirendum, plane concedit minorem quoad utramque partem; sed majorem aperte negat. In lib. tamen de Grat. & liber. arbitrii. cap. 14. circa medium capitis modum aperit, quo nobis possibilis est operatio praecipua, ad quam egemus adiutorio, quod non est in nostra potestate: ita enim docet ex Apostolo 10. ad Rom. *Ergo Spiritus gratiae facit, ut habeamus fidem, ut per fidem impetremus orando, ut possimus facere, quae jubemur: ideo ipse Apostolus assidue legi praeponebat fidem, quoniam quod lex jubet, facere non valeamus, nisi per fidem rogando impetremus, ut facere valeamus.* Quam doctrinam & probavit, & docuit Tridentinum sess. 6. de justificatione. cap. 11. cum Augustini verbis assumptis dixit: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Ecce quomodo adiutorium, quod requiritur ad actum nobis sit possibile, scilicet media oratione, quia scriptum est, *petite, & dabitur vobis.* Et rursus, *omnis, qui petit, accipit.* Et iterum, *quidquid petieritis Patrem in nomine meo, credite, quia accipietis.* Hoc sane non solum ostendit, adiutorium illud non esse in nostra potestate, verum evidenter demonstrat, in manu arbitrii non esse aliud, quam petere; cum vera non possit esse oratio, qua poscitur id, quod quis scit, vel existimat in sua esse potestate, ut dixit Augustinus de dono persever. cap. 23. his verbis: *Nam si haec ab ipso quidem poscit Ecclesia, sed a se ipso sibi dari putat, non veras, sed perfuncto-*

rias orationes habet, quod absit a nobis. Quis enim veraciter gemat desiderans accipere, quod orat a Domino, si hoc a se ipso se sumere existimet, non ab illo. Vide totum Capitulum, & comperies, quam germana sit litterae ponderatio.

49. Hoc iterum manifeste comprobatur ex eodem S. Doctore de grat. & liber. arbitrii. cap. 13. ubi sic habet: *Sed si hoc verum esset, utique in oratione Dominica cum dixissemus, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: non adderemus, & ne nos inferas in tentationem. Illud enim dicimus, ut peccata dimittantur, hoc autem, ut caveantur, sive vincantur: quod a Patre, qui in Coelis est, nulla ratione peteremus, si virtute voluntatis humanae hoc possemus efficere.* Et post pauca in fine Capituli referens S. Cyprianum in expositione orationis Dominicae, inquit: *Ibi videbitis, quemadmodum sic alloquatur liberum arbitrium eorum, quos conscriptione sui sermonis edificat, ut ostendat tamen ea, quae implenda jubentur in lege, in oratione esse petenda. Quod utique vanissime fieret, si ad illa agenda voluntas humana sine Divino adiutorio sufficeret.* Ac tandem Epist. 105. *Si dixerimus, meritum precedere orationis, ut donum gratia consequatur, impetrando quidem oratio quidquid impetrat, evidenter Dei donum esse ostendit, ne homo existimet a se ipso sibi esse, quod si in potestate haberetur, non utique posceretur.*

50. Haec S. Augustinus, cui addimus opportunissimam S. Ambrosii doctrinam in lib. de fuga saeculi cap. 1. quae laudat, atque commendat S. Augustinus lib. de dono persever. cap. 8. circa medium, dicens: *Quem secutus B. Ambrosius audet, & dicit: Non enim in potestate nostra est cor nostrum, & nostra cogitationes: quod omnis, qui humiliter, & veraciter pius est, verissimum esse sentit. Quam sententiam ita probat Ambrosius, dicens de fuga saeculi: Denique voti magis eam esse rem, quam effectus, testatur Propheta dicendo: inclina cor meum Deus in testimonia tua, & non in avaritiam: non enim in potestate nostra est cor nostrum, & cogitationes nostrae.* Ubi probat Sanctus Ambrosius, in potestate nostra non esse cor nostrum, quia Propheta orat Deum, ut cor ejus in testimonia sua inclinet, & non in avaritiam, ac si ita argumentaretur Ambrosius: Propheta rogat Deum, ut in testimonia sua cor ejus inclinet: ergo neque cor ejus, nec cogitationes in ejus sunt potestate, ut scilicet actu fiant sine adiutorio Dei donante ipsas cogitationes. Patet consequentia, quia non possumus a Deo petere, quod in nostra est omnino constitutum potestate. Hic tamen maxime notandum, quod Propheta instructus, ac praemunitus omnibus adiutoriis requisitis ex parte actus primi ad libertatem, clamat adhuc, & orat pro adiutorio ad vincendam avaritiam (quod modo sufficit) non pro adiutorio possibilitatis, sed pro adiutorio voluntatis, & actionis, sive pro auxilio gratiae

tae sub munere, & formalitate efficaciter adjuvantis; non quae in sancta cogitatione consistat, aut in subito motu voluntatis, sed quae det actu fugere avaritiam, declinare vanitatem, actu implere praecipua, quod adiutorium gratiae non est in hominis potestate.

51. Hoc magis confirmari, & illustrari potest. Quilibet quantumvis pius, & sanctus potest cum Propheta dicere: *inclina cor meum Deus in avaritiam tuam Bonitatis: inclina cor meum Deus in dolorem peccatorum meorum, quae contra te commisi: haec enim oratio fatis pia, & religiosa est, & Sanctis, qui amori Dei, & poenitentiae peccatorum incumbunt, familiarissima: sed hujus orationis objectum non est auxilium sufficiens; nam sensus hujus orationis non est: da mihi Domine auxilium, quo possim cor meum inclinare in tuae Bonitatis amorem, aut in dolorem peccatorum meorum, & ego illud ad te inclinabo: tum, quia cum id ita in re eveniat juxta Adversarios, non est cur id a Deo peti possit: tum, quia talis deprecationis fenus evidenter est falsus; non enim ita orat Propheta, sed ait: *Inclina cor meum Deus in testimonia tua: averte oculos meos, ne videant vanitatem, in via tua vivifica me,* ubi actus petit, non potestatem ad actum. Et tandem, quia esset oratio superba, & imprudens, ut saepe alias diximus; nam qui oraret ita, Deo, quod minus est, tribueret, sibi quod magnum; majus enim quid est determinatio auxilii, quae inseparabiliter est connexa cum amore, vel poenitentia; quam potestas ad utrumque cum utriusque carentia conjungibilis: & licet oratione sua sufficientiam adaequatam, & potestatem expeditam a Deo esse fateretur, illius determinationem sibi arrogaret: ergo petit adiutorium voluntatis, & actionis, gratiam efficaciter adjuvantem inseparabiliter connexam cum actu; nam actum petit, cum dicat, *inclina cor meum, averte oculos meos, vivifica me:* & quod petit, non est omnino in potestate petentis. Quam doctrinam in Scholis sacraavit Summus Pontifex Innocentius I. rescribens Patribus Concilii Milevitani eorum acta auctoritate Apostolica confirmans: ibi enim agens de objecto orationis Prophetae Regii Psal. 123. *Adiutorium nostrum in nomine Domini, ita dicit circa medium Epistolae. Audi David dicentem: adiutorium nostrum in nomine Domini, & adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus, quae incassum dixit, si tantum in ejus erat positum voluntate, quae a Domino se habili sermone poscebat.**

52. Satis ista, sed nusquam fatis, dum ed incaute ducat doctrina ista Adversariorum, quantum videtur nobis, ut vanum fiat, & irritum orationis praecipuum: unde alio irrefragabili argumento totum id amplius confirmo. Pelagii haeresim SS. PP. & Sacra Concilia exprobant, & execrandam definiunt, quia impiis disputationibus Dominicam orationem ca-

nabatur auferre. Haec apud ipsos erat evidens, & inevitabilis consequentia: suppositis donis naturae; & doctrina ostendente viam, per quam ambulare debemus, recte oramus Deum, ut dirigat gressus nostros, & salutari-ter operemur: ergo Deus praevinit salutare opus per gratiam distinctam a doctrina, & donis naturae, arguendo ex opposito consequentis ad oppositum antecedentis, ex defectu gratiae distinctae a doctrina, & donis naturae, ad defectum orationis. Haec ergo erat apud ipsos indeclinabilis consequentia: Ecclesia non solum orat, ut infidelibus donetur libertas credendi per sufficientem gratiam, sed etiam, ut credant; ergo Deus operatur credere per gratiam praevinentem distinctam a sufficiente: antecedens est certum, ut supra diximus, ergo & consequens debet esse verum; vel assignent principium, cui nititur SS. PP. consequentia, quod non similiter firmet hujus consequentiae bonitatem.

53. Nec nobis reponant, quod dum Ecclesia orat, ut credant ii, quibus data est libertas, & sufficientia credendi, non orat Deum pro obtinenda gratia efficaciter movente distincta a sufficiente, sed quod donet eam libertatem, & gratiam, cui praevidet consensuros, potius quam illam, cui praevidet disconsensuros; nam praeterquamquod supra n. 38. inanem ostendimus istum orandi modum; contra est primo, quia a Deo petitur consensus salutaris in se ipso formaliter, non haec, vel illa libertas, non haec, vel illa praeparatio ad consensum, sed gratia distincta a gratia constituyente sufficientiam, quae det ipsum consensum, vel ipsum bonum usum gratiae libertatis, ut docet D. Prosper in Epist. ad Demetriadem ita dicens: *Itaque utendum tibi est his, quae largitus est Deus, & ab eo semper est petendum, ut donis ejus fideliter, & scienter utaris; vel exposcitur aliis terminis gratia, quae det non solum posse, quod volumus, verum etiam velle, quod possumus;* ut dixit Augustinus de corrept. & grat. cap. 11. ut ostenderet, quod objectum orationis non est velle in auxilio praeparante constituyente posse, sed ipsum velle formaliter in se ipso. Ubi obiter nota, quod Deum oramus, ut donet consensum, & ut liberè donet ex sua determinatione, & dominio. Unde oratio objective tendit in consensum, ut dandum, & determinandum a Deo, quae propterea non supponit subjective existentem praedeterminationem ad consensum; quia dum existit praedeterminatio, existit infallibiliter consensus; unde tunc non est exorandus Deus, ut donet consensum, sed gratias agere tenemur Deo, quia donavit consensum, supposita praedeterminatione.

54. Secundò urget contra solutionem, quòd & Pelagiani argumento SS. PP. facile reponere possint, Ecclesiam justè orare, ut credant ii, quibus nota est doctrina Evangelica; at non exposcere gratiam distinctam, sed quòd doctrina ita proponatur à Deo qualiter prævitet consensuros, potiùs quàm modo, quo prævitet dissensuros. Quæ responsio minimè Pelagianos latuit, teste D. Augustino de grat. Christi cap. 41. exponens Pelagii errorem: *Ita ut ipsas quoque orationes, ut in scriptis suis apertissimè affirmat, ad nihil aliud adhibendas opinetur, nisi ut nobis doctrina etiam Divina revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione, & actione perficiat.* En ubi Pelagius fatetur, non tendere orationes Ecclesie ad gratiam à doctrina distinctam, sed ut doctrina aliter manifestetur, & Divina revelatione aperiatur, ut homo, quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione, & actione perficiat. Insurgit tamen contra ipsum Augustinus Epist. 107. ad Vitalem: *Non enim hoc oramus pro infidelibus, ut fiat eorum natura, id est, ut homines fiant, aut ut doctrina eis predicetur... sed oramus, ut voluntas corrigatur, doctrina consentiatur, & natura sanetur.* Sic & nos insurgimus contra Adversarios: non orat Ecclesia solum pro infidelibus, ut liberi sint ad credendum, ut eorum voluntas excitetur, ut inspirationibus pulsentur, sed ut voluntas corrigatur, inspirationi consentiant, & excitatione surgant, ut sanentur: ergo quia pro eis petitur aliud auxilium à vocatione, excitatione, & libertate distinctum: ergo, negato hoc auxilio, & negari debet orationis necessitas; vel si astrui debet orationis præceptum, & aliud auxilium distinctum à sufficiente ex Deo esse, tenemur confiteri.

55. Sic Apostolus 2. ad Corinth. 13. orabat Deum pro Corinthiis dicens: *Oramus Deum, ut nihil mali faciatis...* Ut vos, quod bonum est, faciatis. Hic Deum orat, ut ex ipso Deo sit vitatio omnis mali, & executio omnis boni. Non orat Deum, ut eis donet potestatem non peccandi, quia potestas non peccandi jam erat in ipsis, & solum potest deficere per necessitatem peccandi: sicut libertas peccandi in Christo, & in Beatis deficit, propter necessitatem, quam habent, non peccandi. Non similiter orat pro potentia libera non peccandi, ut asserit P. Ramirez loco citato n. 241. cum expressè contradicat Augustinus de grat. Christi cap. 25. *Non ait Apostolus, oramus, ut possitis nihil mali facere, sed ne quid faciatis mali.* Solicitus namque Paulus, ut Corinthii non peccarent, & ut bonum facerent, non videtur, orasse pro posse libero, etiam indifferenti ad peccandum: ergo supposita potestate expedita non peccandi petit specialem illam gratiam, qua indigent, ut non peccent.

56. Sic similiter orabat D. Paulus ad

Rom. 7. dicens: *Namque condelector legi secundum interiorem hominem, ubi se gratia sufficienti ornatum agnoscat, & concupiscentiæ pagnam sentiens, ut testatur ipse sequentibus verbis: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, exclamat: infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum: ubi non solum exoptat corpus corruptioni non expositum induere per resurrectionem ad gloriam, quam sperabat assequi ex gratia Dei per Jesum Christum, ut ait P. Ramirez ubi supra. Certè nescio, quo sano sensu possit quis conari, verba Pauli eò divertere, ne gratiam Dei significasse Apostolum fateatur. Postulabat ille gratiam medicinalem efficaciter adjuvantem, ne operibus carnis in illa spiritali pugna consentiret; ne succumberet, aut superaretur a concupiscentiis suis, sed victoriam obtineret; & carnem gratia Dei redigeret sub potestate spiritus, ut adscriberetur ipsi ad meritum, & coronam, teste Divo Augustino de natur. & grat. cap. 54. & 55. arguens contra Pelagianos, gratiam per Christum, & peccata remittere, & ut non peccemus, adjuvare, sequentibus verbis: *Quod non tantum desiderat Apostolus, ut per indulgentiam sit de præteritis impunitus, sed etiam ut sit de cætero ad non peccandum fortis, & validus...* Hinc est quod clamat: *infelix homo, &c. Sinitur orare, sinatur adjuvatorum medici potentissimi flagitare. Quid contradicitur? Quid obstrepitur? Quid miser misericordiam Christi petere prohibetur, & hoc à Christianis? En iterum Apostolica illa eruditione lib. 5. contra Julianum cap. 7. edocet necessariam Dei gratiam, ne in pugna illa, quæ excitatur à carne, & quæ agitur, & sentitur in carne, carnis desideria perficiantur, dicens: *Denique ista vitia non medicos ullos corporum querunt, sed gratia Christi medicante curantur; prius ut reatu non teneant, deinde ut conflictu non vincant, postremo, ut omni ex parte sanata, nulla omnino remaneant. Proinde cum mala concupiscere malum sit, & bona concupiscere bonum sit, atque hoc bellum quandiu hic vivitur non quiescat, cum caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem; quis me liberabit de corpore mortis hujus, nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum?* Sed non Augustinus solum hoc Apostoli testimonium de gratia dante victoriam tentationis intelligit; communi SS. PP. consensu firmatur hæc interpretatio, teste eodem Augustino in expositione Epistolæ Pauli ad Rom. & in lib. 1. ad Simplicianum: *Non ego solus, aut primus, sic istum locum intellexi, quo evertitur hæresis vestra, quemadmodum verè intelligendus est: immò verò ego prius aliter intellexeram, vel potius non intellexeram, quod mea quaedam illius temporis etiam scripta restantur.* Et expressius lib. 1. retract. cap. 23. & lib. 2. cap. 21. *Sed postea melioribus, & intelligentioribus cessi, vel potius, ipsi, quod fatendum est, veritati, ut viderem in illis Apostoli***

vocibus, gemitum esse Sanctorum contra carnales concupiscentias dimicantium. Hinc factum est, ut sic ista intelligerem, quemadmodum intellexit Hilarius, Gregorius, Ambrosius, & cæteri Ecclesia Sancti, notique Doctores, qui & ipsum Apostolum adversus carnales concupiscentias, quas habere volebat, & tamen habebat, strenuè confixisse, eundemque conflictum suum illis suis verbis contestatum fuisse senserunt; contra quos motus prius utique debellandos, ne dominantur, & postea sanandos, ut penitus extinguantur, etiam ipsa gloriosa certamina Sanctos exercere confessus est.

57. In hunc ergo sensum planè loquitur Apostolus. Si ergo Apostolo credimus, si Doctore maximo, ut par est, si D. Augustino, & cæteris SS. PP., constat necessitas orationis, qua à Deo poscimus gratiam adjuvantem ad victoriam tentationis; esseque Sanctis argumentum familiare, ut probent, in nostrâ non esse potestatem adjuvatorum illud gratiæ, quo egemus ad benè operandum, etiam post collatam arbitrio potestatem, datoque auxilio, quod nos dicimus sufficiens, & illo, quod Pelagius possibilitatis non negabat. Sed neque tot SS. PP. testimoniis opus erat, ut suam ipsi cespitationem agnoscerent tot Sacrarum Scripturarum oraculis occupatam, cum semper fuerit inter homines certa, & firma hæc veritas, & veluti communis animi omnium conceptio: quid enim nobis Ecclesia, & Sancti Patres urgentius prædicant, quàm orandum semper esse, ut, adjuvante Deo, benè operemur? Undè Pelagius, qui semel arbitrio collata potestate, cuncta nobis esse derelicta asserbat, necessitatem negavit orandi, ut adjuvatorum voluntatis, & actionis consequeremur. Cassianus verò, Faustus, & Vitalis, qui nos vires habere sufficientes ad inchoandum fidem propugnabant, ad hæc habenda nos oratione minimè indigere prædicabant. E contra verò SS. PP. efficaciter probantes, nos post collatam boni operis potestatem, ulteriori indigere Dei gratia, quæ sit efficax adjuvatorum voluntatis, & actionis, & quæ det initia credendi, atque in bono perseverantiam nihil aliud frequentius contra Hæreticos urgebant, quàm orandi pro his omnibus necessitatem, quod erit indubium legenti libros de prædeterminatione Sanctorum, & de dono perseverantiae, nec non Epistolam ad Vitalem 107. toties à nobis adductam.

58. Sed hic se offert argumentum P. Antonii Perez disp. 1. de Provident. cap. 5. q. 13. n. 24. quo similiter utuntur P. Tyrso tom. 1. disp. 17. sect. 11. & P. Henao sect. 76. ad probandam ex futura stultitia, & inutilitate orationis, impossibilitatem gratiæ physicè prædeterminantis. Si auxilium efficax esset in Dei potestate, & non in nostra, sequeretur, utilem esse orationem, qua petamus à Deo actum ex suppositione libertatis: sed est per se absurdum petere actum, qui est in nostra

potestate, ex suppositione, quòd in nostra potestate sit; ait enim Augustinus de natura, & grat. cap. 18. *Quid stultius quam orare ut facias, quod in potestate habes? Nec dissentit Hieronymus asserens: Frustra semper oramus, si in nostro arbitrio est facere quod volumus: ergo supposita libertate, nullum auxilium deest exactum ad actum, quod sit in potestate Dei. Mirari satis non possum, talem ab Auctoribus istis excogitatam potestatem humanam, ut inutilem, & stultam reddat orationem; cum potiùs ex orandi necessitate, quam sancta, & nunquam concutienda doctrina Ecclesie prædicat, humanam potestatem cognoscere deberent. Sed præstò eorum argumento occurrit Augustinus de peccator. merit. cap. 6. respondens: *Quis autem optat, quod in potestate sic habet, ut ad faciendum nullo indigeat adjumento? Ergo optare poterat, si in potestate ita sit, ut alterius adjumento indigeat. Idem scripsit S. Hilarius Epist. 89. Frustra rogantes Deum dicimus, ne nos inferas in tentationem, si hoc in nostra positum est potestate, ut nullo illius adjutorio id valeamus adimplere: ergo non frustra est oratio, licet aliquid sit positum in potestate; dum non nisi Dei adjutorio id valeamus adimplere. Eodem modo loquitur D. Hieronymus lib. 2. adversus Pelagianos. Probat enim, quòd Christus non debuit dicere: *Surgite, & orate, ne intretis in tentationem, juxta Pelagium, sed potius, quid dormitis? Surgite, & resistite: liberum enim habetis arbitrium, & semel vobis concessu à Domino potestate nullius alterius indigetis auxilio: ergo stat oratio, postquam est potestas concessa, cum adhuc indigeamus auxilio.***

59. Hoc amplius dilucidis testimoniis fulciri potest, primò ex Innocentio in Epist. ad PP. Concilii Milevitani superius citata; postquam enim retulit Prophetæ verba: *Adjuvator meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus, ita ait, quæ incassum dixit, si tantum in ejus erat positum voluntate, quod à Domino flebili sermone poscebat. Possumus ergo à Deo petere, quod in nostra est voluntate, si non sit tantum in ea, sed etiam in voluntate illius, quem flebili sermone exoramus. Sic loquutus est Augustinus cap. 34. de natur. & grat. dum de Pelagio asserit: *Hic prohibet, nos orare, ne intremus in tentationem, cum hoc ne nobis accidat, in nostra tantum potestate esse contendit.* Nota eandem exclusivam, qua supponit Augustinus aliquid posse esse in nostra potestate, & non tantum in nostra. Id aperte confirmatur ex eodemmet textu argumenti: ad illa enim verba *quid stultius, quàm orare, ut facias, quod in potestate habes, præmittit sequentia, ut Pelagium convinceret, Deum esse orandum: quod licet non fiat (vitare quidem peccata futura) nisi voluntas adsit, tamen, ut fiat, voluntas sola non sufficit; ideo (causalem nota) pro hac re nec superflua; nec imprudens Domino immolatur oratio, nam**

quid stultius, &c. Non ergo Augustinus negat utilitatem orationis, licet illius voluntas habeat in potestate, si sola non sufficiat; sicut & dixit D. Hieronymus; *non nostra solum esse potestatis, facere, quod velimus, sed & Dei clementia, si nostram adjuvet voluntatem*. Indè egregiè dixit magnus ille Fidei Catholicæ defensor, & testis Joannes Fischerius Roffensis Episcopus, qui de Luthero, & ejusdem temporis hæreticis gloriosè triumphavit, is, inquam, in opusculo de necessitate orandi, paulò à principio egregiè dixit: *Quia nullum unquam praterit momentum, quò non vehementer egeamus Divino auxilio; idcirco necessitas maxima nos impellit, ut semper opem ejus assidua precatioe flagitemus*. Potestatem ergo faciendi, quod bonum est, habemus; sed non potestatem, ut sine Dei adjutorio faciamus.

60. Ex quibus occupata manet argumenti solutio, distinguendo minorem: absurdum est petere actum, qui est in mea potestate ex suppositione, quòd sit in mea potestate, ita ut nullo egeam adjutorio, concedo minorem; ita ut alterius egeam adjutorio, nego minorem, & consequentiam. Vel aliter: frustra oramus, quod in potestate jam habemus, si voluntas sola sufficit, ut habeamus, concedo: si voluntas sola non sufficit, nego. Quia dum sola voluntas non sufficit, nec superflua, nec imprudens est oratio. Est ergo sub potestate liberi arbitrii constitutà per auxilium sufficiens actus salutaris, sed ulterius indiget Dei adjutorio. Hæc enim est maxima inter Deum, & creaturam diversitas, quòd Deus teste D. Thoma 3. contra gent. cap. 1. *Ad productionem creaturarum exterioris agentis adminiculo non indiget: è contra verò creatura se ipsam determinare nequit omnino independenter ab alio prius determinante, ut luculenter expressit D. Thomas q. 3. de potent. art. 7. ad 10. Dicendum, inquit, quòd creatura habet aliquam Dei similitudinem participando bonitatem ipsius, in quantum est, & agit; non tamen ita quòd per similitudinis perfectionem ad aequalitatem perveniat: & idèd sicut imperfectum indiget perfectò, ita virtus natura in agendo indiget operatione divina*. Argumentum autem procedebat ex eo, quòd creatura Dei similitudinem habet, in quantum actu est, & actu agit, & secundùm hoc est divine bonitatis particeps; hoc autem non esset, si virtus sua ad agendum non sufficeret: sufficit ergo creatura ad agendum sine hoc, quòd Deus in ea operetur, utique ipsam movendo: sed expressè D. Thomas negat, posse voluntatem creatam assimilari voluntati divinæ, in hoc quod est se ipsam primò determinare, quod intendebat argumentum: & quòd si in hoc assimilaretur voluntati divinæ, ad ejus aequalitatem perveniret, quod omnino implicatorium est. Habet ergo potestas, & sufficientia constitutiva libertatis creatæ, ex eo quòd potentialis est, quòd non se determinet ad actum independenter ab alio prius determinante. Ha-

bet & Deus ex eo quòd est primum agens liberum, quòd ipsam determinet. Non enim sufficit ad rationem primi liberi, quòd Deus liberè tribuat voluntati creatæ posse liberum ad suos actus: etenim Deus nedum est primum agens liberum respectu libertatis creatæ in actu primo, sed etiam respectu exercitii ipsius libertatis: ergo nedum debet concurrere dando posse voluntati ad elicentiam actus liberi, sed etiam debet immediatè influere in actus liberos; sed nequit immediatè in illos influere per concursum, quo immediatè causat libertatem: ergo ultra illum concursum debet dari alius, quo Deus immediatè concurrat cum voluntate ad suos actus liberos, pro quo, & si potestas sit constituta, possumus & debemus orare, ut iterum expressit M. P. Augustinus explicans verba illa Psal. 120. *Dominus protectio tua super manum dexteræ tuæ, dicens: ergo fides tua, manus dexteræ tuæ, id est potestas, quæ tibi data est, ut sis inter filios Dei, manus est dexteræ tuæ; & tamen non nobis sufficit, habere manum dexteræ, nisi ille, & ipsam manum dexteræ protegat, quia Dominus custodiet te ab omni malo, qui est tegumentum tuum super manum dexteræ tuæ, qui non dormiet, nec dormitabit: quo sanè nihil expressius confutandæ Adversariorum sententiæ dici potest, seu ut firmetur, quòd licet aliquid sit in nostra manu, seu in potestate expedita liberi arbitrii, adhuc Deus orandus est; quia ut nos protegat, non dormitat; & quia nobis non sufficit habere manum dexteræ, id est potestatem, quæ nobis data est. Videantur quæ supra diximus dub. 1. §. 3. num. 78. & 89.*

§. IV.

Gratia ab intrinseco efficax probatur ex eo, quòd opera nostra bona sint dona Dei.

61. **R**ectè postquam ex necessitate orationis auxilii efficacis veritatem ostendimus, idem pergitur probare ex eo, quòd opera, quæ talium sunt effectus auxiliorum, à nobis, nisi ex dono Dei, non efficiuntur; nam, ut verè ait D. Augustinus de dono persever. cap. 6. *Ea, quæ poscimus à Deo, sunt dona Dei: undè idem est petere auxilia efficaciam, quibus bona opera efficiamus, ac rogare Deum pro ipsis bonis operibus*. Pro hujus quæstionis intellectu præmittendum, bona opera nostra esse dona Dei, ut fides Catholica docet in Tridentina Synodo sess. 6. cap. 16. per hæc verba: *Dei tanta est erga homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona*. Quam propositionem desumpsit Concilium ex Cælestino I. in Epist. ad Episcopos Galliarum cap. 12. ubi sic ait: *Tanta enim est erga homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona*.

62. Præ-

62. Præsupponendum secundò, negasse Pelagium, bona opera nostra esse dona Dei; quia hanc consequentiam credidit necessariam: *Deus nobis donat opera bona: ergo opera illa non sunt libera*. Undè, ne teneretur admittere consequens, quod benè putavit absurdum, ac dogma perversum, stultissimè negavit antecedens, & à causalitate divinæ gratiæ nostras operationes subtraxit, sicut illas exemptas voluit Tullius à divina Providentia. Concessit tamen Pelagius, potestatem ad bona opera faciendâ esse donum Dei, quia optimè vidit, minimè arbitrii officere libertati: negavit tamen necessariam aliud auxilium, quo Deus nobis donet voluntatem; id est volitionem & actionem, nesciens, illud cum libertate conciliari. Ex quo intulit, nec inconsequenter ad suum dogma, bona opera nostra non esse dona Dei, iudice D. Augustino de dono persever. cap. 20. dicente: *In libris confessionum mearum, certè dixi Deo nostro, & sæpè dixi: da quod jubes, & jube quod vis. Quæ mea verba Pelagius Romæ, cum à quodam Fratris Coepiscopo meo fuissent eo præsentem commemorata, ferre non potuit, & contradicens aliquantò commotus, penè cum eo, qui illa commemorabat, litigavit*. Nesciebat enim, iterum dicimus, componere libertatem, cum auxilio efficaci donante opus bonum, ut asserit Divus Hieronymus in Epist. ad Ctesiphontem ipsius argumentum proponens: *Si ego nihil ago absque Dei auxilio, & per singula opera ejus est omne, quod egero: ergo non ego, qui laboro, sed Dei in me coronabitur auxilium, frustra que dedit arbitrii potestatem, quam implere non possum, nisi ipse me semper adjuverit: destruitur enim voluntas, quæ alterius ope indiget*. Ecce argumentum, quo putabant Pelagiani, inferri everisionem libertatis, si requiratur auxilium bonam donans operationem. Quod illi argumentum solvebant, negantes tale auxilium, & affirmantes, bona opera hominis Dei non esse dona: undè subdit arguens Pelagius: *Sed liberum dedit arbitrium, quod aliter liberum non erit, nisi fecero, quod voluero, ac per hoc ait, aut utor potestate, quæ mihi data est, ut liberum servetur arbitrium, aut si alterius ope indigeo, libertas arbitrii in me destruetur*. Ac si ita argumentaretur: auxilium donans bonum opus debet esse superadditum potestati libertatis constitutivæ: at hoc auxilium superadditum potestati libertatis constitutivæ non datur, quia destruit libertatem: ergo non datur auxilium donans bonum opus, ac per consequens bona opera nostra non sunt dona Dei.

63. Supponendum tertio, quòd non solum Pelagius, sed etiam Calvinus, & Lutherus turpiter circa hanc propositionem, bona opera hominum sunt dona Dei, erraverunt. Principium utriusque commune id unum fuit, quia existimabant, non posse bona opera nostra esse dona, nisi Deus illa per auxilium intrinsecè efficax daret. Undè aberrantes pu-

taverunt necessariam consequentiam istam: *Bona opera non possunt donari à Deo, nisi per auxilia ab intrinseco efficaciam: ergo non sunt libera*. At Pelagius negavit suppositum antecedentis, scilicet bona opera donari à Deo, ne compelleretur admittere consequens. Calvinus verò, & Lutherus, quibus veritas claruit antecedentis, & protervè admitterent consequens, ut negarent, *bona opera hominis esse libera, & meritoria*: quos duos errores unico anathematis fulmine combussit Tridentinum sess. de justificat. can. 32. per hæc verba: *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera, ita esse dona Dei, ut non sint etiam ipsius justificati merita; anathema sit: qua in definitione antecedens stabilivit contra Pelagium, & consequentiam damnavit contra Lutherum, & Calvinum*. Nam quid est aliud, bona opera sunt dona Dei, sed meritoria, quàm illi argumentationi fallaci respondendo dicere; concedo antecedens, quòd scilicet bona opera sint dona, & nego, quòd non sint libera, quia statuo, atque definio, esse meritoria.

64. Ex his, quæ certa sunt, tale sumitur argumentum probativum nostræ conclusionis: Concilium definit, bona opera esse dona Dei contra Pelagium, & ut id statueret, non negavit, sicut Pelagius negavit, auxilium natura sua efficax, quod si negasset, ut omnem dubitandi rationem amoveret, dixisse debuerat, ideo, etsi bona opera justorum sint dona Dei, libertatem retinent, quia non donantur à Deo per auxilium intrinsecè efficax: sic enim ora Calvini, & Lutheri obstruxisset faciliè, negando consequentiam; & Pelagianam hæresim penitus confutasset, statuendo cum solo auxilio natura sua indifferente, & ex consensu nostro efficaci, salvari veritatem, quam hæresis illa omnino ignoranter negavit, quia benè credidit, requiri auxilium ab intrinseco efficax, ut opera bona sint dona Dei: ergò Concilium definiens, bona opera esse dona Dei contra Pelagium, non negavit, sed ut necessarium admisit auxilium ab intrinseco efficax.

65. Secundò & non minus efficaciter probatur conclusio ratione ipsa, qua utitur Ecclesia, ut probet, bona opera nostra esse dona Dei. Hanc discimus ex Cælestino I. in Epist. ad Episcopos Galliarum cap. 12. dicente: *Tanta est enim erga homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona: agens quippè in nobis, ut quod vult, & velimus, & agamus; nec otiosa esse in nobis patitur, quæ exercenda, non negligenda, donavit*. Quibus duo facit, & definit contra Hæreticos: *Bona opera nostra esse dona Dei, & constituit suam definitionem ex eo, quòd Deus agit in nobis, ut quod vult, & velimus, & agamus*. Quam rationem tertio quoque verbo in suis repetit decisionibus Concilium Arausicanum II. atque via eadem incelsere Milevitanum, & Carthaginense; nec non & Augustinus, ac reliqui Patres pugnantés contra hæresim Pel-

lagianam, ac Semipelagianam. Quos nos, ut imitemur, rationem eandem ad hanc formam reducimus. Gratia, qua Deus agit in nobis, ut, quod vult, & velimus, & agamus, est gratia physicè prædeterminans: sed ut bona opera meritoria dicantur, & sint dona Dei, gratia illa requiritur, qua Deus agit in nobis, ut, quod vult, & velimus, & agamus: ergo, ut bona opera nostra sint dona Dei, requiritur gratia physicè prædeterminans: non enim alius est intelligibilis Dei concursus supernaturalis, quo Deus agat in nobis, ut, quod vult, & velimus, & agamus, quam gratia physicè prædeterminans: cum concursus Dei in actu primo sit omnipotentia, à creatura, ut ipsi volunt, determinabilis: & concursus Dei supernaturalis in actu secundo, juxta eosdem, non sit, quo Deus facit in nobis, ut velimus, & agamus; est namque ipsa volitio, & ipsa actio, cum quibus identificatur; & Deus non facit, nec operatur volitione nostra, ut velimus, nec actione nostra, ut agamus; id namque, quod Deus operatur, ut velimus, non est ipsa, quâ volumus, actio voluntatis; ac subindè est aliquid distinctum, quod non est aliud, quam prædeterminativus concursus.

66. Vel aliter, ut vim hujus tantæ, tamque insignis ratiocinationis Cælestini, & SS. PP. radicibus investigemus. Non potest cum proprietate verificari, quod Deus in nobis agit, ut velimus, & agamus, si illud agit eadem volitione, qua volumus, & actione eadem, qua agimus: hoc ex terminis videtur evidens; cum enim dicitur, Deus agit in nobis, ut velimus, & agamus, volitio, & actio nostra est terminus actionis divinæ, & effectus per actionem divinam importatam in illo verbo agit: sed est incredibile, nec ulla ratione intelligi potest, quod volitio nostra sit terminus, & verè effectus sui ipsius: ergo, ut verum sit cum proprietate, Deum agere, in nobis, ut velimus, & agamus, necessariò debet poni ex parte concursus divini aliquid inferens nostram volitionem, & actionem, distinctumque à nostra volitione, & actione, quo nos determinet, ut bona opera faciamus. Hæc non est doctrina ita Scholastica, id est, Theologici discursus vigore deducta, ut non potius sit dicenda Theologiæ principium. Est enim expressè tradita ab Apostolo, & verissimi sensus integritate accepta à D. Augustino ut constat ex illo ad Philip. 2. *Ipsè est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate; non nostra, sed sua;* ut addidit Augustinus de don. persever. cap. 14. Quod expressius affirmat de Prædest. Sanctior. cap. 10. *Ersi faciant homines, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit, ut illi faciant, non ipsi faciant, ut ille faciat.* Et cap. 11. *ideo enim hæc, & nobis præcipiuntur, & dona Dei esse monstrantur, ut intelligatur, quod & nos ea facimus, & Deus facit, ut illa faciamus.* Et de corrept. & grat. cap. 2. *intelligent, si filii Dei*

sunt, Spiritu Dei se agi, ut quod agendum est, agant. Et lib. citato de dono persever. cap. 13. *Deus est enim qui operatur in nobis velle, & operari pro bona voluntate. Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit & credere, & dicere, hoc est pium, hoc est verum, ut sit humilis, & submissa confessio, & detur totum Deo.* Quæ auctoritas ita est expressa, ut sola lectione egeat. Nam ex eo, quod Deus operatur in nobis velle, & operari, infert Augustinus cum S. Cypriano, Deo totum esse dandum, nam etsi nos volumus, & nos operamur, quia tamen ille operatur in nobis velle, & operari, totum Deo dandum est: ac subindè cum longè majori proprietate est Deus causa nostrorum operum, quam nos ipsi, qui operamur; at non infert id Augustinus ex eo, quod tribuit auxilium indifferens, quo potestas nostra ad agendum, & volendum constituitur, sed ex eo, quod ipse est, qui operatur in nobis velle, & operari: quod manifestum est; nam ex indifferente dono ad actum, quis inferat, donum esse actum? Ergo loquitur de concursu Dei prædeterminativo. Ex quibus.

67. Tertiò probatur Conclusio, & suppono, utrumque esse donum Dei, & potestatem expeditam constitutam auxiliis sufficientibus, conjungibilem cum utroque libertatis extremo, & ipsum consensum salutarem, qui est maximum divinæ libertatis munus. Quo supposito, sit argumentum: ut existat à potestate donum inconnexum cum potestate, requiritur donum connectens potestatem, cum tali dono: sed opus bonum est opus à potestate sufficienter constituta existens, & cum illa inconnexum: ergo ut existat opus bonum, requiritur donum connectens potestatem cum illo, ac subindè distinctum ab omni auxilio indifferente, quod pertinere debet ad dona constitutiva potestatis, & est conjungibile cum quolibet libertatis extremo. Explicatur ratio: dona inter se inconnexa, & ad invicem separabilia, ut existant, petunt necessariò donationes inter se inconnexas, & ab invicem separabiles: sed potestas adæquatè constituta, & opus bonum, sunt dona per se inconnexa, & ab invicem separabilia: ergo, ut existat utrumque, donationes requiruntur inter se inconnexæ, & ab invicem separabiles: hæc est enim natura inconnexorum, quod unum existere potest sine alio: ergo, etsi donatio unius non possit non præsupponere donationem alterius, dum illud ab hoc in sua existentia dependet, istius tamen existentia ab illius existentia non dependet, sicut actus dependet à sua potentia, potentia verò, ut existat, ab hoc actu determinato non dependet.

68. Nec valet dicere ad extenuandas propositi argumenti vires, quod etsi donatio auxilii sufficientis non sit ex natura sua donatio boni

boni operis, donatio tamen auxilii reddendi ab extrinseco efficacis, est boni operis ipsa donatio: eò quod licet auxilium sit ab intrinseco inconnexum, connexum tamen est ab extrinseco, quâ connexionem per scientiam, mediam cognitâ, hoc ipso quod Deus decernat auxilii efficacis donationem, boni operis donationem decernit, nec opus est novo decreto, aut novo auxilio. Hæc non subsistit responsio, quæ tot titulis falsitatem involvit. Pro cujus clariori intellectu, ut certissimum debet agnosci, quod ex eo, quod Deus per hanc scientiam directus, homini donet auxilium, cum quo prænovit, voluntatem consenturam, sequatur per consequentiam, ac sequelam Logicam, quod bonum opus existet, non tamen sequitur, quod existat ex donatione Dei gratuita, seu ex determinatione, ex dominio, & ex causalitate Dei; cum ex tali determinatione, causalitate, & dominio, non existat concursus in opus bonum. Tum, quia ita asserunt Adversarii. Tum quia ita fore in re Deus per scientiam mediam prænovit; quia nimirum per illam vidit, voluntatem determinaturam fore auxilium, & concursum Dei pro suo dominio physico, ac physica determinatione, physicaque causalitate, si in tali occasione illam per auxilium præveniret, atque illi suam omnipotentiam per decretum indifferens applicaret: sed quod Deus prævidit fore, non potest suo tempore non esse; nec aliter esse potest, quam prævisum est: ergo licet propter scientiæ divinæ infallibilitatem opus bonum exiturum sit, non tamen sequitur, quod existat ex dominio, determinatione, & causalitate Dei, sed prævisè ex dominio, determinatione, & causalitate physica voluntatis. Uno verbo: Deus testis erit, non donator futuri operis; non quia ipse daturus est, existet; cum nihil det, cum quo non possit non existere; sed quia existet, prævidet. Si ergo hoc ita est, quomodo verificari potest, quod opus bonum sit donum Dei? Donatio enim activa Dei importat physicam boni operis causalitatem, ac physicum voluntatis, & omnipotentiam concursum, quem diximus debere esse prævium, & non purè simultaneum. Præterea; homo habebit opus bonum à se formalitèr, & proximè, non à Deo, nisi ad summum præsuppositivè, & quasi per accidens. Erit ab ipso proximè, & formalitèr, cum existet ex proprio dominio physico; & ex propria determinatione, cum in illo exercendo exemptus sit, ut ipsi asserunt, ab omni determinante, & dominante proximè. Non erit à Deo proximè, & formalitèr, sed ad summum præsuppositivè; cum juxta opposita principia, quibus nititur solutio, ut modò diximus, homo in suo dominio, ac determinatione est omninò exemptus à Deo, ut determinante, & à dominio Dei proximo, & immediato: ergo opus illud ita habet à se, quod illud non habet à Deo proximè, & formalitèr. Au-

xilium sanè proximè, & formalitèr erit ex Deo; sed quid interest, hominem auxilium illud à Deo habere immediatè, & pro dominio immediato Dei, si ipsa actualis existentia concursus divini, & operis boni ita est in potestate, ac dominio voluntatis, ut verè, ac re ipsa, nec ipse Dei concursus existat aliquo modo ex determinatione voluntatis divinæ? Si ex dominio existit Dei, tantum ut à conferente potestatem voluntati, non ut à proximè dominante in opus, aut illius existentiam? Mirandum certè, si hæc ita essent, quare tanto studio commoneat nos Ecclesia, bona opera nostra esse dona Dei; cum verius, & sincerius dicendum esset, esse quidem nostra, sed prævisà à Deo. Quando quidem quod auxilium ejus bona opera nostra sequantur, nostrum est, juxta eam doctrinam, non Dei, cujus dumtaxat est prævisio operis, quod ex nostra voluntate sequetur. Secundum eam ergo doctrinam, potius negandum, quam asserendum esset, merita nostra esse Dei dona; nisi perperam confundantur verba prævidendi, & donandi.

69. Hoc sanè argumentum maximum, & evidentissimum judicari debet, cum actualis, & formalis donatio sine efficaci, seu effectiva voluntate donandi, nec in Deo, nec in nobis intelligibilis sit; quam quidem in hoc complexo, *efficax voluntas donandi opus bonum homini*, nec in Deo admittere volunt Adversarii. Et ratio est, quia voluntas inefficax donandi homini opus bonum actu componitur cum carentia donationis actualis: quoties enim Deus auxilium donat sufficiens, illud donat ex voluntate saltèr inefficaci boni operis, alioquin vel illud donaret non volens, quod est ridiculum, vel illud ex intentione donaret pravi operis, quod nullus Catholicorum audebit dicere: sed multoties, immò quoties homo justus peccat, voluntas illa inefficax conjungitur cum boni operis carentia: ergo, ut donatio existat, non sufficit voluntas inefficax donandi; sed efficax est necessaria. Et nota, me dixisse voluntatem efficacem, addendo *effectivam*, ne maneret subterfugii locus. Nam voluntas conferendi auxilium indifferens, ex intentione boni operis prævisi, ad summum esset voluntas affectivè efficax; id est, desiderantis efficaciter poni à creatura bonum opus, quod non ponet Deus: quam voluntatem, ut Deo indecentissimam, rejicimus; attamen admittentes dicere cum veritate non possumus, Deum donare, sed Deum desiderare.

70. Nec iterum dicant: deficit boni operis præscientia, si conjungendum non sit cum auxilio, & si eadem maneat voluntas: contra enim est; nam volitio Divina non constituitur donatio ex præscientia, sed ex propriis de linea volitiva. Nam donatio boni operis est actus misericordiæ, & liberalitatis Divinæ; sed actus misericordiæ, & liberalitatis non constituitur ex præscientia effectus, cum

sint actus virtutum appetitivarum: ergo non constituitur in esse talis ex præscientia effectus, sed in propria linea appetitiva sinit ejus constitutum. Secundò: ideo deficiente præscientia voluntas inefficax nec est, nec dicitur donatio; quia conjunctio existentia boni operis cum illa voluntate est per accidens, & donatio per se conjungi petit cum existentia boni operis; sed quòd illa inefficax voluntas per accidens tantum cum existentia boni operis conjungatur, non tollitur ex eo, quòd adit præscientia; nam ex illa, ut diximus, sequitur quidem, quòd conjunctio illa fiet; at sequitur, quòd fiat præcisè ex voluntate hominis volentis pro suo placito cum voluntate illa Dei conjungere opus bonum: qui modus conjunctionis omnino est per accidens respectu voluntatis Divinae, quæ ex se componi potest cum carentia talis conjunctionis: ergo ex eo quòd adit præscientia, non vitatur inconveniens; æquè enim per accidens est conjunctio boni operis cum voluntate Dei.

71. Urgetur amplius ex hac secunda instantia. Donatio superna boni operis ex conceptu proprio, & quidditativo habet constituere hominem actu benè operantem; ita sanè, ut hoc donationi non conveniat per accidens, aut concomitanter: ut enim diximus, donatio boni operis, puta, fidei, vel pœnitentiæ est actus misericordiæ, & Deus non frustra miseretur, id est, misericordiæ Dei ex sua ratione intrinseca habet per se ipsam miseriam amovere infidelitatis donando fidem; miseriam amovere peccati, dando pœnitentiam. Est etiam actus summæ, & infinitæ liberalitatis, ad quam pertinet, ut eum, cui benefecit, in possessione constituat boni: quòd docuit Augustinus lib. 1. ad Simplicianum q. 2. his verbis: *Non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, si homo nolit. Si enim Deus miseretur, etiam volumus: ad eandem quippè misericordiam pertinere, ut velimus: Deus enim est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Porro si actus virtutum humanarum, quæ ad voluntatem pertinent, actus sunt, & volitiones efficaces, quæ & ut tales dicuntur à Theologis, quantò magis actus virtutum Dei, quæ ad Divinam spectant voluntatem, debent esse volitiones efficaces? Modò sic argumentor: hoc, quòd est hominem benè actu operari, per accidens, & concomitanter se habet respectu voluntatis Dei inefficacis, etiam si ad sit illa boni operis præscientia, ut modò diximus, & docet insuper Augustinus de prædest. Sanctor. cap. 18; ubi arguens Pelagianos assertores, Deum elegisse eos, quos præsciverat futuros Sanctos, sic argumentatur: *Elegit ergo, inquit, antequam essent, prædestinans filios, quos futuros Sanctos, immaculatosque præscivit: utique ipse non fecit, nec se futurum, sed illos futuros esse præscivit.* Hæc Augustini consequentia clarè assertum probat: nam si Deus

volens homini donare fidem, aut pœnitentiam, ideo elegit auxilium, quòd prævidit ex placito voluntatis concurrerum ad opus bonum, utique donatio ipsa opus bonum non fecit, nec ab ipsa efficiendum, sed ab homine faciendum bonum opus, præscivit: ergo ex præscientia non sequitur, quòd boni operis existentia non se habeat purè concomitanter, & materialiter respectu illius voluntatis inefficacis, cum qua ex mero hominis placito conjungitur: ergo ex illa inefficaci boni operis voluntate, non redditur actualis, & formalis donatio.

72. Quartò & efficaciter probatur Conclusio ex M. P. Augustino de grat. & liber. arbitr. cap. 14. asserente: *Non est consequens, ut qui potest venire, veniat, nisi id voluerit, atque fecerit.* Quæ propositio non est alia ab ea Philosophorum maxima, à potentia ad actum non valet consequentia. Nec enim valet: Petrus potest amare Deum: ergo amat. Ex hac ergo propositione Augustini sequens proponitur discursus. Si non est consequens, ut qui potest venire, veniat, nisi etiam id voluerit, & fecerit, ita non est consequens, ut qui dat potestatem veniendi, det venire, nisi etiam ex ipso sit & venire; sed negata physica prædeterminatione nihil facit Deus existere, præter id quòd pertinet ad potestatem faciendi bonum opus: ergo non acciperet homo à Deo existentiam sui actus, si negatur physica prædeterminatio. Consequentia legitima est, & minor facile demonstrari potest: nam quòd est necessariò requisitum ad actus existentiam, & componibile cum omissione actus, pertinet ad potestatem faciendi bonum opus; sed quidquid Deus facit existere præter physicam prædeterminationem, & illà non concessã, etsi necessarium sit ad existentiam boni operis, componibile est cum omissione boni operis: ergo quidquid Deus facit existere, præter physicam prædeterminationem, pertinet ad potestatem faciendi bonum opus.

73. Urgeo idem assumptum: Negata physica prædeterminatione, hæc tantum ex parte Dei ad existentiam actus supernaturalis concurrunt, scientia media dirigens Deum in collatione auxilii, auxilium indifferens, & omnipotentia indifferenter applicata, quibus omnibus Deus non physicè facit actum bonum existere. Non auxilium indifferens, nec omnipotentia indifferenter applicata per voluntatem inefficacem boni operis: etenim, causa faciens existere bonum opus componibilis non est cum omissione operis boni; sed quodlibet illorum, & complexum constans ex utroque componibile est cum omissione operis boni: ergo neque illorum aliquod, nec ambo simul faciunt opus bonum existere. Non id similiter præstat scientia media; tum, quia est purè speculativa, ut asserunt contrarii; tum, quia bonum opus præsupponitur existens, quia illo voluntas scientiam mediam acquirit. De complexo constante illis tri-

tribus idem asseri debet; quia collatio auxilii, si regulatur scientia media, supponit existentiam boni operis, sicut illam ipsa scientia supponit. Præterquamquod, complexum illud ratione scientiæ ad summum potest inferre logicè existentiam boni operis, sed non ut à Deo factam, quinimò ut factam à creata voluntate; & hoc intendit argumentum.

74. Dices, quòd argumentum non numerat omnia, quæ Deus facit requisita ad existentiam boni operis; deficit enim concursus simultaneus, quem Deus immediatè facit. Sed hæc responsio terminis ludit. Existentiæ namque concursus simultanei, & existentia boni operis est una, & eadem; quia essentia, & quidditas, vel saltem entitas utriusque est eadem entitativè juxta ipsos: ergo dum argumentum ostendit, nihil aliud esse ex parte Dei, quòd faciat actus existentiam, ludit terminis responsio per ipsam quæstionem; cum sit dicere, Deum immediatè facere existentiam concursus simultanei. Præterea: etsi Deus concurrat ad existentiam sui concursus identificatam cum existentia boni operis, at non concurrat per se, sed per accidens, & magis per modum instrumenti moti, quàm principii facientis, ut consideranti adversam positionem evidens fiet: ergo licet Adversariis demus, Deum immediatè facere existentiam concursus, & boni operis, non tamen dare debemus, quòd illum faciat absolutè, sed tantum secundum quid, homo verò illum simpliciter faciet. Ex quo ulterius sequitur, quòd homo tribuat sibi, non solum bonum opus, seu illius existentiam, sed & existentiam concursus simultanei, quòd quid indignius? Exploratum namque est, & apud omnes notum, quòd ex duabus causis ad eundem effectum concurrentibus, si ex illis altera concurrat per se, & altera per accidens, & ex influxu, sive ex determinatione prioris, existentia effectus per se, & absolute causæ per se concurrenti debetur, non verò causæ per accidens, sive quæ ex alterius determinatione concurrat. Doctrina hæc est apud Adversarios familiaris, qui ideo à causalitate peccati Deum liberare contendunt, quia, inquit, etsi concursu physico formale peccati producat, id tamen ex propria determinatione non præstat, sed ex voluntatis influxu, ac determinatione: quare, ajunt, Deus concurrat per accidens; qui concurrere modus non sufficit, ut Deus aliquando dicatur peccati existentiam facere, seu peccato dare existentiam, atqui Deus taliter, juxta eosdem, est causa nostri boni operis, & ad illud ita concurrat, ut Dei concursus non existat, nisi ex dominio voluntatis creatæ, pro suo nutu determinantis, quòd Dei concursus detur, vel quòd nec detur, nec illius existentia ponatur: ergo concurrat purè per accidens.

75. Iterum, & aliter, ut hæc efficax, & difficilis argumentatio magis elucescat. Causa, quæ ultimò reducta ad actum per

suam operationem indifferens manet ad hoc, ut conjungatur cum existentia effectus, & cum illius carentia, tantum per accidens conjungitur cum altero illorum determinatè. Quid enim certius, quàm quòd causa illa non conjungitur per se cum existentia effectus, potius quàm cum illius carentia, quæ indifferens manet ad utrumlibet? Hoc ex terminis videtur notum: quia id alicui dicimus accidere, quòd ei præter ipsius corruptionem, potest adesse, & abesse: sed causæ illi, ipsaque incorrupta potest adesse, & abesse conjunctio cum existentia effectus, eò quòd sit ab utrumlibet indifferens: ergo accidit illi conjunctio cum existentia effectus. Hoc cum certissimum sit, & certum debet esse, quòd si Divina voluntas ultimò reducitur ad actum circa existentiam boni operis per illam volitionem inefficacem (cum efficacem salva, ut ajunt illi, actus libertate, habere non possit) si inquam sic reducta indifferens manet ad hoc, ut conjungatur cum existentia sui effectus, seu boni operis, & cum illius carentia, tantum per accidens conjungitur cum boni operis existentia.

76. Nec ab hoc inconvenienti liberat notitia conjunctionis voluntatis inefficacis cum existentia boni operis habita per scientiam mediam. Constat primò, quia hæc notitia supponit boni operis existentiam, notitia autem subsequens non conducit ad hoc, ut effectus existentia non eveniat per accidens respectu cognoscentis. Constat secundò, quia potius notitia hæc ostendit, conjunctionem esse per accidens respectu voluntatis inefficacis: nam Deus videt, volitionem suam inefficacem boni operis, esse conjungendam cum boni operis existentia, non ex propriis, quia componibilis est cum carentia illius, sed ex placito, & determinatione voluntatis creatæ: ergo videt, conjunctionem illam esse per accidens respectu propriae voluntatis. Vel efficacius: Deus per scientiam mediam videt, quòd si per decretum indifferens applicet suam omnipotentiam, concurrat ad actum, ad quem voluntas creata se determinaverit: ergo videt, se præparare omnipotentiam ad concurrendum ad actum, quin præcedat scientia media existentia hujus actus præ alio actu. Constat tertio, quia non est idem formaliter, effectum aliquem evenire per accidens, & inopinatò evenire; nam etsi quidquid præter opinionem advenit operanti, per accidens sit respectu illius, non tamen est necessarium, ut quidquid advenit per accidens, adveniat præter operantis præscientiam, & cognitionem. Patet hoc in ipsa Adversariorum doctrina; nam concursus Dei ad formale peccati est per accidens respectu Dei; & tamen illorum nemo affirmabit, concursus Dei ad formale peccati evenire præter Dei notitiam, & cognitionem: ergo quòd Dei concursus sit Deo prævisus, illiusque existentia præcognita, non aufert à Dei concurr-

curfu, quòd respectu voluntatis Divinæ fit per accidens, sicut nec illi conferat, quòd fit per se. Ex alio ergo capite id iudicari debet, dicendo nimirum, id esse per accidens respectu voluntatis Divinæ, quòd ita cum illa conjungitur, ut illa penitus etiam extrinsecè invariata, posset cum illâ non conjungi: at voluntas inefficax, etiam extrinsecè invariata, potest cum carentia existentiae boni operis conjungi. Ergo voluntas inefficax respiciens boni operis existentiam cum illa per accidens conjungitur.

77. Rem ex Adversariorum explico sententia. Etenim sicut Deus conferens auxilium efficax vult inefficaciter boni operis existentiam juxta ipsos, ita Deus conferens auxilium, quòd prævidit inefficax, mali operis existentiam inefficaciter odit: & tamen per accidens advenit respectu hujus voluntatis existentiam mali operis, eò quòd voluntas illa de se est conjungibilis cum utrolibet, & tantum re ipsa conjungitur cum existentia peccati ex determinatione voluntatis: ergo quòd Deus boni operis existentiam velit inefficaciter, non infert, quòd hæc voluntas per se conjungatur cum existentia boni operis. Patet consequentia, quia sicut voluntas, qua Deus odio habet mali operis, ut talis existentiam, non conjungitur cum illa nisi ratione alterius, scilicet voluntatis creatæ determinantis concursum ad existentiam operis pravi, ita voluntas, qua Deus operis honesti amat existentiam, non conjungitur cum illa, nisi ratione alterius, scilicet voluntatis creatæ determinantis concursum ad existentiam operis honesti.

78. Vel aliter: duas voluntates assignant in Deo contrarii respectu cujuscumque operis, sive boni, sive pravi, & ambas inefficaces, nempe voluntatem unam, quâ inefficaciter vult operis boni existentiam, & voluntatem alteram, qua mali operis, ut malum est, existentiam odio habet, & utramque dicunt perfectissima cognitione regulari, prælucente scientia media, quæ oculatissimè explorat eventum auxilii; sed juxta ipsos iis non obstantibus existentiam operis inhonesti est per accidens respectu Dei: ergo à pari existentia quoque operis honesti erit respectu Dei per accidens. Non enim negare possunt, quòd eo prorfus modo se habeat odium ad carentiam existentiae operis pravi, quo voluntas inefficax ad existentiam boni operis; nam sicut odium, quantum est ex se, tendit ad non esse mali operis, ita voluntas inefficax, quantum est ex se, ad existentiam tendit boni operis; & sicut Deus, quantum est ex se, dum odio habet existentiam peccati, vellet peccatum non existere, ne tamen jura libertatis infringat, peccatum efficaciter non excludit; ita Deus inefficaciter volens existentiam actus meritorii, quantum est ex se, actum meritorium vellet existere, ne tamen destruat libertatis jura (ajunt illi) non vult efficaciter

boni operis existentiam: ergo propter eandem rationem, qua peccati existentia per accidens se habet respectu Dei odio habentis peccatum, se habere debet per accidens existentia boni operis respectu Dei inefficaciter volentis existentiam boni operis. Sed ratio unica, & adequata, ob quam existentia peccati se habet per accidens respectu Dei prævidentis, & odio habentis illam, est, quia non ex determinatione Dei, sed ex determinatione voluntatis pro suo placito respicientis actum bonum, & eligentis actum pravam existit: ergo si, ut illi asserunt, existentia actus boni cum Deo prævidente conjungitur, & non ex determinatione Dei, sed præcisè ex determinatione voluntatis pro suo placito respicientis actum pravam, & eligentis actum honestum, existentia actus honesti per accidens se habet respectu Dei etiam, ut prævidentis, & inefficaciter volentis existentiam actus boni.

79. Constat secundò, nihil ad intentum proficere memoratam conjunctionem auxilii cum scientia media. Nam, cum scientia media sit purè speculativa sui objecti, nequit dirigere ad productionem illius; immò potius independentè ab illa debet existentiam sui objecti speculari; aliàs non esset purè speculativa, dum ad ipsius productionem, & existentiam dirigeret. Debet ergo supposita applicatione Omnipotentiae per decretum indifferens, supponere consensum præ dissentiu, existere unicè ex determinatione creaturæ; debet ulterius supponere, Deum determinatè concurrentem ad consensum præ dissentiu unicè ex determinatione creaturæ. Et licet de futuro prævideat à se independentem prævisorum horum veritatem; nec hoc negant contrarii. Si ergo concursus Dei in statu conditionato ad consensum præ dissentiu, id est, in statu præcedente objectum hujus scientiæ, ut determinatè futurum, non præsupponit aliam scientiam mediam, qua Deus prævideat voluntatem determinaturam auxilium indifferens, & omnipotentiam ad consensum præ dissentiu, sanè ad consensum præ dissentiu concursurus esset in incertum, vagoque quodam modo, quin præcognosceret se determinatè ad consensum præ dissentiu concursurum ex determinatione creaturæ. Vellem hæc apertius exponere. Consideremus consensum determinatè futurum sub auxilio A, quòd est objectum scientiæ mediæ. Rogo nunc: veritas futuræ existentiae consensus sub illo auxilio dependet nè à scientia mediæ? Minimè; quia hæc scientia est posterior suo objecto. Si ergo non dependet ab ea, veritas illa futuræ existentiae consensus sub illo auxilio, nec ullo modo dependet à voluntate Dei, nec Deus illam præscire potuit, antequam esset. Non primum, quia prima præcognitio Divina est posterior, & supponens illam veritatem. Non secundum; quia tunc ponenda esset alia scientia media de futura veritate conditiona-

ta

ta; sicut nunc ponitur ad Adversariis scientia media de futuro eventu conditionato: sicque scientias medias possent in infinitum, eandem semper ipsos urgente causâ, multiplicare. Quòd si non faciant, semper verum erit dicere, quòd ad veritatem conditionati consensus sub auxilio A, Deus cæco modo se habuit, atque in incertum omnipotentiam præparavit. At non solum in statu conditionato sic Deus concurret; sed etiam in statu absoluto: Si enim omnipotentia in statu conditionato sufficienter conditionatè applicata intelligitur, quin adhuc conditionatè præcedat scientia media; cum scientia media necessariò debeat subsequi, & esse posterior suo objecto, objectumque illius debeat subsequi ad influxum conditionatum omnipotentiae; sequitur, quòd etiam in statu absoluto omnipotentia debeat intelligi sufficienter applicata, quin præcedat scientia media dirigens absolutam productionem effectus: ab eisdem namque causis conditionatè existentibus, à quibus in sui applicatione conditionatè omnipotentia dependet, & non à pluribus, dependet etiam in sui applicatione absolutâ, licet cum hac distinctione, quòd causæ ibi solum conditionatè, modò verò absolutè existunt: ergo tam in statu conditionato, quam in statu absoluto consensus salutaris purè per accidens est respectu concursus Divini.

80. Hoc sanè liquidum est: sed, ut cornuto, ut ajunt, argumento putatam solutionem oppugnemus, supponimus, quòd scientia media non se habeat omninò per accidens ad productionem actus liberi tam ex parte Dei, quam ex parte creaturæ: sic enim eodem modo ad actum salutarem concurreret applicando omnipotentiam, sive præcedat, sive non scientia media existentiae actus salutaris; sicut domus eodem modo fieret ab Artifice, sive esset musicus, sive non esset: unde talis actus omninò præter intentionem, & providentiam Dei posset existere. Hoc, inquam, supponamus, licet contrariis nec illud probatum, nec incommodum hoc unquam fuerit vitatum. Debet etiam, ut verissimum supponi, scientiam mediam non posse actum liberum præcedere secundum ea, quæ ex parte Dei requiruntur, quin præcedat secundum requisita ex parte creaturæ; cum non possit esse aliquid per se requisitum à causa omninò necessaria ad existentiam effectus, quòd per se non sit requisitum ex parte effectus, ut ab ipsa existentiam recipiat: hæc enim sibi essentialiter correspondent, sicut activum, & passivum: unde quia quælibet causa essentialiter exigit virtutem præcontentivam effectus, & existentiam ad illius productionem, & quilibet effectus id ipsum essentialiter requirit. Hoc ergo cum verissimum sit, sequitur, quòd si ideo ex parte Dei debet præcedere scientia media, quia Deus constituitur per ipsam providè causans consensum salutarem, ipsum donans, & inter consentien-

tem, & non consentientem discretionem faciens; & necessaria debet esse scientia media ex parte consensus salutaris, cum per se exigat providè à Deo causari, ex ipsiusque donatione esse; & ex discretionem inter consentientem, & non consentientem existat, cum per se fit effectus Divinæ providentiæ, Dei donum, formalisque discretio inter consentientem, & non consentientem: per se ergo requirit consensus salutaris, quòd præcedat scientia media. Hoc sanè ita debebit esse; alioquin tollatur omnis ratio causalitatis, donationis, & discretionis à Deo. Sed tamen hoc ipsum, ita necessarium ab adversariis minimè juxta eorum principia asseri potest; cum certum sit apud ipsos, quòd scientia media est acquisibilis per consensum salutarem, aliter enim voluntati non consentienti non imputaretur non consentire: cum nec haberet scientiam mediam per se requisitam ad consensum salutarem, nec potestatem, ut illam acquireret. Non ergo scientia media præsupponitur ad ipsum, ut per se, & necessariò requisita ex parte causæ; cum id quòd præsupponitur ad effectum, ut habeat esse à sua causa, nequeat per ipsum effectum acquiri, ut communiter dicitur de prædeterminatione, quæ non est acquisibilis per consensum, quia præsupponitur ad consensum, ut quid requisitum ex parte causæ primæ, ut illum causet: cujus ratio est, quia aliàs esset præsuppositum ex parte causæ ad existentiam effectus, ut supponitur; & non esset præsuppositum, cum id, quòd potest acquiri per existentiam effectus, vel sit posterius ipso, vel ipsum concomitans.

81. Ex eodem fundamento convincitur vice versa, quòd nec scientia media præsupponatur, ut quid acquisibile per consensum creaturæ. Non enim consensus, qui essentialiter petit à Deo dependere, providè illum causante, per scientiam mediam, potest provideri adhuc, ut conditionatè futurus, quin prævideatur, ut dependens à scientia media; cum & provideri debeat sive absolutè, sive conditionatè futurus dependenter ab omnibus causis, à quibus in suo esse essentialiter dependet; si ergo prævidetur, ut dependens à scientia media, illo eodem titulo, quo dependet à providentia Dei: ergo non minùs supponit hanc scientiam, quam providentiam: ergo per consensum non potest ea acquiri. Inutilis ergo est, ut habeatur infallibilis cognitio de conditionata futuritione rerum, & ut verificetur, unum actum præ alio, ex dispositione, & determinatione Dei existere. Quinimò alterum cum altero pugnat.

82. Cedit viribus hujus ineluctabilis argumenti P. Ramirez S. J. asserens, quòd actus supernaturalis in hac providentia est per accidens donum Dei. Etenim disp. 11. cap. 4. fundat, quòd Deus confert auxilium praviusum efficax ex motione efficacitæ, ut ita salvet, quòd Deus est specialis benefactor re-

spectu consentientis salutariter præ dissentiente: & specialiter n. 102. dum solvit argumentum intendens probare, quòd ille, cui Deus non conferret auxilium prævisum efficac ex motivo efficacæ, non haberet per se exacta ad consensum salutarem; cum in sua potestate non esset, quòd Deus ex tali motivo conferret auxilium prævisum efficac. Concedit hoc ultimum, & meritò, cum hoc unicè pendeat ex libertate Dei; & tamen salvat, quòd habeat omnia per se exacta ad consensum salutarem, quia, quòd auxilium conferatur à Deo, accidit quidem in hac providentia, sed non est per se exactum. Cum ergo ex alia parte doceat, quòd consensus salutaris eò est donum speciale Dei, descendens ab ipso, ut speciali benefactore, quia est ab auxilio collato à Deo, quòd efficaci, & ex motivo efficacæ, manifestè docet, quòd consensus salutaris non est per se donum speciale Dei descendens ab ipso, ut speciali benefactore; & idè nec pro beneficio consentiens tenebitur speciales gratias Deo agere, præ dissentiente. Sed hujus Primarii Complutensis doctrina penitus rejicienda est. Quod enim majus inconveniens, quàm esse aliquem actum supernaturalem per se non donatum à Deo, dicente Scriptura: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum?* Et 1. Paralip. cap. 29. *tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Quomodo enim erit donum Dei ex Deo descendens, quòd ab alio extra Deum impediri potest, & non nisi per accidens ex concursu Dei existit. Est contra Apostolum 1. ad Corinth. 4. *Quis te discernit? Quid habes, quòd non accepisti?* Et de fide prædicantem, *Dei enim donum est, ut ne quis gloriatur: quam Apostoli doctrinam salutariter admonet Divus Prosper de vocat. gent. cap. 25. dicens: Ista questio, quam secundum Apostoli mentem impenetrabilem confitemur; per liberi arbitrii, velle, vel nolle non solvitur, quia licet insit homini nolle, tamen nisi donatum non habet bonum velle: Jam namque homo de actu supernaturali, quasi per se non accepto à Deo, posset gloriari, concursu Divino non existente ex dominio proximo, & formali Dei, qui illum non præbet ex propria determinatione, sed ex dominio proximo, & formali Petri, qui illum immediatè determinat, & immediatè facit existere. Non est juxta hunc modum dicendi Deus specialiter benefaciens uni præ altero, dum uni præstat idem, quòd præstat alteri, nullaque sit discretio in auxilio indifferenti, vel ex intrinsicis gratiæ Dei. Quinimò, & à fortiori sequitur, quòd illa Apostoli propositio, *Deus cujus vult, miseretur*, possit aliquando esse falsa. Hæc enim propositio universalis est, ac si diceret: *quotiescumque vult, miseretur*, quam voluntatem juxta ipsos habet Deus erga illum, cujus non miseretur, & cui non donat consensum: vi cujus consensus salutaris habet, quòd sit*

solum in hac Providentia donum Dei per accidens: cum tamen Apostolus ad voluntatem, & misericordiam Dei donum collatum reducat. Hæc omnia ut ratio meridianâ luce clarior ostendat; inquiri, an præsens, quam dicit, providentia aliquid intrinsicum ponat in auxilio, & veritate consensus? Certè nihil; alioquin quæ in hac providentia concurrunt, essent per se exacta ad veritatem consensus, quòd ille non admittit. Modo sic: consentiat Petrus in hac providentia, quid debet Deo? Nihil omnino præter affectum voluntatis illius. Dicitque verissimè Petrus: quòd Deus scire voluisset, me quid facturum, benè sit; at ego, etsi ille nesciisset, facerem. Quod ille voluit hoc me auxilio consenturum, benè sit; at, etsi noluisse ille, ego consentirem. Bonus affectus prævidentis Dei est; bonus autem effectus, & discretio ab alio non benè faciente, mea sunt; nam cum hoc eodem auxilio, quò non consentienti æqualis sum, essem ego, ut modò, consentiens; licet Deus aut nesciisset, aut non voluisset. Hæc, quæ Catholica veritati opposita sunt, & verè pietati contraria, audire amabò, quo modo præfata doctrinæ necessaria non sint?

83. Est insuper inperceptibilis modus iste dicendi: nefas enim est dicere, quòd perseverantia finalis, qua perseverat homo in actu secundo, sit per se ex creatura, & per accidens ex Deo, cum hanc in actu secundo Tridentinum dicat *magnum perseverantiæ donum*, sicut & meritum vitæ æternæ Dei donum appellat, dicens: *Voluit namque Deus, esse nostra merita, quæ sunt ipsius dona, & de quibus meritum dixit Augustinus Epist. 143. hæc, scilicet merita, Dei dona sunt, & vestra quidem sunt, sed non ex vobis: nec miremini, quia dicimus, & vestra esse, & ex vobis non esse; nam & panem quotidianum dicimus nostrum, sed tamen addimus, da nobis, ne patetur esse ex nobis.* Sic explicat Augustinus, quomodo discretio in actu secundo sit Creaturæ, sed non ex Creaturâ, sed ex Deo illam ipsi misericorditer conferente, ut verum, & propriissimum per se tale in hac providentia Dei donum: agit quippè, ut quod vult, & velimus, & agamus. Hoc iterum docuit de dono persever. cap. 17. dicens: *An fortè nec ipsa dicunt prædestinata? Ergo nec dantur à Deo, aut ea se daturum esse nesciunt: quòd si & dantur, & ea se daturum esse præscivit, profectò prædestinavit: Ubi ex negatione decreti efficacis erga opera virtutis, quòd nomine prædestinationis intellexit Augustinus, intulit, non futura dona Dei; & ex eo, quòd donentur, prædestinationem intulit, ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis. Idem expressit eodem cap. his verbis: *Ista igitur sua dona, quibuscumque Deus donat, proculdubio donaturum se esse præscivit. Et in sua præscientia præparavit.* Et cap. 13. antecedente sic concludit: *Unde satis evidenter ostenditur, & inchoandi, & usque in finem perseverandi, gratiam Dei non secundum merita**

ra nostra dari, sed donari secundum secretissimam, eandemque justissimam, beneficentissimam, sapientissimam voluntatem, quoniam quos prædestinavit, ipsos & vocavit vocatione illa, de qua dictum est: *sine penitentia sunt dona, & vocatio Dei: quibus si addantur, quæ docet Fulgentius de Incarnat. & grat. Christi cap. 3. quòd dona sua semper Deus in æterna, ac incommutabili habet voluntate disposita, in qua præordinavit, atque præparavit, & quæ daret, & quibus daret.* Et cap. 14. *totius bonæ voluntatis initium ab illa sempiterna Trinitate, & prædestinatum consistitur, & datum: hoc enim homini gratuita justificatione tribuit præparatum, quòd in æterna prædestinatione præparaverat tribuendum.* Hæc omnia si considerentur, communi SS. PP. consensu firmatur, quòd actus supernaturalis non est per accidens donum Dei. Nequit enim donari secundum secretissimam, eandemque justissimam, beneficentissimam, sapientissimamque voluntatem, quæ per se ex propria determinatione Deus non liberè donat, sed ab alio determinatur. Non est specialis electio, seu dilectio erga operantem præ non operante, & omnipotentissima voluntas, quæ non confert auxilium, quòd ab intrinseco, & prout provenit ab ipso inferat consensum, vel conjugatur cum actu supernaturali. Non est prædefinitio, & præordinatio, nec donum in æterna, ac incommutabili voluntate dispositum, sive in æterna prædestinatione præparatum homini, quòd cum voluntate aliâ inefficaci donandi, per accidens in hac providentia connectitur, quæ Deum indifferentem relinquit ad donandum, vel non donandum, & quæ conjungitur cum carentia donationis, & omissione actus. Ac tandem non est providentia, non est prædefinitio, non est in re beneficium, non est donum, ubi sola prævisionis & affectus ratio Dei ponitur; ac omnium verificatio, effectus, & boni existentia solius hominis est. Hæc sanè exprobrant, & rejiciendam definiunt novitatem istam dicentium, quòd actus supernaturalis in hac providentia sit per accidens donum Dei. Ipsos qui potest capere, capiat: nihil ad nos pertinet. Ego verò me non posse assentiri fateor, quin potius ex diametro oppositam, minimèque compatibilem cum doctrinâ SS. Patrum, conspicio, falsisque solum rationibus obtineri posse, dicente D. Laurentio Justiniano de casto connubio cap. 22. *Non est verè orationis operatio in hominis potestate. Solius Dei est hujus, sicut & caterarum conferre dona virtutum. Potest quis parare vas ad liquoris suspensionem, non autem implere. Petendi uest nobis facultas, sed petitionum effectus desuper expectandi sunt.* Absit ergo, quòd solum per accidens in Deum Auctorem, & principium actuum supernaturalium referatur actus supernaturalis; & quòd causalitas Dei Auctoris supernaturalis non ita ampla sit comparativè ad entia supernaturalia, sicut causalitas

Auctoris naturalis comparativè ad entia, & perfectiones naturales; & quòd aliquod opus supernaturale, etsi liberum creaturæ, casualiter, & præter intentionem Dei eveniat dicente Apostolo: *Deus est, qui operatur omnia.* Omnia sunt divina providentiæ subiecta, ut egregiè probat D. Thomas 1. p. q. 22. art. 2. *Nec potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum desuper*, ut dicitur Joann. 3. vel ut loquitur Concilium Arausic. Can. 20. *Nulla facit homo bona, quæ non faciat Deus, ut homo faciat.*

S. V.

Ex repugnantia Creature inconvertibilis à Deo probatur gratia ab intrinseco efficac.

84. EX repugnantia Creaturæ a Deo inconvertibilis sit novum, & efficacissimum argumentum probativum gratiæ ab intrinseco efficacis, quòd, ut auditione accepimus, formavit primus contra positiones scientiæ mediæ Illustris. Godoy, dum esset Salmantinae Universitatis Publicus Professor. Quarè sicut argumentum hoc non legitur in M. Lemos, Alvarez, & Thomistis aliis, qui tempore controversiarum de auxiliis floruerunt; ita nec positio Creaturæ inconvertibilis à Deo, est à primis scientiæ mediæ temporibus. Hoc ut maximum inconveniens certissimè defendunt Thomistæ omnes, sicut & legitimam esse illationem ex negatione gratiæ ab intrinseco efficacis. At non est concursus Doctorum Scholæ Societatis sententia. Prima, & communior inter ipsos opinio concedit, legitimam esse illationem, sed negant, esse absurdum dari Creaturam, quæ à Deo converti, & immutari minimè possit. Ita P. Suarez lib. de prædest. cap. 7. à n. 15. Albertinus in 5. princip. Phylosoph. fed præcipuè Corollario 3. n. 16. Herice 1. p. tract. 3. disp. 22. à n. 18. Arriaga disp. 35. sect. 1. n. 4. Amicus disp. 12. de scient. n. 221. Alderete disp. 70. de Incarnat. sect. 3. n. 5. Quiros 1. p. disp. 6. de Prædest. per tot. asserens esse inter Auctores Societatis communiorem. Avendaño disp. 19. cap. 2. §. 3. n. 7. Augustinus Herrera q. 16. sect. 2. & 3. Hic Auctor præ omnibus placet, nam de suis oppositam sententiam defendentibus ingenuè loquens, sic ait n. 21. *Adversarii in sinuosis infinitis recessibus latitantes, non tam difficultati sincerè occurrunt, quàm infinitatis caliginem, ne reperiantur, affectant. Caterum eò, vel maxime Adversariorum sententia redditur magis suspecta, quia nisi inter infinitudinis obscurissimas umbras nec apparenter quidem defendi valet: hæc P. Herrera.*

85. Secunda sententia agnoscens absurditatem Creaturæ, quæ à Deo sit inconvertibilis, negat hoc inconveniens legitima con-

secutione deduci ex positione concurrentis indifferentis. Ita Tannerus, Antonius Perez, Cardinalis Sforza, Eparza, Requens, Puente, Hurtado, & Bernal, quibus adherent Sapientes Recentiores citati omnes à P. Ramirez de prædest. disp. 4. cap. 3. n. 85. quibus consentiens P. Ripalda tom. 2. disp. 109. sect. 2. n. 15. ait: *Hæc satis liquidè evincunt, temerè negari, posse Deum pro arbitrio, quando, & quomodo voluerit obtinere nostræ voluntatis consensum.*

86. Tertia sententia affirmat, nec consequentiam esse legitimam, nec consequens illatum, etsi legitima esset, absurdum. Quare judicant ex indifferentia auxiliorum indifferentium non probari possibilitatem Creaturæ omnibus auxiliis restitutæ, aut consensuræ: verum aliud non repugnare talem Creaturam; quia præter illationem ex illa doctrina non convincitur repugnans, ut potest probari ex solutione argumentorum. Sic rem componere quosdam non ignobiles Recentiores testatur P. Ramirez de prædest. disp. 4. cap. 5. n. 85. Et ad hanc tertiam Classem reducit ibi cogitationem aliam, quam obiter proposuit P. Quiros disp. 11. de prædest. sect. 3. dicens: *Posse quidem Creaturam, metaphysicè loquendo, prævideri à Deo dissensuram omnibus auxiliis; at eo ipso fieri à Deo improducibilem propter divinum dominium, cui competit ob suam infinitam perfectionem, ne valeat absque implicatione existere voluntas creata, nisi sub conditione, quod prævideatur non restituta omnibus auxiliis, quomodo summa veracitati ejusdem est debitum quodvis ipsi improducibile, prout opponitur divinis dictis, & promissionibus.*

87. Sed doctrinam istam P. Quiros silentio penitus præmittere nec posuimus, nec debemus. Nihil enim ab auribus, animisque hominum magis alienum, quam quod Creatura etiam pro illo statu, quo nihil est, liget manus omnipotentis, ne eam creare possit. Absurdissimè dicitur, & inconveniens credit Augustinus, quod Deus ex demeritis conditionatè prævisis moveatur, ne Creaturam sic malè operantem prævisam creet, ut affirmat lib. 1. de anima, & origin. cap. 12. quod ita absurdum judicavit, ut nec caderet in mentem illius juvenis, quem in illis libris impugnat, & qui alioquin plura alia paradoxa præter, & contra opinionem omnium asseruit. Audiatur S. Doctor Apostolus quippè apertissimè definit, nondum in carne natos nihil egisse boni, seu mali. Undè constat, parvulos, ut remissione indigeant peccatorum, non nisi originale traxisse peccatum. Nec illud quartum, eas animas parvulorum sine baptisate moriturorum, à justo Deo in carnem peccatricem relegari, atque damnari, quas præscivit, si ad ætatem pervenissent, in qua libero uterentur arbitrio, male fuisse victuras. Hoc namque nec iste ausus est dicere, in tantis angustiis constitutus. Imò etiam contra istam vanitatem jam satis manifestè, ac breviter est locutus, ubi ait, in-

justum Deum fuisse futurum, si non perfectis propriae voluntatis operibus, vellet hominem judicare non natum. Hoc enim respondit, cum irasceret quæstionem adversus eos, qui dicunt, cur Deus hominem faciebat, quem utpotè præscius sciebat futurum non bonum? Non natum enim judicaret, si propterea creare nolisset, quia non bonum futurum esse præscisset. Et utique sicut & huic visum est, de perfectis ejus operibus debuisset hominem judicare, non de præcognitis, nec fieri aliquando prævisis. Quid ergo diceret S. P. Augustinus, si modò audiret; Deum propterea creare non posse hominem, quia non bonum futurum esse præscisset; quod sanè plurimum absurditatis accumulatur superiori: nam in primo relinquitur integra, & illæsa omnipotentia, & libertas divina: ergo longè absurdum constituitur, quod neccessiter Deum, ut illam non creet. O nimia opinandi libidò! Usque eò humanas abducis cogitationes, ut possibilem creaturam concipiant, quam Deus producere nequeat, quia ejus subterfugeret omnipotentiam? Quisnam iste erit impotens Deus magis quam omnipotens: aut quænam ista potentior creatura, quæ Deo illi metum incuteret? Non ita Deus noster est, in cujus ditione omnia sunt posita, nec aliter possunt esse. Sed hoc omisso, quia nobis sufficit annotasse, in quo Auctor iste tam longè à veritate deflectit, ad id, quod erat institutum, revertamur.

PRIMA CONCLUSIO.

Repugnat, quod detur Creatura à Deo inconvertibilis.

88. Conclusionem istam defendunt omnes Thomistæ. Videatur Sapientissimus Bolivar Primarius Salmantinus, & ejusdem celeberrimæ Universitatis decus, & gloria disp. 3. de impossibilit. scient. mediæ dub. unic. §. 2. Et tract. 5. de Provid. dub. 3. Et probatur primò ex illo Matth. cap. 3. *Dico enim vobis quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahamæ. Quod versans D. Thomas, sic ait: Potest autem dupliciter intelligi ad litteram. Primò, hoc enim est primum fidei fundamentum, credere omnipotentiam Dei. Job. 42. scio, quia potest, & nulla te latet cogitatio. Vel possumus intelligere per lapides, gentiles, qui dicuntur lapides propter duo. Primò quia lapides adorant. Secundò propter duritiem. Et concludens subdit: Hoc significatur Ezechielis 36. auferam à vobis cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestrum: quibus verbis constat, potentiam Dei eò usque extendi, ut homines quantumvis protervos possit ad pietatem reducere. Probat id ipsum illud Jeremix cap. 16. Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos domus Israel in manu mea. Quo textu utitur Apostolus ad Rom. 9. ut potestatem Dei ad salvandum, & reprobandum ostendat:*

dat: Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Quam salvandi, & condemnandi potestatem ab Apostolo commendatam sic declarat D. Thomas ibi lect. 4. Quasi dicat, hoc est, dictum figmentum, id est, vas fictile, non possit dicere fictori, quid me fecisti sic, quia figulus liberam potestatem habet ex materia luti opus facere quodcumque sibi placuerit. En comparationis energia, quod sicut lutum non potest impedire voluntatem figuli, ut possit velle vas honoris, aut contumeliæ, nec iterum, figuli potestatem valet superare, quominus ipse de luto sibi ad nutum subjecto, quod voluntas ipsius facere decrevit, faciat; ita nec lutum voluntatis humanæ valet impedire voluntatem Dei, ut non possit velle hominem facere vas honoris, aut contumeliæ, nec voluntatis divinæ valet potestatem superare, quominus decretum suum executioni mandet. Nec enim alia requiritur notio in figulo, quam finis, quem intendit, & subjectam habere materiam, ut artificialem formam imprimat luto. Probatur insuper ex illo Proverb. cap. 21. Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud. Quibus verbis clarè nos docet Spiritus Sanctus, eandem esse potestatem Dei ad vertendum cor humanum quocumque sibi placuerit, ac est Dei potestas ad dividendas aquas; sed in Deo est potestas completa ad dividendas aquas independentè ab aliqua notitia contingente, & hæc potestatis efficacia nullo alio eget ad suum complementum, quàm aquarum existentia, ut est per se manifestum: ergo nec efficacia potestatis divinæ ad inclinandum corda alio egere potest, quàm cordium existentia pro nutu suo factibili. Hac enim in re posita, completa est divina potestas, sicut aqua supposita, completa est potestas, ut à distribuyente, quocumque placuerit, pro libito dirigatur.

89. Agnovit etiam M. P. Augustinus inconveniens, quod dabilis sit metaphysicè casus, in quo Deus hominem liberum non possit convertere. Constat ex his, quæ asserit in Enchir. cap. 95. *Deus autem noster in Cælo omnia quæcumque voluit, fecit: quod utique non est verum, si aliqua voluit, & non fecit: & quod est indignius: idè non fecit, quoniam ne fieret quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impedivit: hoc nisi credamus, periclitatur nostræ fidei confessionis initium, qua nos in Deum Patrem Omnipotentem credere confitemur. Neque enim veraciter ob aliud vocatur Omnipotens, nisi quia quidquid vult, potest; nec voluntate cujuspiam Creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus. Et cap. 97. Quis tam impiè desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere? Sed cum facit, per misericordiam facit;*

*cum autem non facit, per judicium non facit. Et q. 2. ad Simplicianum circa medium: Quis dicat defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Jacob justificatus est? Et lib. de grat. & liber. arbitr. cap. 14. Rectissimè credimus etiam perversas, & fidei contrarias voluntates omnipotentem Deum posse convertere. Et de corrept. & grat. cap. 14. Deo volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium, sic enim velle, vel nolle in volentis, aut volentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, aut superet potestatem. Similiter lib. 11. de Genes. ad litteram: Sed posse voluntatem in bonum convertere; posset planè, quoniam Omnipotens est. Cur ergo non fecit? Quia noluit. Et lib. 14. de Trinit. cap. 25. Quis aut audeat credere, & dicere, ut ne homo caderet, in Dei potestate non fuisse. Et cap. 2. de dono persever. Dicat mihi quisquis audit, an Deus dare non possit, quod à se postè imperavit? Hoc enim qui sapit, non solum desipit, sed insanit. Imperavit autem, ut ei Sancti ejus orantes dicant, ne nos inferas in tentationem: quisquis igitur exauditur, non infertur in contumacia tentationem, nam certè Creatura illa non haberet obligationem, nec potestatem Deum orandi, nec aliquis pro illa, ut non induceretur in tanta contumacia tentationem; cum Deus inde illam extrahere non possit. Ubi M. P. potestatem convertendi, & inclinandi hominum voluntates ad omnipotentiam Dei, quæ est prædicatum ipsi omnino necessarium, reducit, quod & ab omni alia potestate profus excludit lib. de Prædest. Sanctior. ubi absurdum existimat asserere, quod, ut promissa Dei compleantur, non in Dei, sed hominum est potestate. Et statim subdit: *Credidit Abraham dans gloriam Deo, quoniam quæ promissit potens esset facere; non ait prædicere, non ait præscire; nam & aliena facta potest prædicere, atque præscire, sed ait, potens est facere; ac per hoc non aliena facta, sed sua.**

90. Hæc & alia D. Augustini testimonia, si sincerè legantur, mentem hujus sanctissimi Doctoris pro veritate præsuppositi stare planè demonstrant. Dicitur namque in illis, impia desipientia negari Deo potestatem ad convertendum quodcumque cor hominis, id enim manifestis verbis significat textus ex Enchiridione allatus: ergo qui asserit, possibilem esse hominem, cujus Deus voluntatem in bonum convertere non possit, impiè desipit, Augustino iudice, qui Deo ad convertendum cor humanum attribuit omnipotentissimam voluntatem. Et sanè quomodo potestas est omnipotentissima ad convertendum, à qua subtrahitur conversio hominis possibilis? Habetur ex alio testimonio, voluntatem divinam à potestate arbitrii non posse impediri, quod fiat, ut Deus velle non possit id, quod de se volibile est: ex quo manifestè convincitur, sententiam nobis oppositam non tam nobis, quam Augustino esse con-

contrariam: nam conversio illius hominis protervi amabilis est à Deo, quia possibilis est, & bona: sed potestas arbitrii reddit illam impossibilem Deo: ergo facit, quòd voluntas divina velle non possit, quòd volibile est: ergo & velle ita est in volentis hominis potestate, ut divinam impediatur voluntatem; quæ consequentia contradictoriè opponitur asserto Augustini. Idem ex alio testimonio conficitur argumentum: Augustinus, ut potestatem Dei ad trahendum homines ostendat, exemplum doctrinæ universalis posuit in Esau, ut frequenter accidit in disputationibus: undè negans defuisse Deo modum, quo Esau traheret ad fidem, asseruit proculdubio, non posse deficere Deo modum, quo ita vocet quemlibet hominem, ut mentem illius ad eam fidem applicet, voluntatemque conjungat, in qua Jacob iustificatus est.

91. Eundem sensum reddunt omnia alia testimonia, quæ sanè probant, quòd Deus potest semper conversionem velle, absque eo quòd præsupponatur scientia conditionata de salute, vel conversionis ipsius. Effet namque tot sacrorum testimoniorum ridiculus sensus; quo enim jure commendaret Augustinus Dei omnipotentiam in conversione creaturæ? Vel enim hanc virtutem ipsi tribuit, dum voluntas divina supponit voluntatem creatam volentem converti, vel ad summam Dei omnipotentiam reducit velle ipsam efficaciter convertere ex suppositione quòd ipsam in statu conditionato prævideat sub nullo auxilio convertendam? Si secundum, argueretur meritò imprudentiæ Deus, volens fieri id, quòd sciret, non esse faciendum. Si primum, absit à Dei omnipotentia, quòd potestas divina ad hominis medio auxilio conversionem, non sibi, sed homini tribuenda sit, in cuius solius libertate est frustrare, vel non frustrare auxilium. Ecquid conducere potest ad excellentiam divinæ omnipotentia id, quo posito creatura divinam superaret potestatem? Effet namque à libera determinatione creaturæ dependens habere Deum, vel non habere potestatem, cum potestatem habeat, dum auxilium ad conversionem non frustratur, & non frustrari quodlibet auxilium à voluntate creaturæ dependeat: immo aliquid ex se non repugnans, constitueretur implicans, & repugnans independentè à voluntate Dei: nam pro priori ad statum conditionatum erat non repugnans libera conversio illius hominis, & supposito illo statu redditur repugnans; at status ille non fit dependenter à voluntate Dei, sed ex solo arbitrio voluntatis creatæ: ergo aliquid ex se non repugnans constituitur repugnans independentè à voluntate Dei. Si ergo Augustinus hoc supremum Dei dominium explicat supra voluntatem creatam, quòd subicitur ista omnipotentia Dei, ut pro suo nutu possit ipsam inclinare, & movere ad quòd voluerit, quando, & quomodo voluerit, quin

ipsa possit resistere voluntati Dei, non ad sui conversionem præsupponitur scientia conditionata de salute, vel conversione ipsius; cum non minus sit contra omnipotentiam Dei, voluntatem creatam impedire, quòd voluntas divina velit aliquid absolute possibile, quàm quòd non assequatur possibile illud, quòd efficaciter vult. Non ergo ad sui asserti rationem reddidit Augustinus, quòd potuit, quia illam prævidit consenturam; quòd si opus esset prævidentiæ conditionatâ ultra virtutem omnipotentia, debuisset dicere, ut rationem redderet adæquatam; quòd cum non dixerit, putavit sine dubio, potestatem ad convertendum corda adæquatè per virtutem omnipotentia constitui, absque aliqua notitiâ à nostra determinatione pendente.

92. Fulcitur hoc luculentissimo D. Fulgentii testimonio lib. de Incarnat. & grat. cap. 29. ubi post alia ad rem nostram ita habet: *Ita ne ordo veram credi, putari ve permittatur, ut Deus, qui Creator est hominis, valeat hominem facere, non mutare, & qui nullius eget adjutorio, ut hominem faciat, operari tamen quòd vult in hominis voluntate non possit prius, quàm in homine ipsum repererit? Hanc amentiam, & à fidelibus suis arceat, & ab infidelibus auferat Deus.* Quam vocavit Augustinus impiam desipientiam, Fulgentius amentiam appellat, nempè egere Deum ad immutandum hominem scientia, qua in homine velle, quo est mutandus, reperiat. Undè contra evidentissimè reclamat; & ratio, qua utitur, sententiam contrariam falsitatis apertè convincit sub forma sequenti. Deus ad creandum nullius eget adjutorio: ergo valet illum immutare ab bonum. Patet consequentia, si ratio Fulgentii non contemnitur: nam ex eo præcisè, quòd Deus valet hominem creare, nec ad illum producendum alicujus eget adjutorio, intulit, quòd potest illum immutare, utique ad bonum, quia Deus non mutat ad malum. Præterea: *Priusquam Deus reperiat ipsum velle in homine, potest Deus operari in hominis voluntate, quòd vult*: ubi manifestè docet S. Doctor, Deum, ut velit, & possit operari in voluntate hominis, non indigere scientia aliqua explorante consensum voluntatis: quæ planè dicta sunt contra sententiam Faustii dicentis: *Nisi præscientia exploraverit, prædestinatio nihil decernit*; quæ & clarissimè sententiam contrariam impugnant.

93. Ex his desumitur efficax argumentum ad assertionem istam egregiè firmandam, quòd præbet D. Thomas in 1. dist. 43. & q. 1. de potent. art. 7. & 3. contra gent. cap. 22. & 45. & in hac 1. p. q. 25. art. 3. explicans, quomodo divina omnipotentia sit virtus productiva cujuscumque possibilis: quia nempè esse divinum, super quòd ratio divinæ potentia fundatur, & esse infinitum, non limitatum ad aliquod genus entis, sed præhabens in se totius esse perfectionem. Undè quidquid potest ha-

habere rationem entis continetur sub possibilitibus absolutis, respectu quorum Deus dicitur omnipotens. Nihil autem opponitur rationi entis, nisi non ens. Hoc igitur repugnat rationi possibilis absolutæ, quòd subditur divinæ omnipotentia, quòd implicat in se esse, & non esse simul. Hoc enim omnipotentia non subditur, non propter defectum divinæ potentia, sed quia non potest habere rationem factibilis, nec possibilis. Quæcumque igitur contradictionem non implicant, sub illis possibilibus continentur, respectu quorum dicitur Deus omnipotens. Hæc est perfectissima notio divinæ omnipotentia, quam nobis proponit D. Thomas, & ex qua arguitur repugnantia, quòd detur creatura aliqua, quæ servatâ potentia peccandi, non sit à Deo convertibilis. Etenim servata potestate peccandi, potest homo se liberè ad Deum convertere: quomodo ergo possibile hoc creaturæ, quòd est maxima ipsius perfectio, possibile non erit respectu Dei? Ulterius determinatio, qua omnipotentia divina determinari debet à creatura, cum sit unum ex possibilibus, debet esse sub dominio, & potestate Dei, & præcontineri in virtute illa possibile; cum esse divinum, super quòd ratio divinæ potentia fundatur, sit esse infinitum, non limitatum ad aliquod genus entis, sed præhabens in se totius esse perfectionem, ut dicit D. Thomas: ergo vel agnosci debet omnipotentia virtus incompleta, & inadæquata, creaturæ subordinata, & in productione hujus conversionis possibilis à creaturâ dependens; vel dici absolute debet, quòd cum sit perfectissima virtus, & creatura sub auxilio indifferenti constituta pro priori ad auxilii determinationem sit proximè, & expeditè potens ad sui conversionem, reddereque efficax illud auxilium indifferens, hæc, quæ creaturæ possibilis est determinatio, & possibilis debet esse Deo. Uno, & clarissimo verbo: Petrus in statu conditionato intelligitur proximè, & expeditè potens ponere sui conversionem sub auxilio A pro priori ad omnem suam determinationem: sed repugnat, quòd Deus non sit proximè, & expeditè potens ad omne id, ad quòd Petrus constitutus sub tali auxilio est proximè, & expeditè potens: nam implicat intelligere conversionem Petri, sive absolute, sive conditionatè sine influxu immediato Dei, cum in sui esse, & operari ab illo essentialiter dependeat: ergo etiam Deus pro illo signo intelligitur proximè, & expeditè potens influere in ejus conversionem: sed pro illo priori non intelligitur Deus influere in conversionem Petri ex hujus determinatione, cum illud signum sit præcedens Petri determinationem, ante quòd nequit intelligi Petrus determinans Deum ad sui conversionem: ergo si pro illo priori ad sui conversionem est proximè, & expeditè potens se convertere, etiam Deus pro illo priori intelligitur proximè, & expeditè potens influere in ejus conversionem, ipsa-

que possibilis debet esse respectu Dei.

94. Et sanè maximè repugnat essentiali huic notioni divinæ omnipotentia, quòd Deus non sit proximè potens convertere creaturam, & quòd ad sui conversionem ab aliquo extrinseco dependeat, nempè à conversione conditionata creaturæ, quæ non liberè, sed contingenter Deo convenit. Hinc enim sequitur primò, quòd virtus illa divina non sit virtus perfecta, sed incompleta, creaturæ subordinata: sicut, ut aliquid exemplis utamur, quia ignis non habet in sua potestate applicationem ad passum, virtus ejus incompleta, & imperfecta dicitur, nec non subordinata agenti ipsam ad passum applicanti. Ulterius: Deus redderetur absolute, & simpliciter potens, vel impotens producere aliquid, quòd aliàs absolute, & simpliciter est possibile, pro libito, & libertate creaturæ: nam creatura illa, quam Deus ad se convertere non posset, impediret pro suo libito scientiam mediam in Deo de sui conversione conditionata, quâ juxta ipsos Deus redditur proximè, & absolute potens illam ad se convertere. Similiter creatura, quam Deus posset proximè, & expeditè ad se convertere, poneret in Deo scientiam mediam de sui conversione, ratione cujus Deus redderetur proximè, & expeditè potens illam ad se convertere. Ad hæc: non solum esset æqualis in Deo, & creatura ad conversionem sui potestas, sed potestas creaturæ, quoad id ipsum, erit superexcedens: primum constat, quia sicut creatura potest impediri à Deo, ne convertatur ad ipsum, quatenus Deus potest tollere potestatem se convertendi, vel auferendo, vel non conferendo auxilium, sic etiam creatura potest impedire Deum, ne ipsam ad se convertat, auferendo ab illo, vel non ponendo potentiam per scientiam mediam constitutam: & sicut, semel quòd creatura sit potens se ad Deum convertere, Deus est omnino impotens ejus conversionem impedire, sic etiam, semel quòd Deus constituatur proximè, & expeditè potens ex vi determinationis conditionatæ creaturæ ad sui ipsius conversionem, nequit creatura Deum impedire, quin possit ipsam ad se convertere. Quantum ergo ad hoc æqualis est utriusque potestas. Nec minori efficacia deducitur secundum, quòd potestas creaturæ quoad id ipsum erit superexcedens potestatem Dei: tum, quia adhuc supposito auxilio prævisio efficaci per scientiam mediam, vi cujus Deus redditur proximè, & expeditè potens convertere creaturam, creatura est proximè, & expeditè potens non se convertere sub tali auxilio, cum possit sub illo sui conversionem impedire; qua ratione asserunt Auctores oppositi, quòd datur locus orationi in creatura, quatenus potest petere aliud auxilium fortius, & robustius. E converso autem creatura sub quovis auxilio prævisio inefficaci est proximè, & expeditè potens se convertere, facere

Deum acquirere scientiam mediam de ipsius conversione, & reddere efficac illud auxilium inefficax: ex quo adderet Deo scientiam mediam de efficacia auxilii, ac per consequens Deum alias proximè impotentem ab aeterno illam ad se convertere, potest in tempore post sui creationem reddere proximè, & expeditè potentem. Tum, quia creatura nedum non existens, nec futura, sed solum possibilis praevidetur potens facere totum id, quod Deus potest facere, immo & impedire virtutem Dei, ejusque potentiam remotam, ne sit proximè, & expeditè potens facere id, quod ipsa est proximè, & expeditè potens facere; potensque è contrario reddere Deum proximè, & expeditè potentem ad creaturam conversionem; quod alias nullatenus posset Deus facere: ergo potestas creaturæ quantum ad hoc erit superexcedens potestatem Dei. Prætermittendum non est, quod cum apud PP. & Theologos peccatoris conversio sit summi generis miraculum, & apud S. Thomam majus creatione, duo nos adversariorum sententia docet; aliud, ejusmodi miraculum esse creaturæ magis, quam Dei; siquidem illud inconvertibilis creatura in se operari poterit, Deus verò non poterit: aliud, penes creaturam esse coarctare ad certos terminos Dei virtutem, nè operari possit id, quod virtutem ejus summè commendaret. O verè præpotentem malignæ creaturæ miseriam, quæ infinitam potentiam finibus contineri sibi animo fingit! Quis patienter ferat, aut ferre poterit, aliquod summum ex creatis bonum à miserima omnium viatrice creatura fieri posse, à Deo non posse, nisi eidem liceat per ipsam miseriam creaturam, cujus erit reddere Deum omnipotentem, alioqui non talem; cum aliquid, quod fieri potest, facere non posset. Sed & quid? Si illa opinandi libertas verum affert, omnes tales sumus: è peccatis surreximus, è quibus nos Deus erigere non poterat; nos poteramus: illique fuit nostra conversio possibilis; quia nos volumus: undè de magno tanti miraculi honore debitor (horreo dicere) Deus erit; nostrum enim erat, quod ille id patrare posset, aut non posset. Consentanea ne ista sunt doctrinæ fidei? Magisterio Ecclesiæ? Patrum loquelæ? Et tamen, ni plurimum fallor, adversæ opinionis principiis sunt necessaria, quin opus sit recurrere ad hypothese inconvertibilis creaturæ; nos enim ipsos inconvertibiles facere Deo possumus, si volumus; æquaque, & unica ratio, quæ Deo sit, aut non sit conversio creaturæ possibilis, communis & nobis, & creaturæ illi est, nempe libertas.

95 Negligendum insuper non est aliud argumentum, quo ulterius probatur nostra conclusio, & quo facilius cognoscitur, & altius corde imprimitur veritas conclusionis, quod desumitur ex summa, ac suprema Dei libertate in prædestinando. Non salvatur in

Deo summa, supremaque libertas, seu potestas ad prædestinandum omne id, quod potest perfectè prædestinari, si, stante in homine passivâ, ac proximâ capacitate ad hoc, quod perfectè prædestinetur, Deo negetur libertas, ac potestas ad illum prædestinandum: sed admissio, ut possibili, homine, quem Deus per media libera non possit convertere, admittitur in illo homine capacitas proxima ad hoc, quod perfectè prædestinetur; & negatur Deo libertas, ac potestas ad hoc, quod illum prædestinet: ergo admissa creatura à Deo inconvertibili, negatur Deo summa, supremaque potestas ad prædestinandum. Tota hujus discursus difficultas ad minorem reducitur, cujus probatio non difficilis est. Enimverò capacitas proxima, ut creatura illa possit perfectè prædestinari, unum præcisè requirit, nimirum, quod homo ille possit ad Deum per finalem pœnitentiam converti, quâ conjungatur gratia cum morte: nam qui re ipsa per finalem pœnitentiam cum morte gratiam conjungit sanctificantem, de facto est prædestinatus, quia terminum assequitur prædestinationis: at negari minimè potest, quod homo ille, non solum metaphysicè, verum moraliter, & practicè potest converti ad Deum per finalem pœnitentiam, quâ conjungatur gratia cum morte. Constat ex doctrina Adversariorum, nam cum solo auxilio sufficiente, quocumque alio secluso, est proximè potens, & expeditus, ut se convertat ad Deum per finalem pœnitentiam, quæ ita per tale auxilium in manu illius constituitur, ut nullo egeat alio: nam quod auxilium sit inefficax ex ipso nascitur unice, & adæquatè. Si ergo hæc est infallibilis consequentia: dato, quod aliquod ens non repugnet ex terminis, seu quod sit ex se producibile, non esset summa, & suprema Omnipotentia, quæ illud non posset producere, & hoc ideò, quia facere non posset aliquid ex terminis factibile: ergo admissio, quod homo ille protervus sit proximè convertibilis ad Deum per finalem pœnitentiam, ac subindè proximè prædestinabilis, evidenter sequitur, incn fore Dei summam, & supremam potestatem, & libertatem prædestinandi, quæ illum non posset prædestinare, nec convertere. Vel aliter, & urgentius: homo ille esset proximè convertibilis ad Deum per finalem pœnitentiam, alioquin non peccaret omittendo pœnitentiam finalem: at non esset proximè convertibilis à Deo: ergo à se ipso esset proximè convertibilis: ergo major est potestas hominis, ut se convertat, & finaliter pœniteat, quam Dei, ut hominem illum ad se convertat per finalem pœnitentiam. Immo potest homo se convertere, Deus autem hominem illum non potest convertere: quo ergo modo salvatur summa, supremaque Dei potestas, & libertas in prædestinando?

96. Mirabilis sanè, & non hic omittenda instantia, qua nos urget P. Avendaño disp. 19. cap. 2.

cap. 2. §. 3. num. 9. quæ sumitur ex eo, quod Deus per auxilia essentialiter efficacia, & metaphysicè cum operibus salutaribus connexa hominem reprobare non potest: ac si fortè inconueniens posset esse, quod Deus ex suppositione suæ liberæ voluntatis salvandi hominem, non possit eundem reprobare. Nullum sanè in hoc est inconueniens, sicut nullum est, quod ego, dum sedeo, non possim stare, utrumque conjungendo; sed collatio auxilii ab intrinseco cum pœnitentia finali connexi est ipsa voluntas salvandi hominem: ergo ex eo, quod ex suppositione talis auxilii, & per illud Deus non possit illum reprobare, nullum est inconueniens; quin potius necessaria veritas est Divinam virtutem, & immutabilitatem commendans; neque enim potest nolle, cum semel efficaciter benefacere, voluerit, neque beneficia efficacis voluntatis in oppositum flectere. Præterea: reprobatio per tale medium ex terminis est implicatoria: sicut in omnium sententia est implicatorius disensus compositus cum auxilio efficaci consensus: & eadem ratione implicatoria est carentia prædestinationis composita cum illius auxilii largitione, alioquin voluntas prædestinandi, qualis est voluntas tale conferens auxilium, componibilis esset cum sui ipsius carentia: at in opposita sententia per quodlibet auxilium est possibilis salus æterna; quolibet enim auxilio sufficienti, ac de se indifferenti, omni alio sublato, potest homo converti: ergo instantia inaniter dicitur evidens, nisi fortè hæc dicatur bona consequentia: non est inconueniens negare Deo potestatem ad rem ex terminis implicantem: ergo nec erit inconueniens negare Deo potestatem ad rem ex terminis possibilem.

97. Ulterius: in oppositâ sententia sicut admittitur casus metaphysicè possibilis, in quo Deus hominem non possit per merita prædestinare; ita admittitur casus metaphysicè possibilis, in quo homo propter peccata damnari à Deo non possit: nam potest, inquirunt, praevideri homo consensurus omnibus auxiliis, quæ Deus illi conferre valet, quo in casu homo ille non potest damnari à Deo propter peccata, ut expressè affirmat P. Herrera de Prædest. q. 16. sect. 2. n. 9. licet hæc sententia Romæ malè audiat, nec ulla ratione tolerari posse, aut toleratam unquam esse, hic à gravissimis & fide dignis Theologis acceperim. Nihilominus veniat in exemplum; dato enim casu, verum est, hominem illum posse propter peccata damnari, quia potest omittere pœnitentiam finalem; Deo autem potestas negatur, quâ possit illum damnare propter peccata, quia nullum valet illi permittere. Hæc autem quàm longissimè à Thomistarum sententia distant; in qua, cum gratia ab intrinseco efficax Dei subiaceat dominio immediato, sicut est proximè potens ad prædestinandum hominem per merita tribuendo illi auxilium essentialiter efficax, &

cum pœnitentia finali connexum; ita est proximè potens ad reprobandum propter impœnitentiam finalem, quia potest homini gratiam efficacem negare, ac permittere impœnitentiam finalem. Hæc enim est, ut supra ex Apostolo diximus, potestas suprema Divini victoris, ut faciat unum, & idem figmentum, id est, unum, & eundem hominem, vas in honorem, si voluerit, & si maluerit in contumeliam: quod tamen juxta sententiam oppositam facere minimè posset, sicut nec posset facere vas contumeliæ eum, quem omnibus praevidisset auxiliis consensurum.

98. Tertium elicitur argumentum ex variis inconuenientibus, quæ ex opposita sententia sequuntur, ut videantur angustiæ, ad quas omnipotentia Dei reducitur. Sequitur enim primò, creaturam servata potestate peccandi, potentior esse ad indurandum cor suum, quàm sit Deus ad illud convertendum; ac per consequens Deum non habere potestatem convertendi ad se creaturam, quando, & quomodo voluerit. Non loquor de creatura illa dumtaxat; quam imaginantur inconvertibilem; sed, quod jam supra insinuavi; de quacumque alia, etiam modò existente, quæ se indurare voluerit. Qualibet enim poterit, juxta adversariæ opinionis principia, in adeò profundam miseriam se precipitem dare, ut usque illuc misericordia Dei cum effectu pervenire non possit. Nam potestas, quam creatura habet, esset potestas physica, & electiva; ejusque induratione suppositâ, Deus non haberet in sua potestate auxilium, ut posset cum potentia ad peccandum conjungere consensum. Undè, qui omnipotentiam suam Deus parcendo maximè, & miserando manifestat, adeò ab homine iniquo coarctari poterit; ut ita potentis, atque summè miserentis, respectu sui nomen inane gerat; nec ex terminis erit repugnans, ut omnes creaturæ libertate potientes, impotentem reddant ad hoc summum potentiae exercitium Omnipotentem. Quàm opportunè Job 14. veræ confessionis verba omnibus creaturis, quia creaturæ sunt; obtulit: *Vocabis me*, inquit, *& ego respondebo tibi, operi manuum tuarum porriges dexteram*. Igitur creatura, quæ à Deo efficaci voluntate vocari non possit, aut vocata non respondeat, justè à scientibus Deum, & omnipotentem confitentibus, ut penitus repugnans, rejici debet.

99. Secundò ex his sequitur, quod semel, quod sit possibilis casus, in quo Deus non possit ad se convertere aliquam voluntatem creatam, stare etiam sine contradictione poterit, Deum nullam posse voluntatem convertere, sive Angelicam, sive humanam. Eadem namque ratio est, ut dixi, de una voluntate, ac de omnibus; sicut eadem est de uno auxilio, ac de omnibus. Quod sanè est maximum absurdum; & ex quo iterum se-

quantur alia nec minus reprobanda : primò, quòd Deus esset potens ad indurandum omnes creaturas ; secundò, & quòd nulli creaturæ posset unquam aliquid præcipere, quin in sui præcepto se exponeret contemptui creaturæ : quod asserere esset *impia insipientia*, ut dixit Augustinus, & in quo periclitaretur nostræ confessionis initium.

100. Sequitur tertio, possibilem esse casum, in quo nullus hominum, vel Angelorum posset Deum prudenter orare pro observantia mandatorum, vel pro tentationis victoria ; & quòd in eodem casu non posset homo sperare Theologica spe à Deo, sive beatitudinem, sive merita ad ejus consecutionem conducentia. Non prudenter Deum orare posset pro observantia mandatorum, vel pro tentationis victoria ; quia tunc casus, nec observantiam mandatorum, nec victoriam tentationis Deus dare posset ; quare solum petere posset, quod gratia efficax ipe reddidit ad auxilium sufficiens ; sed gratia efficax in hoc modo dicendi, supra auxilium sufficiens nihil addit præter consentium, quem eligit, & cui adjungitur è propria determinatione, quin illum possit dare Deus ; ergo solum peteret consentium obtinendum è sola humana voluntate ; quæ sanè esset stulta, & imprudens oratio. Non similiter in eodem casu posset sperare Theologica spe à Deo, sive beatitudinem, sive merita ad ejus consecutionem conducentia. Hæc namque innititur Omnipotentia Dei auxilianti, ut docet Divus Thomas 2.2. q. 18. art. 2. ad 2. *Dicendum, quòd spes non innititur principaliter gratia jam unita, sed Divina Omnipotentia, & misericordia, per quam etiam qui gratiam non habet, eam consequi potest, ut sic ad vitam æternam perveniat. De omnipotentia, & misericordia Dei certus est quicumque fidem habet.* Hæc Divus Thomas : quibus manifestè ostendit repugnantiam, quòd stante Divina omnipotentia sit Deo impossibile conferre gratiam illam non habenti, qua possit ipsum ad se convertere : cum ad omnipotentiam Divinam, prout fide Theologica metaphysicè infallibili creditur, pertineat, quòd possit conferre gratiam non habentibus illam. Et ulterius, quia spem reduceret ultimò, & radicaliter in propriam voluntatem, minimè tamen in Dei bonitatem, cujus proprium est, ut supra diximus, misereri semper, & parcere. Consideraret namque, positum esse in manu ejus vias suas bonas, aut malas facere ab initio usque ad finem ; ab æterno, & in tempore, tam in statu conditionato, quam absoluto, quod, quàm absurdum sit, explicat D. Augustinus de prædest. Sancto. cap. 11. rejiciens hunc superbissimum, & infelicissimum sperandi modum, dicens : *Sanè cum Apostolus dicat, ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio ; miror, homines infirmitati suæ se malle committere, quàm firmitati promissionis Dei. Sed incerta est mihi, inquis,*

de me ipso voluntas Dei : quid ergo ? Tua ne tibi voluntas de te ipso certa est, nec times ? Qui videtur stare, videat, ne cadat. Cum igitur utraque incerta sit, cur non homo firmitati, quàm infirmitati fidem suam, spem, charitatemque committit. Quibus addit S. Doctor, cap. 12. *An verò timendum est, ne tunc de se homo desperet, quando spes ejus ponenda demonstratur in Deo ; non autem desperet, si eam in se ipso superbissimus, & infelicissimus poneret ?* Hæc omnia consequitur gravissima alia consideratio ; dum hominibus unicum consolationis præsidium videtur auferri, & quidem quo nullum firmitus, nullum securius. Quod enim majus nobis solatium, quàm non posse nos cæcitatibus, cæterisque miseriis adeò discedere à Deo, nec in tantam peccatorum profunditatem posse devenire ; ut non possit misericordia Dei ad nos descendere, & nos revocare ? Sanctis, & Deum timentibus hæc verissima congruit confessio : *In te Domine spero ; quia certissime scio, & salutariter credo, nullam miseriam meam transilire posse terminos potentis misericordiae tuae.* Hæc confessio sui sanctitate, & infallibili veritate animos secundum Deum latificat ; tantò magis, quantò verius agnoscunt hujusmodi securitatem non in se, ipsi se ponere, sed in solo Deo : unde non nisi miseriam, & superbissimi crederent, & dicerent : *Hoc mihi solatium est, nunquam in tantam me posse venire miseriam, ut voluntate mea reduci non possim.* Pone ergo homines juxta adversæ opinionis principia, credentes, se ita abduci, & averti à Deo posse, ut Deus illos non possit revocare : an in ipsis hoc summum solatium reperiri potest ? Ipsi deficere argumentum efficaciter probat. Nec contrarios excusabit dicere, casum esse metaphysicum, & solius non repugnantia. Nam hoc est, quòd argumentum absurdissimum arguit, scilicet, vinci aliquando posse miseriis hominum misericordiam Dei, taliterque nos posse deficere, ut nos non possit Deus reparare. Quod si minus durum auctoribus suis necessitate propriam opinionem sustinendi videtur, totum meritò improbat, & rejicit verus Thomistarum sensus.

101. Sed ab omnibus his inconvenientibus se expedire putat Pater Ramirez disp. 4. cap. 5. n. 179. dicendo, *illationes istas esse legitimas, si de auxiliis plenè indifferentibus loquamur ; falsas verò, si potentia Dei in omni sua latitudine attendatur, & prout comprehendit media libera ad bonum determinata : nam sub his posset quicumque rebellem ad se trahere voluntatem. Quòd autem in illa suppositione, creatura posset propter ignorantiam suam protervia petere à Deo conversionem, non est absurdum, nec impotentia illa proxima Dei ad annuendum est contra Apostolum loquentem de facto, & prout modò res contingunt, secus in omni suppositione. Quapropter deductiones istæ ex nostra sententia dissona non possunt esse viro Theologo, & qui naturam nostræ libertatis penetret ;*

qua

qua supposita, Deum non posse facere, quod intendunt, non majorem horrorem possunt incutere, quàm quòd Deus supposita essentia hominis, & equi, non possit facere hominem equum. Hæc Doctor iste.

102. Sed quis crederet, Magistrum istum illustri ingenii, & exquisitæ mentis minimè vidisse bonitatem illationis, & argumenti efficaciam, quæ ita pervia est oculis, ut mirum sit in excusationis speciem abduci potuisse, cum responsione non evacuetur, sed integra maneat difficultas. Loquimur enim, & argumentum procedit de creatura constituta in actu primo per auxilium indifferens, cujus conversio est absolute, immò, & expedite possibilis, nedum in statu conditionato, sed etiam in statu absoluto, etiam si auxilium prævideatur inefficax, & ut tale conferatur. Potest enim ipsum quantumvis prævisum, inefficax in statu absoluto, reddere efficax ; aliàs constituta potestate per auxilium indifferens, omisso, instante præcepto, non esset ipsi imputabilis ad culpam, cum non esset in ejus potestate reddere auxilium efficax, ac per consequens nec præceptum adimplere. Si ergo conversio est ipsi sub tali auxilio absolute, & intrinsecè possibilis voluntati, quomodo poterit esse impossibilis talis conversio respectu Dei conferentis auxilium indifferens, quantumvis prævisum inefficax ? An possibilitas, cum sit de essentia rerum, potest aliqua ratione convenire illis respectivè ad causas secundas, quin etiam & potissimè illis conveniat respectivè ad causam primam, à qua omnis perfectio ab ipsis participabilis oritur ? Quòd si possibile hoc bonum putant causæ secundæ, & non primæ, nec id absurdum existimant : quid hoc est, nisi asserere, creaturam per auxilium indifferens constitutam cum libertate, sive ab bonum, sive ad malum, nullatenus esse in potestate Dei, nec Deum posse illam reducere de malo in bonum, nec permittere, quòd de bono incidat in malum ? Hoc ex solutione clarissimè convincitur ; nam constituta per auxilium indifferens, ita posset ipsa indurare cor suum, ut Deus nullatenus posset illud emollire, & ad se convertere : unde & esset independens à Deo quoad sui determinationem, sive ad bonum, sive ad malum : ad bonum quidem ; nam creaturæ sic constitutæ non esset in potestate Dei permittere peccatum ; cum quodlibet auxilium quantumvis inefficax posset ex propria determinatione reddere efficax : nec etiam quoad malum, cum non sit in potestate Dei illam ad se convertere, & cor ejus emollire : quod ita est ponere velle, & nolle in potestate volentis, & nolentis, ut nedum impediatur, verum etiam superet creatura liberè constituta Divinam potestatem : ipsamque subtrahere, prout sic constitutam, à providentia Dei, tam positivâ, & approbationis, quàm permissivâ. Quin etiam, supposita libertate creaturæ, conversio, quæ est

ipsi possibilis, non redditur aliter, juxta solutionem, Deo impossibilis, quàm sit illi impossibile facere hominem equum, supposita essentia hominis, & equi, quod est absolute impossibile. In vanum ergo jactat latitudinem omnipotentia, quam creatura potest reddere impotentiam ; & quam, si creatura existimet, se reparare à miseriâ ipsâ semper posse, fallitur ; & non nisi per ignorantiam poterit sui reparationem ab illa petere. Nec satis mirari possum, exemplum ab auctore adductum de homine equo. Bona ne illi hæc argumentatio ? Scilicet : *hoc impossibile, homo equus, à Deo fieri non potest : ergo salutaris conversio, quæ à me fieri potest, à Deo fieri non potest.* Reprehensibilis est Theologo consequentia ista, qui naturam libertatis penetrat non secundum doctrinas hominum, sed secundum revelationes Dei ; quibus constat, quòd homo ad Deum in ordine ad potestatem prædestinandi, & reprobandi se habet, sicut figmentum se habet ad figulum ; quòd cor Regis ita est in manu Domini, sicut divisiones aquarum ; quòd Deus magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas. Totum componit vir Theologus cum natura libertatis, quæ non subterfugit Augustinum, dum impiam insipientiam dixit, non posse Deum convertere hominem quando, & quomodo voluerit ; quod certè pronunciavit S. Doctor, non ex suppositione, quòd necessitet Deus ad non peccandum, sed etiam relinquendo potentiam ad peccandum, salvaque libertate creaturæ, quam penitus destruit solutio, dum libertatem secundam omnino independentem quoad omne sui exercitium liberum à prima constituit : cum de ratione causæ secundæ sub omni conceptu, sub quo talem rationem exprimit, sit dependere à causâ prima : ergo dum solutio sub conceptu formali determinationis liberæ hanc dependentiam à prima non agnoscit, potius ponit chimæram, quàm penetrat naturam libertatis.

103. Hoc egregiè explicat D. Thomas 3. contra gent. cap. 1. probans, dominium Dei supra res à se productas perfectum esse, quia ad earum productionem non indiget exterioris agentis adminiculo. Et 1. p. q. 23. art. 8. cum sic sibi secundum objecisset argumentum : *Sicut nihil indiget consilio, nisi propter defectum cognitionis, ita nihil indiget auxilio, nisi propter defectum virtutis : sed neutrum horum competit Deo prædestinanti. Undè dicitur ad Rom. 11. quis adjuvit Spiritum Domini, aut quis Consiliarius ejus fuit ? Ergo prædestinatio non juvatur precibus Sanctorum : sic respondet : ad secundum dicendum, quòd aliquis dicitur adjuvari per alium dupliciter : uno modo in quantum ab eo accipit virtutem, & sic adjuvari infirmi est, undè Deo non competit, & sic intelligitur illud, quis adjuvit Spiritum Domini ? Alio modo dicitur Deus adjuvari per aliquem, per quem exequitur suam operationem, sicut Dominus per ministrum. Et hoc modo Deus*

Deus adjuvatur per nos, in quantum exequimur suam ordinationem, secundum illud 1. ad Corinth. 3. Dei enim adiutores sumus. Neque hoc est propter defectum Divinae virtutis, sed quia utitur causis mediis, ut ordinis pulchritudo servetur in rebus: & etiam creaturis dignitatem causalitatis communicat. Deus ergo juxta Divinum Thomam creaturis dignitatem causalitatis communicat, non ab ipsis accipit virtutem, aut constituitur potens effectum producere pro libito, & nutu ipsarum. Defectus virtutis, & insufficientiae ad producendum illud, quod ex terminis est possibile, est penitus Deo repugnans: unde & ex hoc ipso neganda venit Deo necessitas scientiae mediae de conversione conditionata, quae in sententia opposita se habet ex parte actus primi, & constituens Deum proximè, & expeditè potentem creaturam ad se convertere, ne arguatur defectus in Deo ex defectu alicujus unice, & pro libito creaturae existentis. Deus ergo potest per se ipsum, & per potentiam, secum omnimodè identificatam, quae potens est subjicere sibi omnia, movere efficaciter voluntatem, & facere, ut ipsa agat, quamvis utatur causâ liberâ ad productionem actus liberi; quae potentia libera, quae formaliter influens in operationem, dependet à Deo. Sicut etiam potentia vitalis requisita ad productionem actus vitalis, & existentia actus meritorii requisiti ad primum, plenissime sunt in manu Dei, quin per istorum existentiam constituatur aliqua ratione potens ad productionem actus vitalis, & ad præmiandū: cum supremo, & absolutissimo suo dominio supra quamlibet creaturam exercere possit, etiam remanente libero ad faciendum, quidquid voluerit, quando, & quomodo voluerit.

104. At quia P. Ramirez ibi n. 109. oppositum deducere vult ex illo Eccles. cap. 15. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui; in quo textu libertas constituitur absque aliqua limitatione dominii electivi, & indifferentiae. Audiatur Divinum Thomam egregiè, & mirificè q. 3. de potent. art. 7. ad 12. explicantem locum Ecclesiastici: Deus non dicitur hominem delevit, quippe in manu consilii sui, quin in voluntate operetur, sed quia voluntati dedit dominium sui actus, ut non esset obligata ad alteram partem contradictionis; quod quidem dominium natura non dedit, cum per suam formam sit (naturali necessitate) determinata ad unum. Et q. 5. de verit. art. 5. ad 4. Deus dimisit hominem in manu consilii sui, in quantum constituit eum priorum actuum provisorem: sed tamen providentia hominis de suis actibus non excludit Divinam providentiam de ipsis. Sicut neque virtutes activae creaturarum excludunt virtutem activam Divinam. Et 1. p. q. 22. art. 2. ad 2. In hoc, quod dicitur Deum hominem sibi reliquisse, non excluditur homo à Divina providentia: sed ostenditur, quod non praesigitur ei virtus operativa determinata ad unum: sicut rebus na-

turalibus, quae aguntur tantum quasi ab altero directae in finem, non autem se ipsa agunt, quasi se dirigentia in finem, ut creaturae rationales per liberum arbitrium, quo consiliantur, & eligunt. Et 3. contra gent. cap. 90. Haec verba ad hoc inducuntur, ut homines esse liberi arbitrii ostendantur, non ut eorum electiones à Divina Providentia subtrahantur, quae proinde eas & ordinare, & causare potest. Reliquit ergo Deus hominem in manu consilii sui, id est, cum libertate, & dominio supra suos actus, ut tanquam Dominus possit elicere, vel non elicere hunc, vel alterum, hoc, vel illud eligere; sed non reliquit eum in manu consilii sui, ut sit primum liberum, & omnino independens, Dei voluntati, providentiae, & virtuti non subiectum; multo minus; ut ita possit subterfugere Dei potentiam; ut nec ipsum ad se reducere possit ejus misericordia. Quae si reducere hominem potenti virtute ab ultima perditione decreverit, non propterea non relinquet illum in manu consilii sui, quinimò hoc operabitur, ut consilium hominis bonum sit, & volens illud sequatur. An in manu consilii sui non erit, si volens sequatur bonum consilium? Aut hominis non erit consilium, & adhaesio eidem, si Dei fuerit, & Deus utrumque dederit? Immo omne bonum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum: & nostrum est, quia ab illo habemus, à quo solo habere possumus, quod nostrum sit: cum libertate nostra impedire nos minimè possimus, ut, quod suum est, nobis Deus dare non possit. Quare salubrius consistendum est, & Dei dona verè omnia bona esse, & dante Deo, neminem ejus misericordiam posse fugere, & liberè non fugere; & quod in his captu fuerit difficile, sub mysterio latere.

§. VI.

SECUNDA CONCLUSIO.

Evidentia illationis à negatione gratiae ex se efficaciae ad Creaturam à Deo inconvertibilem ostenditur.

105. **I**N hac quaestione, & controversia non defuisse plures, qui bonitatem memoratae illationis negarent, paulò ante retulimus, sed quam infirmè, sequenti argumento demonstrare puto. Enimverò juxta Adversarios nullum datur Dei auxilium, quod inefficax non sit; nec ab ipsis assignari potest principium, ex quo proveniat intrinseca repugnantia, ut non sit inefficax. Haec namque oriri non potest ex voluntate creata, adhuc prout libera; quae sicut singulis auxiliis assentire potest, etiam potest dissentire, immò neque consentire, neque dissentire. Non similiter ex ipso auxilio supernaturali, quod, ne destruat libertatem, supponitur intrinsecè inefficax. Non ulterius ex scientia-

me-

media de efficacia auxilii, cum haec supponat suum objectum, & consequenter debeat efficaciam auxilii supponere: ergo verum est de singulis dicere, sicut & de omnibus, quod sunt inefficacia, & quod sunt ex se, & ab intrinseco indifferentia. Hoc sanè probat non repugnantiam, metaphysicè loquendo, creaturae inconvertibilis à Deo. In quo enim metaphysicè repugnet, esse aliquem hominem in iis suppositionibus, qui vel omni auxilio consentiat, vel omni ei dissentiat, vel qui praevideatur sic omni consentire, vel omni dissentire? Hoc sanè habet inefficacia auxilii, quod nusquam inferat infallibiliter consensum voluntatis; cum respectu creaturae, per auxilium indifferens sub libertate constitutae, negatio conversionis sit conjungibilis proximè cum auxilio ad ipsam conversionem: ergo nusquam ex collectione auxiliorum potest resultare metaphysica impossibilitas resistendi auxiliis inefficacibus, cum praedicta collectio solum moraliter moveat, qua ratione, singula auxilia divisivè accepta, non inferunt infallibiliter consensum: ergo negata praedeterminatione, nullum est auxilium, cui voluntas non possit resistere, resistentia propria, & formaliter tali, & cum quo non valeat conjungere dissentium.

106. Explico vim argumenti, & suppono, quod tametsi auxilia Dei sint infinita, & infinitè infinita, illa tamen Deus collectivè, aut simul voluntati non valet impertiri, alioquin daretur infinitum in actu, quod Philosophi negant possibile, & D. Thomas 1. p. q. 7. art. 4. ex quo fit, quod sive conferat unum, vel plura auxilia, semper auxilia in re collata sunt aliquid determinatum. Loquamur ergo de Petro, quovis, aut quibusvis auxiliis praemunio. Hic certè manet adhuc indifferens ad consensum, & dissentium; & ita expeditus ad dissentium, ut consensus non aliter existat, quam si illi unicum esset collatum auxilium de se indifferens, & frustrabile, alioquin non maneret liber. Jura quippe libertatis, apud ipsos, id exposcunt; ne scilicet voluntas ab alio extra se determinetur, sed ipsi determinatio tanquam unico determinanti integrè, ac perfectè relinquatur: sed si illi collatum esset aliquid auxilium determinatè, ita cum illo consensum conjungeret, ut conjunctionem illam, seu talis conjunctionis negationem pro suo faceret libito, potens antecedenter, & consequenter illam non facere: ergo Petrus sub quibuslibet auxiliis à Deo in re collatis, aut possibiliter conferendis; ita cum illis consensum conjungeret, ut conjunctionem illam pro suo faceret libito, potens antecedenter, & consequenter conjunctionem illam non facere. Porro ab impossibilitate facti ad negationem potentiae bona est consequentia: unde cum ipsi reputent impossibilem conversionem liberam à Deo causatam medio auxilio per se, & ab intrinseco efficaci, negant Deo potentiam ad

obtinendam medio tali auxilio conversionem liberam. Atqui repugnat conversio libera in re posita, quae contingenter non existat, tum respectu Petri, qui illam nonnisi contingenter, & liberè valet ponere; tum respectu Dei ratione scientiae mediae, quae illi nonnisi contingenter adest: ergo inconsequenter ad haec principia apud ipsos inconcussa asseritur in Deo, ut praedictum necessarium, potestas ad convertendum Petrum: ac proinde non repugnat metaphysicè casus, in quo Petrus non possit à Deo converti.

107. Secundò efficaciter demonstratur bonitas illationis. Si namque repugnat metaphysicè, non praevideri Petrum consensurum alicui ex infinitis auxiliis, quibus eum potest Deus praeveneri, est necessarium metaphysica necessitate, Petrum alicui auxilio praevideri consensurum; aequipollent enim impossibile non, & necesse: & cum connexiones metaphysicè necessarias cognoscat Deus per scientiam omnino necessariam; & Petrum alicui ex infinitis auxiliis consensurum esse, per eandem cognoscere debet. Poterit ergo Deus independentè à scientia media decernere conversionem Petri, sciens se habere medium aliquod efficax, quo possit obtinere liberum consensum Petri; quod utinam illi concederent: sed renuent, nè à stabilitate scientiae suae mediae principii deficiant. Sed tamen à duobus eos coarctari necesse est. Si enim concedant Deo absolutè media infallibili certitudine inferentia conversionem liberam, omnia scientiae mediae fundamenta corrumpunt. Si verò ejusmodi media non admittant, nihil est, undè haberi possit metaphysica infallibilitas conversionis Petri; nempe, ut metaphysicae veritatis infallibilitate, necessarium sit, Petrum converti. Est ergo possibile sub omnibus, & singulis Dei auxiliis, ipsum non converti; seu quòd Deus illum non possit convertere. Ad haec: Deus non est potens convertere creaturam, nisi dominium habeat supra libertatem creaturae; vera enim potentia non transgreditur terminos dominii; & creatura rejicere poterit conatus divinae virtutis, quoties libertas ejus extra terminos dominii Dei constituatur, & absolutum suae libertatis dominium sibi habeat: atqui per indifferentia auxilia, & per potentiam illa conferendi, non habet dominium supra libertatem creaturae; quippe haec omnia sunt citra ditionem libertatis, adeò ut libertas jure suo utens possit illa inutilia reddere: ergo ex auxiliis indifferentibus legitima consequentione deducitur, Deum non esse potentem convertere creaturam. Conclusio ista necessaria est, sed durissima: quippe, ut supra argumentabamur, non de casu possibili; sed de omni praesenti casu erit sustinenda; nam nullus erit casus, in quo Deus verè potens sit creaturam ad se convertere. Si enim convertatur, non erit operatio potentiae indifferentis Dei, sed dumtaxat potentis creaturae,

ræ, cujus voluntas extra ditionem potentie Dei constituta, possibile Deo faciet, & in re ponet, quod Deo secundum rationem virtutis suæ est impossibile: poteritque cum veritate dicere: *Faciat Deus quoadusque poruerit, adhuc postquam fecerit, meum est, conversionem meam conatibus ejus adungere, aut illos irritos reddere*. Non ergo Deus potens erit creaturam ullam convertere. Ulterius, & ascendat ratio ad scientiæ mediæ originem. Cur volunt Auctores, quibuscum agimus, excludere possibilitatem inconvertibilis creaturæ? Quia, inquiunt, non est possibile, ut infinitis attentis auxiliis, & casibus libertatis creaturæ, non sit aliquis sub aliquo auxilio casus conversionis, & ut talis prævideatur. At quis non videat, responsione ista non excludi impossibilitatem physicam, seu metaphysicam conversionis, sed tantum moralem? Rogo, an ille casus, qui prævideatur conversionis, sit casus libertatis? Inficiari non poterunt. Est ergo casus prævisionis contingentis Deo non liberæ, & omnino liberæ solum creaturæ: ergo verè, & physicè, sive metaphysicè penes creaturam est, quod casus ille sit, vel non sit conversionis, & quod Deus habeat, vel non scientiam de conversione. Ergo possibile est creaturæ, ut Deus nullam scientiam mediam habeat de ejus conversione; quippè de omni casu imaginabili idem sit argumentum. Ergo ex sententia de auxiliis indifferentibus infallibili consequutione habetur possibilitas vera realis, seu metaphysica inconvertibilis à Deo creaturæ. Et quidem donec statuatur positivam aliquam rationem ejusmodi possibilitatem excludentem (quippè possibilitas illa negationis est) semper contra ipsos urget argumentum, cui difficillimè aptari potest solutio.

108. Demus tamen illis, non esse possibile, ut attenda collectione omnium auxiliorum, non prævideatur sub aliquo voluntas consensura. Est ergo hæc propositio æterna veritatis: *Quævis possibilis creatura sub aliquo auxilio consentiet*, & consequenter hæc veritas à Deo per scientiam necessariam cognoscitur. Pone modò decretum hoc: *Volo Petrum efficaciter vocare per auxilium, quod prævidero per scientiam mediam efficacem*. Hoc decretum dixi sub initium numeri præcedentis esse necessariò admittendum à contrariis, nisi incidere malint in creaturam inconvertibilem; & addidi, eo admisso, fundamenta scientiæ mediæ corrumpere, quod nunc ostendere agredior. Ex vi hujus decreti jam Deus manet consequenter necessitatus ad concipiendum aliud decretum, quo auxilium conferat prævisum efficacem: nam efficacem intentio finis necessitat ad electionem, & executionem mediorum; & intentio efficacem voluntatis immutabilis, qualis est voluntas divina, necessitat infallibiliter, ut concipiatur secundum decretum. Modò sic: negata possibilitate,

hominis, quem Deus non possit aliquo auxilio convertere, debet admitti, ut possibile, aliquod antecedens connexum cum actu, & à voluntate inimpedibile, ac non auferens libertatem: atqui hoc admisso ruunt principia scientiæ mediæ, & in consequenter negatur prædeterminatio: ergo, vel neganda hæc non est, vel admittenda casus possibilitas. Minor, cum importet firmum inter Adversarios principium, ex connexione inimpedibili negantes physicam prædeterminationem, probatione non indiget. Undè solum firmari debet assertio majoris, quæ sanè verissima est juxta dicta; data quippè impossibilitate casus, potest Deus concipere duplex decretum, quorum altero efficaciter decernat conversionem Petri; & altero exequutivè conferre auxilium, quod præviderit efficacem; si enim Deo deficere nequit auxilium efficacem, nec à fortiori potestas proxima ad illud decernendum, maximè dum concipiendo primum decretum, se ipsum necessitabit ad secundum. Hoc ergo supposito, complexum ex duplici hoc decreto antecedit, & connectitur cum actu, & est à voluntate hominis inimpedibile. Antecedit, quia utrumque decretum conceptum est pro priori ad existentiam, & prævisionem futuri actus; primum quidem pro priori ad existentiam, & prævisionem actus absolutam, & conditionatam, cum reguletur per scientiam necessariam: secundum verò antecedit existentiam absolutam; alioquin actus præcederet decretum collativum auxilii, à quo causatur; ac subindè prævideretur existere pro priori ad auxilii existentiam; & non regularetur per scientiam mediam de se composibilem cum carentia talis decreti. Complexum insuper hoc ita antecedens actum connecteretur cum actu; & ratio est, quia nec complexum, nec aliquod ex illis decretis componibile est cum carentia actus. Non primum, nam intentio efficacem Dei frustrari non potest: non secundum, quia est electio mediæ efficacis ab effectu inseparabilis. Et tandem esset à voluntate hominis inimpedibile utrumque decretum: quoad primum patet, quia esset præconceptum à Deo independentè ab omni exercitio libero voluntatis, tum absoluto, tum conditionato. De secundo decreto, quod vitari non possit, facile ostenditur: nam etsi Adversariis demus, posse à voluntate vitari, ne hoc, vel illud auxilium, aut infinitorum quodlibet in particulari decernatur, minimè tamen impedire valet humana voluntas, quin aliquod decernatur. Etenim licet possit frustrare quodlibet ex infinitis auxiliis in singulari sumptum, potens illud reddere inefficacem, sub quolibet in particulari dissentiendo; at totam auxiliorum collectionem frustrare, & omnia collectivè reddere inefficacia minimè potest; cum ex terminis contradictionem implicet, juxta ipsos, hominem aliquem prævideri dissenturum toti auxiliorum colle-

ctioni, ac propterea aliquod auxilium vagè sumptum efficacem debet assignari. Secundò: quia cum voluntas non possit impedire primum decretum, nec potest impedire secundum. Hoc sanè efficacissimè probant argumenta omnia, quibus Adversarii demonstrare tentant, nullam relinqui in arbitrio nostro potestatem ad carentiam actus, posito decreto physicè prædeterminante, quæ certè ad hominem non possunt non esse efficacem. Constat insuper apud Thomistas, qui asserunt, non posse cum infallibilitate decreti componi carentiam actus, quia implicat, stante efficacem, & metaphysica connexione antecedentis cum consequenti, poni antecedens, & non existere consequens. En quomodo evidenter, negato illo casu possibili, tenentur ipsi admittere aliquid antecedens connexum cum actu, & à voluntate inimpedibile non destruens libertatem: ergo vel non est neganda physica prædeterminatio, vel, si negetur, admittendus est casus, quo Deus non possit quando, & quomodo voluerit creaturam convertere, seu creatura ab illo inconvertibilis.

S. VII.

Solvuntur Argumenta.

109. **U**T resolutio utriusque partis illustrior appareat, & Scholæ congruentior fiat, argumenta proferenda, & solvenda sunt, quæ afferunt Auctores oppositi. Primum est contra absurditatem consequentis sub hac forma. Illæsa omnipotentia Dei salvant Thomistæ, Deum non posse ad bonum convertere Angelum malum; quia nempe ex suppositione electionis, seu volitionis plenè deliberatæ, inflexibilis manet, & immobiliter adhærens objecto, quod semel elegit: ergo illæsa omnipotentia divinâ poterunt salvare scientiæ mediæ defensores, Deum non posse convertere hominem ex suppositione, quod prævideatur omnibus auxiliis dissenturus. Secundò: Deum non posse obtinere consensum salutarem per concursum, quo prædeterminet voluntatem ad materiale peccati, non derogat perfectioni divinæ omnipotentia: ergo quod Deus non possit obtinere consensum per auxilium, quod prævidit frustrandum, non derogat infinitæ Dei potestati. Tertiò: non est contra omnipotentiam Dei, quod non possit obtinere consensum medio auxilio sufficienti, efficaci non superaddito: ergo nec quod illum obtinere non possit sine prævisione consensus conditionati futuri. Quartò: Deum indigere potentia liberâ ad obtinendum consensum liberum non destruit libertatem voluntatis juxta sententiam Thomistarum: ergo Deum egere futuritione conditionata ad efficiendum nostrum consensum liberum non minuit libertatem Dei. Quintò: libertas creata non destruitur

per hoc, quod egeat determinatione Dei: ergo nec divina libertas destruetur per hoc, quod egeat determinatione liberi arbitrii ad existentiam actus. Sextò contra id, quod nos dicebamus de necessitate subordinationis, & constitutionis libertatis creatæ sub dominio Dei: per hoc, quod voluntas prævisa consentire non possit acquirere auxilium efficacem, quo sibi misericorditer dato, infallibiliter ponit consensum, sufficienter salvatur subordinatio voluntatis ad Deum: sed juxta principia scientiæ mediæ voluntas non potest sibi acquirere auxilium, cui prævisa est consensura, sed illi quoties datur, misericorditer datur, & illo dato, infallibiliter consentit: ergo sufficienter voluntatis subordinatio salvatur.

110. Confirmatur, & urgetur amplius: non est Deus minus potens indurare creaturas, quam illas ad se convertere; sed Deus de facto est impotens indurare humanitatem, Christi Domini: ergo & possibilis esse casus, quo possit creaturam non convertere. Præterea: nequit esse inconveniens, quod Deus sit impotens convertere creaturam ex suppositione sibi libera; sed impotentia ad convertendum creaturam conveniret Deo ex suppositione sibi libera, cum esset consequens suppositionem libertatis illius, & decreti ipsam non impediendi, sed potius relinquendi illam in manu consilii sui, quæ hujusmodi suppositiones sunt Deo liberæ: ergo suppositio solum libera non possit creaturam convertere.

111. Hæc ita summatim proponere licuit; quippè omnia facilis solutionis sunt. Primum quidem evanescet, ubi Thomistarum sententia nota fuerit; nemo enim eorum asseruit, Deum utendo sua absoluta potentia, non posse Angelorum malas voluntates in bonum convertere. Afferunt namque Thomistæ cum D. Thoma 1. p. q. 64. art. 2. Angelos sua natura esse inflexibiles ab objecto, quod semel elegerunt: quocirca, si potentia Dei, quam ordinariam dicimus, id est rerum ordinem non immutantem, attendatur, converti non possunt à Deo, quia hæc naturis rerum attemperat, ac dispensat suum concursum. Verum id à Deo non tollit potestatem proximam, & expeditam, ut illorum voluntates in bonum convertat. Undè hoc, si propriè loquamur, non est, Deum non posse, sed nolle, quod potest. Ideoque inflexibilitas Angeli non deducitur à nobis ex Dei impotentia (quod magnum esset absurdum) sed ex Angeli natura, supra quam manet adhuc virtus potentia Dei. Auctores verò Societatis defendentes possibilitatem creaturæ inconvertibilis loquuntur de potentia Dei absolutâ; sic enim constituunt inconvertibilem ex libero arbitrio creaturam, ut penes Deum non maneat superior virtus, qua ipsam possit ad se, illæsa libertate, convertere. Quare antecedens, prout ad rem adducitur,

omnino est falsum. Peccat insuper argumentum in deductione consequentiae; nam dato, quod Angeli ex suppositione pravæ electionis ad bonum revocari non possint, etiam attenda Dei potentia absoluta; impotentia tamen Dei ad illos convertendos esset consequens divinam libertatem, & non antecedens: at impotentia Dei ad convertendum hominem pravum omnibus auxiliis dissenturum, non est consequens, sed omnino libertatem divinam antecedens, ut ipsa præferat Adversariorum positio: ergo consequentia, quæ innitur hujusmodi paritati, nulla est; cum paritas ipsa nulla sit. Nam etiam data, quam non concedimus, absoluta Angelorum inflexibilitate, Deus tamen potuit Angelis casum non permittere, & gratiæ suæ munere illos salvare: quod cum certissimum sit apud omnes Theologos, evidentissimum est apud Thomistas asserentes, potuisse Deum Angelis lapsis tribuere, quæ non debuit, judicia recta, & illorum voluntates ad bonum efficaciter prædeterminare, quo facto, infallibiliter persisterent in amore casto primi instantis, & salvarentur: quod tamen non fecit, sed permisit lapsum, & amorem pravum plenè deliberatum: ac proinde electio illa, ex qua mansere obstinati, fuit suppositio consequens libertatem Dei, non quidem infundentis malitiam, sed non impertientis gratiam, quam illis minime impertiri debebat, licet certissime posset.

112. Secundum etiam facillimè refellitur: nam concessio antecedenti, negatur consequentia: cujus ratio in promptu est; quia nimirum prædeterminationem illam conjungi cum consensu salutari implicat ex terminis, quia infallibiliter connectitur cum peccato pro materiali, & cum decreto permissivo malitiæ, ac proinde est repugnantia ex parte facti Deo liberi: auxilium autem, quod prævidetur frustrandum, conjungibile est cum consensu, quæ conjunctio subtrahitur à potestate Dei ex suppositione, quam ipse nec facit, nec facere potest. Ex his patet ad tertium; quia non superaddito auxilio prædeterminante, Deus non dabit consensum; non est autem contra omnipotentiam, quod non obtineat à creatura Deus consensum, quem ipse non dat; immò oppositum (quod ex contraria sententia stare potest) esset contra omnipotentiam. Ad quartum solutio est, Deum non egere potentia liberâ ad actum liberum, ut supra explicatum manet: quia nemo dicitur egere eo, quod in potestate habet, & Deus habet in potestate existentiam potentia liberæ, quæ liberè ponit actum, si Deus vult actum liberum existere: futuritio verò, ac pravissio conditionata, requisita apud contrarios, non est in potestate Dei. Undè quantumvis vellet poni actum liberum, illa deficiente, nequaquam id obtinere posset à voluntate, quod cum Augustino absurdum

diximus. Ad quintum dico, voluntatis creatæ libertatem non destrui per hoc, quod egeat prædeterminatione; Dei tamen destruitur libertas, si opus habeat libertate humana à se independente, ut exequatur fines providentiæ suæ: illa non destruitur, quia creata, & in suis actibus, actumque elicientia petit alteri subordinari primò determinanti: hæc vero penitus corrumpitur, si aliquo eget, quod in potestate non habet; & hoc ipso non erit libertas suprema, & infinita, ut ex D. Thoma ostendimus. Ad ultimum tandem dicimus, salvari voluntatis creatæ subordinationem ad Deum in hoc, quod est posse ponere actum, non tamen in ipsa actus positione, in cujus elicientia potius Deum in Adversariorum principiis subordinat sibi, dum ipsum determinat ad concurrendum: ex quo per legitimam consequentiam infertur impossibilitas talis prævisionis, & repugnantia istiusmodi concursus. Præterquamquod, ex eo quod voluntas ponat infallibiliter actum, dato auxilio, Deus non alio modo potest dici causa consensus, quàm improprie, & logicè, non verò causa physica, id est, vera, ut pluries vidimus. Undè neganda est major, quam nunquam probabunt Adversarii. Nec minor verior est, quàm major; sed juxta sententiam oppositam multis obnoxia deprehenditur implicationibus. Nam in primis verissimum est, auxilium, cui voluntas prævidetur consensura, non posse acquiri à voluntate, neque enim voluntas potest sibi tribuere, quod vocetur, ut ait Augustinus: quod tamen sibi tribuere posset, si auxilium, quo vocatur, posset sibi acquirere. Deinde: voluntas per nullum actum potest acquirere id, quod essentialiter præsupponitur ad elicientiam cujusvis actus liberi, cum solum posset acquirere existentiam auxilii per aliquem ex suis actibus; existentiam autem illius, quod ad omnem actum præsupponitur existens, ex terminis constat, per actum acquiri non posse. Quomodo ergo auxilium acquirere posset, quod essentialiter præsupponitur ad elicientiam cujusvis actus liberi? Etenim auxilium est liberæ potestatis constitutum, & constitutum libertatis, sicut & ipsa potentia liberæ essentialiter præsupponitur ad omnem actum liberum. Ecce quantum ad hanc partem, verè, absoluta quidem, & generalissima doctrina loquuntur à voluntate statim oppositum illorum sententia involuit: nam etsi Deus tribuat auxilium, ut Adversariis concedimus, non tamen volunt illi, quod tribuat efficaciam auxilii, quod sic ostenditur. Ab eo auxilium habet efficaciam, sive in actu primo, sive in actu secundo, à quo redditur influens, sive in actu primo, sive in actu secundo; per hoc enim auxilium efficaciam distinguitur ab inefficaci, quod illud *re vera* influet, si detur, ac datum influit: sed unica ratio quare auxilium influet, si detur, & datum influit, est libera determinatio voluntatis.

tatis: ergo voluntas sibi acquirit efficaciam auxilii, ac subinde non debet Deo, quod operetur, influat, & concurrat auxilium. Vel aliter: ille revera acquirit auxilium ad actum requisitum, qui acquirit auxilium, ut determinatum ad influendum in actum ipsum; hoc enim modo auxilium obtinet proprie rationem auxilii, & gratiæ auxiliantis ad actionem; sed auxilium sub hac formalitate sibi acquirit voluntas; quia formalitas ista unice pendet à voluntate: ergo non ex Deo, sed ex propria determinatione existit efficaciam auxilii.

113. Ad confirmationem, & urgentiam palmare est responsum, Deum non posse permittere peccatum humanitati Christi Domini ex suppositione unionis hypostaticæ: quia ex tali suppositione omnino Deo libera tenetur, & obligatur Verbum Divinum regere humanitatem, operaturque ut quod omnes operationes ipsius. Quapropter peccatum ex tali suppositione est antecedenter impossibile humanitati, & ita impossibile, sicut Verbo Divino: cum quo tamen rectè cohæret, quod propter summum dominium, quod Deus supra humanitatem habet, sicut potest illam dimittere, & facere, quod subsistat per propriam, & connaturalem subsistentiam sic etiam potest ipsi humanitati dimissa permittere peccatum. Ex quo manifesta est disparitas respectu aliarum creaturarum, quas Deus non tenetur regere, & cum non sit principium quod suarum operationum, nulla ratione potest imputari Deo. Nec ista ergo, nec alia suppositio Deo libera potest contra nos argumentum præbere.

114. Nec minus futile est, quod secundo loco dicitur, undè respondetur distinguendo

majorem: ex suppositione sibi libera, & cum conversione creaturæ connexa, conc. maj. inconnexa, neg. maj. & distincta eodem modo minori, negatur consequentia. Dum enim suppositio Deo libera non connectitur necessariò cum aliquo extremo, Deus ex vi talis suppositionis non intelligitur determinatus ad unum potius, quàm ad aliud extremum, sicut nec est impossibilitatis adhuc consequenter ad quodlibet contradictionis extremum. Quare sicut suppositio manet indifferens, sic etiam adhuc ex determinatione talis suppositionis dominium Dei maneret omnino indifferens ad existentiam, vel non existentiam utriuslibet extremi. Sic dicitur, quod ex suppositione libera productionis rerum Deus manet indifferens, & cum formali, & immediato dominio ad conservandum, illas in esse, vel non conservandum. Sed suppositiones factæ omnino inconnexæ sunt, tam cum conversione liberæ creaturæ, quàm cum ejus carentiâ: ergo nequit Deus ex vi talium suppositionum intelligi necessitatus ad creaturæ conversionem, vel carentiam conversionis, & minus determinari poterit ad unum libertatis extremum. Ubi observa, quod suppositio libertatis creaturæ ad exercitium liberum non est libera Deo, sed necessaria; neque enim alio modo potest existere actus liber. Undè si ex hac suppositione non potest Deus obtinere actum liberum, creaturæ, non oritur impossibilitas ex suppositione Deo libera, sed ex suppositione necessaria, & sine qua actum liberum velle non potest. Indè suppositio necessaria, ut actum liberum velle possit, est juxta contrarios suppositio, propter quam eundem actum obtinere non posset, quò quid implicatius?

DUBIUM IV.

An Gratia ab intrinseco efficax necessaria fuerit in statu naturæ innocentis, & integræ?

QUAMVIS in superioribus resolutionibus omni probationum genere necessitas gratiæ ab intrinseco efficacis in statu naturæ corruptæ demonstrata maneat; nobis hanc studiosius requirentibus, non erit tempus, & operam inaniter insumere, examinare, an hoc genus auxilii necessarium fuerit in statu naturæ innocentis, & integræ? Quæ tantò gravior est instituta controversia, quantò à Theologis Augustini aliàs studiosissimis novum gratiæ versatilis systema ad statum naturæ innocentis extenditur. Thomistas hanc gravem imponunt notam, quod in propugnandâ gratiâ ab intrinseco efficaci, sanis perinde, ac lapsis hominibus necessaria, Aristotelem prætulerint Augustino. Hanc irrogatam contumeliam, quâ Thomistas injustè involvere attentant, silentio præterire, ipsa verecundia prohibet. Non er-

go conatu irrito laborabo, ut quæ calumniosè magis, quàm nervosè allata sunt argumenta, retundam; quamquam & me silente, omnino evanescant. Sed ne dubium hoc confusè, & obscurè ad principalem assertionem descendat, quædam maximè sunt observanda, ut quæstionis istius status dilucidè aperiatur.

§. I.

Premittitur breviter doctrina triplicis status, sub quo considerari potest natura humana.

1. **N**atura nostra in triplici statu, quantum ad præsens attinet, considerari potest; in statu naturæ innocentis & integræ, naturæ lapsæ, & naturæ lapsæ per Christum

reparata. Per statum naturæ integræ intelligitur status, in quo homo fuit ab initio conditus. In suæ namque creationis exordio Adamus Paradisi fruebatur delictis. Agnoscebat Deum quadam altiori cognitione, quam nos cognoscimus: *Et sic ejus quodam modo cognitio media erat inter cognitionem præsentis status, & cognitionem Patriæ, qua Deus per essentiam videtur, ut docet D. Thomas 1. p. q. 94. art. 1. Naturalium scientiam præclaram habebat, ut ibidem probat D. Thomas dicens: A consideratione autem plenâ, & lucidâ intelligibilium effectuum impeditur homo in statu præsentis per hoc, quod distrabitur à sensibilibus, & circa ea occupatur. Sed sicut dicitur Eccl. 7. Deus fecit hominem rectum. Hæc autem fuit relictio hominis divinitus instituti, ut inferiora superioribus subderentur, & superiora ab inferioribus non impedirentur. Unde homo primus non impediatur per res exteriores à clarâ, & firmâ contemplatione intelligibilium effectuum, quos ex irradiatione primæ veritatis percipiebat, sive naturali cognitione, sive gratuita. Unde dicit Augustinus lib. 11. super Gen. ad litt. quod fortassis Deus primis hominibus antea loquebatur, sicut cum Angelis loquitur, ipsa incommutabili veritate illustrans mentes eorum, & si non tantâ participatione Divinæ essentia, quantam capiunt Angeli. Perfectus erat ordo & corporis sub anima, & inferiorum facultatum sub superiori, ut art. 2. docet D. Thomas, dicens: Anima hominis in statu innocentia erat corpori perficiendo, & gubernando accommodata, sicut & nunc. Unde dicitur primus homo factus fuisse in animam viventem, id est; corpori vitam dantem, scilicet animalem. Sed hujus vitæ integritatem habebat in quantum corpus erat totaliter animæ subditum in nullo ipsa impediens, ut supra dictum est. Et q. 95. art. 1. hoc probat ex illo Eccles. 7. Deus fecit hominem rectum. Erat enim relictio secundum hoc, quod ratio subdebatur Deo, rationi verò inferiores vires, & animæ corpus. Absit enim, ut credamus, inquit D. Augustinus lib. 5. contra Julianum cap. 5. n. 22. Aliquid fuisse unde sensum nostrum, sive intrinsecus, sive extrinsecus, aut dolor pungeret, aut labor fatigaret, aut pudor confunderet, aut ardor ureret, aut algor stringeret, aut horror offenderet. Et expressius lib. 2. de peccat. merit. & remis. cap. 22. Hanc ergo (obedientiam) priusquam violassent, placebant Deo, & placebat eis Deus; & quamvis corpus animale gestarent, nihil inobediens in illo adversus se moveri sentiebant. Faciebat quippe hoc ordo justitiæ, ut quia eorum anima famulum corpus à Domino acceperat, sicut ipsa eidem Domino suo, ita illi corpus obediret, atque exhiberet vitæ illi congruum sine ulla resistentiâ famulatum. Hæc M. P. Augustinus, qui hanc primæ hominis dignitatem, & felicitatem describit merè, & egregie lib. 14. de Civit. Dei cap. 26. Vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibum aderat, ne esuriret; potus, ne sitiret; lignum*

vita, ne illum senectâ dissolveret. Nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas molestias ullis ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ietus metuebatur extrinsecus. Summam in carne sanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in Paradiso nullus aestus, aut frigus, ita in ejus habitatore nulla ex cupiditate, vel timore accedebat bonæ voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil inerat inaniter letum. &c.

2. Fuit ulterius primus homo creatus in gratia, ut luculenter probat D. Thomas dicta quæst. 95. art. 1. dicens: Unde manifestum est & illa prima subjectio, qua ratio Deo subdebatur, non erat solum secundum naturam, sed secundum supernaturale donum gratiæ: non enim potest esse, quod effectus sit prior, quàm causa. Unde Augustinus dicit 13. de Civit. Dei, quod posteaquam præcepti facta transgressio est, confestim gratia deserente Divina, de corporum suorum nuditate confusi sunt. Senserunt enim motum inobedientis carnis suæ, tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ suæ. Ex quo datur intelligi, si deserente gratia, soluta est obedientia carnis ad animam, quod per gratiam in anima existentem inferiora ei subdebantur. Quare exclamat S. Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 11. n. 29. Quid ergo, Adam non habuit gratiam? Imò verò habuit magnam. Et prosequitur num. 32. Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Hoc ipsum sensit Augustinus lib. 2. contra Julian. cap. ultim. Gratia Dei magna ibi erat, ubi terrenum, & animale corpus bestialem libidinem non habebat. Et lib. 12. de Civit. Dei docens, parem fuisse Angelorum, & hominis conditionem in donis creationis, de Angelis pronuntians, Deum in illis condidisse naturam, & gratiam largitum fuisse. Hoc Patres, ab interpretibus super illud Genes. cap. 1. Factus est homo ad imaginem & similitudinem Dei passim producti, tenent. Et tandem hujus dogmatis doctrinam sufficienter exprimit, & supponit Concilium Tridentinum sess. 6. Can. 10. sic statuens: Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, & justitiam, in qua constitutus fuerat amisisse... anathema sit. Et Can. 12. Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non ejus propagini asserit nocuisse, & acceptam à Deo sanctitatem, & justitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam eum perdidisse... anathema sit. Quæ accepta sanctitas, & justitia non fuit naturæ Adami primitus ante peccatum condita debita, sed verè supernaturalis; quod negare ausit Lutherus comment. in 3. cap. Genes. Statuimus, inquit ille, justitiam non fuisse quoddam donum, quod ab extrinsecis accederet, separatam à natura hominis, sed fuisse verè naturalem; ut natura Adæ esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum. Hæc tam naturalia fuere in Adamo, quàm naturale est, quod oculi lumen recipiant. Et infra. Porro, ait, hæc probant, originalem justitiam esse de-

natura hominis: ea autem per peccatum amissa non mansisse integra naturalia, ut Scholastici delirant. Quam eandem erroris viam arripuit Calvinus lib. 1. institut. cap. 15. ad quos accessit Michael Bajus, cujus doctrinam detestati sunt Summi Pontifices Pius V. Gregorius XIII., & Urbanus VIII. propositionibus expressam 26. Integritas primæ creationis non fuit debita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio. 78. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio. Et 79. Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari, & institui sine justitia originali. Quæ Summorum Pontificum definitiones occasione hujus erroris conceptæ clarissimè docent, hominem in primo creationis instanti, sive in ortu suo accepisse justitiam originalem, & sanctitatem, quæ esset supernaturalis, & non naturæ debita.

3. Status naturæ lapsæ ille est, in quo de optimo voluptatis loco expulsus remansit homo post peccatum primi Parentis, in quo omnes peccaverunt, & nascuntur filii iræ, & indignationis, ut dicitur Eccles. 40. v. 1. Graue jugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulture in matrem omnium. In hoc statu si inordinata videtur, delinquenti homini deordinatio suborta adscribenda est, non conditori, aut ipsius conditæ naturæ defectui, attestante Scriptura Sap. 1. v. 13. Quia Deus mortem non fecit Et cap. 2. v. 13. Deus creavit hominem inextinguibilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Per peccatum ergo mors intravit in orbem terrarum. Ex illo inordinato affectu Divinæ similitudinis languet appetitus summi boni. Brevis fuit consensus, sed calamitas diuturna. Inobedientia naturam corrupit, quæ dum vanè præsumens Divinis noluit subdi legibus, nunc adstricta est carnis passionibus. Hinc infirmitates, lacrymæ, gemitus, dolores, labores, rixæ, avaritiæ, luxuriæ, Idolorum servitus, & cœtera manifesta opera carnis, quæ omnia distinctè enumerat Apostolus ad Galat. 7. Uno verbo: omnia malâ ex primi hominis prævaricatione emerferunt. Quicquid deformitatis, quicquid flagitii, mœroris, & incommodi humanum patitur genus, ex inobedientiæ delicto provenisse conspicuum est, pro quo utique corporis, & animæ vita intelligitur esse privatum. Sub hoc procul dubio damnationis vinculo universi ex Adæ semine propagati concepti sunt, aded ut prius efficiantur damnati, quàm nati, quemadmodum de se Propheta perhibet Psal. 10. dicens: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea. Negavit Pelagius apud S. Augustinum lib. de peccato origin. cap. 13. dicens, quod, ut sine virtute, ita & sine vitio procreamur. Et ibidem Adæ peccatum ipsi soli obfuit, & non generi humano: & infantes, qui nascuntur in eo statu sunt, in quo fuit Adam an-

te prævaricationem. Sed error iste proscriptus fuit in Concilio Arausicano 2. Can. 2. Si quis soli Adæ prævaricationem suam, non & ejus propagini, asserit nocuisse, aut certè mortem tantum corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum, quod mors est animæ, per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur, injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti: per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Quare per peccatum primi Parentis amisit homo & gratiam justificantem, per quam anima tenebatur Deo subjecta, & eam rectitudinem, secundum quam partes inferiores erant subjectæ rationi, & corpus animæ: & cum destitutio ordinis, quo potentiæ naturaliter ordinantur ad virtutem, dicatur vulneratio naturæ, quatuorque sint potentia, quæ possunt esse subjectum virtutis, scilicet Ratio, Voluntas, Vis concupiscibilis, & Vis irascibilis, illæ fuerunt per peccatum destitutæ prædicto ordine ad virtutem: undè convenienter assignantur à Theologis quatuor vulnera naturæ ex peccato originali consequentia, quæ sunt Infirmitas, Ignorantia, Malitia, & Concupiscentia.

4. Status naturæ per Christum reparatæ ille est, in quo per merita Christi restitui mur primæ illi juri, quod habebamus ad vitam æternam, & liberamur à noxa peccati tam originalis, quàm actualis; qui status incipit in hac vita in futura perficiendus. Nam Jesum Christum Dominum, & Salvatorem nostrum Deus Pater misit in mundum, ut eriperet nos de potestate tenebrarum, & transferret in Regnum gloriæ claritatis suæ, nos reconcilians, ac pro nostris iniquitatibus satisfaciens. Si enim, ut inquit Apostolus ad Rom. 5. v. 17. Unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes, in vitâ regnabunt per unum Jesum Christum. Et 1. ad Corinth. 15. v. 11. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur: cum ex obedientia, & sanctitate mediatoris Christi collata sit nobis gratia, justitia, & vita, licet non omnino per peccatum Adami inflicta vulnera in regeneratione sanentur; sed omnes ferè pœnalitates ad Agonem, & virtutis per Christum nobis datæ exercitium in nobis remaneant: Nam virtus in infirmitate perficitur, teste Apostolo 2. ad Corinth. 12. v. 9.

5. His opportunè ad clariorem intelligentiam constitutis, maximè observandum secundò, controversiam hanc non moveri de quocumque auxilio, sed solum versari circa auxilium gratiæ ab intrinseco efficaci: & inter eos agitari dumtaxat, qui gratiam se ipsa efficacem agnoscunt; quibusque supponentibus auxilia sufficientia in omni statu, quæstio est, an nempe Adamus in statu inno-

centiæ indigerit ab benè agendum gratiâ efficaci, seu auxilio quo, sicut in statu naturæ lapstæ, & per Christum reparatæ, vel gratia dumtaxat sufficiente, seu auxilio sine quo non. Controversiæ locum dedisse videtur Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 12. sic docens: *Ipsa adjutoria distinguenda sunt. Aliud est adjutorium, sine quo aliquid non fit, & aliud est adjutorium, quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere; nec tamen cum adfuerint alimenta, eis fit, ut vivat, qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est sine quo non fit, non quo fit, ut vivamus. At vero Beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continud fit beatus. Adjutorium est enim non solum sine quo non fit, verum etiam, quo fit, propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium & quo fit, est, & sine quo non fit: quia etsi data fuerit homini beatitudo, continud fit beatus; etsi data nunquam fuerit, nunquam erit. Alimenta verò non consequenter faciunt, ut homo vivat: sed tamen sine illis non potest vivere. Quia distinctione utriusque adjutorii supposita, insuper addit S. Doctor. Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat, acceperat posse non peccare, & posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret, ut perseveraret; sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. . . qui eis non solum dat adjutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare, si velint; sed in eis operatur etiam & velle. Hanc utriusque adjutorii differentiam expressius proposuerat Augustinus cap. 11. antecedenti: postquam enim dixit: *Adjutorium primo homini concessum esse tale, ut in eo maneret, si vellet, ut illud per liberum arbitrium deserere posset, ut in ejus libero relinqueretur arbitrio, quod desereret, cum vellet, in quo permaneret, si vellet, non quo fieret, ut vellet, ibidem facta utriusque adjutorii comparatione, asserit: hæc prima est gratia, quæ data est primo Adam, sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima est enim, quæ fit, ut habeat homo justitiam, si velit. Secunda ergo plus potest, quæ etiam fit, ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluptatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat.**

6. Hæc est M. P. Augustini doctrina, quæ locum præsentis controversiæ reliquit, dum pugnantia loqui videtur. Hic namque statuit naturæ integræ, & innocenti solummodò fuisse datum adjutorium, sine quo non, seu gratiam sufficientem & possibilitatis, inveniens, quod habito hoc adjutorio, per liberum arbitrium perseverare posset. Unde ibidem cap. 11. *Ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio.* Et consonat D. Thomas 2. 2. q. 113. art. 4. ad 2. *Primo homini datum est, ut perseverare posset per liberum arbitrium; quia nulla corruptio tunc erat in humana natura, quæ perseverandi difficultatem præberet.* Cui tamen doctrinæ refragari visus est S. P. alibi asserens, indigere Adamum uberiori auxilio, quo

perseveret. Hic docet, quod Deus Angelis, & Adamo dederat adjutorium, sine quo posset perseverare, si vellet, ut autem vellet in ejus reliquit arbitrio; substat alibi apprensus contradictio, dum scribit; parum erat velle, nisi eum, qui fecerat, adjuvaret. Hic insuper concludit, quod Deus voluit primum ostendere, quid posset hominis, & Angeli liberum arbitrium, & iterum contradicere videtur alibi, dicens: quod Sancti Angeli majores esse non potuerunt, nisi operante adjutorio Creatoris fuerint amplius adjuvi. Quæ ergo major verborum repugnantia, aut discrepantia? Cum ex sententiæ primæ sui specie ita inter se maximè pugnent, ut ab ista contradictione expedire se non videatur facilè Augustinus. Jansenius de se gloriosius prædicat, facilimè se nodum dissolvere distinctione illâ duplicis adjutorii quo, & sine quo non. Est, inquit ille de gratia primi hominis cap. 17. vera clavis, qua aditus in scripta ejus (S. Augustini) aperiendus est; & sine qua, qui ea molitur ingredi, velut cæcus palpabit in meridie, ac tot, tantisque difficultatibus implicabitur, ut quasi monstris decurrentibus terreatur. Glorietur ille, ac elato supercilio venditet, se facilè prædictâ distinctione respondere, & occurrere posse supra positæ contradictionum imaginibus. Quicumque tamen rem attentè consideret, animadvertet, Jansenium aded infeliciter clavi ista usum, ut arcana Sapientiæ Dei beato Patri Augustino revelata abditiore reddiderit, & sibi viam ad præcipitia aperuerit. Quippe post lapsum adjutorium quo tali intelligentia constituit, ut liberæ potestatis indifferentiam excludat; ante lapsum verò adjutorium sine quo non ita intelligit, ut exclusâ gratia, quæ dicitur adjutorium actionis, rationem doni ex gratia Dei à meritis amoveat. Expedi aliqua ab ejus ore audire.

7. Jansenius ergo tom. 2. de grat. primi hominis, & Angelorum cap. 10. ut certissimum statuit, Angelos, & Adamum indiguissè auxilio Divinæ gratiæ ad benè agendum, & perseverandum. Juxta doctrinam, inquit ille, ab Augustino traditam, & juxta fidem Catholicam ab eo explicatam, dicimus, neque Angelos, neque primum hominem ullo modo sine gratiâ juvantis adjutorio in veritate stare, hoc est, in accepta justitia, perseverare potuisse. Cap. 11. sequenti hanc eandem auxilii necessitatem ad omnia bona opera extendit: *Nec verò, inquit ille, ad perseverandum tantummodò in justitia, sed ad singulas etiam voluntates bonas, seu opera bona, seu tentationum victorias, per quas fit, ut quis in justitia perseveret, Angelis, & hominibus istam gratiam necessariam esse.* Et postquam duobus sequentibus capitibus 12. & 13. constituit, in quo consistat gratia Angelorum, & primi hominis, ostendens, esse distinctam à gratia habituali, & concursu simultaneo, affirmat, esse actuale Dei auxilium; actuale igitur aliquid sonat hujusmodi justitiæ retinendæ adjutorium, quod probare niti-

titur citato cap. 13. variis S. Augustini testimoniis. Hucusque quasi generica quadam ratione actuale adjutorium omnibus necessarium etiam in statu innocentie prædicat. Cap. autem 14. expendit adjutoriorum differentias in diversis statibus, agens de maximo duplicis adjutorii discrimine: *Unum, inquit ille, est adjutorium quo, alterum sine quo non. Hoc est, unum est, quo aliquid fit; alterum, sine quo non fit.* Augustinus de corrept. & grat. cap. 12. unum vocavit possibilitatis, hoc est potentia, alterum actionis, & voluntatis; Usque huc nihil reprehensibile. Prosequitur utriusque adjutorii naturam explicans sequentibus verbis: *Non enim adjutorium influendo faciebat, ut arbitrium vellet; sed arbitrium volendo, ut adjutorium infunderet: idque non minus influxum proficundo, quam inchoando. Semper enim ejusdem rationis adjutorium est, & omninud subditum nutui ipsius libertatis humanæ.* En quam tenuit Jansenius opinionem de adjutorio sine quo non.

8. Cum autem dicat, bona opera in illo felicitatis primæ statu inchoanda fuisse, non à gratia Dei, sed à libero arbitrio, consequenter cap. 16., & constanter propugnat, quod nec perseverantia, nec Angelorum, & hominum merita in statu naturæ innocentis erant dona Dei, sed potius libero arbitrio attribuenda: *Manifestè patet, inquit ille, neque merita, neque perseverantiam Adamum, aut Angelos à Deo speciali dono accipere debuisse, neque re ipsa Sanctos Angelos accepisse: quamvis verissimum judicet, non esse à libero arbitrio sine gratia: undè asserit; Sed ipsa ipsorum libertate suspendisse, ut si vellet, itidem non sine adjutorio Dei haberet perseverantiam meritorum.* Hæc enim ipsissima est natura ipsius duplicis adjutorii, ut illo, scilicet, sine quo non, quod eis datum fuit, adjuvante, habere possent, si vellet; velle verò ipsorum relinqueretur arbitrio: altero verò, scilicet quo, quod lapsi datur, adjuvante, habeant simul & velle, quod possunt, & posse, quod volunt. Quare concludit consequenter ad hæc principia, Adamum propria merita potuisse cognoscere, ut sua, & non ex illo sibi data, à quo habuit, ut sit; Beatitudinemque pro illo statu innocentie mercedem futuram, non gratiam. Hinc etiam oritur, inquit ille, quod in statu innocentie sicut propriè ipsorum hominum fuisse meritum, ita celestem Beatitudinem quoque ipsorum futuram fuisse mercedem. Quam mercedem hoc modo definit: *Merces enim id propriè est, quod operi, sive merito ex justitia debitum est. . . Qui opus aliquod ex se facit non donatum sibi per gratiam alterius, illi merces datur, non ut gratuita, sed tanquam debita, quia merces est, id quod debetur.* Unde ut tale repugnat gratiæ. Post peccatum Adami Beatitudo est præmium bonorum operum, & gratiæ; at non ita in statu innocentie, inquit ille: *quando de premio meritorum primi hominis, & Angelorum, mentionem facit Augustinus, solum-*

modò mercedem vocat, nunquam gratiam. Sed potius gratiam esse negat. Quæ enim erat in illo statu innocentie ad meritum necessaria, Dei gratia, non erat ex speciali Dei liberalitate donata, ut iterum ipse affirmat: *Sed quia non fuerunt eis, sicut in nobis, gratuita Dei liberalitate donata, sed ex propria eorum libertate, quamvis non sine Dei gratia, promanarunt.* Tandem cap. 20. probare nititur, gratiam propriam status innocentie distingui à prædeterminatione physica. Ex quibus omnibus, ait ille, *principiis Augustini, nihil, quod ejus doctrinæ magis è Diametro repugnet, affingi potest, quam quod Adami adjutorium in physica illâ prædeterminatione situm fuerit, ut sanè non temerè dici posse videatur, quod Auctores, qui prædeterminationem illam physicam ad statum etiam integrum Adami, & Angelorum extendunt, toto ostio ab Augustini principiis aberraverint.* Hanc esse vanum, & ridiculum Thomistarum delirium, & commentum: *Tricas esse Aristotelicæ Philosophiæ, aut ineptias, è classibus Dialecticis in Theologiam immixtas, quibus celestis medicinæ sinceritas adulterata est.*

9. In eadem sententia constanter perseverat Jansenius de grat. Christi Salvatoris lib. 8. cap. 2. apertius discrimen gratiæ medicinalis Jesu Christi, & prædeterminationis physice sequentibus verbis exponens: *Quapropter, qui medicinalem Christi Salvatoris gratiam sic defendere conantur, ut eam in prædeterminationem physicam transforment, omni statui hominum lapsorum, & innocentium, ex vi causæ primæ, & indifferentiæ voluntatis necessariam, magis profectò Aristotelici, quam Augustiniani sunt. Nam talis prædeterminatio sic asserta, non solum nullo testimonio ejus probari potest, sed potius doctrinam ejus innumeris locis traditam inexplicabili confusione perturbat. Tollit necessitatem duplicis adjutorii quo, & sine quo non; cum quorum altero Adamus velle, stareque potuit, & Angeli re ipsa voluerunt, steteruntque, lapsi homines velle, aut stare non possunt. Tollit, obscuratque veram radicem necessitatis gratiæ medicinalis, nec sinit intelligere veram naturam ejus, dum æqualiter statuit illam prædeterminationem omnibus necessariam: denique cogitur inferre non exiguam vim Scripturis Sacris, quæ singularem Dei gratiam actus nostros bonos operantem prædicant: ita citato lib. 2. cap. 4. 5., & 6. Ecce qua claritate adjutorium quo gratiam sufficientem appellans; cum quo, ait, Adamus velle, stareque potuit, illam hominibus post lapsum negat: lapsi homines velle, aut stare non possunt; id est, non habent adjutorium verè sufficiens, ut possint. Undè præse tota ejus doctrina clavis suæ verò sensu aperta est: *Adamus habuit verè indifferentiam potestatis, & nullo ultra indiguit; nos autem aut potentes facimus, aut non facientes, impotentes sumus.* Et tandem mentem suam absolvit, totamque suam systema perficit lib. 8. cap. 2. & 3. asserens: *Totum ergo fundamen-**

rum gratiæ medicinalis Christi funditus evertitur, & Scripturæ subvertantur, dum gratiæ necessitas, non ex vulnere voluntatis, sed ex naturali ejus indifferentia, & omnium causarum naturali subordinatione, sub altiore suspenditur. Hæc ad longum retulimus, quod non ingratum legentibus futurum credimus; & ne quid deesset pro resolutione præsentis dubii, quod posset non improbabiler desiderari.

10. P. Molina necessitatem gratiæ in statu naturæ integræ, & innocentis clarè & apertè explicat in Concor. disp. 14. q. 14. præcipuè memb. 3. ubi loquens de adimpletione totius legis in statu innocentie sic habet: *Porro ejusmodi impletio ex duobus simul pendet capitibus, nempe, ex eo quod libero arbitrio ejus, quod statuerit, vires adsint sufficientes, & quod pro sua innata libertate ita cooperetur, ut opere impleat, quod statuit: quia ergo in primis Parentibus in innocentie statu per habitualia dona justitiæ originalis, & virtutum Theologalium, quæ acceperunt, erant vires sufficientes absque alio peculiari auxilio ad diu servanda mandata omnia per comparationem ad utrumque finem: sane quemadmodum perseverantia in bono à solo eorum libero arbitrio, positis tamen illis donis fuit dependens, ita, quod Dei dilectionem redderet efficacem (hoc est perseverantem, seu efficacem efficaciam effectivam juxta ejus sensum) per comparationem ad utrumque finem, ab eodem solo libero arbitrio similiter dependebat.* Hæc ille; nullam gratiæ intrinsicæ efficacis necessitatem pro illo statu agnoscens.

Contentendunt & hoc acerrimè omnes Doctores Societatis consequenter ad sua principia, juxta quæ efficacitas gratiæ ex humanæ voluntatis assensu, vel dissensu suspenditur: quibus etiam consentiunt aliqui etsi pauci Augustinianæ Scholæ professores, qui ab avitâ Majorum suorum sententiâ recedentes, gratiæ per se efficacis necessitatem ex hoc uno capite propugnant; ex naturæ videlicet vulneratæ, & originis vitio corruptæ conditione; non tamen ex activa indifferentia voluntatis, aut ex naturæ creatæ Deo subordinatione, ac subjectione. Ejusdem sententiæ, & opinionis est Jansenius, ut modò vidimus, solum in statu innocentie agnoscens Dei adjutorium, quod omninò subditum sit, & maneat nutui voluntatis, ita ut velle ipsius relinquantur arbitrio. Quem licet non probeamus; tamen in hac parte non reprehendimus. Felix ille nimium, si probabiles sensus Scholæ Societatis pro virili amplexus fuisset, & fideliter pro illa stetit; tot Ecclesiæ fulmina devitalissent ejus Discipuli, semper in illos recasura, quia nusquam ipsi verè, & sincerè ad luctum, & lacrymas recidunt.

11. Displicet Thomistis hæc sententia, ut videre est apud M. Lemos lib. 4. tract. ultim. cap. 1. & 2. & pro quo videri possunt Illustratris Godoy, M. Ferre, M. Gonet. tract. de grat. disp. 1. att. 8. Etenim cum prædeterminationis physicæ necessitatem repetant ex

naturali subordinatione causæ secundæ, & dependentia à prima; sive, ut Theologicè loquamur, ex eo quod omne bonum in nobis donum est Dei, qui ex infinita bonitate, & potentie suæ virtute nos divitiarum suarum participes facit; neque est aliud principium, aliudve modus perficiendi animas hominum, ut supernaturalibus operationibus perficiuntur, nisi donante Deo: ad hæc, inquam, consequenter propugnant Thomistæ, in statu naturæ innocentie necessariam fuisse gratiam physicè prædeterminantem; totumque discrimen gratiæ utriusque status in eo consistere opinantur, quod in præsentis naturæ lapsæ statu, duplici titulo necessaria sit gratia præmovens, nempe titulo dependentiæ, & corruptionis; in statu verò naturæ innocentis, titulo dumtaxat dependentiæ necessaria fuerit. At cum præcipua his nostris temporibus lis sit, de mente S. S. Augustini, & Thomæ, & de consonantia, & conventionione principiorum, quibus nostra Schola innititur, dicens Jansenio: *Nos hic asserimus tanquam sine dubitatione verissimum, juxta doctrinam S. Augustini, & Ecclesiæ, omnia ejusmodi opera, adeoque & ipsam fidem & dilectionem, ab eo potuisse per libertatem arbitrii fieri, sic ut ea non donaret gratia. Quod quamvis alicui paradoxum videatur, non poterit tamen non admittere, si Augustini, & Conciliorum doctrinam admittere velit: Ideo sententiam nostram non solum efficacissimis argumentis probare, verum eam esse de mente utriusque Sancti Doctoris, ineluctabilibus, quin & evidentibus testimoniis convincere operæ pretium duximus.*

S. II.

Adamus in statu innocentie opus habuit ad bonam voluntatem, atque ad bene agendum, & perseverandum gratia physicè prædeterminante, seu adjutorio quo ab intrinseco efficaci, seu adjutorio voluntatis, & actionis.

12. **A**SSERTIO ista deducitur primò ex Concilio Arauscano II. can. 4. ubi hæc habentur ad rem præsentem verba desumpta ex Epist. D. Augustini 106. nunc 186. *Natura humana, etiam si in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret. Unde cum sine gratia Dei non possit custodire salutem, quam accepit; quomodo sine gratia Dei poterit reparare, quod perdidit?* Quibus verbis affirmat Concilium, primum Parentem, quam à Deo acceperat salutem, (per gratiam nempe habitualem, & alia supernaturalia integritatis dona) hanc minimè conservare potuisse sine gratia, & adjutorio Dei; sed hoc adjutorium, de

de quo Concilium loquitur, est adjutorium distinctum tam à gratia habituali, quam ab aliis auxiliis dantibus posse perseverare: ergo adjutorium Dei distinctum à sufficiente definit Concilium fuisse Adamo necessarium, ut in accepta justitia perseveraret. Item & efficacissimè contra Jansenium: efficaciam gratiæ in utroque statu necessariam agnoscit Concilium, cum dicit, quod natura humana in illo innocentie statu non poterat se ipsam, Creatore suo non adjuvante, servare; ideoque de eodem gratiæ adjutorio, facta comparatione, ait, esse magis necessarium in statu naturæ corruptæ, ibi: *Quomodo sine gratia &c.* Sed in statu naturæ corruptæ adjutorium quo ab intrinseco efficacax de mente Augustini propugnat Jansenius: ergo & gratiam se ipsa efficacem fateri debet, ut Adamus acceptam innocentiam custodiret: par enim, & æqualis omninò fuit in utroque statu gratiæ, quam juxta explicationem aliàs à nobis traditam intelligimus nomine physicæ præmotionis, necessitas. Ulterius: si pro statu innocentie solum esset necessaria gratia indifferens, & versatilis, contra S. Augustinum Semipelagianis retorquere potuissent argumentum, dicendo: per te necessaria erat eadem gratia, ut posset homo reparare, quod perdidit, quæ in statu innocentie necessaria erat, ut posset servare, quod acceperat; sed pro hoc statu gratia indifferens est adeò sufficiens, ut aliud adjutorium non desideretur: ergo & in statu naturæ corruptæ hæc eadem similiter sufficiet, ut repararet homo, quod perdidit; quò, ipso fatente, destrueretur totum Augustinianæ doctrinæ Systema.

13. In eundem Concilii Arauscani sensum locuti sunt SS. PP. Audiantur fidelissimus Augustini Discipulus D. Prosper lib. sentent. 58. *Divina voluntas est prima & suprema causa omnium corporalium, spiritaliumque motionum.* Et paris meriti alius D. Fulgentius lib. 2. ad Thrasymundum Regem cap. 3. *Profectò cognoscitur, cunctos Angelos uniformi ruina consortio opprimi potuisse, nisi, quos vellet, à casu pravitatis virtus illa defenderet, quæ sola naturaliter mutari, depravarique non potest. Quæ est virtus ista, nisi gratia efficacax? Cum gratia sufficiens, & adjutorium sine quo non, non aliquibus tantum Angelis datum sit, sed omnibus. Et expressius ibi: Ipsa igitur virtus divina etiam homini reparando fuit necessaria, quia non alia stantem Angelum à ruina potuit custodire, nisi ipsa, quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Una est in utroque operata, in hoc ut surgeret, in illo nè caderet; in illo nè vulneraretur, in isto ut sanaretur: ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non sinit: illius esca, istius medicina.* Quibus verbis utrique statui gratiam necessariam agnoscit, quæ si efficaciter operatur in isto, ut homo surgat; efficacax fuit in illo, nè Angeli caderent. Eodem pacto loqui videtur D. Gregorius Homil. 14. in Ezech. *Unigenitus Patris,*

*qui sursum est firmitas Angelorum, ipse deorsum factus redemptio hominum, illis fortitudo nè cadant, nobis adjutorium, ut surgamus: ergo si, ut surgat, homo indiget adjutorio quo ab intrinseco efficaci, & eodem opus habuit in statu innocentie ad bene salutariter operandum, aliàs inutilis, & vana esset comparatio. Expressius adhuc loquitur D. Bernardus lib. de diligendo Deo, & ferm. 5. in Festo omnium SS. *Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo, ne laboretur; sic illum de captivitate eruens, sic istum de captivitate defendens: & hac ratione æquè utrique communis redemptio, salvans illum, & servans istum.* Si ergo juxta Bernardum, & alios SS. PP. gratia in statu innocentie operata est, nè Angeli caderent; si ipsis fuit firmitas, & fortitudo, ipsos de captivitate defendens; si in illa integritate, in qua fuerunt conditi, nullo modo se ipsos, Creatore suo non efficaciter adjuvante, fervarent: ergo indigebant gratiæ adjutorio, quo re ipsa perseverarent: quod gratiæ adjutorium non solum idem quoad substantiam, sed quantum ad vim, & efficaciam, seu agendi modum illius, æqualiter necessarium ad bene agendum, & operandum judicant, cum sit gratia, quæ ex speciali Dei voluntate discernendi bonos à malis, fuerit à Deo in utroque statu concessa.*

14. Accedat jam S. Augustinus, qui mentem suam evidentibus testimoniis nobis reliquit expressam. Et primum fit ex lib. 12. de Civit. Dei cap. 9. hic enim asserit: *Si dixerimus, nullam esse efficientem causam etiam voluntatis bonæ, cavendum est, ne voluntas bona bonorum Angelorum, non facta, sed Deo coæterna esse credatur. Cum enim ipsi facti sint, quomodo illa non esse facta dicitur? Porro quia facta est, utrum cum ipsis facta est, an sine illa fuerunt prius? Sed si cum ipsis, non dubium, quod ab illo facta sit, à quo & ipsi: (obiter observa sententiam S. Thomæ de impeccabilitate Angeli in primo instanti conditionis ejus) simulque ut facti sunt, ei à quo facti sunt, amore, cum quo facti sunt, adhaerunt: edque sunt isti ab illorum societate discreti, quod hi in eadem voluntate bona manserunt, illi ab ea deficiendo mutati sunt, mala scilicet voluntate, hoc ipso quod à bono defecerunt, à quo non defecissent, si utique voluissent. Si autem boni Angeli fuerunt prius sine bona voluntate, eamque in se ipsis, Deo non operante, fecerunt, ergo meliores à se ipsis, quàm ab illo facti sunt? Absit, &c. Et de actuali voluntate sermonem faciens, addit: *At si non potuerunt se ipsos facere meliores, quàm eos ille fecerat, quo nemo melius quidquam facit; profectò & bonam voluntatem, qua meliores essent, nisi operante adjutorio Creatoris, habere non possent.* Discernenda hic est duplex Angelorum actio, alia coæva naturæ; id est, bonæ voluntatis, qua conditi Angeli fuerunt. Hæc omnibus quidem communis, operante, & causante illam eodem naturæ conditore. Alia perseverantis voluntatis bonæ, à qua de-*

fecerunt Angeli rebelles. De utraque autem hoc est firmum Augustini principium: *Angeli non potuerunt se meliores facere, quam Deus illos fecerat*. Ex quibus infero: ergo operante Dei adjutorio meliores facti sunt: sed adjutorium operans in littera D. Augustini est adjutorium ab intrinseco efficax: ergo hoc adjutorium donavit Deus Angelis bonis in statu innocentiae. Minor se ipsam ostendit: adjutorium enim quo Deus facit, etiam more loquendi adverbiorum, se ipso efficax est. Unde Jansenius negans ejusmodi adjutorium integræ naturæ, bonam voluntatem in eo statu tribuit, non divinæ operationi, sed soli libero arbitrio, ut supra vidimus, n.7. His adde, quod ibi prosequitur Augustinus: *Aut minorem acceperunt divini amoris gratiam, quam illi qui in eadem persisterunt: aut si utrique boni æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti ad eam Beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt*. Sicut etiam in libro, quem sequitur iste, tractavimus, nempe lib.11. de Civit. Dei cap.11. Ubi statuerat, non æquales fuisse in donis Angelos ante casum malorum: *Quandòquidem, inquit, si æquales in ea (Beatitudine illi statui congruenti) fuissent; etiam isti (qui ceciderunt) in ejus aternitate mansissent pariter Beati; quia pariter certi*. Idem licet obiter tangit cap. 13. ejusdem libri. Ergo majus adjutorium agnovit Augustinus in Angelis bonis: sed hoc majus adjutorium non est auxilium sufficiens, quod est omnibus commune: ergo debet esse efficax; maxime cum tale fuerit, Augustino teste, ut si illud habuissent Angeli, qui ceciderunt, non cecidissent; sed pariter de beatitudine certi, pariter mansissent. Et sanè majus adjutorium, quod acceperunt Angeli boni, non fuit adjutorium patriæ, & termini, ipsa scilicet Beatitudinis plenitudo, qua cognoscunt modò, se nusquam à Beatitudine casuros: hoc enim alienum prorsus est à mente D. Augustini; quin & planè incredibile, cum expressis verbis loquatur de adjutorio viæ ad agendum, & perseverandum concessio: primò, quia si adjutorium, quo Beati Angeli dicuntur adjuti, esset ipsa Beatitudo, ridiculus, & ineptus esset sensus S. Doctoris, scilicet Angelis collatam esse Beatitudinem, qua ad Beatitudinem pervenerunt: cum & securitas nusquam excidendi à Beatitudine, ultra revelationem habita, sit ipsa Beatitudo; certitudinem enim fidei sequitur visio, quam & consequitur major certitudo; nimirum evidentia nunquam excidendi, quam habent videntes Deum. Loquitur ergo Augustinus de gratuito privilegio bonis Angelis collato, manente ad meritum fide. Tale ergo fuit privilegium bonorum, ut licet omnes cadere possent; isti tamen donum Dei in se agnoscentes, & Deo credentes, se non casuros certissime scirent. Illi autem qui ceciderunt, licet non

cadere possent; tamen cum illo carerent adjutorio, se non casuros scire non potuissent. Quæ doctrina tantò est mihi solidior, ut, nisi certitudo beatitudinis vialis, quam M.P. commemorat, ad agnitionem adjutorii specialis, quod non defuturum Angeli credidissent, & quo se non casuros novissent, redudatur, nesciam, quo alio sensu ingenuè possit explicari. Secundò, quia majus illud bonorum Angelorum adjutorium non fuit illis datum post malorum ruinam, sed ut pervenirent ad terminum. Quare ibi clarissime dicto cap.9. affirmat, bonam Angelorum voluntatem esse opus Dei: *Et istam, inquit ille, quis fecerat nisi ille, qui eos cum bona voluntate, id est amore casto, quo illi adhaerent, creavit, simul in eis & condens naturam, & largiens gratiam?* Et clarius illis verbis: *Si non potuerunt se ipsos facere meliores, quam eos ille fecerat, profecto & bonam voluntatem, qua meliores essent, nisi operante adjutorio Creatoris, habere non possent*. Et cap.17. loquens de primo Parente: *Sic erat institutus, ut si de adjutorio Dei fideret, bonus homo malum Angelum vinceret, & ipsum fidere de adjutorio Dei non quidem posset sine adjutorio Dei*. Quæ verba si attentè considerentur, ægrè permittunt, immò plenè remonent datam interpretationem.

15. Secundum testimonium desumitur ex eodem Augustino lib. 11. de Civit. Dei cap.19. dicente: *Si cum lux illa prima facta est, Angeli creati intelliguntur, & inter Sanctos Angelos, & immundos fuisse discretum, ubi dictum est: & divisit Deus inter lucem, & tenebras, & vocavit Deus lucem diem, & tenebras vocavit noctem; solus quippè ille ista discernere potuit, qui potuit etiam prius, quam caderent, præscire casuros, & lumine privatos veritatis in tenebrosa superbia remansuros*. Et statim post pauca: *Inter illam verò lucem, qua sancta societas Angelorum est illustratione veritatis intelligibiliter fulgens, & ei contrarias tenebras, id est, malorum Angelorum averforum à luce justitiæ terribilissimas mentes, ipse dividere potuit: cui etiam futurum non naturæ, sed voluntatis malum occultum, aut incertum esse non potuit*. Ex quibus efficax concluditur argumentum, quòd si in statu innocentiae non fuit adjutorium efficax, discretio in Angelis fuerit ex ipsis, & non ex Deo, cum discretio refundi non possit in gratiam versatilem, ut probatum relinquimus dub.1. hujus præsentis disputationis: cum tamen locus ex Scriptura Sacra habeat: *Divisit lucem à tenebris*; quomodo enim divisit, qui donis suis casuros à non casuris non segregavit? Numquid idem est *divisit*, ac propria voluntate se dividendos prævidit? Immo juxta litteram convenientissime intelliguntur spectantia ad Angelos non minus, quam ad homines, hæc Apostoli verba, *quis te discernit? Quid habes quod non accepisti?* Ut pertinere docent SS. Anselmus, & Augustinus. Ille lib. de casu Diaboli cap.1. querenti Discipulo, *an illud Apostoli quid*

habes quod non accepisti, hominibus tantum dicitur, an & Angelis? Respondet: *nulla creatura habet aliquid à se. Quod enim se ipsum à se non habet, quomodo habet à se aliquid?* Ex quo arguit cap.2. Angelos perseverasse, quia acceperunt perseverantiam; & ideo accepisse, quia fuit ipsis à Deo concessa. S. etiam Augustinus lib.11. de Gen. ad litt. cap.8. n.10. ait, omnem creaturam non nisi in Domino posse, & debere gloriari: *Cum cognoscit non suum, sed illius esse, non solum ut sit, verum etiam ut non nisi ab alio bene sibi sit, à quo habet, ut sit*. Et Enarrat. in Psal. 70. serm.2. n.5. *Ne putes, inquit, hominem solum pertinere ad gratiam Dei. Quid erat Angelus antequam fieret? Quid est Angelus, si deserat, qui creavit*. Quibus verbis luculenter explicat discretionem etiam in Angelis ex Deo esse: & hanc expressius affirmat tract.85, in Joann. dicendo: *Ab ipso, quicquid boni est, donatur: ergo quia & hoc bonum est, ab ipso utique donatur; ut sciatur à quo bonum omne donetur, ut omnino de omnibus bonis, qui gloriatur, in Domino gloriatur*.

16. Hoc magis firmatur ex lib. 8. de Genes. ad litter. cap. 12., in quo probat Augustinus, nihil boni hominem posse agere bene ex se ipso; & quòd totæ ejus actio bona est converti ad eum, à quo factus est, & ab eo justus, pius, sapiens, beatusque semper fieri: nam Dei præsentia justificatur, & illuminatur, & beatificatur, operante, & custodiente Deo, dum obedienti, subiectoque dominatur. Ille itaque operatur hominem bonum, atque custodit, qui incommutabiliter bonus est. Quod commendat ex illo Apostoli ad Ephes. 2. *Gratia enim, inquit, salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipsi enim sumus figmentum creati in Christo Jesu in operibus bonis, qua præparavit Deus, ut in illis ambulemus*. Quod explicans Augustinus, ait: *Ipsi enim sumus figmentum, non tantum ad hoc, ut homines simus, sed ad hoc etiam, ut boni simus*. Hoc secundò probat ex 2. ad Philipp. *Cum timore, & tremore vestram ipsorum salutem operamini: & ne sibi putarent tribuendum, tanquam ipsi se facerent bonos, & justos, continuo subjecit, Deus enim est, qui operatur in vobis: quod immediatè S. P. de primo homine intelligendum esse declarat. Sumpsit ergo Dominus Deus hominem, quem fecit, & posuit eum in Paradiso operari eum, hoc est, operari in eo, & custodire eum*. Ergo si ex istis Apostoli testimoniis tories infert Augustinus efficacem gratiam in statu naturæ corruptæ dantem velle, atque perficere, eandem satis probat, dum in statu innocentiae, Deum esse in Adamo innocente operatum, statuit.

17. At quia in hoc maxime fidunt Adversarii, quòd S. Augustinus necessitatem adjutorii quo, seu gratiæ ab intrinseco efficacis, solum in præsentis statu repetit ex noxia,

concupiscentia, & ex corruptione, & infirmitate naturæ per peccatum vitiatæ, ut cognoscatur, quantum distat à mente S. Doctoris hæc interpretatio, quæ evadere credunt difficultatem subjectam, audiendus lib. 3. de Trinit. cap.4. *Deus, inquit, se quibusdam ordinatissimis creaturæ motibus, primò spiritualibus, deinde corporalibus per cuncta diffundit, & utitur omnibus ad incommutabile arbitrium sententiæ suæ, sive incorporeis, sive corporeis rebus, sive rationalibus, sive irrationalibus spiritibus, sive per ejus gratiam, sive malis per propriam voluntatem. Sed quemadmodum corpora crassiora, & inferiora per subtiliora, & potentiora quodam ordine reguntur; ita omnia corpora per spiritum vitæ, & spiritus vitæ irrationalis per spiritum vitæ rationalem, & spiritus vitæ rationalis deservit, atque peccator per spiritum vitæ rationalem pius, & justus, & ille per ipsum Deum: ac si universa creatura per Creatorem suum, ex quo, & per quem, & in quo etiam condita, & instituta est. Ac per hoc voluntas Dei est prima, & summa causa omnium corporalium specierum, atque motionum*. En Augustinus Philosophum agens, & quam nobis vitio vertit Jansenius, causam apertè tradens. Id ipsum mirum in modum expressit S. Pater in Psal. 32. conc.2. dicens: *Nec ipsi Cæli firmitatem sibi propriam præstiterunt: verbo Domini Cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum, non habuerunt aliquid ex se, & tanquam supplementum à Domino perceperunt: spiritu enim oris ejus non pars, sed omnis virtus eorum*. Idemque intelligere videtur in Psal. 70. loquens de Angelis bonis: *In altis Cæli sunt, in altis Angeli sunt. Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates, tibi debent, quod sunt, tibi debent, quod vivunt, tibi debent, quod justè vivunt, tibi debent, quod Beati vivunt: in quibus hæc duo, tibi debent, quod sunt, tibi debent, quod justè vivunt, ita conjungit Augustinus, ac si à se disjungi minimè possent*. In quo semper est constans, ut legitur in epist. 95. ad Innocentium Papam: *Attendamus ergo gratiam Dei, non solum quæ fecit nos, verum etiam quæ refecit. Cui ergo debemus, quia sumus, illi debemus, quia & justificati sumus*. Cujus sensus, ni plurimum fallor, est, idem esse principium naturæ liberæ, ac actionum, quibus ipsa perficitur; harumque ideo principium esse, quia principium est illius. Quæ universalis conceptio, quis non videat, omnem rerum statum comprehendere? siquidem titulo inuitur conditoris.

18. Hanc etiam efficacis gratiæ necessitatem arguit ex subordinatione Deo omnis creaturæ spiritualis, & corporalis, & ex efficacia voluntatis Dei omnipotentis, qui gratiæ suæ voluntatem movet, & applicat, & vi suâ efficit, ut operetur. Hoc clarissime exprimit S. Augustinus de grat. & liber. arbit. cap.20. dicens: *Quæ Scriptura Divina, si diligenter inspicatur, ostendit, non solum bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, & à se*

factas bonas, in actus bonos, & in aeternam dirigunt vitam: verum etiam illas, quae conservant saeculi creaturam, ita esse in Dei potestate, ut eas quod voluerit, quando voluerit, faciat inclinare. Et eadem perspicuitate loquitur lib. 83. qq. q. 21. omnium, quae sunt, auctor est Deus, quia in quantum sunt, bona sunt. Et de liber. arbitr. cap. 21. Agit Omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat quidquid agere voluerit, qui omnino injuste aliquid velle non novit. Quod tandem efficacius deducitur ex argumento, quod sibi proponit Augustinus lib. 11. de Genes. ad litt. cap. 10. ex quo sane assertio nostra robor suum validissimum accipit; dicit enim: Sed posset, inquit, etiam ipsorum voluntatem in bonum convertere, quoniam Omnipotens est. Posset planè. Cur ergo non fecit? Quia noluit. Cur noluerit; penes ipsum est. Debemus enim non plus sapere, quam oportet sapere. Non recurrit Augustinus ad hoc, quod perseverare, vel non perseverare commissum, & relatum erat libero arbitrio, quo sane facillima esset argumenti responsio; sed ad altissima Dei judicia recurrit: cur uni gratiam dantem velle tribuat, & non alteri tribuat? Altitudo est Divinae Sapientiae, & inscrutabilis Divinorum Judiciorum abyssus. Num inscrutabilis ista Sapientia ante primum lapsum locum non habuit? An sine illa permissum fuit, quod evenit, aut vitari à Deo non potuit casus Angelorum, aut hominum per gratiam adjutoria? Quid alienius à mente Augustini?

19. Ex his omnibus luce meridiana clarius efficitur, sentire Augustinum, Angelos opus habuisse Divina actuali efficaci gratia, quae ipsos ad bonum certissime, & infallibiliter determinaret; & hujus auxilii necessitatem non unice repetere ex infirmitate, & corruptione naturae lapsae, sed ex creaturae Deo subordinatione, ut ratiocinio facto efficaciter evincere conatur. Hic in subsidium vocari possent plurima Angelici Praeceptoris testimonia dilucide admodum, & ferè ineluctabiliter, hanc esse Augustini mentem attestantia, sed pro clariori dicendorum luce hæc ad solutionem argumentorum producenda, & adamussim ponderanda relinquimus; quæ si hic iterum pertractarentur, in magnam sermonis prolixitatem pergeret praesens discursus. Solum super hoc Magistri sententiarum judicium exprimo. Hic lib. 2. dist. 29. art. 1. inquit, *Utrum homo ante peccatum egerit gratia operante, & cooperante?* Cui dubio innixus auctoritati Augustini respondet sequentibus verbis: *Ad quod breviter dicimus, quod non cooperante tantum, sed etiam operante gratia indigebat; non quidem secundum omnem operandi modum operantis gratia: operatur enim liberando, & preparando voluntatem hominis ad bonum. Egebat itaque homo eâ, non ut liberaret voluntatem suam, quæ peccati serva non fuerat; sed ut prepararet ad volendum efficaciter bonum, quod per se non poterat; non-*

enim poterat bonum merevi sine gratia, ut Augustinus in Enchirid. evidenter tradit. Quare ita concludit: *Ex his satis ostenditur, quod ante peccatum homo indigebat gratia operante, & cooperante: non enim habebat quo pedem movere posset sine gratia operantis, & cooperantis auxilio, habuit tamen, quo poterat stare.* Quæ verba omnem dubitationem remouent, & ipsis aperte refutatur intelligentia illorum, qui mentem Augustini detorquere ad sensum alienum avidissime quærunt.

20. Tandem efficacissime insisto, quia falsum penitus est, quod omnis gratia ab intrinseco efficax sit medicinalis. Constat in Christo Domino, in quo fuit tota perfectio justitiæ originalis, qui tamen efficaciter, indeclinabiliter, & insuperabiliter agebatur, ut legitur Lucæ 4. Quod & fulcitur mira, & opportuna Angelici Praeceptoris doctrina 3. p. q. 18. art. 1. ad 1. dicentis: *Quidquid fuit in humana natura Christi Domini movebatur nutu voluntatis Divinae: non tamen sequitur, quod in Christo non fuerit motus voluntatis proprius naturae humanae, quia & aliorum Sanctorum piæ voluntates moventur secundum voluntatem Dei, qui operatur in eis velle, & perficere, ut dicitur ad Philipp. 2. Licet enim voluntas non possit interius moveri ab aliqua creatura, interius tamen movetur à Deo, ut in prima parte dictum est. Et sic etiam Christus secundum voluntatem humanam sequebatur voluntatem Divinam, secundum illud Psal. 39. ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui. Unde Augustinus dicit contra Maximinum lib. 3. cap. 19. ubi dixit, filius Patri, non quod ego volo, sed quod tu vis, quid te adjuvat quod tua verba subjungis, & dicis, ostendit vere suam voluntatem subjunctam suo genitori, quasi non negemus hominis voluntatem voluntati Dei debere esse subjunctam. Si ergo fuit in Christo adjutorium adjuvans, movens, & efficaciter illius voluntatem voluntati Divinae subjiciens, et si in ipso fuerit plenitudo gratiae in summo, & quoad omnes suos effectus, ut eleganter probat D. Thomas 3. p. q. 7. art. 7. ad 1., cur & auxilium hoc non dabitur in statu illo felicissimo naturae innocentis, quamvis in ipso fuerit dominans ratio appetitui inferiori concupiscibili, & irascibili?*

21. Secundò rejicienda venit positio Jansenii eisdem efficacissimis argumentis, quæ supra non levi brachio attigimus statuentes gratiam ab intrinseco efficacem; nec non impugnanda omnibus illis inconvenientibus, quibus auctor Hexaplorum tom. 3. pag. 8. & sequentibus, & maxime à pag. 63. ad 79., & iterum à pag. 107. ad 145., quàm frequentissime gratiam in statu naturae corruptæ versatilem redarguit: quæ omnia momenta ibi stabilita ad occupandam, penitusque evendendam opinionem Jansenii sufficiunt adversus ipsam retorsisse, cum æqualiter impugnet gratiam versatilem in statu innocentiae. Non sane hæc intrinseca efficacia repugnat gratiae in statu naturae innocentis, cum nec minus

potens fuerit ipse Deus in statu naturae innocentis, quàm in praesenti. Utrobique est eadem Dei voluntas, virtus, & potentia potens ad se convertere voluntates, & in eis operari. Aequè repugnat, quod instrumentum Dei, qualis est gratia, in illo statu suo effectu privari possit. An voluntas creata in statu innocentiae superior esse, & gratiae dominari potest? An gratia voluntatis arbitrio subjici, ut ab illo pendeat, & suum assequatur effectum? Absit hoc. Gratia ab uno Deo Auctore, ac largitore dependet. A voluntate non determinatur; sed determinationem non facit voluntas, sed sequitur. Vana ergo est illa Jansenii positio, qui tortuosam, ambiguumque arripuit viam, ut recederet à mente Divi Augustini, quæ tot evidentibus, & efficacissimis argumentis legitur comprobata.

§. III.

Solvitur difficultatis nodus, qui à contrarium sentientibus argumenti loco accipitur.

22. **O**bjicies potissimum, & principalis sententiae oppositæ argumentum; illud nimirum, quod ut difficultatis rationem, & controversiae motivum supra num. 5. & 6. proposuimus; quodque, sive illa eadem, sive similia Augustini verba denuò referentes, opportunè instaurabimus, ut doctrinam perspicua magis fiat, & sensus S. Doctōris evidentior appareat. Igitur juxta Parentis Augustini verba videtur gratiam efficacem primo homini in innocentis naturae statu minimè necessariam ad perseverandum, cum lib. de corrept. & grat. hominem innocentem ab homine lapso distinxerit Augustinus, quod ille auxilio sine quo non, hoc est sufficienti solum instructus, integram perseverandi facultatem in libero arbitrio relictam haberet, cum contra homo originali vulnere sauciatus, efficaci ad perseverandum auxilio egeat, quo Deus in illo operetur & velle; nec solum perseverandi potentiam, sed ipsam perseverantiam tribuat. Hoc probant ex cap. 11. & 12. Etenim Capitulum 11. ita incipit. *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Immo verò habuit magnam, sed dispavem. Ille in bonis erat, quæ bonitate sui Conditoris acceperat, nec enim ea bona, & ille suis meritis comparaverat, in quibus nullum patiebatur malum. Sancti verò in hac vita, ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum: libera nos à malo... ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti, cum dicunt: video aliam legem in membris meis.* Ac deinde: *ille nulla tali rixa à se ipso adversus se ipsum tentatus, atque turbatus, in illo Beatitudinis loco sua secum pace fruebatur. Proinde etsi non invenim leviore nunc, verumtamen potentiore indigent isti.* En ubi D. Augustinus primum, &

essentiale utriusque status discrimen proponit, quod Adam in illo statu non opus habebat eo adjutorio, quod implorant Sancti, cum dicunt, *video aliam legem in membris meis; sed hoc adjutorium, ut supra diximus, est gratia ab intrinseco efficax: ergo ista non erat pro statu illo requisita.*

23. Secundò ex cap. 12. ubi duplex illud genus adjutorii distinguit, sine quo aliquid non fit, & quo aliquid fit. Etenim constitutâ illâ distinctione ita ea auxilia distribuit: *Primo itaque homini, inquit... datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret, ut perseveraret; sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in Regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur: non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint; verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint. Cur verò ita necesse sit? Rationem ferè statim his verbis subjungit: Major quippe libertas, gratiaque necessaria est adversus tot, & tantas tentationes, quæ in Paradiso non fuerunt, dono perseverantiæ munita, atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus: hoc Sanctorum martyria docuerunt. Denique ille Adam terrente nullo; & insuper contra Dei terrentis imperium, libero usus arbitrio, non stetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi futilitate: isti autem, non dico, terrente mundo, sed sevientem, ne starent, steterunt in fide. Ac demum cum fusè profecutus fuisset hoc inter utrumque naturae statum discrimen, in quorum altero possibilitas, in altero voluntas ipsa perseverandi datur; tandem ita habet S. Doctor: *Tantum quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum; ut ideo possint, quia sic volunt; ideo sic volunt, quia Deus operatur, ut velint. Nam si in tanta infirmitate vitæ hujus... ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent, si vellet, nec Deus in eis operaretur, ut vellet; inter tot, & tantas tentationes, infirmitate sua voluntas ipsa succumberet; & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellet; aut non ita vellet infirmitate voluntatis, ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut Divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur: & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua frangeretur.* En iterum ubi D. Augustinus solum illud adjutorium homini in statu innocentiae datum fatetur, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset: sed adjutorium quo ut distinctum ab adjutorio sine quo, vel gratia ab intrinseco efficax ab statu innocentiae penitus eliminari debet.*

24. Hæc est omnis Adversariorum argumen-

mentatio, cui ut satisfaciat Estius in 1. dist. 41. §. 14. auctoritatem D. Augustini explicare aggressus, principia D. Thomæ advocat, quibus dumtaxat hæc, quæ superficie tenus in Augustino invicem opponi videntur, conciliari posse arbitratur, dicens: *Et sanè nisi hæc à S. Thoma insinuatam intelligentiam verborum Augustini recipiamus, difficillimum erit, ac ne possibile quidem Augustinum sibi ipsi conciliare: id est ostendere, quemadmodum ea, quæ objecta sunt, scilicet ex lib. de corrept. & grat. non contrarietur eis, quæ prius in diversum ex eodem Augustino fuerunt allata, præsertim ex lib. 12. de civit. cap. 9.* Ac tandem eum conciliandi modum ex D. Thoma adhibitum omninò usurpandum esse, inquit; *Ea vel ipsa ratione, quia apud D. Thomam in huiusmodi rebus exactissimum Doctorem, expressior reperitur: maxime propter rationes in eam partem gravissimas, & ut nobis videtur insolubiles, & clarè in Scriptura fundatas.* Hactenus Estius.

25. Audi ergo primò D. Thomam dilucidè utriusque status diversitatem explicantem, antequam ipsum ex ore Augustini loquentem proponamus. Sic namque habet 1. 2. q. 109. art. 2. *Respondeo dicendum, quòd natura hominis potest dupliciter considerari. Uno modo in sui integritate, sicuti fuit in primo Parente ante peccatum. Alio modo secundum quòd est corrupta in nobis post peccatum primi Parentis: secundum autem utrumque statum natura humana indiget auxilio Divino ad faciendum, vel volendum quòcumque bonum, sicut primo movente, ut dictum est. Sed in statu naturæ integræ, quantum ad sufficientiam operativæ virtutis, poterat homo per sua naturalia velle, & operari bonum suæ naturæ proportionatum, quale est bonum virtutis acquisitæ, non autem bonum superexcedens; quale est bonum virtutis infusæ. Sed in statu naturæ corruptæ etiam deficit homo ad hoc, quòd secundum suam naturam potest, ut non possit totum huiusmodi bonum implere per sua naturalia. Quia tamen natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturæ privetur, potest quidem etiam in statu naturæ corruptæ per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere, sicut edificare Domo, plantare Vineas, & alia huiusmodi, non tamen totum bonum sibi connaturale, ita quòd in nullo deficiat: sicuti homo infirmus potest per se ipsum aliquem motum habere, non tamen perfectè potest moveri motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicina. Sic igitur virtute gratuita superaddita virtuti naturæ indiget homo in statu naturæ integræ quantum ad unum, id est ad operandum, & volendum bonum supernaturale: sed in statu naturæ corruptæ quantum ad duo, scilicet ut sanetur, & ulterius, ut bonum supernaturalis virtutis operetur, quòd est meritum. Ulterius autem in utroque statu indiget homo auxilio Divino, ut ab ipso moveatur ad benè agendum.* En ubi D. Thomas tam hominibus sanis, quàm lapsis adiutorium adjuvans, & præmovens necessarium agnoscit,

licet lapsis non dumtaxat adjuvans, sed sanis, & adjuvans apertè declaret.

26. Ipsum ex ore Augustini loquentem modo audiamus; ibi art. 10. ad 3. *Dicendum quòd sicut Augustinus dicit in lib. de natur. & grat., homo in primo statu accepit donum, per quòd perseverare posset, non autem accepit, ut perseveraret: nunc autem per gratiam Christi multi accipiunt, & donum gratiæ, quo perseverare possunt, & ulterius eis datur, quòd perseverent; & sic donum Christi est majus, quàm delictum Adæ. Et tamen facilis homo per gratiæ donum perseverare poterat in statu innocentie, in quo nulla erat rebellio carnis ad spiritum, quàm nunc possumus, quando reparatio gratiæ Christi, etsi sit inchoata quantum ad mentem, nondum tamen est consummata quantum ad carnem, quòd erit in patria, ubi homo non solum perseverare poterit, sed etiam peccare non poterit.* Et 2. 2. q. 137. ar. 4. cum sibi secundum proposuisset argumentum: *Donum gratiæ Christi est majus, quàm nocumentum, quòd Adam intulit, ut patet ad Rom. 5., sed ante peccatum sic conditus fuit homo, ut posset perseverare per id, quòd acceperat, sicuti Augustinus dicit in lib. de corrept. & grat. ergo multò magis homo per gratiam Christi reparatus, potest perseverare absque auxilio novæ gratiæ.* Sic respondet, dicendum, quòd sicuti Augustinus dicit in lib. de corrept. & grat. primo homini datum est, non ut perseveraret, sed ut perseverare posset per liberum arbitrium, quia nulla corruptio tunc erat in humana natura, quæ perseverandi difficultatem præberet. Sed nunc prædestinatis per gratiam Christi, non solum datur, ut perseverare possint, sed ut perseverent. Unde primus homo, nullo terrente, contra Dei terrentis imperium, libero usus arbitrio, non stetit in tanta felicitate, cum tanta non peccandi facilitate: isti autem serviente mundo, ne starent, steterunt in fide. Atque eodem iterum sensu q. 27. de verit. art. 5. ca. D. Augustini verba, quæ omne alterum adiutorium præter sufficiens excludere videri possent, explicat. Cum enim probandum suscepisset, præter gratiam gratum facientem alteram gratiam requiri; objicit sibi, *Quòd homo in statu naturæ integræ potuit stare per se, in eo, quòd acceperat, ut dicitur dist. 24. secundi libri: non ergo necesse est, alteram gratiam admitti.* Respondet, quòd quantumcumque homo habeat habitum gratiæ, semper tamen indiget Divina operatione, quæ in nobis operatur modis prædictis; operando scilicet, & cooperando, & hoc propter infirmitatem nostræ naturæ, & multitudinem impedimentorum; quæ quidem non erant in statu naturæ conditæ: unde magis tunc poterat homo stare per se ipsum, quàm nunc possint habentes gratiam; non quidem propter defectum gratiæ, sed propter infirmitatem naturæ, quamvis etiam tunc indigerent Divina providentia eos dirigente, & adjuvante. Hæc est germana Augustini explicatio, relicta ambiguitatibus, & cavillationibus, & cæteris acuminis irriti ludicris. Hanc absolutissimam hu-

huius quæstionis resolutionem præbet Angelicus Magister, qui universalissimum illud principium statuit, quòd in utroque statu necessaria est gratia se ipsa efficax, quia nempe voluntas Dei est prima, & summa causa omnium motionum. Hoc totius contextus objecti capitis clamat, sicut quòd dicit S. Augustinus cap. 9. antecedenti; *Conferendum est cum debita laude Creatoris, non ad solos Sanctos homines pertinere, verum etiam de Sanctis Angelis posse dici, quòd charitas Dei diffusa est in eis per Spiritum Sanctum, qui datus est eis, nec tantum hominum, sed primitus, præcipueque Angelorum bonum esse, quòd scriptum est, mihi autem adherere Deo bonum est.* Ubi loquitur de gratia actuali, qua ipsi Sancti Angeli perseveraverunt. Inquirebat enim eo capite, *An Sancti Angeli, quem habent Creatorem naturæ, eundem habeant bonæ voluntatis auctorem per Spiritum Sanctum in eis charitate diffusa?* Vocans voluntatem ipsum actum voluntatis: dixerat enim prius, *sine bona voluntate, hoc est, Dei amore nusquam Sanctos Angelos fuisse credendum est.* Et in hoc cap. 11. *Dedit Deus homini primo bonam voluntatem, in ea quippe eum fecerat, qui fecerat rectum: cum ergo charitas, amor castus, seu bona voluntas nec largiatur, nec donetur per adiutorium præcisè sine quo, quòd in Angelis peccantibus fuit, aliàs non peccarent, dum mali facti sunt; negari nequit, quòd in Angelis Sanctis juxta D. Augustinum fuit adiutorium quo; cum hoc tamen quantum ad humanam naturam discrimine in utroque statu, quòd potentior est gratia exacta pro hoc statu ex genere, quàm in statu sanitatis: nam ut in principio huius capitis asserit ipse: *Proinde & si non interim latiore nunc, verum tamen potentiore gratia indigent isti (id est homines lapsi) quia in lapsu caro concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem; Adamus vero nullà tali vixit in se ipso adversus se ipsum turbatus, sua secum pace fruebatur.* Ex quo tamen inferri nequit, quòd gratia sanitatis non sit intrinsicè efficax, velut in lapsu: sicut apud plerosque Adversarios non inferitur ex hoc antecedenti, gratia sanitatis est potentior, & fortior: ergo in statu lapsus non est intrinsicè efficax, sicut in statu naturæ integræ: quia in utroque statu etsi gratia sit intrinsicè efficax, æqualitas, vel inæqualitas non desumitur ex efficacia, utcumque, sed quia majoris activitatis, novas vires afferens, robur novum, fortitudinem novam adjiciens, ut ex Augustino viderimus.*

27. Redeundo verò ad argumentum, quòd modò prosequimur, M. Contenson tom. 3. lib. 8. disert. 1. cap. 2. spec. 2. asserit, S. Augustinum eo in cap. comparasse gratiam per se ad utrumque statum sanitatis, & infirmitatis ex propriis eorum meritis necessariam, hocque in sensu verum dixisse S. Augustinum, quòd licet homo lapsus ob concupiscentiæ pugnam indigeat invictissimo adju-

torio quo, ne infirmitate sua voluntas succumbat; homo autem sanus tali adiutorio per se non indigebat, sed ex vi illius status gratiam dumtaxat sufficientem exigebat, qua stante cum solo concursu generali (qui utrum esset prævius, vel simultaneus non disputat ibi Augustinus, vel à se traditum supponit, vel ut Philosophicum, & ad satisfaciendum propositæ difficultati iutile prætermittit,) poterat perseverare eadem facilitate, quæ poterat ambulare; quia sicut facultatem progressivam sanam, & incolumem in creatione à Deo acceperat, ita & voluntatem Deo adherentem robustam virtutibus omnibus, & viribus ad operandum in ordine supernaturali instructissimam fortitus erat.

28. Hunc dicendi modum Jansenismi vitio vertit P. Thyrsio tom. 3. disp. 5. sect. 5. dicens: *Vincentius Contenson cum Lovaniensibus sentit, cujus sententia impugnatur.* Incunstanterque asserit: *Abque dubio hac in parte jansenizare, & à Jansenio non recedere.* Sed sapientissimum istum Magistrum à tali imposta vindicare minimè nostrum esse duximus, ne affectionis vitium quis opponat. Audiant Illustrissimum Doctorem Castell disp. 3. q. 4. sect. 7. n. 1192. tanti Magistri mentem propugnantem, & se defensorem, & vindicem ostendentem sequentibus verbis, quæ ad verbum transcribere placuit. *Cur ita censet? (loquitur de P. Thyrsio) Nescio: quia æquè hic doctissimus Scriptor distat à Jansenio, quàm quòd maxime. Nec licet affirmaret Contenson (à quo distat, ut jam expono) in statu sanitatis non exigi gratiam ex se efficacem, & exigi in statu lapsus, Jansenismi notam incurreret; nec Illustr. Doctor D. Michael Perez Scholasticus, & Canonicus mæ Magistralis Ecclesiæ, qui ejusdem Abbas, & Cancellarius Universitatis electus desiderium sui relinquit, justè tam acri premeretur censura; licet differentiam statuum ita exponeret in suis manuscriptis jam prælo paratis (quæ non vidi) ut refert R. Thyrsio. Qui enim in statu innocentie defenderet auxilia solum intrinsicè indifferentia, sicut Patres Societatis, quin concederet inconvenientia erroris Pelagii, & Baii eo in statu, quæ colligi ex ea doctrina intendunt Thomistæ, & negant colligi P. Societatis, & quæ ineptè, & audaciter Jansenius concessit; nihil eo in statu ab Ecclesia damnatum defenderet. Similiter si in statu lapsus defenderet auxilia intrinsicè efficacia, sicut Thomistæ, quin admitteret inconvenientia erroris Calviniani eo in statu, quæ colligi ex ea doctrinâ intendunt PP. Societatis, negant colligi Thomistæ, & hæreticè Jansenius concessit, nihil ab Ecclesia damnatum sustineret: sed utriusque sententiæ argumentis premeretur, telo superaddito ex comparatione unius status ad alterum, cum in differentia statuum talis auxiliorum diversitas fundari minimè possit. Nec liber quidam à Supremo Hispaniarum fidei consilio justissima censura proscriptus, damnationem meruit, quia (licet in utroque statu prædeterminationem agnosce-*

vet) in statu integritatis negavit gratiam intrinsecè efficacem, quam admisit in statu lapsus ad sanandam naturæ egritudinem; sed prohibitus fuit, quia in statu integritatis ex negata gratiæ intrinseca efficacia, in errores Bajanos cecidit; & in statu lapsus, quia gratiam intrinsecè efficacem per modum virtutis exactæ ad posse sustinuit, in errores Jansenianos tandem incidit. Sed Doctus Dominicanus Contenson à Jansenio summe recedit, cum nec diversitatem statuum inferre in uno gratiam intrinsecè efficacem, & non in alio, sentiat: solum enim, ait, in statu integritatis esse necessariam gratiam ex se efficacem ex divinæ scientiæ, & voluntatis causalitate, ex omnipotentissima potestate, & supremo Dei dominio in causas liberas, & ex scientiæ mediæ impossibilitate. In statu verò lapsus esse exactam gratiam, ita efficacem novo etiam titulo, quo non exigebatur in statu integro, ex infirmitate scilicet naturæ per peccatum originale contracta, qualiter vitæ medicinali vi efficacia gratiæ constituitur. Undè summa solutionis prædicti Auctoris sistit in hac conditionali: si per possibile, vel impossibile non esset auxilium illud quo, seu efficax necessarium ratione subordinationis, illud integritas primi hominis minimè desideraret, & tamen eo egeret homo infirmus, tamen ratione subordinationis causæ secundæ ad primam non exigetur: quid hic cum Jansenio comercii? Addit autem Thyrso: Vincentii Contenson sententia difficilior est, quàm sententia Prædeterminatorum; nam duplicem gratiam per se efficacem prærequirit in statu lapsus ad actum salutarem. Sed ubi asseruit Contenson in statu lapsus duplicem gratiam ex se efficacem esse necessariam? In ipso lego, in statu lapsus esse gratiam ex se efficacem exactam, & titulo subordinationis ad Deum, & titulo corruptionis naturæ: esse tamen exactam gratiam duplici ex titulo; undè est duplicem exigi gratiam?

19. Sic de vera M. Contenson intelligentia operosè, ac subtiliter loquitur noster Primarius Complutensis, cujus erudito iudicio amolienda est à sapientissimo isto Magistro gravior illa calumnia, ne hæc legentes simpliciores iterum putida commenta nobis ad stomachum parent. Afferit ergo, quòd in statu lapsus exacta est potentior gratia efficax novo etiam titulo, (quò non exigebatur in statu integro,) ex infirmitate naturæ per peccatum originale contracta. Hæc sententia communi eruditorum Thomistarum calculo firmari potest, qui unanimi consensu gratiam efficacem sanantem rebellionem appetitus agnoscunt, quorum aliquos referam. Ita Sapientissimus M. Bolivar tract. de grat. Dei dub. 8. §. 3. n. 36. dicens: Solum enim sequitur, hominem indigere in statu illo auxilio gratiæ Dei confortantis debilitatem naturæ, quòd in hoc statu est auxilium gratiæ sanantis, ut loquitur D. Thomas in fine corporis. M. Gonet tract. de Trinit. disp. 5. dub. 8. §. 6. Reginald. p. 2. cap. 30. & 31. Massoulie tom. 1. differt. 4. de grat. Adami q. 2. art. 10. Silvius

tom. 2. q. 109. art. 2. Et his novissimis diebus M. Fr. Jacobus Hyacinthus Serry vir in his materiis versatissimus in quæst. de gratia primi hominis, & Angelorum dilucidis utriusque S. Doctoris testimoniis totum id luculentissimè probans. Sed audire præstat M. Lemmos, qui objectam sibi difficultatem istam ita explanavit in Congregatione habita coram Paul. V. Pont. Max. die 22. Novembris anno 1605. Illud est, inquit, attentè considerandum, quòd D. Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 12. constituit differentiam inter hominem sanum, & Angelum cum gratia justificante, & inter hominem lapsum etiam cum eadem gratia justificante, in hoc, quòd Angelus, vel homo in illo primo statu, & ante peccatum habebat naturam integram in suis naturalibus, ita quòd non erat cum rebellionem carnis. Undè per gratiam justificantem talis erat, quòd ad perseverandum non indigebat aliquo alio auxilio gratiæ, dante efficaciores, vel majores vires voluntati. At verò cum justificatur in natura corrupta, quia habet rebellionem carnis, quæ non tollitur per gratiam justificantem, indiget homo, ut perseveret, auxilio dante majores, & efficaciores vires. Et ista doctrina est differentia, quam S. Augustinus in utroque statu constituit, non verò negat, hominem etiam in illo primo statu indiguisse divina motione movente, & applicante ipsum ad operandum. Quia ista generalis motio in omni statu etiam perfectissimo necessaria fuit ex essentiali subordinatione, quam habet causa secunda, ut moveatur à prima. Quòd aperte, tum alibi, tum expressè docet S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 1. ad 9. Ubi aperte docet, hominem in statu naturæ corruptæ indigere auxilio divino duplici ratione. Primò ratione generali, quia nulla creatura operatur sine motione divina, & secundò ratione speciali, quia est natura corrupta.

30. Hæc Thomistarum doctrina sanè D. Augustini sensui, atque sententiæ consona est, dum auxilium gratiæ in natura lapsa colatum vocat medicinale, Medici gratiam, adjutorium medicinæ Salvatoris, gratiam medicinalem, adjutorium Medici potentissimi, gratiam, qua sanatur per Medicum, quibus nominibus illud explicat de natur. & grat. cap. 24. cap. 39. 48. 53. 64. Et lib. de corrept. & grat. cap. 5. asserit, cum voluerit ad dolorem salubrem penitentiæ occultissima, & potentissima medicina sua potestate perducere: ut explicet, quomodo ex potentissima medicinæ divinæ potestate sanitas animæ oritur, cujus vim, ut libuerit, Deus dispensat: quare egregiè in Psal. 57. vers. 5. dixit: Divina hæc medicamenta sunt, non medicata, quæ scilicet non omnem ad integram sanitatem animæ conferendam vim habent. Medicamenta erant in Prophetis, medicamenta erant in lege, præcepta ipsa omnia medicamenta erant, & hoc medicamentum nondum erat medicatum. Adventu Domini medicamentum est medicatum. Quibus verbis præter sufficientia auxilia, alia, & majora, & effi-

ca-

caiora medicamenta agnoscit, quibus Deus alios efficacius, alios minus efficaciter moveat, ut aliquando dixit S. Thomas q. 1. de potent. art. 2. Sic majorem gratiam medicinalem requirit in statu lapsus Augustinus, quàm in statu naturæ integræ, ut benè agendi subministrarent vires, ut novum robur addatur voluntati debilitatæ, sauciata, vulneratæ, & ut re ipsa salutariter operetur: non quòd nos, aut Augustinus, quem sequimur, vires sine gratia efficaci in voluntate non agnoverimus, cujus oppositum toties diximus; sed quòd sine gratiâ efficaci, vires quantumvis sufficientissimæ, non tamen sunt efficacissimæ. Hoc non verbis quidem eisdem, sed sensu eodem, dixit D. Ambrosius in Luc. Medicamenta multa habet Medicus vaster, ut ostenderet, quòd huiusmodi gratia restituit quodammodo homini sanitatem illam, quam per peccatum amisit. Et D. Bernardus lib. de grat. & liber. arbit. dum dicit: Gratia excitat liberum arbitrium, cam seminat cogitatum; sanat, cum immutat affectum; roborat, ut perducatur ad actum, quibus verbis explicat novum potestatis gradum, quem confert gratia efficax in statu naturæ corruptæ, dum novas vires adjicit, quibus potentia completissima, plenissima, perfectissima, actuique proxima, atque conjuncta redditur.

31. His positis, non est argumentatio, aut præcipue difficultatis ratio eò usque difficilis, ut non facillimè dilui possit. Hoc enim est maximum discrimen inter auxilium efficax status innocentie, & auxilium efficax in statu naturæ corruptæ, quòd in statu innocentie solum applicabat voluntatem ad opus, non autem præbebat voluntati eas vires, quas ex perfecta subjectione appetitus inferioris ad rationem, & rationis ad Deum, homo tunc habebat: auxilium verò efficax in natura corrupta non solum applicat voluntatem, verum etiam præstat eidem vires per modum transeuntis, quas præstabat justitia originalis per modum permanentis, subjiciendo appetitum rationi, quantum ad illum actum, pro quo datur auxilium efficax, ad quam subjectionem, etiam post vires gratiæ sufficientis, est magna difficultas in natura corrupta, quæ non erat in integra, ut ad intentum istum notavit S. Thom. sup. citat. n. 26. Meritò ergo ad has vires respiciens Augustinus, quas homo habebat in statu illo felicissimo, dixit, non indiguisse illo adjutorio, quòd modò implorant Sancti, nempe gratia ab intrinseco efficaci sanante, dante novas vires, & fortitudinem novam adjiciente. Hoc namque fuit à S. Parente comparativè dictum, statuente utriusque status discrimen. Non tamen absolute negavit auxilium quo; nec produci usquam ullus poterit locus, in quo asserat, non indiguisse Adamum auxilio quo, ut perseveraret; vel quòd omnibus Angelis sufficienter gratia indifferens, quam efficacem libero arbitrio fecerint boni, & inefficacem suo dif-

ferenti reddiderint mali; sed semper ad majus efficax auxilium recurrit stantibus Angelis datum, & non cadentibus, ut expressè resolvit lib. 12. de Civit. Dei cap. 9. sequentibus verbis: Isti, qui cum boni creati essent, tamen mali sunt, mala propria voluntate, aut minorem acceperunt amoris divini gratiam, quàm illi, qui in eadem perseveraverunt; aut, si utriusque boni æqualiter creati sunt, illis mala voluntate cadentibus, isti amplius adjuti, ad eam beatitudinem pervenerunt, undè se nunquam casuros certissimi fuerunt. Sicut & consultissimè in statu lapsus potentior gratiam exigit, quàm in statu sanitatis in citato cap. 11. dicens: Proinde etsi non interim latiore nunc, verumtamen potentiore gratia indigent isti, id est lapsi; asserens S. Doctor principium hoc, quia in lapsis caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem; Adamus verò nulla tali vix in se ipso adversus se ipsum turbatus, sua secun- pace fruebatur. Ex quibus sufficienter respondetur ad primum ex cap. 11.

32. Quantum verò attinet ad secundum, quòd desumitur ex cap. 12. facilis est responsio, Adamo datum esse adjutorium perseverantiæ, non quo fieret, ut perseveraret; sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Quis hoc negat, aut in dubium vertit, cum non perseveraverit? At præsens controversia non est, an habuerit auxilium quo, seu efficax, sed an hoc adjutorio quo, seu efficaci egeret Adamus, ut re ipsa perseveraret, sicut & illud à Deo acceperunt Angeli boni, qui re ipsa perseveraverunt, de quo nihil D. Augustinus in objecto testimonio, sicut Augustinum fidelissimus ejus interpretes D. Thomas explicat 1. 2. q. 109. art. 10. ad 3. Quòd sicut Augustinus dicit in lib. de natur. & grat. scilicet cap. 44. & apertius lib. de corrept. & grat. cap. 12. homo in primo statu accepit donum, per quòd perseverare posset, non autem accepit, ut perseveraret. Nunc autem per gratiam Christi multi accipiunt, & donum gratiæ, quo perseverare possunt; & ulterius eis datur, quòd perseverent. Igitur facta comparatione inter eos, qui nunc perseverant vincendo repugnantiam carnis, & Adamum, non perseverantem, dicit, istum non accepisse adjutorium quo, illos verò accepisse.

33. At ne tantopere argumento isto triumphent Adversarii, quòd palmare, & invictum prædicant, paulatim in illius consideratione immoremur. Mirari enim satis non possum, quòd illo utatur P. Thyrso contra gratiam ab intrinseco efficacem. Nam si adjutorium, quòd implorant Sancti ad non peccandum, consistit juxta ipsum, & alios Societatis Auctores, in ipsa libera observatione præcepti, prout à Deo, vel in auxilio per scientiam mediam prævifo efficaci, ut volunt alii, manifestum est, opus habuisse Adamum illo ad perseverandum in bono. Quis enim non videat repugnantiam, quòd Adamus perseveraret in bono, quin Deus

conferret ipsi actualem perseverantiam, vel auxilium prævisum efficax ad perseverandum? Urget ergo fortiori titulo contra ipsos argumentum factum, quomodocumque constituitur ab ipsis auxilium quo. Uterius nescio, quomodo probabiliter juxta sua principia asserere possint, quòd auxilium quo necessarium ad perseverandum ex parte actus primi se teneat, cum juxta ipsos consistat in ipso velle, & in ipsa perseverantia prout à Deo, quæ actum secundum nominat. Similiter levitatis est plenum argumentum, quod utitur P. Thyrsio tom. 4. disp. 5. sect. 3. sic contra Thomistas insurgens: uberior, potentior, & fortior gratia exigitur ad perseverandum in statu lapsus, ac sanitatis, ut expressè asseruit Augustinus; sed si in eo statu esset exacta gratia intrinsecè efficax, seu prædeterminans, nequit verificari, gratiam lapsi esse robustiorem, & uberiorem: non enim est possibilis gratia robustior prædeterminante cum perseverantia essentialiter connexa, in quocumque subjecto, etsi gravissimè tentato, victoriam obtinente, & omnem rebellionem expugnante: ergo.

34. Futile est hoc argumentum; nam licet gratia ab intrinseco efficax logicè accepta sub munere moventis, applicantis, & determinantis in indivisibili consistat; ipsa tamen secundum suam speciem suscipit magis, & minus; cum eodem in ordine gratiarum per se efficacium una possit esse altera major, si ad nobiliores, difficilioreque actus ordinetur. Sic potentior fuit gratia, quæ Deus efficacissima, & invicta gratiæ suæ vi D. Paulum vocavit ad fidem, illà gratiã, quã, etsi efficaci, alios vocat ad poenitentiam, ut docet D. Thomas 1.2. q. 112. art. 2. dicens: *Quòd cum homo ad gratiam se preparare non possit, nisi Deo eum præveniente, & movente ad bonum, refert, utrum subito, vel paulatim aliquis ad perfectam preparationem perveniat. Dicitur enim Eccl. 11. Facile est in oculis Dei subito honestare pauperem. Contingit autem quandoque, quòd Deus movet hominem ad aliquid bonum, non tamen perfectum, & talis preparatio præcedit gratiam: sed quandoque statim perfectè movet ipsum ad bonum, & subito gratiam homo accipit, secundum illud Joann. 6. omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me. Et ita contigit Paulo, quia subito cum esset in progressu peccati, perfectè motum est cor ejus à Deo, audiendo, & addiscendo, & veniendo, & ideo subito est gratiam consecutus. Quam doctrinam approbat D. Thomas 2.2. q. 5. art. 2. Inefficax ergo est illa consequentia P. Thyrsi: gratia in statu lapsus est potentior, & fortior: ergo in integro, & sano non est intrinsecè efficax, sicut in lapsu. Ex eodem namque antecedenti posset similiter, etsi ineptè, contra ipsum deduci: ergo in statu lapsus non est solum extrinsecè efficax, sicut in integro. Sicut ergo responderet ipse, quòd gratia in utroque statu est extrinsecè efficax, & quòd*

inæqualitas non desumitur ab extrinseca efficacia, sed ex eo quòd est activior, fortior, seu vivacior, vel alterius, prout illi libeat, attributi, gratia, quæ redditur extrinsecè efficax in lapsu, eã quæ similiter redditur efficax in sano; ita & nos similiter dicimus, quòd si gratia efficax consideretur unice sub illo conceptu determinationis voluntatis ad bonum, verissimum est, non suscipere magis, & minus; attamen considerata ipsa secundum suam speciem, vel ex eo quòd est activior, fortior, vel quæ secundum spirituales quamdam suavitate, victricemque delectationem affert, quæ repugnantem carnalem delectationem vincit, ac superat, quò major, vel minor gratiæ vis, atque ejus effectus spiritualis delectatio, eò major, aut minor carnalis delectatio superatur, ac vincitur: undè hæc activior, fortiorque interdum est gratia, etsi semper sit intrinsecè efficax. Etenim gratiam efficacem suscipere magis, & minus, saltem quatenus actus, ad quem datur, modò est intensior, modò remissior, ut consonum principiis nostræ Scholæ expressè docet M. Lemos tom. 4. p. 2. tract. 4. cap. 10. & tanquam certum supponit Illustris. Alvarez de auxiliis disp. 5. n. 16. Undè M. Zumel tom. 3. variar. disp. in 1. p. & 1. 2. disp. 2. dub. 1. annexo, conclus. 1. optimè dicit: *Ex dictis colligere possumus, conversionem peccatoris eò esse majorem, quòd gratia, & efficax vocatio major est. Undè si Deus efficaciter vehementius nos vocat, eò efficit majorem conversionem. Hoc docet D. Ambrosius lib. 2. de vocat. gent. cap. 2. Ubi expressè tenet, quòd pro quantitate gratiæ est operatio, scilicet dispositio, vel meritum, vel dilectio, vel poenitentia, vel contritio. De qua re nos egimus 1.2. q. 112. art. 2. disp. 1. Hujusce rei ratio satis superque apparet ex jam dictis, & evidentiùs, ac certius concludetur ex modò dicendis.*

S. IV.

Quenam est illa major, & potentior gratia vires efficacissimas præbens, quam affirmat Augustinus necessariam in statu naturæ corruptæ?

35. **E**xpeditã primã quæstione, quòd homo in utroque statu, tam naturæ integræ, quàm corruptæ indigebat auxilio divino ab intrinseco efficaci ipsum ad faciendum, vel volendum quodcumque bonum, efficaciter movente, restat & alia explicanda quæstio, ex qua multum lucis ad argumentum, de quo agimus, elucidandum oriri posse videtur. Quenam sit illa major, & potentior gratia, quam desiderat Augustinus ad curandam infirmitatem ortam ex aversione à Deo ultimo sine? an nempè sufficientia auxilia inefficacia, & solum sufficientia ad vincendam difficultatem ortam ex carnis, & ap-

appetitus renisu, ac rebellionem adversus spiritum, & rationem; vel necessaria sint auxilia ab intrinseco efficacia? In quo sanè explicando calamum vellem habere eruditum, non qui huc, atque illuc feratur volubilitate opinandi, sed qui mentem disertissimè proponeret Augustini, à qua non licet Thomistas vel latum unguem discedere, cum ex hujus S. Doctoris intellectu, & doctrina æstimandum sit, quòd magis Sacris Litteris, Conciliis Œcumenicis, SS. PP. scriptis consonum reperitur. Hoc quippè si explicatum maneat, nihil est profectò, quòd amplius huic gravissimæ quæstioni explicandæ desideretur.

36. Illustris. Castell disp. 3. q. 4. sect. 7. n. 1224. affirmat, quòd hæc major activitas, & gratia potentior in lapsu non est auxilium quo, seu intrinsecè efficax, sed auxilium sine quo non, sufficiens, & libertatem constituens, & consequenter, quòd inæqualitas gratiarum non desumitur ex gratia movente, & determinante, sed ex ea, quæ confert virtutem sufficientem, & libertatem, quæ activior, fortior, & vivacior gratia est, quæ in lapsu conjungitur cum gratia intrinsecè efficaci; quàm ea, quæ similiter conjungitur in sano. Adhærent omnes Thomistæ, qui prædeterminationem ex parte actus secundi omnino se tenere contendunt, inter quos numerare possumus N. Eminentiss. S. R. E. Cardinalem Fr. Vincentium Ludovicum Gotti, communibus Sapientum votis verè sapientem, & secundioris ætatis nostræ eruditionis miraculum maximum, qui tam Catholice veritati semper intentus, contra errores decertans, quàm Theologicam Scholastico-Dogmaticam scribens, & Ecclesiæ dogmata lucida, & splendida facit, & Scholæ nostræ lucem, & splendorem affert. Hic ergo vir semper sibi similis, virtutisque & Religionis illustri splendore emicans eidem sententiæ solo vel sui nomine maximam ingerit æstimationem, q. 6. de scient. futur. condition. dub. 8. §. 3. à num. 25. licet Eminentissimus iste gratiam efficacem pro statu naturæ corruptæ sanantem agnoscat, sanantem, inquam, quantum ad carnem, ejus motus inordinatos comprimendo. Sunt & alii doctissimi Thomistæ, qui tenacius, & pressius menti D. Augustini adhærentes propugnant, auxilio ab intrinseco efficaci convenire vim illam efficacissimam, quæ non solum voluntatem humanam efficaciter moveat, sed quæ amissam malevalentis hominis sanitatem etiam curet, novasque vires, roburque novum super præcedentes imbecillas, ac infirmas adjiciat. Ita Estius lib. 2. dist. 25. dicens, quòd præter adjutorium utrique statui commune, quo nimirum indigebat tanquam operatione, primi moventis, & primæ causæ ad faciendum, aut volendum quodcumque bonum homo in statu naturæ corruptæ indigeat etiam auxilio gratiæ sanantis, erigentis, re-

parantis, & confortantis ipsum contra tentationum impetus, & illecebras, quas patitur à carne, & contra omnes pravas inclinationes, quas contraxit ex corruptione naturæ per peccatum. Tali enim auxilio primus homo idcirco non indiguit, quia natura ejus sana adhuc erat, & integra. *Non enim egent, qui sani sunt Medico, sed qui malè habent* Luc. 5. Eandem sententiam defendit Reginaldus p. 2. cap. 30. *Nulla alia excogitari potest differentia inter hujusmodi auxilia, nisi ea dumtaxat, quòd illud prius auxilium Angelorum, & hominis sani supponit vires; auxilium verò hominis lapsi illas confert: id est, quòd gratia Angelis, & homini in statu innocentie necessaria supponit utriusque voluntatem ex perfectissima ad Deum subjectione robustissimam; ita ut in homine partem inferiorem sub superiori subjectam contineat; gratia verò efficax homini lapsu ad operandum necessaria non supponit vires, sed illas confert, subjiciendo perfectè voluntatem ejus Deo, & partem inferiorem ipsi superiori.* Et p. 1. cap. 41. *falsum est, inquit, quòd gratia per se ipsam efficax, licet sit præveniens, se teneat ex parte actus primi, & potentia, in ratione potentie præcisè ut sic; quia non dat nudum posse, sed dat posse cum actu, dat possibilitatem cum effectu, ut loquitur Augustinus, reducit potentiam ad actum. Undè nec propriè se tenet ex parte actus primi, id est, potentie, ut potentia est; nec ex parte actus secundi, præcisè, ut est actus secundus, & operatio, sed est id, quo potentia reducitur de actu primo ad secundum. Atque ita illo eodem prorsus modo, quo adversarii dicunt, sine gratia cooperante hominem non posse; & nihilominus sine illa potentiam in ratione potentie esse completam; quamvis non sit completa eo modo, quo potentia completur per actum, præsertim immanentem; eodem, inquam, modo nos dicimus, sine gratia per se ipsam efficaci hominem non posse; & nihilominus sine illa habere potentiam completam in ratione potentie, quamvis non eo complemento, quòd reducit potentiam de actu primo ad secundum. Idem profitentur Franciscus Sylvius 1. 2. q. 109. art. 4. M. Zumel 1. 2. disp. 4. sect. 1. affer. 2. & disp. 15. lect. 1. conclus. 4. M. Jacobus Hyacinthus Serry in q. de grat. primi hominis, & Angelorum. Capreolus in 2. sentent. dist. 28. q. 2. art. 3. Cardinalis Cajetanus in cap. 10. Joann. verf. 39. M. Lemos tom. 4. p. 2. cap. 12.*

37. Probabilissima sanè est utraque opinio. Pro priori stat tot Sapientissimorum Doctorum auctoritas cum rationibus non contemnendis. Posteriores verò probare videntur rationes efficacia concludendi non impares. Utri verò parti sit assentiendum difficile est judicare, cum difficillimum sit de Doctorum Virorum sententiis ferre sententiam. Placet tamen magis hic secundus modus dicendi, quem accuratè defendendum, & explicandum suscipimus. Verùm ut rem totam penitus, & magis singillatim, ac parti-

ticulatim explicemus, quædam sunt diligenter observanda. Et quidem primò considerandum, quid re ipsa fuerit iustitia originalis in Adamo. Non intelligatur hoc nomine aliquis specialis habitus à gratia, charitate, aliisque virtutibus supernaturalis ordinis distinctus; cum iustitia originalis essentialiter includat perfectam subjectionem appetitus ad rationem, teste D. Thoma 1. p. q. 95. art. 1. dicente: *Erat enim rectitudo secundum hoc, quòd ratio subdebat Deo, rationi verò inferiores vires, & animæ corpus. Prima autem subiectio erat causa & secunda, & tertia. Quoad enim ratio manebat Deo subiecta, inferiora ei subdebantur.* Hæc perfecta subiectio rationis ad Deum sine gratia existere non poterat, sicut nec appetitus ad rationem sine virtutibus. Ex quo art. 3. resolvit S. Doctor, quòd Adam habuit omnes virtutes, sequentibus verbis. *Et hoc ex dictis patet, esse verum. Dicitur enim supra, quòd talis erat rectitudo primi status, quòd ratio erat Deo subiecta, inferiores autem vires rationi. Virtutes autem nihil aliud sunt, quàm perfectiones quædam, quibus ratio ordinatur in Deum, & inferiores vires disponuntur secundum regulam rationis, ut magis patebit, cum de virtutibus agemus.* Hæc D. Thomas: ex quibus clarissimè elucescit, rectitudinem primi status includere virtutes omnes. Iustitia ergo originalis nominat perfectionem harum virtutum. Ex parte intellectus includit lumen supernaturale fidei, ac donorum Spiritus Sancti ad intellectum spectantium, quo vigilantem circa divina rationem roborabat. Ex parte verò voluntatis complectitur perfectionem quamdam Charitatis, quâ in Deum perfectè conversâ voluntas, totaliter illi, ut fini ultimo, subiciebatur, eique perfectissimè adhærebat. Et tandem ex parte appetitus continet virtutes ipsi inhærentes, talis, ac tantæ perfectionis, ut nullum, vel minimum motum ipse appetitus eliceret, nisi juxta harum virtutum regulam. At cum homo per peccatum amiserit iustitiam originalem, gratiam, charitatem, & virtutes, quæ dona supernaturalia sunt, liberum arbitrium dicitur attenuatum, atque inclinatum per peccatum, & homo in naturalibus vulneratus, sicut & in gratuitis spoliatus, atque totus, & quoad corpus, & quoad animam in deterius commutatus, ut definit Concilium Tridentinum sess. 5. can. 10. docens ibi: *Totum Adam per prævaricationis offensam secundum corpus, & animam in deterius commutatum.* De qua rebellionem inquit Apostolus ad Rom. 7. *Non enim, quod volo bonum, hoc facio, sed, quod nolo malum, hoc ago.* Et iterum. *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et ad Galat. 5. *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus au-*

tem adversus carnem; hæc enim sibi adversantur, ut non quæcumque vultis illa faciatis. Quod in poenam peccati factum est, ut ratio, quæ per superbiam elata, contra Deum rebellavit, etiam adversus se rebellantem sentiat appetitum, & carnem, ut dixit Augustinus loquens de Adam & Æva lib. 13. de Civitate Dei: *Senserunt enim motum inobedientiæ carnis suæ, tanquam reciprocã poenam inobedientiæ suæ.* Sic peccato primi hominis totum genus depravatum est.

38. At cum natura ex peccato languida, hausta viribus, lassitudine debilitata per se ipsam, id est, per ea, quæ in natura accepit, ad iustitiam se erigere non posset, opus fuit liberatore aliquo, per quem iustitiam recuperaret, nempe æterno Filio Dei, qui carne assumpta per passionem, & mortem humano generi reditum ad iustitiam promeruit, & à quo, & per quem omnis nobis data est gratia, pretio Sanguinis ejus comparata, ut testatur D. Petrus Act. 4. *Præter Christum non est aliud nomen sub Cælo datum hominibus, in quo oporteat salvos fieri.* Et Act. 15. *Per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari.* Quod & generaliter ab Apostolo dictum est 1. ad Corinth. 10. *Gratias, inquit, ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu.* Et ad Ephes. 1. v. 5. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum.* Quibus docet Apostolus, Christum Dominum fuisse causam tum effectivam, tum exemplarem nostræ prædestinationis ex parte effectus, & consequenter gratiæ, quod egregiè probat D. Thomas 3. p. q. 24. art. 4. Nec arbitramur in hoc probandum plus immorandum, cum omnes Theologos hac in re nobis assentientes habeamus.

39. Sed hic iterum, & paulò specialius rem perscrutemur observando, quòd nomine gratiæ Christi intelligitur donum, seu beneficium supernaturale ordinatum ad salutem, quæ est per Christum, & ad vitam æternam; cum ea conferantur per Christum, quæ per se, & propriè conducunt ad vitam æternam, ut loquitur Concilium Arausicanum II. Can. 7., sive illud beneficium, & donum in habitu, sive in actu consistat: dummodò omnia per se dirigantur, ut hominem Deo concilient, & ad æternam, perfectamque amicitiam tandem perducant. Quare omnia auxilia, sive sufficientia, sive efficacia continentur appellatione gratiæ Christi. Non enim solum gratia sufficiens dans possibilitatem boni operis pars est gratiæ Christi, sed & auxilium ab intrinseco efficax dans bonam voluntatem, & bonam actionem. Patet hoc sexcentis Augustini locis; sed illis, vel maxime, quibus apertissimè, & diligenter de his differit, nempe toto libro de gratia Christi, & potissimum cap. 41. 42. & 47. lib. de prædest. Sanctor. cap. 2. & 5. Epist. 95. & 107. lib. de grat. & liber. arbit. cap. 13. & 14. Quam Augustini doctrinam annotavit Divus Tho-

Thomas 1. 2. q. 109. art. 10. in respons. ad 3. citans Augustinum: *Homo, inquit, in primo statu accepit donum, per quod perseverare posset, non autem accepit, ut perseveraret. Nunc autem per gratiam Christi multi accipiunt, & donum gratiæ, quo perseverare possunt: & ulterius eis datur, quòd perseverent.* Ex quibus liquet, & auxilium, quo perseverare possumus, & auxilium ad actuale perseverantiam ad gratiam Christi pertinere: & cum omnis gratia per Christum medicinalis sit, superandis pravis molestæ carnis affectibus necessaria est gratia per se ipsam efficax. Etenim naturæ infirmitas ex peccato contracta dupliciter potest intelligi, & quia remanet homo habitualiter aversus à Deo, tanquam ab ultimo fine, non habens vires ad eligenda media fini illi consequendo accommodata; & quia ex aversione consecuta est in homine rebellio appetitus ad rationem, & effrænans concupiscentia, quæ cum remaneat in iustificatis, necessarium est, ut huic malo per aliam, ac distinctam à sanctificante, gratiam, remedium consequamur. Præstabat iustitia originalis, ut per illam homo perfectè converteretur in Deum, tanquam ultimum finem: at gratia sanctificans perfectam illam subjectionem non facit, sed minus perfectam; nec dat subjectionem partis inferioris ad rationem: quare post justificationem indiget subsidio gratiæ actualis, ut, qui per gratiam habituales sanatus est quoad mentem, per novum actuale auxilium transiens sanetur quantum ad partem inferiorem, ut hæc per gratiam curetur infirmitas. Quod totum profundè docet Augustinus de natur. & grat. cap. 3. *Omnia, inquit, bona, quæ habet in formatione, vita, sensibus, mente, à summo Deo habet creatore, & artifice suo. Virtutum verò, quod ista naturalia bona contenebrat, & infirmat, ut illuminatione, & curatione opus habeat, non ab inculpabili artifice contractum est, sed ex originali peccato, quod commissum est libero arbitrio.*

40. Ex his positis vera descendit S. Augustini intelligentia, & ratio probativa nostræ conclusionis: in cujus probationem palmare, & invictum est illud D. Augustini testimonium lib. de grat. & liber. arbit. cap. 16. *Certum est, nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus bonum, & ut faciamus, de quo scriptum est, præparatur voluntas à Domino: certum est, nos facere, cum facimus, sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Quæ est gratia illa, qua Deus facit, ut velimus bonum, & ut faciamus, nisi, quam toties diximus, gratia ab intrinseco efficax? Quæ juxta Augustinum vires præbet efficacissimas voluntati, hanc robuistam reddens, ut affirmat cap. 17. *Qui vult facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam, & invalidam poterit autem, cum magnam habuerit, & robuistam.* Ubi fit comparatio voluntatis auxiliis suffi-

cientibus adjunctæ, quam parvam, & invalidam pronunciat, cum voluntate gratiæ efficaci præmota, quam magnam, atque robuistam dicit, quia secum affert pro hoc statu robur, & magnitudinem voluntatis. Et cap. 3. de prædest. Sanctor. *Neque velle possumus, nisi vocemur, & cum post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra, & cursus noster, nisi & vires currentibus præbeat, & perducatur, quòd vocat.* En iterum repetit Deum ad concurrum vires præbentem. Hoc millies significat Augustinus, ut videre est lib. de natur. & grat. cap. 26. dicens. *Sanat ergo Deus, non solum ut deleat, quod peccavimus, sed ut præstet, ne peccemus:* quod auxilium præstans, ne peccemus, est auxilium efficax; cum auxilium sufficiens solum præstet, ut possumus non peccare. Quare dicit S. Doctor cap. 42. *Neque de ipsa possibilitate contendo, cum sanata, & adjuncta hominis voluntate, possibilitas simul cum effectu proveniat.* Et lib. de perfect. iustitiæ cap. 10. gratiam, qua Divina mandata ab hominibus iustis faciliter, ac suaviter adimplentur, donum facultatis appellat, quo vires accipiunt homines, dicens: *Nec aliam ob causam Scriptura commemorat, non esse gravia Divina præcepta, nisi ut anima, quæ illa gravia sentit, intelligat, se nondum accepisse vires, quibus talia sint præcepta Domini, qualia commendantur, levia scilicet, atque suavia, & oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facultatis.* In his omnibus Lector gravissimam, & prorsus necessariam doctrinam Concilii Tridentini, quam sæpè inculcavimus, quamque Augustinus ipse laudatus exhibet, præ oculis habeat: nimirum, Deum impossibilia non jubere, quamvis desint vires, vel propter operis magnitudinem, vel propter corruptionem naturæ, quæ ad plura non valet, ad quæ integra natura valeret: *Nam jubendo monet, & facere, quod possumus, & petere, quod non possumus.* Hoc est, quod nuper citatus Augustinus dicit: *Et oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facultatis.*

41. Sed iterum S. Doctorem hujus doctrinæ auctorem advoco in libris de corrept. & grat. Et primò fit cap. 8., ubi dicit: *Voluntas humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem, & ut perseveret, delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem.* Quæ insuperabilis ista fortitudo, nisi robur novum, & vires novæ? Et cap. 11. *Tale quippe erat adjutorium, quod desereret, cum vellet, & in quo permaneret, si vellet, non quo fieret, ut vellet.* Hæc prima est gratia, quæ data est primo Adam; sed hæc potentior est in secundo Adam. *Prima est enim, qua fit, ut homo habeat iustitiam, si velit: secunda ergo plus potest, qua etiam fit, ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligit, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat.* Nec illa quidem parva erat, qua demonstrata est etiam potentia liberi arbitrii, quoniam sic adjuvabatur, ut sine hoc

adjutorio in bono non maneret, sed hoc adjutorium, si vellet, desereret. Hæc autem tantò major est, ut parum sit homini per illam reparare perditam libertatem: parum sit denique, non posse sine illa, vel apprehendere bonum, vel permanere in bono, si vellet; nisi efficiatur, ut velit. En ubi iterum majorem pronunciat gratiam, illam efficacem, quæ à Deo Sanctis confertur, quàm illa, quæ fuit Adamo collata. Quia nempe parum erat homini reparare perditam libertatem, nisi novas vires daret, ut se Deo, & partem inferiorem rationi subjiciens, carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat. Et cap. 12. *Major quippe libertas est necessaria adversus tot, & tantas tentationes, quæ in Paradiso non fuerunt, dono perseverantia munita, atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic Mundus. Hoc Sanctorum martyria docuerunt.* Quæ est ista major, aut perfectior libertas, nisi robor novum, major fortitudo, major gratia, major auxilium, cum adjutorio illo, sine quo non constituta esset major libertas? ergo potentior hæc gratia necessaria est, ut voluntas nostra majorem consequatur libertatem. Tantò enim voluntas libera, inquit idem Divus Augustinus Epist. 89. *est liberior, quantò sanior; tantò autem sanior, quantò Divina misericordiae, gratiaque subjectior.* Dicant enim amabò, an nobis restituta sit libertas Paradisi? An mediâ gratiâ sufficiente obtinentur ista? Negabunt sanè, & meritò: ergo perfecta sanitas partis superioris per gratiam sufficientem non tribuitur, restatque partis inferioris infirmitas per auxilium distinctum gratiæ sananda, quod auxilium & perficit, & complet libertatem. Quare ut eandem possibilitatem cum effectu conjunctam per gratiam nobis datam explicet in dicto capite, addit: *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut Divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageatur, & ideo quavis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur.* Quibus docet, sic voluntatem gratia firmari, ut indeclinabilis, & insuperabilis sit: quo nihil melius, aut solidius advocari potest ad veram gratiæ sanitatis notionem explicandam.

42. Ita est, quòd homo tantis malis, & ignorantiae tenebris obvolutus pluribus indiget auxiliis sufficientibus, quibus mens de caelestibus erudita efficiatur sapiens, quibus inflammetur affectus, ne tepescat charitas, & accendatur voluntas ad amplectenda bona supernaturalia. At non ex auxiliis sufficientibus dicitur ab Augustino expeditior, fortior, solutiorque libertas in statu lapsus. Quomodò enim fortior, & perfectior reddi potest libertas mediis talibus auxiliis, quàm fuit in primæva naturæ humanæ integritate expedita, & perfecta arbitrii libertas? Numquid medicinæ viribus fortior redditur potestas, & sufficientia, ac est sufficientia, & po-

testas illius, qui nullius medicinæ ope, quæ sanaretur infirmitas, indigebat? Homo infirmus indigens adminiculis ad deambulandum, quibus homo sanus non indiget, gaudeatne potestate, & sufficientia majori? Quomodo ergo fortior, & perfectior mediis auxiliis sufficientibus restitui potest libertas, quàm erat in statu integritatis, in quo nihil gratia sufficiens invenit, quod sanet, quod restauret, quod reficiat. Gratia ergo vires efficacissimas præbens, quibus subvenitur infirmitati voluntatis humanæ, ut quamvis infirma non deficiat, nec adversitate aliqua vincatur, est gratia ab intrinseco efficax, quæ uberior, major, & potentior novum robor, & fortitudinem novam affert: quæ licet non facultatem agendi per modum potentiæ, benè tamen per modum adjutorii vires completis, & perficientis, dat efficaciam. Hæc enim, cum det sanitatem integram, & perfectam, debet esse roborans. Quid namque aliud est sanare, quàm morbum expellere, & pristinæ sanitati restituere? In quo consistit hæc medicinalis gratiæ efficacia? Nisi ut sit perfecta mentis ad Deum, & partis inferioris ad superiorem subjectio, & subordinatio per modum actus, & ut vincatur infirmitas, & concupiscentia, quæ vinci integrè, ac perfectè nequit, nisi præter medicamentum sufficiens, altero validiori, & efficaciore esset medicatum arbitrium.

43. Non ergo de ipsa possibilitate agit tantum Augustinus, sed de auxilio quo sanante, & adjuvante hominis voluntatem, quo possibilitas redditur cum effectu conjuncta. Non gratiam sufficientem, quæ data est primo Adam, vel adjutorium illud, quod desereret, cum vellet, & in quo permaneret, si vellet, contraponit Augustinus potentiori gratiæ sufficienti, quæ esset in secundo Adam, sed alteri gratiæ, quæ plus potest. At qualis ista? Illa sanè, qua fit, ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat; & quæ tantò major est, ut parum sit homini per illam reparare perditam libertatem, parum sit, non posse sine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono, si vellet, nisi efficiatur, ut velit. Hoc est, quod S. Augustinus in præcitatis testimoniis sapientissimè adnotavit, ex quo fit irreprehensibile argumentum. Nam etsi mediis auxiliis sufficientibus instruat animus à Spiritu Sancto, quid agere debeat, & multiplicatione eorumdem auxiliorum sufficientium potentior fiat, vel subicere possit appetitum inferiorem, fortiorque sit mediis talibus auxiliis propensio voluntatis ad actum salutarem; viresque tandem conferant auxilia sufficientia, quæ tam ex natura sua, quàm ex determinatione Divina ad perfectam sanitatem ordinentur: at auxilia ista non perfectam sanitatem restituant, cum actu appetitum non subjiciant, nec deordinatio actuum, quæ con-

consequitur corruptionem naturæ, per gratiam istam ad debitum ordinem reparatur. Aliam ergo agnoscit Augustinus, qua in actu secundo subjiciatur appetitus, quâ ipsum motum voluntatis Spiritus Sanctus causat in nobis viribus, quas facit voluntatis. Non enim vincit in nobis sine nobis, sed ipsam victoriam, quam nobis dat, nostram facit, faciendo, ut vires gratiæ actu vincens, sint vires adjunctæ voluntatis; unde voluntati dat, ut indeclinabiliter, & insuperabiliter consensum efficiat. Etenim voluntas, quam major, & uberior gratia sufficiens exornat, adhuc vim imperfectam agendi habet, sed imperfectis illis viribus assequitur ultimam perfectionem. Debent ergo compleri vires, ut complemento virtutis ultimam perfectionem, qua caret, assequatur; quod complementum virtutis agentis secundi juxta phrasim Divi Thomæ 3. contra gent. cap. 66. est ex virtute agentis primi.

44. Nec dixeris, quòd licet mediis auxiliis sufficientibus sanior in statu naturæ lapsæ reddi non possit libertas, quàm erat in statu integritatis; fortior tamen, & potentior reddi potest; cum auxilium sufficiens non solum ad gratiam Christi medicinalem pertineat, sed sit virtus potentia: ergo quò abundantior est gratia sufficiens, eò major est virtus, & potestas agendi, & consequenter fortior, & perfectior libertas; sicut enim virtus agendi latitudinem habet, ita & in auxiliis sufficientibus statuenda est amplitudo, ut uberior, & perfectior sit, cum nullus terminus possit omnipotentiae Dei præfigi, quo voluntas nostra in Deum inclinet, & rationem perficiat in ejus contemplatione.

45. At quis non videat, ita totum esse Augustinum in citatis testimoniis, ut uberorem (quam respectu justitiæ originalis dicit) & perfectiorem gratiam eam appellet, quæ datur, ut præstet, ne peccemus; quæque, ut ille ait, vires efficacissimas præbet, ut veniamus, quò vocat; quâ denique facit Deus, ut faciamus, & in præceptis ejus ambulemus? Ut autem, quem cum Augustino defendimus, sensus omninò appareat, & positæ objectionis æquivocatio detegatur, notandum est, abundantiosem gratiam sufficientem, & minùs abundantem secundum virtutem sanationis à nobis non negari; quia quò late in natura patet infirmitas orta ex originali peccato, patere etiam non dubitamus gratiam. Sed in viâ ad perfectam sanitatem, nunquam pervenimus, etenim reservata est quousque veniamus ad Patriam. Undè latitudo gratiæ sufficientis in præsentī statu tota est citrà perfectionem salutis, licet secundum ipsam propius ad salutem accedamus, ut propius accedunt homines, qui magis proficiunt in viâ salutis. Si autem citrà salutis perfectionem (alioquin obtineretur in via restitutio integritatis) quamcumque imaginemur gratiam sufficientem, minor est gra-

tia Adami quoad effectum subjiciendi carnem, & non tantum nobis præstat, quantum illa conferebat. Atqui Augustinus gratiam illam conferentem vires efficacissimas voluntati comparat, non gratiæ minoris sufficientiæ in statu lapsus, sed gratiæ originalis justitiæ, secundum quam ratio subjecta erat Deo, & inferiores vires rationi: non ergo rectè recurritur ad latitudinem gratiæ sufficientis in statu lapsus, ut exponatur mens Augustini. Loquitur absdubio de illa gratia, quæ nobis dat superare infirmitatem naturæ, & quæ adeò potentior est, quàm originalis, ut cum illa in statu sanitatis tribueret homini perseverantiam, si vellet; hæc in statu infirmitatis det etiam velle. Dat ergo vires superantes infirmitatem naturæ, & libertatem (ultra justitiam originale) hic, & nunc perficientes; subjicit enim secundum actum, & mentem Deo, & inferiores vires menti. Quæro ab Adversariis, qui hæc cum libertate componere nesciunt, an ad libertatem requiratur, quòd mens non sit subjecta Deo, ut per subjectionem libertas amittatur? Immo David dicit: *Nonne Deo subjecta erit anima mea? Ab ipso enim salutare meum.* Tunc salus, quando subjecta est auxilio ejus. Sed dicunt: requiritur saltem, quòd possit, Deo actu subjecta non esse, ad libertatem viæ. Utique ita est; sed non requiritur, nec potest esse, ut subjecta non sit secundum vires, sed secundum defectum virium, secundum quem deficiet à perfecta libertate, serviendo concupiscentiis carnis: quòd malum, ut non eveniat, oportet semper orare.

46. At ex dictis plura se offerunt, ex quibus satis efficax sumitur argumentum. Primò: nam si hæc gratia ab intrinseco efficax præstat vires, & robor novum: ergo ipsa erit virtus, & plus quàm applicatio, seu determinatio virtutis. Secundò: cum infirmitas in defectu virtutis consistat, nequit gratia ab intrinseco efficax subvenire infirmitati voluntatis humanæ, ut non deficiat, nisi virtutem conferat, sed gratia conferens virtutem est gratia sufficiens ex parte actus primi se tenens: ergo gratia efficax à sufficiente non distinguitur, & ex parte actus primi se tenet. Tertiò: si hoc adjutorium quo dat nobis vires, robor novum, fortitudinem novam: ergo carens prædeterminatione caret vera sufficientia ad impletionem præcepti: ergo & aliquod præceptum homini, secundum præsentem, quas habet, vires, erit impossibile, quòd catholicè affirmari nequit; & est prima Jansenii contra propositio.

47. Hujus argumenti caliginem facillimè depelles, intelligendo, quòd duplex illa gratia, nempe adjutorium sine quo non, & adjutorium quo, utraque est adjuvans, ut supra notavimus disp. 3. dub. 1. §. 1. n. 1. gratia excitans voluntatem adjuvat, & vires præstat spectantes ad libertatem, & quibus constituitur potentia possibilitatis, qua possumus benè ope-

operari. Gratia, de qua in presenti loquimur, quæ dicitur adiutorium quo, sive adiutorium voluntatis, & actionis voluntatem adjuvat, ut operetur, & velit; & quæ ideo vult, quia sic adjuvat à Deo. Hæc non dat vires, quæ sint constitutivæ potentia, ut talis, & libertatis, sed solum efficaciam, qua voluntas insuperabiliter, & invincibiliter contra repugnantes concupiscentiæ motus, à Deo agitur, ut velit, quæ certè non vellet, nisi adjuvaretur à Deo. Est enim activa ex parte Dei agentis, & vires potentia usque ad completam perfectionem hic, & nunc promoventis applicatio, vel ut loquitur D. Thomas 1. p. q. 105. art. 2. ad 1. virtualis contactus, quo voluntatem movet, impellit, applicat, & ad actum reducit; qui cum sit participatio quædam Divinæ virtutis, ut à Deo descendit, immutabilem, & indefectibilem vim habet, ut quod major est voluntatis obstinatio, & resistencia, majori, & validiori motione concutiat ipsa voluntas, ut vincat carnis concupiscentiam. De hoc adiutorio fatemur cum Augustino, esse adiutorium fortius præstans vires novas, quibus ultimò perficit potentiam ad positionem actus: cum nomine virtutis, & facultatis possit intelligi efficacia ad pugnandum contra rebellionem appetitus: qua ratione dixit D. Thomas, causam secundam non agere, nisi in virtute causæ primæ: non quia per motionem Dei aliquam virtutem potentia constitutivam accipiat, sed quia ex vi illius potestas à Deo collata redditur efficax ad operandum.

48. Ad cuius evidentiâ iterum licet advertere, quod supra disp. 1. dub. 3. §. 2. diximus ex D. Thoma, quod minimâ gratiâ potest voluntas resistere cuilibet tentationi, & vitare omne peccatum, & quod habens minimam gratiam non habet omne robur virium: non ergo erit idem habere sufficientiam potestatis ad omnem vincendam tentationem, & habere omne robur virium: sicut non est idem in homine ærotante potestas deambulandi, ac omnis virtus, & robur ad deambulationem; licet enim in illo sit potestas, sat virium se ipso non habet: sic & homo pro hoc statu licet facultate, & libertate constituta auxiliis sufficientibus gaudeat, novas tamen vires ad usum huiusmodi gratiæ libertatem constituentis exposcit: undè Tridentinum monet, *petere quod non possis*. Non ergo est idem habere sufficientiam potestatis ad omnem vincendam tentationem, & habere omne robur virium. Et si non est idem: ergo neque est idem, gratiam efficacem tribuere vires, atque majores, & efficacissimas vires, ac tribuere sufficientiam potestatis: cuius clarissima, & verissima ratio est, quia potestas sufficiens consideratur specificativè ad naturam actus supernaturalis, minimè tamen ad accidentia arduitas, vel ad actum, quæ formaliter arduum, & heroicum; cum ad istum secundum huiusmodi acciden-

tia comparetur potentia secundum vires. 49. Ad hanc doctrinam, quam toto illo dubio tertio certissimis, atque inconcussis fundamentis probatam relinquimus, attentum Lectorem volo, cum ipsius intelligentia non solum evincatur, quod potissimum ibi quaeritur, sed & omnis præcludatur argumentorum positorum difficultas. Et quidem ad primum facilis est responsio, quod est proprium, & peculiare huius efficacissimi adiutorii quo status naturæ lapsæ, non solum quod potestatem, & sufficientiam applicet operi, sed quod novas adjiciat vires, ut ex M. Patre Augustino cumulatissimè probatum, & demonstratum est. Hunc S. Doctorem legant, perlegant, expendant, semper constantem, ac nunquam sibi dissimilem & hanc doctrinam, comprobabunt. Non enim pro hoc statu est nuda, & mera applicatio virtutis, sed libertatem integerrimam, & liberrimam servans, perficit secundum quod potentia agendi Deus efficaciam confert, qua influit, & ut agat, & ut benè agat, ut dicit D. Thomas in 2. dist. 37. q. 2. art. 2. ad 3. Virtus ergo est omnis gratia in anima, & potentiis ejus: unde quod hæc gratia sit virtus, non tollit, quominus & gratia sufficiens sit virtus: altera nimirum potestatem constituens, altera verò eandem perficiens, ut agat, & ut benè agat.

50. Hinc non magis officit secundum: nam gratia sufficiens, quæ dat potentiam possibilitatis includit illa omnia, quæ requiruntur ex parte potestatis ad agendum: at adiutorium hoc roborat solum potentiam ad positionem actus; illa namque potestas antecedens esset languida, nisi Divina motione foveretur, nisi hoc novum genus virium impertiret Deus, ut re ipsa ageret, dum efficacissimum hoc adiutorium infundens, voluntatis infirmitatem curat, sanat, & erigit, adjuvaturque virium illa attenuatio, roborisque defectus, ut potestas illa antecedens plenissima reddatur, acuique proxima, atque conjuncta. Qualiter omnipotentissima Dei virtus hoc operetur in nobis, rationem si scire velis, frustra laboras: arcanum est mortalibus hucusque non referatum, quod scrutari minus nobis est datum, quam venerari: qui enim curiosus fuerit explorator gratiæ Dei, tanquam cæcus in parietem impinget, ut dixit D. Laurentius Justinianus de casto connubio cap. 11.

51. Ad ultimum dicitur, quod duo hæc optimè cohærent, & quod homo pro hoc statu his nostris viribus, ac fortiori virtute egeat, ut benè agat, & quod sit ipsi imputabile ad culpam, & si ea sit destitutus gratia, benè non agere. Nam ipsi operatio non est absolutè impossibilis, sed solum ardua, & difficilis: cum impossibile verè, & absolutè non sit, quod Dei auxilio haberi potest. Quare meritò hominem istum corripendum declarat D. Thomas q. 24. de verif. art. 14. ubi in-

inquit: *an liberum arbitrium possit in bonum sine gratia?* Et cum sibi hoc primum proposuisset argumentum: *præceptum non datur de impossibili; undè S. Hieronymus dicit: maledictus qui dicit, Deum homini aliquid impossibile præcepisse, hoc approbans in responsione argumenti, deinde ad secundum asserit: quod rectè homo corripitur, qui præcepta non implet; quia ex ejus negligentia est, quod gratiam non habet, per quam potest.* Nota illud ex ejus negligentia: quia nempe si sua culpa fuit huiusmodi carentiæ, & privationis causa, meritò, dum peccat, sibi imputatur, si gratiam non habeat, etiam deficienti sibi Divino auxilio ad positionem actus necessario, ut iterum eleganter probat ipse 3. contra gent. cap. 159. dicendo: *Cum hoc sit in potestate liberi arbitrii, impedire Divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire; non immeritò in culpam imputatur ei, qui impedimentum præstat gratiæ receptioni, Deus enim quantum est in se, paratus est omnibus gratiam dare. Vult enim, omnes homines salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, ut dicitur 1. ad Timoth. 2. sed illi soli gratia privantur, qui in se ipsis gratiæ impedimentum præstant: sicut sole Mundum illuminante in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquid malum sequatur: licet videre non possit, nisi lumine solis præveniatur.* Quam Angelici Præceptoris mentem optimè affecutus est M. Zumel tom. 3. disp. 5. in Appendice dicens: *Sed potius attendat ad id, ad quod moveatur à Deo (excitando) Deus non deerit, neque deficiet per illam efficacem gratiam, de qua est controversia. Quod optimè dicit Tridentinum sess. 6. cap. 13. dicens, quod in auxilio Dei omnes firmissimam spem collocare, & reponere debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cepit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere. Undè dum Tridentinum dixit, Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, clarissime admonemur, ut verbis S. Augustini utar de natur. & grat. cap. 69. & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Hæc præfatus Auctor. Petendæ ergo sunt vires; alioquin inutilis esset oratio. Sed quas? Idem Tridentinum: *adjuvat, ut possis*. Si adjuvat, ut possimus, ergo gratia hæc, qua invictissimè roboratur voluntas, nè cadat, perficit actum primum tribuendo vires absque dispendio libertatis: nam ad libertatem juxta Tridentinum non pertinet omnia facere, sed posse, aut petere quod non possis. Quod si petamus, *Fidelis est Deus, qui non patietur, nos tentari supra id, quod possumus.*

52. Nec nisi valde insipiens quispiam nobis objiciet primam illam ex Jansenianis propositionem, quam integram memorari opus est, ut contra apertis erroris tenebris sententiæ Augustinianæ claritas magis fiat omnium oculis conspicua. Ecce Jansenium: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum presentes, quas*

habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiunt. Verborum numerum errores excedunt. De justis hominibus loquitur, qui nimirum obicem non ponunt gratiæ Dei, cum tamen huiusmodi hominibus juxta nostrum sensum non solum posse, sed ipsum agere, sive efficax adiutorium conferat misericors Deus. *Volentibus*, ait, & *conantibus*; at verò illi nos Tridentinum objicimus; si enim conantur, petunt, *quod non possunt*, & tunc Deus adjuvat, ut possint. Dicit ille; *secundum presentes, quas habent vires, sunt impossibilia*: undè negat gratiam possibilitatis toties à nobis cum Augustino propugnatum; neque novit distinguere inter adiutorium possibilitatis, & adiutorium actionis. Tandem horribilem doctrinam horribiliori sententia claudit: *Deest quoque illis gratia, quæ possibilia fiunt*: nempe, neque obicem non ponere, neque orare possunt; si enim hæc possunt, quid deficit, ut possibilia fiant illis, qui omnia possunt in Deo, qui confortat, & qui fidelissimus non patitur, nos tentari supra id, quod possumus? Apage putida hujus erroris commenta, quæ nemo sui compos nobis objicere audebit.

53. Sed inquiet aliquis, cur Angelis malis negavit Deus hanc gratiæ efficaciam? Cur similiter Deus hunc donis spiritualibus ditat, & illum in sua relinquit paupertate, non tribuens majores vires, robur novum, ut re ipsa tandem agat? Hoc humanus non capit intellectus, inquit Apostolus ad Rom. 8. exclamans: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.* Non querat, qui errare non vult, ut cum Apostolo observat S. Augustinus ferm. 24. *O homo tu quis es? Melior est enim fidelis ignorantia, quam temeraria scientia.* Et in fine: *Queris tu rationem, ego expavescam altitudinem: O altitudo! Tu ratiocinare, ego mirer; tu disputa, ego credam. Altitudinem video, ad profundum non pervenio.* Hæc veneranda sunt, non inquirenda; cum ad celsitudinem judiciorum Dei contemplatio pervolare nequeat, quorum notitiam ratio invenire nequit, ut dixit Augustinus ferm. 14. de verb. Apostoli, sola Sacræ Scripturæ auctoritate munitus Pelagium aggrediens. *Responde, inquit S. Docteur, si potes, sed rationem asser, hac enim te gloriari delectat. Ego istam questionem profundam sentio, & ad ejus fundum rimandum vires meas idoneas non agnosco. Libet hic exclamare quod Paulus, d altitudo! . . . Ubi non invento in profundo profundum, attendere debeo humanam infirmitatem, non damnare divinam auctoritatem. . . Ego infirmitatem meam his verbis munio, & hac cautela circumseptus, adversus sagittas ratiocinationum tuarum muratus assisto. Sed tu bellator, hoc est, fortis ratiocinator, responde. Quod sanè durum videbitur his, qui minus idonei sunt cogitare inscrutabilia Dei judicia, & investigabiles vias ejus. Sed non*

aliter huic, & similibus quæstionibus respondet Augustinus. Quod si iterum inquiras ab ipso, cur in statu naturæ innocentis Angelorum aliqui ad Deum incommutabile bonum conversi sint, non item alii? Cur illi steterint in accepta justitia perseverantes, non alteri? Altiolem pronunciat causam, quam ex meritis ipsorum. Ad supremam Dei ascendit voluntatem, qua secundum iudicium suum iustum, ac soli sibi cognitum ita ordinavit ab æterno, ut scribit lib. 11. de Genesi ad litteram cap. 10. *Potuisse Deum etiam malorum Angelorum voluntates in bonum convertere, quia omnipotens est. Posset planè. Cur ergo non fecit? Quia noluit: cur noluerit, penes ipsum est.* Si iterum inquiras, ex duobus parvulis originali peccato obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquitur? Cur ex duobus jam grandibus impiis iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem, aut non vocetur, aut non ita vocetur? Et ex duobus piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur? Semper ad hanc divinorum iudiciorum profunditatem recurrit lib. de don. persever. cap. 9. dicens: *Inscrutabilia sunt iudicia Dei.* Non enim iniustitiæ argui potest Deus, nec homo divinam dammare bonitatem quod suam sibi minime prærogavit gratiam. *Quis stabit, inquit Sapiens cap. 12. contra iudicium tuum... aut quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas fecisti?* Iusto Dei iudicio hoc agitur. Hoc secundum altitudinem inscrutabilis iudicii Dei nobis occulti credendum, ut dixit Gregorius lib. 27. moral. cap. 27. *Si veraciter Sapientes esse, atque ipsam Dei sapientiam contemplari appetimus, stultos nos humiliter cognoscamus, relinquamus noxiam sapientiam, discamus laudabilem falsitatem:* nam hæc est profunditas profundorum, & sublimium sublimitas omnium, cuius mysterii scientiam impossibile est humanum intellectum, quantalibet defudaverit laboris instantiâ, adipisci, nisi sublimiori lumine in hoc inextricabili Labyrintho dirigatur.

54. Tandem objicies contra præcipuum nostrum assertum æquè, ac contra postremò traditam doctrinam testimonium M. P. Augustini de corrept. & grat. cap. 11. ubi de Adamo ait: *Ille non opus habebat eo adiutorio, quod implorant isti (scilicet Sancti) cum dicunt: video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ: infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Ex quo exurgit argumentum. Si enim adiutorium, de quo Augustinus loquitur, est adiutorium quo; ergo illo non egebat Adamus, ut perseveraret. Si verò est adiutorium sine quo non: ergo hoc adiutorio vires ultimò complentur usque ad eò, ut solo hoc adiutorio pares Adamo in viribus superantibus concupiscentiam carnis esse possimus; & sic gratia efficax nec sanativa est, nec vires confert.

55. Mitto controversiam super hoc ab

aliis exagitatam. Et suppono, quòd Deus potuit, si vellet, restituere nobis per sufficientem gratiam, adhuc in via, integram sanitatem, quam ad majus prædestinatorum bonum reservavit in patriam; nempe ut coronarentur victores passionum carnis. Illa ergo gratia sufficiens talem habet latitudinem (quacumque intra terminos sufficientis diversitate extensiva potiat, de quo non disputo) ut possit sanare nos, non solum quantum ad mentem, sed etiam quantum ad carnem. Sed ordinatione divinâ statutum est, ut vita nostra sit militia super terram. Eadem ordinatione dispositum est consequenter, ut subjectio carnis non sit permanens, sed post victoriam maneat semper lucta, manente semper infirmitate carnis. Victoria autem in hac lucta apud Augustini, & Thomæ Discipulos efficaci gratia habetur, & non sine illa: apud Augustinum *viribus efficacissimis* habetur, & non sine illis. Illa ergo gratia efficax consistit apud Augustinum in his viribus efficacissimis. Quæro nunc, quid petunt Sancti? Petunt, ut subveniatur infirmitati usque ad eò, ut vires animæ re ipsa vincant concupiscentiam carnis. Petunt ergo omne robur medicinalis gratiæ usque ad victoriam. Non petunt distinctè, sed complexè, non solum adiutorium sine quo non, prout congruit huic statui; quia sic pugnam peterent, non victoriam. Non petunt adiutorium quo solum, quia esset petere victoriam sine sufficientia virium ad pugnam. Petunt ergo indivisim utrumque; quia utrumque affert desideratam medicinam, atque ex ordinatione providentiæ completam medicinam non dat gratia sufficiens; & illam sine victoria non dat gratia efficax. Nunc ad argumentum dico, quòd Adamus non indigebat adiutorio, quod implorant Sancti; quia non indigebat adiutorio sanante, atque contra rebellionem carnis pugnante, & vincente; nec poterat dicere: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Sancti verò hæc dicentes petunt adiutoria, quibus possunt liberari actu, seu potentia etiam consequenti. Nec obstat dicere, quòd iuxta hanc solutionem tota distinctio adiutorii apud S. Augustinum esset non in ipsis, sed in causa, & effectu; quod non videtur congruere verbis Augustini. Nam quòd nos non habeamus adiutorium, quod Adamus habuit (nempe sanitatis) per gratiam sufficientem, certè ad mœnera pertinet adiutorii, quod Deus confert quoad usque vult. Quia verò ipse decrevit, ut complementum illius adiutorii sine quo non non habeamus in via, nisi dando simul victoriam; petendo illud, petimus adiutorium quo; & petendo hoc, petimus illud; quia utrumque certissimè facit ad salutem pugnantium, & vincantium concupiscentiam. Itaque adiutoria quo, & sine quo non in se distincta sunt, nos verò indistinctè petimus. Ita homines pia voluntate invocant Dominum, non

non ut superbâ voluntate respuant adiutorium quo, sed quia optant plenissimam potestatem tam antecedentem, quam consequentem ab eo, qui iussit adiutorium potestati, ut possint. *Adjuvabit autem, inquit Augustinus Epist. ad Hilarium olim 157. nunc 190. Si non de nostris viribus præsumentes, alia sapiamus, sed humilibus consentientes, & de iis, quæ nondum possumus, Deum suppliciter inhiante voluntate poscimus, adminiculantes orationem nostram à misericordiæ fructuosissimis operibus; dando, ut detur nobis, dimittendo, ut dimittatur nobis.* Vel ut scripsit S. Doctor Innocentio Papæ Epist. olim 177. nunc 241. *Hinc enim oramus, ut peccatorum tentationem superare possimus, ut Spiritus Dei, undè pignus accepimus, adjuvet infirmitatem nostram. Qui autem orat, & dicit, ne nos inferas in tentationem, non utique id orat, ut homo sit, quod est naturâ: neque id orat, ut habeat liberum arbitrium, quod jam accepit, cum crearetur ipsa naturâ; neque orat remissionem peccatorum; quia hoc superius dicitur, dimitte nobis debita nostra; neque orat, ut accipiat mandatum: sed planè orat, ut faciat mandatum. Si enim in tentationem inductus fuerit, hoc est in tentatione defecerit, facit utique peccatum, quod est contra mandatum. Orat ergo, ut non peccet, hoc est, ne quid faciat mali, quod pro Corinthiis orat Apostolus Paulus, dicens: oramus autem ad Dominum, ne quid faciatis mali. Undè satis apparet, quòd ad non peccandum, id est ad non malè faciendum, quamvis esse non dubitetur arbitrium voluntatis, tamen eius potestas non sufficit, nisi adjuvetur infirmitas.* Hæc Augustinus loquens de potestate hominis non præcisè sub lege, sed sub gratia constituti. Quare diligenter considerans testimonium Apostoli ad Rom. 7. illam de homine sub lege, quam olim dederat intelligentiam, retractavit, ut testatur ipse lib. 1. retract. cap. 23. sic scribens: *In isto ergo libro, & hoc quod dictum est: Ego autem carnalis sum, & deinde cetera usque ad eum locum, ubi dicit, miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum Nostrum: dixi hominem describi adhuc sub lege, nondum sub gratia constitutum, benè facere volentem, sed victum concupiscentiâ carnis malè facientem. A cuius concupiscentiâ dominatu non liberat, nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum dono Spiritus Sancti, per quem diffusa charitas in cordibus nostris vincit carnis concupiscentias, ne consentiamus eis ad malè faciendum, sed potius bona faciamus. Undè quidem jam evertitur hæresis Pelagiana, quæ vult, non ex Deo nobis, sed ex nobis esse charitatem, quod benè, ac piè vivimus. Sed in illis libris, quos adversus eos edidimus, etiam spiritualis hominis jamque sub gratia constituti melius intelligi verba ista monstravimus, propter carnis corpus, quod spiritale nondum est, erit autem in resurrectione mortuorum, & propter ipsam carnis concupiscentiam, cum quâ ita confligant Sancti,*

non ei consentientes ad malum, ut tamen ejus motibus, quibus repugnantibus resistunt, non careant in hac vita: non eos autem habebunt in illa, ubi absorbebitur mors in victoriam. Propter hanc itaque concupiscentiam, motusque ipsos, quibus ita resistitur, ut tamen sint in nobis, potest quisque Sanctus jam sub gratia positus dicere ista omnia, quæ hic esse dixi verba hominis nondum sub gratia positi, sed sub lege. Quod hic ostendere longum est, & hoc ubi ostenderim dictum est. Quæ Augustini verba sunt diligenter observanda ad plenam, & accuratam præsentis disputationis intelligentiam, & ad veram huius auxilii notionem explicandam.

56. En ergo maximum utriusque adiutorii quo naturæ integræ, & innocentis, & status naturæ lapsæ discrimen. En quid addit adiutorium quo, seu efficax, quo indigemus in præsentis statu, nimirum sanans quoad carnem, supra adiutorium quo, quod ad benè operandum datum fuisset homini in statu innocentie, applicativum, sed non sanans: cum medicamentum dicatur efficax, non solum ex eo quòd actu facit, sed quòd singularem vim, & efficaciam habet ad agendum. En tandem qualis illa uberior, & potentior gratia efficacissimas vires addens voluntati, & iterum dico, motus inordinatos carnis comprimens. Nam dicant, amabò, an pro hoc statu, absque gratia efficaci sint vires ad motus carnis comprimendos, vel non? Si dicatur secundum: ergo novas vires præbet gratia efficax, ut vincatur inordinata concupiscentiæ rebellio. Si primum: ergo non potentiori, & robustiori gratia indiget homo pro hoc statu naturæ corruptæ, illâ status innocentie; cum in utroque statu applicet plenissimam sufficientiam virium, quam non dat, sed supponit. Ergo & gratia ab intrinseco efficax non est gratia medicinalis Salvatoris, data per Christum, cum pro priori ad ipsam victæ essent difficultates fomitis media gratia sufficiente: quod sanè falsissimum est; cum sit fide certum, quòd gratiâ sufficienti sanati sumus quantum ad mentem, non tamen quantum ad carnem. Cum & verissimum sit, quòd manente infirmitate, manet lucta, nec in dubium vocari possit, quòd vincemus gratiâ Salvatoris: *Veni, ut vitam habeant, & ut abundantius habeant,* dixit æterna veritas Joan. 11. At quomodò abundantius? Dum non datur auxilium, quo actu hic, & nunc impotentie medeatur, & quod hic, & nunc impotentiam propulset: cum auxilium efficax divinæ gratiæ non sit, juxta Adversarios, illud gratiæ principium, quod peculiarem vim, & efficaciam habeat ad agendum, nec sit actu donans victoriam. Nobis fateor res videtur difficilis; sed numquid quando efficacissimis, & non in speciem tantum, involveretur argumentis, hanc Augustini doctrinam excutere nos, sive elidere par esset? Deo prona, & facillima

sunt, quæ cogitationibus nostris sunt difficilima. At cum scire aliquid nos aestimare non debeamus, nisi quod maximè nobis est manifestum, & ubi res naturaliter obscura, ut dixit Augustinus Epist. ad Optatum 190. nostrum modulum vincit, & aperta divina Scriptura non subvenit, temerè hinc aliquid de finire humana conjectura presumat, quidquid in resolutione presentis difficultatis, minus absolutum à nobis & conclusum fuerit, Sapientiorum judicio corrigendum remittimus, quorum oculis facilius, quàm nostris veritatis, & verè sapientiæ lux oboritur. Ego enim, liceat cum Augustino Epist. 193. hic exclamare, plus amo discere, quàm docere. Nam hoc admonemur, dicente Apostolo Jacobo: sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum. Ut ergo discamus, invitare nos debet suavitas veritatis; ut autem doceamus, cogere necessitas charitatis: ubi potius optandum est, ut transeat ista necessitas, quàm hominem docet aliquid homo, ut simus omnes docibiles Dei; quamvis hoc simus, cum ea, quæ ad veram pietatem pertinent, discimus, etiam quando illa docere videtur homo. Quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Cum itaque si Deus incrementum non daret, nihil essent Apostoli plantatores, & rigatores: quàm magis ego,



vel tu, vel quilibet hujus temporis homines, quando nobis videmur esse Doctores? Sed & ipsos Sapientes monere liceat, ut in mentem revocent, quod ad omnium doctrinam scripsit Augustinus Valentino, ejusque Monachis de eodem argumento Epist. 215. v. 5. Sed cur non directum non timet proferri mendacium? Liberum arbitrium Dei gratia curatum non negamus, sed per Christi quotidianam gratiam proficere credimus, & adjuvari confidimus. Quid homines dicunt, in mea est potestate, ut faciam bonum? Si tamen homines facerent bonum. O inanis gloriatio miserorum? Quotidiè peccata arguunt, & ipsi sibi assumunt nudum liberum jactantes arbitrium, non discutientes conscientiam suam, quæ non potest curari nisi per gratiam; ut dicerent, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi. Quid facerent, qui de libero sibi gloriantur arbitrio (quod non negatur cum Dei dumtaxat adjutorio) si jam absorpta esset mors in victoriam, si jam mortale nostrum indueret immortalitatem, & corruptibile nostrum indueret incorruptionem? Ecce fetent vulnera, & superbè petitur medicina. Non dicunt sicut justus, nisi Dominus adjuvasset me, paulò minus habitasset in inferno anima mea. Non dicunt sicut Sanctus, nisi Dominus custodierit Civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.



DISPUTATIO V.

De concursu Dei ad actum peccati.



DEUM esse causam, & auctorem peccati dogmatizavit olim primus omnium Simon Magus, ut affirmat Vincentius Lirin. cap. 34. libri contra Hæreticos. Eum secuti sunt Marcionitæ apud Irenæum lib. 4. cap. 47. & 45. Et Luciferiani apud D. Thomam 1. contra gent. cap. 96. Ac postea Lutherus, Calvinus, & alii Hæretici assentes, peccata in Deum esse referenda, Deum esse auctorem peccati, & causam cur homo peccet; ipsum sicut bona, ita mala operari, libero arbitrio, vel merè passivè se habente, vel saltè spontè solùm, & non liberè agente; & consequenter hominem à Deo necessitari ad peccandum. Hoc blasphemo ore expressè pronunciat Calvinus lib. 1. Instit. cap. 18. §. 3. dicens: jam satis apertè ostendi, Deum vocari eorum omnium auctorem, quæ isti Censores volunt, otioso tantùm ejus permisso contingere. In quibus loquitur de peccatis, quæ Catholici docent fieri Deo permitte, ipse verò Deo volente, & auctore. Et §. 4. Homo justo Dei impulsu agit, quod sibi non licet. Et lib. 3. cap. 23. §. 9. Excusabiles peccando haberi volunt reprobi, quia evadere nequeunt peccandi necessitatem, præsertim cum ex Dei ordinatione sibi injiciatur hujusmodi necessitas. Nos verò inde negamus ritè excusari. Ubi fatetur, Deum impellere, & necessitare reprobos ad peccandum. Sequuntur ipsum non pauci ex suis discipulis. Hieronymus Sanchez lib. 6. de natura Dei c. 2. ubi sic habet: Reprobationem consequitur denegatio gratiæ, hanc peccata, peccata pena peccatorum: ad quæ omnia præordinavit Deus reprobos ab omni aternitate. Et ibidem: Fuit hoc primum, quod de reprobis constituit Deus ab æterno, nempe quorundam hominum ad exitium sempiternum destinatio. Ad hoc autem ordinata fuerunt ipsorum peccata. Et iterum: Adde, quod tot, & tam efficacia media ad salutem electorum promovendam à Deo in aterna electione designata, & preparata sunt, ut è manu Dei elabi nequeant electi, quin serventur. Itidem media ad mortem, nempe impiorum peccata à Deo in illo-

rum interitum usque ad finem ordinata sunt. Fieri igitur nequit, quin tam reprobatio, quàm electio firma sit; ita ut nec electi perire, nec reprobi servari possint. Et tandem Calvinus dicto lib. 3. Instit. cap. 24. §. 13. ore nefario, & impuro asserit, quod Deus miserè decipiat reprobos, ac illudat, simulando, velle se illos juvare, cum tamen velit illos perdere, frequentibus verbis: Ecce vocem ad eos dirigit, sed ut magis obsurdescant; lumen accendit, sed ut reddantur cæciores; doctrinam profert, sed qua magis obstupescant; remedium adhibet, sed ne sanentur. Crudelis sanè, detestandaque hominum malitia, quæ non rebus temporalibus satis contenta, in sui perniciem tot malis suum voluntatis replens affectum, Dei potentiam, justitiam, sanctitatem, bonitatemque arguit, & perire desiderat, dicente Scriptura Joan. 3. Qui facit peccatum, ex Diabolo est. Non igitur Deus auctor mali, ut exclamat Apostolus ad Rom. cap. 9. Nankid iniquitas apud Deum? Absit. Ipse est rectus, & justus absque ulla iniquitate. Quod idem legitur Psal. 5. Non Deus volens iniquitatem tu es. Et Exod. 23. Aversor impium. Et Sap. 14. Odio sunt Deo impius, & impietas ejus. Qui dum malitiam eradicari vult de animis hominum, quomodo ista intelligi potest à Creatore Deo condita, vel quod ipse Deus velit esse nobis improbitatis causa? Detestanda iterum dico, & abominanda est opinio, quæ Deum peccati credit auctorem, quam meritò damnat Concilium Araucanum Secundum. Can. 23. definiens: Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet. Et post Can. 25. Aliquos ad malum Divina potestate prædestinatos esse, non solùm non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus. Quod etiam damnat Tridentinum sess. 6. cap. 16. Qui dixerit, mala opera ita ut bona Deum operari, non permissivè solùm, sed etiam propriè, & per se, anathema sit.

Et sanè quantum sanctitati concursus Divini adversetur, quis sufficienter explicare poterit? Peccatum est prævaricatio legis

Divinæ, & cœlestium inobedientia præceptorum. Per hoc fit homo alienus à Deo, intemptor sui, Diaboli servus, gratiæ illufor, gloriæque contemptor. Omne peccatum est per recessum ab ordine, qui est in Deum, sicut in finem: quid ergo magis repugnans, quàm Deus peccatum causans, intendens, & approbans recessum ab ipso, destructionem, & recessum à perfectionibus suis sapientiæ, & amoris Divini? cum Deus, ut egregiè arguit D. Thomas 1. 2. q. 79. art. 1. *Omnia inclinat, & convertit in se ipsum, sicut in ultimum finem.* Secundò: qui effectivè rem producit, necesse est, quòd effectum in sua virtute contineat, cum ab ista effectus productus esse suum trahat, & participet: ergo si Deus esset causa peccati, præcontineretur peccatum in ipso: quare præcontineretur ab ente non ens, & à summo bono malum, quod est insignis chimæra; cum idem esset ens, & non ens, malum & bonum. Hujus conspicuum, & expressum testimonium nobis præbet S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 6. *Sicut peccatum in eo non est, ita peccatum ex eo non est. Quod autem ex eo non est, opus ejus itaque non est.* Quod & sequentibus disertissimis verbis expressit D. Laurentius Justinianus in fasciculo amoris cap. 18. expendens illud Joan. 15. *Sine me nihil potestis facere: dum dixit: Rectè sine Verbo fideles facere non possunt, nisi nihil, cum sine ipso non sint. Omnia per ipsum facta sunt; & sine ipso factum est nihil.* Peccatum sine Verbo factum est, quoniam nihil est. Et tandem id ipsum efficacissimè evincitur. Etenim, cum Deus sit primum liberum, de cujus ratione est operari propter finem, neutiquam potest aliquid specialiter producere, præter finis intentionem, absque eo quòd ipsum intendat, & velit, ut dicitur Sap. 11. *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti. Nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti.* Hoc exigit perfectissimus ille modus, quo Deus concurrat: quod enim specialiter causat, mediante sua scientia producit, non quidem ut absolute considerata, sed determinata per voluntatem, quæ est scien-

tia approbationis, ut docet D. Thomas 1. p. q. 12. art. 8. Ac proinde si speciali influxu concurreret in peccatum, ipsum diligeret, vellet, & approbaret, quod dictum nefandissimum est. Ex quo comprobatur, & mirabiliter arguit D. Augustinus lib. 1. de Simb. ad Cathec. cap. 1. nullam malam hominis voluntatem ad Auctorem Deum esse referendam, dicens: *Prorsus Omnipotens Pater noster peccare non potest; facit quicquid vult, ipsa est Omnipotentia; facit quicquid bene vult; quicquid justè vult: quicquid autem malè fit; non vult.* Unde cum eodem M. P. Augustino lib. 3. de lib. arbitr. cap. 16. exclamare liceat: *Omnino non invenio, nec inveniri posse, & prorsus non esse confirmo, quomodo tribuantur peccata nostra Creatori nostro Deo.*

Hoc ut indubitatum, & fide certum, præsens Disputatio supponit. Longè major est difficultas circa concursum Dei ad actum peccati, quod tangit maximam illam, & difficilem controversiam, quæ graviter retroacti temporis Theologorum ingenia torfit, & circa quam multa sunt à Theologis graviter disputata, multa commodè dicta, multa ingeniosè, & luculentè exposita, quæ cum ex se ipsa sit satis implexa, multò est reddita obscurior, tum novis Hæreticorum erroribus, tum Theologorum diversis argumentandi modis. At cum ex illà impugnantibus physicam prædeterminationem validissimum argumentum sibi arbitrentur desumere, nos eam silentio præterire non possumus. Ejus ergo resolutio ad tria capita reduci potest. Primum, an Deus concurrat ad formale, & materiale peccati? Secundum, an Deus sit causa materialis? Tertium, an physicè voluntatem ad materiale prædeterminet? In quibus elucidandis mihi cordi non est, futilissimas omnes argumentationes disputationis hujus finibus comprehendere, quæ fundamenta minimè dici possunt, sed mera ingenii commenta; cum paucis absolutorum sim momentis, quæ ad doctrinam præsentis temporis, & veram SS. PP. intelligentiam maximè spectare invenientur.



DUBIUM I.

An Deus concurrat ad formale, & materiale peccati?

§. I.

Vindicantur Thomistæ ab erroribus Hæreticorum, & mens Tridentini exponitur.

QUAM parùm solidè, immò quàm sinistrè Sectariorum errorem circa peccati causalitatem Thomistis imponant Auctores multi Scholæ Societatis, evidentibus argumentis demonstravit ille Eruditissimus, ac toto Orbe celeberrimus M. Fr. Joannes Baptista Gonet in Apologia Thomistarum post tractatum de Scientia media art. 7. tom. 1. in 1. p. ubi satis P. Franciscum Annatum præcipuum in Thomistas hujus criminis auctorem, falsitatis reum convincit. Quocirca in animo erat, rem jam à doctissimo, ac disertissimo Viro actam, iterum non agere, eo contentus solùm, ut Lectores ad hunc nostræ veritatis vindicem remitterem. Sed cum meditarer ita, ipsos ulterius procedentes invenio, turpitudinem erroris, & Hæreticorum fraudis cum summa temeritate nobis accriminantes. Primus occurrit P. Ribadeneira tract. de Prædest. disp. 11. cap. 2. num. 16. scribens: *At cum suis principiis suppositis neget verbis (Calvinus) Deum esse auctorem peccati, reque ipsa simili modo videatur, ac PP. Dominicani consequentiam vitare, non satis percipio, justè damnari Calvinum Dominicanis impunitis.* En & iterum repentinus occurrit P. Marin tract. 11. de peccat. disp. 5. in princip. qui quemdam Verdunum nomine (sic loquitur ille) dicentem, refert, *Sententiam Thomistarum impiam, & blasphemam.* Quâ cuspide sic Thomistarum doctrinam transfigere conetur, satis notum; dum loco citato sect. 5. num. 64. hanc sententiam ad Calvinum, Bezam, Melanctonem, & alios rejicit, quorum plura coacervat testimonia, ut probet ipsos solùm docuisse, Deum prædeterminare ad materiale, non verò causare per se formale peccati, ut postea inferat, Thomistas in proprium, blasphemum, & perversum Hæreticorum sensum esse collapsos, reprobamque ipsorum tueri sententiam.

2. Quis à Regulari Viro hoc spurium scomma, putidumque commentum repetitum expectasset? Vel quòd ad auctoritatem recurrat eruditi M. Fr. Blasii Verdù à Sans Ordinis Prædicatorum (nec enim alium suspicor significare voluisse) qui relectiones duas, alteram contra Scientiam mediam, & alteram pro efficacia divinorum auxiliorum scripsit, & qui nusquam in hac nostra sententia

varius fuit, & anceps, ut Lectori ipsum accuratè legenti constabit. Partes, quas ipse credidit, hujus Auctoris, cujus nomen, professio, & doctrina ipsum latuit, amplecti maluit, quam tot Societatis clarissimis luminibus PP. Valentia, Martinon, & Becano, habere fidem, qui sinceriori calamo sectariorum errores referunt, ut ostendit prælaudatus M. Gonet, à quibus toto cœlo distat Thomistarum sententia. Hoc perspicuum est, & manifestum erit, si iterum in memoriam revocemus, Pelagium, Lutherum, Calvinum, & Melanctonem unà, eademque convictos, & hallucinatos fuisse argumentatione, hac nimirum: *Gratia est ab intrinseco efficax: ergo destruit libertatem.* Cujus argumenti consequentia visa est illis infallibilis. Hac de causa negavit Pelagius necessitatem gratiæ per se efficacis, quod est negare antecedens argumenti, ne teneretur concedere consequentiam, & destructionem libertatis. Lutherus verò antecedente concessio, & consequentia, dixit liberum arbitrium ad actus bonos se habere, ut inanime quoddam. Ita constat ex Concilio Senonensi, ubi dicitur: *In errorem Manichæi Lutherus incidit, dum nimis anxie & scrupulosè devitat Pelagium: metuens namque, liberum arbitrium cum Pelagio nimis efferre, omne opus bonum, quod est in homine, Deo tribuit, & divinæ gratiæ, nihil prorsus libero arbitrio relinquebat.* Hoc agnovit, & fatetur Lutherus in lib. de serv. arbitr. post medium, ubi sic ait: *Gratia prædicatur: ergo liberum arbitrium tollitur.* Neque Calvinus negavit, liberum arbitrium se movere, cum à Deo movetur, sed asseruit, nullam aliam in arbitrio servari libertatem præter illam, quam vocant à coactione, sublata tamen omni indifferentia, & potestate ad oppositum: quia nimirum tacta voluntas virtute & impulsu efficaci Dei non cogitur, ut amet objectum, necessitatur tamen antecedenter, ita ut nullo modo possit illud non amare. Cumque ex alia parte peccata in hominibus negare non posset, ex hoc in nefandum incidit crimen, ut diceret, peccatum non arbitrio humano, sed Deo illud necessitanti esse tribuendum. Hoc non nostro judicio judicandum relinquere. Id expressè affirmat Philippus Melancton in Epist. ad Rom. cap. 9. *Nos docemus, ait ille, non solum permittere Deum creaturis ut operentur, sed ipsum omnia propriè agere. Sicut fatemur, proprium Dei opus fuisse Pauli conversionem, ita fatemur Dei propria esse, quæ vocantur intermedia, ut comedere, & bibere: & quæ mala, ut Davidis adulterium: constat enim, Deum omnia facere, non permissivè, sed potentèr.* Hæc ille. Nec minus clarè errorem

rem suum Calvinus protulit, ut supra vidimus; nec erubuit lib. 3. Instit. cap. 23. n. 3. scribere, *Deum esse Auctorem criminis, se censuras confiteri*. Plura alia apud M. Gonet invenies loco citato num. 114. Ex quibus manifestè constat, Heterodoxos illos nulla adhibita larva, nullove fucato colore, spontèque sua fassos, Deum criminis, & peccati esse Auctorem.

3. Ex errore itaque, quo arbitrii libertatem sustulerunt, in alium præcipitati sunt, quo Deum criminis, & peccati Auctorem constituerunt; quod ex Concilio Tridentino sess. 6. videtur manifestè probari, si rectè considerentur verba Canonis, quæ talia sunt: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permissivè solum, sed etiam propriè, & per se, adeo ut sit proprium ejus opus, non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit*. En patens Hæreticorum error, in eo, quod dixerint, Deum opera mala non aliter operari, ac bona; & erroris radicem in eo quod asseruerint, non esse in potestate hominis vias suas malas facere. Confer modò Canonem cum dictis Calvini, & Lutheri, qui arbitrii negaverunt libertatem, & peccata in Deum, ut Auctorem, retulerunt. Certè omnia consonant, damnatque Concilium tum errorem, tum originem, & radicem erroris, mira sanè brevitate, summa tamen perspicuitate; & uno ictu perimit Hæreticos ita argumentantes: *Homo non potest vizare opera, quæ facit, sivè bona, sivè mala: ergo mala, ut bona, sunt à Deo*. Utrumque negat Concilium, antecedens scilicet, & consequens; & ut damnaret consequens, fulmine prius antecedens percussit.

4. Ex quibus duo manifestè habentur; & Hæreticos apertè asseruisse, Deum esse Auctorem peccati, & originem; putidumque hujus erroris fontem fuisse errorem alium, quo dixerunt, Deum sua motione destruere libertatem arbitrii. Utrumque negat, damnat, ac reprobat Schola Thomistica, propugnans, Prædeterminationem physicam non auferre à voluntate proximam, absolutamque dissentendi potestatem, quo solo funditus evellit posterioris originem erroris. Deinde negat, Deum eodem modo operari opera mala, ac bona: Nam ad opera bona supernaturalia asserit, requiri concursum Dei specialem: ad opera mala requirit concursum Dei generalem, nec nisi ad exigentiam voluntatis dispensatum. Affirmat præterea, Deum suo concursu utrumque in opere bono producere, nimirum substantiam actus, & illius bonitatem; in opere autem malo concursui divino tribuunt actus entitatem, malitiam verò non item, sed voluntati deficienti adscribunt.

5. Extat aliud, & sanè magni ponderis, ac momenti discrimen inter Calvini, & Thomistarum doctrinam. Nam Thomistæ om-

nes, ut postea videbimus negant concursum, ac prædeterminationem Dei moralem ad actum pravum; Calvinus verò illam astruxit; nam lib. 1. Instit. cap. 18. n. 5. dixit: *Divinitus efficaciam erroris, & seductionis immitteri, ut credant mendacio*. Ex quo vel solo dogmate infallibiliter inferitur, Calvinum facere Deum Auctorem peccati. Patebit illatio ex inferius dicendis. Modò rogo P. Marin, in quo Doctrina Thomistarum sententiæ Hæreticorum consentiat, ut pari sit exponenda damnationi? An quia Melancton in locis communibus dictis à num. 1336. ipso teste, asserit: *Firmissimè & tanquam utraque manu tenendam esse sententiam, quæ negat, Deum esse ullo modo Auctorem peccati*? An quia Beza explicans suam, & Calvini mentem, Aphorism. 8. asserat, *quod ex ipsis non sequitur ulla istarum blasphemiarum, nempe, vel Deum esse Auctorem peccati, sive delectari in iniquitate, aut velle iniquitatem, vel Satanam, aut homines male agendo obedire Deo, aut quatenus male agunt, facere, quod Deus vult*. Et Aphorism. 19. *quidquid agit Deus, bonum est: cum à summo bono nihil possit mali proficisci. Omnia autem efficit, omnia igitur bona sunt, quatenus à Deo efficiuntur. Et discrimen illud boni, & mali in instrumentis tandem locum habet*. Et idem Aphorism. 21. *Deus per quæcumque agat instrumenta, semper benè agit*? An quia Jacobus Laurentius Calvinista locis ab ipso citatis asserit, hanc blasphemiam totidem verbis negare Calvinum? Quasi multum interesset Ecclesiæ Dei, Hæreticos istos sibi contraria, ac pugnancia contradictoria non posuisse: cum tamen de hujusmodi ac similis farinae hominibus scriptum sit ad Timoth. cap. 1. vers. 5. *Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, volentes esse Legis Doctores, non intelligentes quæ loquuntur, nec de quibus affirmant: quam descriptionem Hæreticis convenire per omnia non negabit*. Aberrantes enim à fide recta deficiunt à charitate, & in vaniloquium conversi, cum velint alios legem docere; quæ affirmarunt, modò negant, modò affirmant, quod negarunt; spirituque suo vertiginis acti ultrò, citròque agitantur, prout eos aura vanitatis inflexerit. Non ergo est magnum piaculum, quod dicam Hæreticos ab ipso citatos, contraria docuisse. Illi semper veritatem mendacis subvertere conantes, quædam rectè sentiunt, & Patrum traditionibus convenientia dicunt, tanquam sua propria dogmata asserentes, ut aliis in locis amara venenata, & viperinæ linguæ dogmata pharmacis lethalibus plena evomant, ut observat Epiphanius in Concilio Nycæno II. Miror sanè, quod Doctor iste partes Hæreticorum æquè tutas, æquè probabiles exhibeat, partes verò Catholicorum immunitas, & indefensas: quasi in his infirmiores fuissent Theologi Scholæ Thomisticæ; & quod

& quod non reflecteret ipse in testimonio Jacobi Laurentii ab ipso citati, quantum conqueritur ille de Jesuitis, quod imposuerunt Calvinò, *Deum esse Auctorem peccati*. Hoc verè dixerunt Jesuitæ: hoc propugnant Thomistæ, non tumultuariis, & putridis ipsorum vocibus insistentes, sed in littera Concilii eorum sententiam reprobantis. Nam quid est aliud, Deum propriè agere adulterium Davidis ea proprietate, qua vocatio Pauli est opus Dei, nisi Deum adulterii illius Auctorem constituere; sicut nos dicimus vocationis Pauli Auctorem esse? Undè Concilium Tridentinum in Canone citato damnat eum, qui dixerit, proditionem Judæ ita esse opus Dei proprium, uti vocationem Pauli, quia vidit, per hoc Deum Auctorem dici proditionis, sicuti vocationis Pauli ab omnibus dicitur Auctor. Concessit ergo, & affirmavit Calvinus locis citatis, Deum esse Auctorem peccati, negavit in locis communibus: quid inde? Nisi fucata contradictio, ut mollioribus verbis suum incautus propinaret errorem; quæ simulata æquitas duplex est ipsorum iniquitas; cum inde iniquissimos se homines prodant, ex quo se esse æquos simulant.

6. Est ergo primaria intentio Concilii duo fide certa declarare: primum, Deum solum operari permissivè mala opera; secundum, Deum non ita propriè, & per se operari mala opera, sicut operatur bona. Cui definitioni consonat D. Thomas in 2. dist. 37. q. 2. art. 2. ubi sibi tertio objiciens: *Quod si Deus esset causa actionum malorum in quantum actiones sunt, eodem modo dicendus est Auctor bonorum, ac Auctor malorum*, sic respondet: *ad tertium dicendum, quod Deus dicitur causa bonarum operationum non solum quantum ad essentiam actus, sed etiam quantum ad perfectionem, secundum quam bone dicuntur; utrumque enim agenti influit, & ut agat, & ut benè agat. Sed in malis actionibus, quamvis sit causa earum quantum ad essentiam, non tamen est causa quantum ad defectum; & ideo dicendus est causa bonorum operum, non tamen peccatorum*. Hoc apertè significant verba illa Concilii *Deum operari permissivè solum mala opera, & non propriè, & per se*; in quo maximè falluntur Auctores oppositi, asserentes, per puram permissionem non negare Concilium aliquam operationem veram in mala opera. Quod sanè egregiè falsum est: non enim in Tridentino impropriè, sed ex communi modo loquendi SS. PP. desumi debet sensus hujus termini *permittere*, qui excludit omnem veram efficientiam; cum idem sit, ac non impedire, ut aliquid fiat. Audiatur D. Augustinus in Enchir. cap. 101. ubi sic loquitur: *Propterea namque magna opera Domini, & exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro, & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quia non fieret, si non sineret, nec utique nolens finit, sed volens*. Et cap. 95. *non fit aliquid, nisi omni-*

potens velit, ut fiat, vel sinendo, vel ipsam faciendo: quibus clarissimè contraponit finire ad facere, & quod contra Dei sit voluntatem, fieri, Deo non faciente, sed sinente, & volente permissionem. Audiatur D. Cyprianus ad Demetr. *Deus cum sit Mundi Dominus, & Rector, nec quidquam fieri possit, nisi quod aut fecerit, aut fieri ipse permisisset*. En iterum ubi permittere fieri est non facere. In eodem sensu loquutus est Chrysostomus 2. ad Thimot. 4. Homil. 8. *Scito, quod Deus omnia providet, quod alia quidem operatur, alia verò permittit*. En ubi contraponit permissionem operationi, ut, quod permittit, non operetur: ergo Concilium astruens, Deum operari solum permissivè mala opera, negat, per puram permissionem erga ipsa aliquam esse Dei operationem. Non enim admittit, quod Deus plus quam permissivè influat in ipsa peccata; non, quod dum permittit peccatum, sit aliquis effectus omnipotentiae divinæ erga peccatum; non quod detur verus Dei affectus erga efficientiam malitiae peccati; absit, quod à Concilio hoc definiatur. Enim verò intelligi nequit, quod Deus plusquam causa permissiva dicatur causa peccati; quin verum absolute sit, quod Deus sit vera causa peccati: cum causa absolute sumatur pro influxu physico, quem verè absolute Deus præstat. Non similiter admitti potest verus effectus omnipotentiae divinæ erga peccatum, quin detur & affectus ex parte voluntatis, qui Deo penitus repugnat, cum positivè odio habeat efficientiam peccati, & adhuc ex determinatione creaturæ sit hominem peccare: ergo si ex Concilio Deus solum permissivè operatur, licet detur influxus omnipotentiae divinæ erga permissionem peccati, quatenus hæc est à Deo, ut efficiente, non tamen in ipsa permissione includitur vera operatio erga peccatum, quam concedunt Adversarii, & inferius magis impugnandam reservo.

7. At ut nulli non constantissimum videatur, quod subdolè Thomistis imponunt, & supponunt adversari Concilio, audiantur quæ in hujus argumenti probationem nobis objiciunt. Primò occurrit P. Ribadeneira num. 16. cujus argumentum, ne quid efficacie à nobis omisum queratur, ipsius verbis proponam. *Calvinus, & Sectarii negant, Deum esse Auctorem malitiae formalis, & non sequitur evidenter ex ipsorum principiis, talem esse Auctorem, si semel id non sequitur ex Dominicanorum principiis: ergo injustè damnarentur à Concilio tanquam facientes Deum Auctorem peccati*. Antecedens (quod est minor apud illum) (quoad primam partem ait, *patere ex dictis Hæreticorum; quoad secundam ex dictis facile probari*. Nam primò considera consequentiam hanc contra Dominicanos: *Deus voluntatem liberam libertate ad eligendum opposita, reddit prædeterminatam ad materiale peccati*:

ergo etiam ad formale, cum quo inevitabiliter connectitur materiale. Si enim prioris consequentia evidenter excludunt P.P. Dominicani, quatenus ajunt, malitiam esse extra sphaeram Dei, ideoque posito materiali, resultare malitiam citra divinam praedeterminationem malitiae ex voluntate creata liberè operante; cur non satis posterioris consequentia evidenter excludent Calvinistae, quatenus dicunt, formalem malitiam esse extra sphaeram Dei, ideoque posito materiali, resultare citra divinam ipsius malitiae praedeterminationem ex voluntate creata spontè agente? Damnetur ergo Calvinus, quia libertatem evertit, quia sufficientem peccabilitatem non adstruit. At cum suis principiis suppositis neget verbis, Deum esse Auctorem peccati, reque ipsa similitudo videatur, ac P.P. Dominicani, consequentiam vitare, non satis percipio, justè damnari Calvinum Dominicanis impunitis. Hucusque ille Cenfor egregius.

8. Non minora tentat P. Marin tract. 11. de peccatis disp. 5. sect. 5. n. 66. post P. Ramirez tract. de Praedest. disp. 6. cap. 3. sub sequenti forma, & figura objiciens: Deus absolute, & sine restrictione causaret per se mala opera, si causaret per se entitatem mali operis; nam à restricto ad non restrictum valet affirmativè: ergo hæc consequentia est bona: Deus causat per se malum opus cum hac restrictione, scilicet quoad entitatem: ergo absolute causat per se malum opus. Secundò: ut hæc propositio sit vera, malum opus causatur per se à Deo, sufficit, quòd prædicatum causatur conveniat subjecto secundum id, pro quo supponit, licet non secundum id, quòd dicit de formali: qua ratione vera est hæc propositio, corpus album est substantia; & ista corpus album est dulce: ergo cum id, pro quo supponit peccatum sit entitas, & actio, ut hæc propositio sit vera, sufficit, quòd Deus causat entitatem peccati. Tertio in hac propositione, & in allatis immediatè, opus malum est vitale, subjectum opus malum supponit pro entitate actus, non pro malitia: ergo in hac: opus malum causatur per se, subjectum illius supponit pro entitate: ergo si Deus causat entitatem, absolute verum erit, quòd malum opus causatur à Deo. Quartò: Concilium definiens, mala opera non esse à Deo, improprie loqueretur, si per malum opus non intelligeret entitatem, sed solum malitiam: sicut improprie loqueretur qui per album intelligeret solum albedinem, quæ est forma albi. Tum, quia malum opus secundum, quòd dicit malitiam, non est opus, & consequenter non est malum opus, sed privatio: sed improprie loqueretur, qui pro opere sic prolato intelligeret, quòd non est opus, sed privatio: ergo.

9. Mirum sanè, quòd dum Auctoribus istis incumberebat maximè omnes ingenii nervos contendere ad hunc articulum solidissime firmandum, ex quo majores Thomista-

rum conquestus contra eos exoriri debebant, hoc nobis opponant, quo nihil magis immunum, nihil infirmius. Et quidem primò quis non mirabitur P. Ribadeneira latuisse, consequentias, quas putat similes, ita inter se distare, quantum distat sana sententia ab errore, quantum distat verum à falso. Nam profectò si praedeterminatio relinquit in homine libertatem ad eligendum opposita, homo praedeterminatus ad actum, five pro materiali, five pro formali, potens est reprobare malum, & eligere bonum; ac subindè quòd malum eligat, vitio hominis tribuendum, est: ex quo malitia primæ consequentia aperitissimè constat: nec ad id fugiendum recurunt Thomistae ad hoc, quòd malitia actus sit extra sphaeram omnipotentiae, sed respondent: homo praedeterminatus ad materiale peccat, quia potest, tenetur, & non vitat malum. Sin autem praedeterminatio solam relinquit libertatem à coactione, & evertit indifferentiam, ac potestatem ad bonum, malitia actus non homini ad illum necessitato, sed causa praedeterminatione sua necessitanti jure meritò est adscribenda, nec est apparens ratio, cur illi non tribuatur.

10. Hac profectò clariora sunt, quam ut probari debeant; & ex illis patet, quam reprehensibilis fuerit contra Thomistas objectio: prima quippè consequentia perindè se habet, ac si ad formam syllogisticam hoc modo reduceretur: *Qui potest, tenetur, & non vitat malitiam sui actus, peccat: sed homo praedeterminatus ad actionem, cui est infallibiliter annexa malitia, potest, tenetur, & non vitat malitiam sui actus: ergo homo praedeterminatus ad actionem, cui est infallibiliter annexa malitia, peccat.* Porro hic syllogismus optimus est, tum ex forma, tum ex materia: ex forma quidem, quia caret omni defectu; ex materia autem, quia major est per se nota; minor autem in argumento supponitur ab Adversariis, vel hostem fingunt; sed ille, istam ex antecedenti primo consequentiam inferri, callidè dissimulavit, & latenter voluit, malitiam ex praedeterminatione deduci eo pacto, quo ex secundæ consequentia antecedente contra Calvinistas infertur; at operam perdidit.

11. Consequentiam contra Calvinum, factam optimam esse ex dictis sit evidens. Si namque in homine Calvinistâ praedeterminatione moto sola manet libertas à coactione, nulla à necessitate antecedente, nec actum valet impedire, nec malitiam, & ergo jure malitia actus vitio hominis vertetur? Optimè D. Thomas argutias, & cavillationes istas præveniens in 2. ad Annibal. dist. 37. art. 3. ad 1. ait: *Quòd non est in potestate navis, vel ejus arbitrio, ut à Governatore deferatur, & ideo submersio navis tribuitur Governatori, sicut causa: sed peccator ex proprio arbitrio se separat à Deo. Undè ei imputatur suum periculum; nec oportet dicere, quòd Deus sit*

fit causa peccati. Quia nimirum homo praedeterminatus ad materiale peccati potestatem habet antecedentem ad vitandum actum, quam non permittit, sed vult Calvinus divina motione destrui.

12. Quæ objicit P. Marin non minus vana, & irrita sunt, sicut solidam, certamque auctoritatem habet oppositum in ipsâ litterâ Concilii. Peccat sanè primum peccato rationationis vitiosæ, & ineptæ. Locus arguendi à restricto ad non restrictum affirmativè non valet variata appellatione, ut variatur in consequentia facta; cum in antecedenti, actio in quantum actio causatur per se à Deo, ly in quantum appellet supra physicum actionis, seu entitatem, & in consequenti peccatum causatur à Deo, appellet supra formale peccati. Ex quo irritum est, quòd secundo loco dicitur, quòd, ut propositio sit vera, sufficit, quòd prædicatum causatur conveniat subjecto secundum id, pro quo supponit subjectum, malum opus. Facit namque tale prædicatum sensum appellativum. Sicut in his propositionibus *Deus diligit impium, Deus peccatorem amat,* quæ falsissimæ sunt, licet id, pro quo supponunt, terminet amorem, & dilectionem Dei. Et propter hoc nullum est argumentum, quòd tertio loco proponitur, quia in propositione ista *opus malum est vitale,* nulla datur appellatio. Ad quartum respondetur, propriissimum fuisse sensum, & modum loquendi Concilii negantis, Deum plusquam permisivè causare peccatum, significans per malum opus ipsam malitiam peccati, quæ est extra causalitatem Dei. Non enim in propositionibus facientibus sensum appellativum improprie quis de aliquo concreto loquitur, etiam si nomine illius intelligatur significatum formale; immò tunc propriissima est locutio, cum significatum formale est propriissima ratio convenientiæ, aut negationis prædicati. Cum ergo Deum non causare peccatum proveniat, non ex entitate physica actionis, sed ex malitia, propriissime loquitur Concilium, nec improprie accipit malum opus, dum negat ipsum à Deo causari: quæ omnia cum ex dicendis maximè constabunt, hic amplius differere, nihil est aliud, quam tempus, & operam ludere. Sed satis mirari non possum A. istum, qui tract. 11. de peccatis disp. 6. n. 40. in sequentem abiit discursum: *Esse causam physicam per se est quòd per verum, & physicum influxum producit effectum; sed Deus per verum & physicum influxum producit malitiam; quia illam producit per actionem veram, & physicam, & verè physicè egredientem ab omnipotentia: ergo est causa per se malitia.* Alia infra notabimus num. 25. Interim verò dissimulare non possumus, hominem nos cum Hæreticis confundere conantem, simulque hæc loquentem; quæ an ita Hæretici loqui ausi fuerint, nec ille concessit, ut supra n. 6. vidimus. Nec excusandus, quòd hæc protulerit non resolutoriè, sed tanquam ab alio,

cui placeant defendenda. Quod enim ita proposuit, absurdum non putavit; aliàs scandalum se ceteris pararet, & esset offensionis, quòd esset injustum, & in Doctore Catholico maximè reprehensibile.

S. II.

Vindicantur Thomistæ ab alia impostura facta, & referuntur sententiæ.

13. ERuditissimos, ac Sapientissimos Viros Eminentissimos. Cajetanum, Nazarium, M. Albelda, M. Soto, & M. Zamel volunt Molinistæ habere socios in patrociniis sententiæ negantis physicam praedeterminationem ad materiale peccati; sed immeritò talem, ac tantam injuriam Sapientissimis Magistris irrogant, quòd perspicuum erit, si loca, ubi rem ex professio tractant, in medium producamus. Et quidem primò Eminentiss. Cajetano inter Thomistas meritò celeberrimo hæc sententia tribuitur, cum tamen difficultatem istam nemo declaraverit aptius. Audiatur 1. 2. q. 72. art. 1. *Ex hoc autem, quòd de ratione talis actus est esse ab agente deficiente, sequitur, quòd pro quanto est ab agente, sit à Deo primo agente: pro quanto à deficiente, non sit à Deo. Sequitur secundò, quòd dicere, deformitatem peccati comitari actum talem absolute, & dicere ipsam comitari talem actum, ut est ab agente deficiente, idem est, quia de ratione talis actus est esse ab agente deficiente. Sequitur tertio, quòd non est idem concurrere ad talem actum secundum id, quòd habet ab agente ut sic, & secundum id, quòd habet ab agente ut deficiente: sicut non est idem esse agens, & esse deficiens: neque esse ab agente, & esse à deficiente.* Hæc profundissimus Cajetanus, qui & post pauca subdit: *Distinguat sic actus moralis malus secundum suam speciem dupliciter. Primò absolute, seu simpliciter. Secundò secundum id, quòd habet perfectionis. Et primo modo sequitur ad eum deformitas, secundo non. Primo modo est ab agente deficiente: secundo ab agente tantum, ac per hoc à Deo. Et in art. 2. ejusdem quaestionis: Deus est causa actus, qui est peccatum tam secundum esse naturæ, quam moris, non tamen est causa peccati, quia non est causa, quòd actus sit cum defectu, id est non est causa concomitantia, seu conjunctionis defectus cum actu. Conjunctionis namque ista non undecumque provenit, sed ex deficiente libero arbitrio, nec convenit actui quomodolibet sumpto, sed ut à deficiente pendet.* Ecce Eminentissimus iste totus est in ostendendo, immunem esse concursum divinum ab attingentia malitiae: causare verò entitatem actus, quæ est materiale actus. Quo ergo jure illum pro se adducant Recentiores, ego non video; sicut & Nazarium 1. p. q. 22. art. 4. pag. 655. sex conclusionibus mentem suam exponentem: quarum

prima est: *Deus est causa actus peccati, etiam secundum speciem naturæ.* Secunda: *Deus non est causa peccati.* Et in sexta statuit: *Deum voluntatem determinare ad actum secundum eius speciem naturalem.* Et M. Albelda ex professo 1. p. q. 19. art. 8. disp. 59. p. 726. vers. *Quibus suppositis*, dicentem: *Deus concurrat ad actum peccati, in quantum est ens, non solum concursu simultaneo, verum etiam concursu prævio recepto in voluntate.*

14. M. Sotum, qui Tridentino eloquentia, sapientia, & eruditionis miraculum fuit, sententiam suam tenere affirmant lib. 1. de natur. & grat. cap. 18. Verum ex loco isto, falsitatis convincuntur: ibi enim non longè à fine, statuto concursu generali prædeterminante voluntatem ad actionem peccati, ut est entitas, sententiam explicat iisdem exemplis, quibus illam Angelicus Magister declarat. Igitur prope finem cap. 18. lib. 1. sic habet: *Haud equidem differunt Theologi, entitatis, (ita vocant) quæ est peccatum, Deum esse causam eo efficientia genere, quo cuncta, & animantia, & inanimantia ad suas naturales actiones permovet.* Ex quo constat, sensisse hunc Magistrum Sapientissimum, Deum causare entitatem peccati concursu physicè prædeterminante. At statim præveniens imposturam, à qua ipsum vindicamus modò, explicat, quo pacto ex sua sententia minimè sequatur, Deum aliquatenus concurrere ad malitiam, ac deformitatem peccati. Undè subjungit: *Nec tamen indè statim conficitur, causam esse peccati, qua parte deflebitur à lege, & voluntate Dei.* Et paulò post rem ita declarat: *Uridum claudus ambulat, homo est causa ambulationis, quòd tamen malè, & incommodè gradatur in detortam tibiam rejicitur: atque dum optimus scribendi Artifex, sive incommodo calamo, sive in mala papyro scribit, ipse quidem est causa Scripturæ, malitia vero characteris refertur vel in calamum, vel in papyrus: ita prorsus dum quis delinquit, Deus quidem cum homine est causa actionis, quatenus res quedam est, quòd autem à lege declinet, soli imputatur libero arbitrio.* Hæc doctissimus iste Thomista, quibus manifestè Deum vocat causam entitatis peccati nulla adhibita restrictione; peccati verò asserit non esse causam. Ecce sententiam istam, quæ audacter nimis Calvinismi notatur, in Concilio scriptam, ac publicatam, Patribus Concilii dicatam, ac denique probatam a Legatis Concilii specialiter adversus Calvinum congregati; ergo vel calumniam istam illis Orthodoxis Patribus apertè inferunt, vel à censurâ injuriosâ desistant. Hæc pro tanto Magistro dicta sint fati.

15. Objiciunt nobis M. Fr. Franciscum Zumel, virum illum eruditum, qui omnem scientiæ gloriam invasit, omnem tenuit, & quem tanti fecit Clemens VIII. ut ad ejus immortalæ gloriam in suo Brevis Apostolico die 10. Martii anni Domini 1603. magnis

ipsum celebret præconiis dicens: *Hæc omnia manifestius agnovimus, & prospeximus ex hoc tuo commentario, quem ex tuo zelo incensus, & ejusdem Nuntii cohortatione permotus nuper scripsisti, ut quorundam hominum novitates amantium parùm consideratas (ne quod gravius dicamus) opiniones confutares, & veritatem in re gravi assereres, & roborares.* Asserit namque 1. p. q. 22. art. 4. Append. *quamvis Deus immediatè concurrat ad entitatem, & substantiam actus mali, & peccati, & sit verissimum; dicere tamen, esse prærequisitum auxilium efficacem Dei prædeterminans, & præmovens efficaciter voluntatem hominis ad actum peccati, & mali moralis, etiam pro materiali, neque est verum, neque sane doctrinæ consonum; immo verò est falsum...* hæc asseritio statuitur peculiariter contra eos Hæreticos, qui aiebant, Deum ab æterno, antequam videret voluntatem hominis determinantem se in actum peccati, ita statuisse: *volo, ut Petrus tali die mentitur, & tali adulteretur, & quòd ex vi hujus efficacis voluntatis Dei Petrus de factò mentitur, & fornicatur &c.* Ita censuerunt plures ex Hæreticis Lutheranis. Ita Philippus Melancton super Epist. ad Rom. impudenter asseverat, *Deum esse causam peccatorum, & quòd non minus proditio Judæ, quàm conversio Pauli fuerit ex voluntate Dei.* Hucusque prædictus Auctor. Ex quo fanè vanum triumphum sibi quærent Adversarii.

16. Potest namque in peccato præter formalem deformitatem considerari entitas peccati, seu actio peccati, & libertas, & omnes aliæ formalitates purè physicæ, quæ in peccato sunt, & vulgò vocantur materiale peccati, seu operis mali; & ista possunt dupliciter sumi, vel formaliter prout ordinantur, subsunt, & connotant formalem malitiam, non per se intentam à creatura, vel purè materialiter, ut entitas, & actio secluso tali ordine, & connotatione. Ut certissimum supponunt Thomistæ, Deum non posse absolute determinare materiale peccati in primo sensu, seu formaliter ut connotat, & subest formali malitiæ; quia determinaret malum opus, & peccatum, & ex consequenti peccaret, & determinaret malitiam: qui enim determinat subtractum alicujus concreti, ut subest formæ, determinat concretum ex subtracto, & forma; sed peccatum dicit actionem liberam pro subtracto, & malitiam pro forma: ergo si Deus determinaret actionem, ut subest malitiæ, peccatum determinaret. In hoc sensu loquitur prædictus Magister hanc asseritionem statuens peculiariter contra eos Hæreticos, qui aiebant, Deum ab æterno aliquos ad malum prædestinasse, qui error damnatus fuit in Concilio Arausiano II. Can. 25. sequentibus verbis: *Aliquos verò ad malum divina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione in illos anathema dicimus.* Quorum hæresim renovarunt Lutherus, & Calvinus. Si

Si ergo non cum illa præcisiva, & metaphysica terminorum distinctione loquitur, contradistinguens ipsum materiale materialiter, vel formaliter acceptum, est, quia temporibus illis, etsi jam essent hujuscemodi novæ disputationis inter Catholicos initia, non tamen orta erat contentio, & dissenso, occasionem criminandi arripiens ex confusa intelligentia hujus termini *materialis*, quem semper formaliter accipit Auctor iste, & ut contradistinguatur entitati peccati, quam à Deo esse dixerat ibi quæst. 4. art. 2., quia, nempe actiones peccatorum sunt entia realia positiva à Deo creata: ergo sunt à Deo tanquam à causa efficiente. Rursus: *hujusmodi entia subtracta sunt bona: ergo sunt à Deo.*

17. Verum non est, quòd immoremur, nec subtiliora rimari necessum est, ut à tali sententia remotissimum fuisset noverimus. Audiatur 1. 2. q. 79. art. 1. ubi inquit Divus Thomas: *utrum Deus sit causa peccati? Pro explicatione hujus difficultatis, inquit, primò sentiendum est catholicè, ad omnem entitatem realem peccati, quatenus actio, & entitas realis est, Deum immediatè concurrere tanquam primam causam, & per se illius entitatis, & operationis. Hæc est contra Durandum, & aliqua ex parte contra recentes Theologos, quos zaceo. P. Molinam, & Suarez intelligit Auctor, quos nusquam ex nomine designavit, nisi dum expressè in quæstionibus variis ipsorum refellebat opiniones.* En ubi apertè asserit, Deum immediatè concurrere tanquam primam causam, & per se illius entitatis, & operationis, quæ nequit esse à Deo, ut primo efficiente, quin sit ab ipso, ut primo libero; quia ratio primi efficientis convertitur cum ratione primi liberi: ergo est à Deo, ut primo determinante, quia de ratione primi liberi est esse primum determinans, sicut de ratione liberi est determinare, & secundi liberi secundò determinare: ergo Deus concurrens ad entitatem ipsam determinat. Si ergo negat in prædicto testimonio, Deum efficaciter præmovere voluntatem hominis ad actum peccati, etiam pro materiali, non accipit materiale materialiter sumptum, sed formaliter: sicut illud accipit 1. 2. q. 111. art. 3. disp. 4. vocans materiale peccati entitatem malam, dicens: *implicat prædeterminare entitatem malam, & movere ad illam, quin moveat ad formale peccati:* hic denuò repetens se agere contra Calvinum, & Lutherum. Et expressius mentem suam aperit dicens: *Nullus Hæreticorum dixit, Deum concurrere ad formale peccati, sed tantum ad materiale, præmovendo, & prædeterminando arbitrium nostrum:* quæ eadem verba etsi legantur in P. Marin dicta sect. 5. n. 64. non tamen est mens, & fides una: nam Doctòr iste ex prædeterminatione ad materiale materialiter sumptum arguere vult, Deum esse Auctorem peccati, ille verò contra Hæreticos ex materiali formaliter sumpto.

18. Aliud sane testimonium huic nostro argumento accommodatissimum observare est tom. 1. variar. disputationum in Append. ad disp. 5. sect. 1. pag. 250. edit. Salmanticensis, juxta Lugdunen. verò tom. 3. pag. 209. §. *Ad confirmationem: nobis certissimum est, Deum non præmovere ad peccatum, sicut alibi fusiùs ostendimus 1. 2. q. 111. & 1. p. q. 22. art. 4. disp. unica; non enim militat utrobique par ratio de actibus bonis, & de malis, seu peccaminosis. Primò, quia homo non subordinatur Deo, ut peccans est, sicut subordinatur Deo, ut est bene agens. Rursus, Deus non est causa peccati neque prima, neque secunda, neque per se, neque per accidens; homo verò est verè, & propriè causa sui peccati, & in peccando minimè subordinata Deo. Tertid: Deus neque excitat, neque vocat, aut invitat ad malum actum peccati, sicut excitat, & vocat ad bonum actum conversionis, & penitentiæ. Quartò, quia Deus prohibet peccata, & actiones malas, quæ sunt contra legem, & præcepta ejus, & quidem leges prohibentes peccata, ne fiant ab hominibus, prohibent etiam actiones peccaminosas, & pravas moraliter. Quintò, quia Deus non est causa moralis consilians, neque præcipiens ullo pacto actus pravos, & solum dicitur causa naturalis actionum. Sextid, quia Deus est prima bonitas per essentiam, ac proindè non potest illi subordinari actio mala ut sic, neque homo ut pravè, & malè agens. Cum igitur hæc tam diversa sint, & intercedant inter actus bonos, & malos, non oportet consequenter loqui de actibus malis, & peccaminosis, sicuti de actibus bonis, & consequenter negandum est, Deum prædeterminare, & prædefinire odium Dei, aut volitionem jurandi, aut similes actiones malas. Hic clarissimè sententiam suam proponit, explicans nova luce, quod 1. p. q. 22. art. 4. asseruit, non dari prædeterminationem ad materiale peccati; quia nempe Deus esset causa peccati, & quia homo non subordinatur Deo, ut peccans est, & quia Deus non excitat, neque vocat, aut invitat ad malum actum peccati, cum non sit causa moralis consilians, aut præcipiens actus pravos, sed solum causam naturalis actionum. Qui textus minimè favet Adversariis, cum verbis illis *rursus Deus non est causa peccati, neque prima, neque secunda, neque per se, neque per accidens*, negat omnem causalitatem plusquam permissivam, & quod non est causa peccati per accidens, ut affirmant ipsi. Viderint ergo, quo fidenti animo Sapientissimum istum Magistrum in oppositam Thomistarum sententiam pronunciant. Verum de his fati. Nam his paucis expostis, qualis, quantaque sit citandi incuria facile intelligitur.*

19. His ergo despectis levibus judiciis, duplex in præsentia occurrit sententia. Prima affirmat, Deum concurrere ad formale peccati; quia tamen non concurrat ex sua determinatione, sed ex determinatione creaturæ, & contra suam inclinationem, ideo solum per-

permissivè, & per accidens est causa peccati, quam communem Auctorem Societatis asserit P. Marin loco citato disp. 6. sect. 1. n. 5. Et P. Ramirez de Prædest. disp. 6. cap. 4. & 5. Sententia negans, Deum ullo modo concurrere ad malitiam, seu deformitatem peccati, eam aliquatenus producendo, aut attingendo concursu positivo, est communis Thomistarum, & frequentissima apud alios Theologos, & frequentissima apud antiquiores, non agnoscentes in Deo aliam malitiæ causalitatem, nisi purè permissivam, sumpta permissione pro voluntaria, ac libera, iustaque negatione concursus requisiti ad vitandum peccatum. His suppositis.

§. III.

Deus nullatenus concurrat ad formale peccati, nec est causa per accidens malitiæ, & deformitatis.

20 **F**irmissimum, & irrefragabile hujus veritatis præbet testimonium D. Thomas, supponendo ex Adversariis, quod videbimus infra, Deum vel causare, vel concurrere ad malitiam peccati eodem in sensu, eademque proprietate, qua vel causat, vel concurrat ad entitatem illius. Etenim apud D. Thomam est evidentissimum, Deum longè aliter se habere in suo concursu ad malitiam ac in illo se habeat ad illius entitatem; quod clarè percipiet qui vel leviter attenderit ordinem, & altissimam methodum, quam observat ubicumque materiam subjectam nostræ disputationi pertractat: semper enim tali procedit articulo ordine, ut in priori inquirat, *utrum peccatum sit à Deo?* In posteriori verò *utrum actus peccati sit à Deo?* Ita in 2. dist. 37. q. 2. Ita in Disputatis de malo quæst. 3. ita 1. 2. q. 79. Deinde in his locis ita resolutionem tradit, ut in 1. art. asserat, *peccatum non esse à Deo, & Deum non esse causam peccati*, in secundo verò asserit, *à Deo esse actum peccati*: immo planè, & evidenter resolvit in secundis articulis illarum quæstionum, Deum esse causam, & Auctorem actionis, ut dubio sequenti videbimus: ergo mentem D. Thomæ, qui ut veri Discipuli profitentur sequi in hac controversia, debent nobiscum asserere, Deum longè aliter concurrere ad entitatem peccaminosi actus, quam ad malitiam peccati. Si enim concursus Dei pari modo, eademque habitudine se haberet ad malitiam, & ad peccati entitatem; eo in sensu, in quo entitas peccati dicitur esse à Deo, malitia quoque esse à Deo deberet dici; nec enim alio modo, vel per aliud medium entitas peccati est à Deo, quam per influxum sui concursus: sed D. Thomas in primis articulis citatis illarum trium quæstionum absolute negat, peccatum esse à Deo, & articulis secundis constantissimè affirmat, esse à Deo

entitatem peccati, cujus entitatis Deum aliquando vocat Auctorem, semper verò causam; quod & sæpius dixit in 3. lib. contra Gent. ergo juxta mentem D. Thomæ longè aliter se habet ad entitatem peccati, ac ad illius malitiam; modoque loquendi aptissimo, ac profundissimo, ut absit omnis æquivocatio, ut in actu inveniret defectum, ad defectum principii recurrit, ita quòd utrumque explicat, & naturam principii, cujus vitio defectum vertit actionis, & actum; in eo distinguens id, quod in illo entitatis, & perfectionis est, ab eo, quod in illo est deformitatis, & defectus: primum tribuit Deo, & voluntati ut efficienti, prout benè Eminent. Cajetanus loco citato exposuit: secundum verò tribuit voluntati, ut deficienti, minimè concursui divino, qui defectu aliquo infici non potest.

21. Hoc maximam auctoritatem accipit ex illo Joann. 1. *Et sine illo factum est nihil*: quibus verbis juxta D. Augustinum, Origenem, D. Thomam, & alios plures, ut asserit ibi D. Thomas lect. 2. litt. B. in fine, *significatur puritas causalitatis divinæ, quia sic est causa bonorum, quod non est causa peccati*. Ex quibus fit argumentum. Quod fit Deo positivè concurrente, non fit sine Deo: sed peccatum per vos fit Deo positivè concurrente: ergo peccatum non fit sine Deo: sed hæc propositio *peccatum non fit sine Deo*, est contradictoria illius *sine ipso factum est nihil* juxta intelligentiam SS. PP. ergo concursus positivus Dei ad formale peccati defenditur apertè contra Sacram Scripturam, ut intellectam ab Augustino, Origene, D. Thoma, & aliis: sufficit enim, quòd non fiat sine Deo positivè concurrente, ut non dicatur absolute fieri sine Deo, sicut in loco citato absolute dicitur.

22. Hoc ipsum aptissimè deducitur ex variis SS. PP. testimoniis, in quibus efficientia Dei diverso modo comparatur ad entitatem peccati, ac ad malitiam. Constat ex D. Augustino lib. 1. de liber. arbitr. cap. 2. his verbis: *Credimus autem, ex uno Deo omnia esse quæ sunt, & tamen non esse peccatorum Auctorem Deum*. Et lib. 1. retractat. cap. 26. asserit: *Videndum est, ne malè intelligatur, quod dixi, mali Auctor non est, quia omnium, quæ sunt, Auctor est; quia in quantum sunt, in tantum bona sunt*. Ubi positivè affirmat, quòd malum, quatenus est bonum, bonitate scilicet physica, sic habet Deum Auctorem, licet Deus non sit Auctor mali. Sic eruditè dixit D. Anselmus lib. de Casu Diaboli cap. 20. *Voluntas mala quatenus voluntas, motus, & actus est, est ex Deo, quatenus justitia caret, non Dei est, sed volentis*. Et lib. de concordia præscientiæ, & Prædestinationis, cap. 7. sententiam istam docet, & explicat distinctione eadem, qua utitur D. Thomas: *Omnis qualitas, inquit, vel omnis actio, & quidquid aliquam habet essentiam à Deo est, à quo omnis justitia, & nulla injustitia. Facit igitur Deus omnia*

omnia, quæ justa, vel injusta voluntate fiunt, id est bona opera, & mala: in bonis quidem facit, & quod sunt, & quod bona sunt; in malis verò facit quod sunt, non quod mala sunt. Quo sane nihil expressius desiderari potest, & quod ad evidentiam rem nostram efficacissimè probat. Si enim formale peccati esset à Deo in eo sensu, & proprietate locutionis, qua est à Deo actio peccati, injustitia esset à Deo ea in proprietate locutionis, & in eo sensu, in quo à Deo est justitia, quod asserere nullus audebit. Id verò sequi probatur ex verbis Anselmi, dum clarissimè probat, actionem peccati esse à Deo, quia ab illo est omnis justitia: ergo si formale peccati est à Deo eo prorsus modo, quod actio peccati, à Deo erit injustitia eo prorsus modo, quo à Deo est justitia. Vel aliter: non est à Deo injustitia; sed malitia, & formale peccati est ipsa injustitia: ergo formale peccati non est à Deo eo in sensu, & proprietate, quo ab illo est materiale, alioquin esset à Deo injustitia eo in sensu, quo ab illo est justitia.

23. Hæc cum ita sint, non possunt Adversarii negare communem SS. & Theologorum locutionem, qua absolute, & absque ullo addito restringente, aut diminvente Deum proferunt causam actionis, quæ est peccatum, & entitatis, quæ peccati malitia inficitur: sed, ut illi affirmant, evidens est, Deum ad formale peccati ita suo se habere concursu, eoque in sensu, ac locutionis proprietate, quo in sensu, & proprietate se habet juxta Sanctos, ac Theologos ad actionem peccati, & entitatem, quæ malitia inficitur, quod ne à nobis ipsis impositum dicant, audiant P. Marin dicta sect. 5. n. 39. *Juxta fere omnes nostros Auctores modernos Deus eodem modo est causa malitiæ, ac entitatis, & actus peccati (& existimant hi Auctores hanc esse mentem D. Thomæ) sed juxta D. Thomam Deus est causa per se purè physica entitatis, & actus peccati: ergo Deus est causa per se purè physica malitiæ*. Et n. 40. *Deo tribuendus est ille influxus, qui magis conformis est SS. PP. & D. Thomæ. Sed SS. PP. & D. Thomæ magis conformis est influxus cause physica per se; quia absolute, & sine restrictione dicunt, Deum causare quidquid physicum est in peccato, quæ verba juxta nos significant modum causandi: ergo sine restrictione influit physicè in peccatum, & est causa physica peccati: & consequenter est causa purè physica per se: quæ alienatio semper addenda ad vitandum malum sonum, quod & repetit num. 42. ac verò Deus verè physicè influit, & per verum, & physicum influxum influit in peccatum, & prævidet futurum peccatum, & à Patribus dicitur causare quidquid positivum est in peccato, & hoc extendit ejus dominium: cur ergo non erit causa physica peccati? Non moralis, quia plus requiritur, ut aliquid sit causa moralis, quam physica, & ideo forsitan ars non dicitur causa moralis mali artefacti. Si ergo minorem istam volunt esse evidentem, vel saltem esse*

probabilem: ergo saltem probabiles erunt hæc propositiones absolute prolatae: *Deus est causa malitiæ; Deus est causa peccati*.

§. IV.

Prima ratio Conclusionis probativa proponitur.

24 **N**unc rationibus differendum est. Et prima desumitur ex dictis; nam concursus ille eodem modo denominat Deum concurrentem ad formale, quo illum denominat concurrentem ad entitatem, seu ad materiale peccati juxta Adversarios; sed absolute denominat Deum concurrentem ad entitatem, seu materiale peccati: ergo absolute denominat Deum concurrentem ad formale peccati, sed concursus turpis, & inhonestus, qualis est concursus ad formale peccati, qui est ipsum peccati formale, non potest non tribuere denominationem turpiter, & inhonestè concurrentis: ergo concursus ad formale peccati Deum denominat inhonestè concurrentem, quod pugnat cum summa, & infinita Dei sanctitate, Deumque talem constituit, qualem nec Pagani agnoscere vellent.

25 Respondebis primò ex P. Herrera de Prædest. q. 8. num. 39. distinguendo majorem sub his terminis: *Deus nihil potest agere per se ex propria determinatione, nisi honestè, & laudabiliter, concedo: per accidens, & ex aliena determinatione nego antecedens*. In his enim operationibus Deus non est necessariò laudabilis. Nec ab ipso dissentit P. Ramirez de Prædest. disp. 6. cap. 4. num. 110. *Nec quia actio creatura indivisibiliter sit actio potentia, qua ut causa universalis, & prima concurrat ad peccatum, Deus dici potest cooperato ad malum: quia ad cooperationem ultra concursum effectivum, requiritur concurrere ad effectum, vel ex propria determinatione, vel propria inclinatione*. Ulterius progreditur P. Marin sect. 3. num. 30. ubi asserit: *Deum nihil odisse eorum, quæ faciunt ex propria determinatione, & hoc significat illud verbum: quod Deus fecit, Deus operatus est, sumptum sine restrictione, aut sine termino, ratione cujus cognoscatur alius sensus, ut diximus disputatione de materiali sect. 6. quod est propriè facere: secus quæ faciunt ex determinatione creaturae: & similiter omnia, quæ faciunt ex propria determinatione, faciunt propter finem; non verò, quæ faciunt ex aliena determinatione, quia est causa per accidens illorum: postquam verò facta sunt, ea ordinat ad finem. Item illa actio est tendentia Omnipotentia agentis, & tendit in finem determinatum à creatura, sed ex aliena determinatione creaturae. Et ibi: Item determinatur Omnipotentia ad peccatum, quasi violenter, & quasi invita, ut supra diximus ex SS. PP. Itaque in illo casu agit physicè Omnipotentia propter bonum commutabile ex determinatione creaturae. Quod idem est, ac creaturam*

ram agere propter bonum commutabile, & Deum permisisse determinari à creatura. Hæc miratur Palancus; sed sunt prima principia nostræ Scholæ. Et similiter: Omnipotentia respicit in actu secundo tale bonum tanquam finem ultimum ex determinatione creaturæ; & eodem modo tendit in finem inhonestum: & quodammodo eadem ratione respicit finem commutabilem non tanquam Deum Omnipotentiam, sed tanquam Deum creaturæ, juxta illud: quorum Deus venter est. Hæc absurdissima vocat Palancus num. 94. sed nostra Schola judicat vera. Et num. 32. Quod actio peccati est connaturalis Omnipotentiam, prout opponitur violento simpliciter tali: non tamen est connaturalis Omnipotentiam, quatenus Omnipotentiam habeat inclinationem in illam actionem: quia est secundum quid violentia Omnipotentiam, ut constat ex SS. PP. & nostris rationibus. Et iterum ibi: At verò intendimus, posse aliquid egredi ab aliqua potentia contra inclinationem potentiam: ut dum arripitur manus filii ad percutiendum Patrem, percussio habet esse per egressionem à filio, sed contra inclinationem filii: similiter Omnipotentiam concurrat quasi violenta. Et num. 33. Ideo esse causam per accidens, quia concurrat quasi violenta: quia hoc ipso concurrat contra propriam inclinationem, & unice ex aliena determinatione. Hæc Auctor iste.

26 At nusquam sanè crederem, ullum vel modicè doctum, vel in doctrina SS. PP. aliquo modo versatum hoc asserere posse; quantò magis esse principia Scholæ Jesuiticæ, quam pietas magna, sapientia insignis, & Sacrarum Litterarum peritia commendat. Quis enim, iterum dico, quis judicet, esse principia hujus Scholæ, quòd Deus aut non odio habeat peccatum, quia illud facit ex determinatione creaturæ; aut quòd ex ejus determinatione faciat, quòd odio habet? An nempe credibile est, vel quis sibi cogitatione fingi potest, quòd actio Omnipotentiam tendat in finem peccati, & physicè agat propter bonum commutabile ex determinatione creaturæ? Quòd respiciat Omnipotentiam in actu secundo tale bonum tanquam finem ultimum ex determinatione creaturæ: & tendat in finem inhonestum, qua Deus causat actionem, & malitiam peccati sit violenta Omnipotentiam, & quòd Omnipotentiam concurrat quasi violenta, quasi Deus violenter & non liberè operari posset ex determinatione creaturæ? Quòd Deus respiciat finem commutabilem, etsi non tanquam Deum Omnipotentiam, benè tamen tanquam Deum creaturæ? Quis non hoc absurdum putet? Aut quomodo extra censuræ aleam in tuto posita hujusmodi assertio? Unde contra illam sic argumentor. Primò: etiamsi concursus ille existat ex determinatione voluntatis creatæ, tamen in quantum inhonestus, & turpis est concursus Dei: non enim inter concursum illum, prout à Deo, & prout

à voluntate, est aliqua in suis principiis formalis, aut virtualis distinctio, alioquin de illa minima entitate à parte rei contraria, aut contradictoria prædicata verificarentur: quòd nempe concursus ille, prout à Deo, non esset turpis, nec esset inhonestus, immo esset bonus, & honestus; & prout à voluntate esset turpis, & inhonestus; cum tamen honestas petatur non ex principio effectivo, sed ex objecto, & circumstantiis; sive quòd ad propositum est idem, ex conformitate ad regulas: sed concursus turpis, & inhonestus, ut inhonestus, & turpis non potest non tribuere denominationem turpiter, & inhonestè concurrentis: ergo si concursus ille prout à Deo turpis est, & inhonestus, Deum nominat inhonestè, & pravè concurrentem. Cur enim à concursu in actum bonum denominatur concurrentis sanctus, & laudabilis, & à concursu turpi non denominabitur concurrentis turpis, & inhonestus? Uterque actus existit in suis principiis ex determinatione voluntatis creatæ, & nullo modo ex determinatione Dei: nec minus est præter voluntatem Dei existentia actus boni, & concursus ad illum requisiti, quàm concursus, & existentia actus mali. Tria assignant ipsi ad existentiam actus boni, nimirum scientiam eventus, collationem auxilii indifferentis, ac voluntatem inefficacem actus boni; cum verò concursus est ad actum pravum assignant scientiam eventus, collationem auxilii, & nolitionem inefficacem actus pravi. Unde dispositio Dei, ut concurrat ad actum bonum, tantum differt à dispositione ejusdem, ut concurrat ad actum pravum, quia ad illum præsupponitur voluntas inefficax actus, & concursus; ad istum verò nolitio etiam inefficax actus mali, & concursus: quòd sanè non sufficit, ut existentia actus boni non sit præter voluntatem Dei: cum actus bonus non possit dici existere ex vi illius intentionis, & voluntatis, quæ ipsius non est causa, & quæ est conjungibilis cum ejus carentia. Sicut & nolitio inefficax existentiam peccati, quia nolitio illa, quantum est ex se, conjungibilis est cum existentia, & carentia peccati: ergo si primo illo concursu, etsi non existente ex determinatione Dei, Deus denominatur laudabiliter concurrentis, & concursu illo turpi denominabitur inhonestè concurrentis, quòd ex ipsismet terminis repugnantiam sonat. Enim verò, sicut est sancta voluntas Dei, ita est sancta ejus Omnipotentiam: sed quia est sancta voluntas nequit affectivè attingere inhonestum, & turpe: ergo quia est ejus sancta Omnipotentiam nequit esse causa turpis, & inhonesti. Equè enim chymericum est, Omnipotentiam Dei concurrere concursu turpi, & non amato à Deo, ac ponere voluntatem Divinam tendentem in objectum turpe, & inhonestum; sicuti & intellectum divinum intelligentem intellectio- ne turpi, & non amata à Deo. Ergo si Omni-

nipotentiam est formaliter sancta, implicat concurrere concursu turpi: quomodo enim ipsa erit formaliter sancta, dum aliquod sui exercitium est formaliter turpe?

27. Secundò, quia falsum est, quòd, ut aliquid sit causa simpliciter, & per se, requiratur, quòd præstet suum concursum juxta inclinationem naturalem, vel elicitam; cum possit esse causa simpliciter, & per se, etiamsi contra utramque inclinationem concursum præstet, dummodo producat operationem, quam in virtute activè continet. Unde licet projiciens lapidem sursum sit causa simpliciter, & per se talis motus, non verò sit causa hujusmodi ipse lapis; tamen hoc est, quia lapis nullum præstat concursum, sed se habet merè passivè. At è contra Deus in effectibus miraculosis plerumque operatur contra inclinationem naturalem rerum, & tamen causæ secundæ, quibus utitur, multoties sunt causæ effectus miraculosi. Nec similiter requiritur, quòd sit juxta inclinationem causæ; assensus enim erroneus elicited ab intellectu verè est opus intellectus, & tamen non est juxta ejus inclinationem, sed contra illam, quia intellectus naturaliter inclinatur in assensum verum. Hoc in suis principiis tenentur Adversarii confiteri. Deus offerens voluntati concursum indifferentem ad actum honestum, & ad actum turpem, non præstat concursum juxta inclinationem naturalem, aut elicitam voluntatis: ergo sicut determinatus à nostra voluntate ad actum turpem non est causa simpliciter, & per se illius; neque etiam determinatus ad actum honestum erit causa simpliciter, & per se illius. Vel urgentius: concursus ille indifferens quantum est ex se in ipsorum principia æqualiter præstat voluntati à Deo ad actum turpem, & ad actum honestum: ergo vel prout determinatus à voluntate ad actum turpem efficitur juxta inclinationem elicitam voluntatis, & sic jam erit causa simpliciter, & per se: vel prout determinatus à voluntate ad actum honestum non efficitur juxta inclinationem elicitam voluntatis, & sic non erit causa simpliciter, & per se talis actus.

28. Tertio, quia si nos falsi sumus in doctrina ista, & in eadem falsos fuisse Augustinum, & Thomam confiteri tenentur. Nihil enim certius in doctrina utriusque, S. Doctoris, quàm Deum non operari nisi medio imperio suæ voluntatis, & juxta illius inclinationem. Constat ex D. Augustino lib. 83. qq. q. 32. dicente: *Illo Auctore dicitur, quòd illo volente dicitur, & in Enchir. cap. 100. Deus ergo omnipotens, sive per misericordiam cujus vult misereatur, sive quem velit obduret, neque iniquè quicquam facit, ne quicquam facit nisi volens*: ergo si positivè influit ratione suæ omnipotentiam in actionem peccati, volens & juxta propriam inclinationem illam facit. Cujus ratio evidentissima assignatur à D. Thoma 1. p. q. 25. art. 5. ad 1.

dicente: *In nobis, in quibus est aliud potentiam, & essentia à voluntate, & intellectu; & iterum intellectus aliud à sapientia, & voluntas aliud à justitia, potest esse aliquid in potentiam, quòd non potest esse in voluntate justà, vel in intellectu sapiente. Sed in Deo est idem potentiam, voluntas, & essentia, & intellectus, & sapientia, & justitia. Unde nihil potest esse in potentiam divina, quòd non possit esse in voluntate justà ipsius, & in intellectu sapiente ejus. Tum, quia voluntas non determinatur ex necessitate ad hæc, vel illa, nisi forè ex suppositione. . . . Quòd autem attribuitur potentiam divina secundum quòd exequitur imperium voluntatis justæ, hoc dicitur Deus posse facere de potentiam ordinata. Secundum hoc ergo dicendum est, quòd Deus potest alia facere de potentiam absoluta, quàm quæ præscivit, & præordinavit, se facturum, non tamen potest esse, quòd aliqua faciat, quæ non præsciverit, & præordinaverit, se facturum, quia ipsum facere subjacet præscientiam, & præordinationi, non autem ipsum posse, quòd est naturale. Ideò enim Deus aliquid facit, quia vult. Si ergo juxta Angelicum Præceptorem Deus ideo aliquid facit, quia vult; si ipsum facere subjacet præscientiam, & præordinationi, quia divina potentiam æqualis est suæ sapientiam, & potentiam se extendit ad omne illud, in quo potest salvari ratio entis: ergo si actio peccati est verum ens præcontentum in omnipotentiam, si præcontinetur in ipsa voluntate, & sapientiam Dei ipsam formaliter ordinante, & volente, & præcontineri debet intra inclinationem innatam Dei, cum hæc inclinatio non distinguatur ab essentiam, & virtute activa Dei. Quomodo ergo effectus iste non erit ex propria intentione, & determinatione Dei? Maximè dum scientiam, qua Deus est causa rerum, sit solum scientiam approbationis, quæ non se extendit ad ea, quæ Deus cognoscit per scientiam reprobationis, juxta eundem S. Doctorem 1. p. q. 14. art. 16. *Scientiam, qua Deus cognoscit peccata, non est practica ex parte rei operabilis, sed tantum secundum quid, in quantum illa permittit, vel impedit. Quæ permissio, licet sit volita à Deo, non tamen peccatum permissum. Secundò: ideò probat D. Thomas, quòd nihil potest esse in potentiam divina, quòd non sit in voluntate justà ipsius, & in intellectu sapiente ejus, quia voluntas non determinatur ex necessitate ad hæc, vel illa: ergo Deus applicat suam omnipotentiam, ut hic, & nunc efficiat actionem peccati per aliquid divinum liberum, nempe per actum voluntatis divinæ: ergo prius est, Deum velle hic, & nunc, omnipotentiam efficere, quàm quòd omnipotentiam efficiat: non ergo omnipotentiam Dei malitiam efficiet, si Deus prius non vult malitiam efficere. Tertio: malitia, & formale peccati, licet ex determinatione creaturæ existens, nequit esse rectè ordinata, vel ad finem bonum ordinari: ergo nec ex determinatione ejusdem potest ab omnipotentiam Dei effici: qui enim rectè illam ex-**

determinatione aliena efficeret, ex eadem determinatione illam recte ordinaret. Vel aliter: Deus efficiens formale peccati ex determinatione creaturæ, vel operatur propter finem, vel non? Secundum est expressè contra D. Thomam, cum ipsum facere Dei subjaceat præordinationi divinæ. Si primum: vel operatur propter finem honestum, vel propter malum finem? Si hoc secundo modo, peccat, & malè agit; nisi fortè credatur, posse aliquem benè agere operando propter malum finem. Si propter finem honestum: ergo peccatum non efficitur: non enim peccatum est, quod propter bonum finem operatur. Ergo vel dicendum est, Deum minimè peccatum efficere; vel quod in influxu positivo, & executivo peccati sapienter & justè operans, propter malum finem operatur, vel quod ipsam aversionem, & deordinationem à Deo, ut proprium effectum, ordinat ad bonum finem, quæ omnia chimerica, & impossibilia sunt.

29. Tandem id maximè evincitur ex inconvenientibus, quæ ex hujusmodi positione sequuntur. Primum sit, quia si Deus propriè, physicè, & immediatè influit in malitiam peccati contra propriam inclinationem ex determinatione creaturæ: ergo & eodem jure potest dici, quod ex vi ejusdem determinationis Deus adjuvat ad peccandum: quid enim aliud est adjuvare ad opus, nisi cum alio physicè influere in opus? Quod est expressè contra D. Augustinum lib. 2. de peccator. meritis cap. 5. dicentem: *Ad peccandum namque non adjuvamur à Deo. Et cap. 19. extolli quidem in superbiam propria voluntatis est hominum, non operis Dei: nec enim ad hoc eos compellit, aut adjuvat eos.* Si ergo negatur ab Augustino, & SS. PP. adjutorium non solum moraliter, sed etiam physicè, ex consequenti negari debet efficientia tam physica, quam moralis; cum nec adjutorium, nec efficientia ex determinatione creaturæ reddatur Deo decens, & honesta. Falsissimum quippè esse nemo quidem non mentis inops denegabit, quod in lineâ physicâ effectivâ æquè sit opus Dei proditio Judæ, ac conversio Pauli, quidquid sit de lineâ affectivâ: diversitas enim in effectu ex Dei consilio, & præcepto ad lineam affectivam, & moralem spectat, non ad lineam effectivam physicam: hæc enim solum attendit physicum influxum in hac lineâ; sed in omnes formalitates proditionis Judæ influit physicè Deus ex determinatione creaturæ, sicut influit physicè in omnes formalitates conversionis Pauli etiam ex determinatione creaturæ: ergo in lineâ physica, & effectivâ æquè opus est Dei proditio Judæ, ac Pauli conversio; æquè Deus physicè adjuvat ad malitiam illius proditionis, ac adjuvat ad hujus ineffabilis conversionis bonitatem: quod an verum sit videant, & judicent eruditi.

30. Sequitur secundò, quod cum solutio

affirmet, creaturam esse causam per se actionis peccati, Deum verò causam purè per accidens, jam aliquis effectus verè idæatus à Deo, & à creaturis simul productus, esset effectus per se voluntatis creatæ, & per accidens respectu Dei. Negari enim nequit in sententia D. Thomæ, quod entitatis peccati detur vera idæa, ut expressè docet in 1. dist. 36. q. 2. art. 3. ad 1. his verbis: *Malum in quantum malum est nihil, cum sit privatio quadam, & ideo rei malæ in Deo quidem idæa est, non in quantum mala est, sed in quantum res est.* Et in 2. dist. 37. q. 1. art. 2. ad 4. *in actu peccati dari aliquam similitudinem cum esse Dei, & aliquam bonitatem exemplatam à summo bono, quamvis non sit ibi similitudo summi boni, quæ est per gratiam.* Cum ergo idæa sit similitudo, vel ratio rei in Deo existens secundum quod est productiva ipsius rei, negari non potest dari in Deo idæam actionis peccati in quantum, entitas est. Dabitur ergo aliquid verè idæatum à Deo, respectu cuius sit causa purè per accidens, & quod sit effectus per se creaturæ: quod esse inconveniens maximum, & impossibile docet D. Thomas q. 3. de potent. art. 2. *Inconveniens est autem dicere, quod aliquid sit per accidens per comparationem ad causam primam, & sit per se per comparationem ad causas secundas; quia quod est per se, est prius eo, quod est per accidens: prius autem est comparatio alicujus ad causam primam, quam ad causas secundas, ut patet in lib. de causis. Undè impossibile est, quod sit per accidens respectu cause primæ, & per se respectu cause secundæ. Potest autem accidere è converso. Undè necesse est dicere, quod tota verum distinctio sit prædefinita à Deo, & ponere in eo singulorum proprias rationes, & idæas.* Quibus clarissimè docet, quam impossibile sit, & repugnet Dignitati, & Excellentie causæ primæ, quod actio peccati secundum id, quod dicit entitatis, & actualitatis sit per se respectu creaturæ, & per accidens respectu Dei.

31. Tandem, & quod intolerabilius est, sequitur, quod in Deo separabilis sit ratio primi principii à ratione ultimi finis; ratio summæ actualitatis à bonitate; sicut & à ratione primi principii, & ultimi finis sanctitas; cum concedat solutio, omnipotentiam physicè agere propter bonum commutabile. Quid enim hoc aliud est, quam inordinatè agere? Et quod à Deo sit inordinata creaturæ dilectio? Dum per Apostolum imperat, *ut omnia bonefè, & secundum ordinem fiant.* Quæ enim major impossibilitas, quam quod Deus, qui omnia fecit in sapientia, & omnia propter se ipsum operatur, actionem peccati physicè agat, respiciens in actu secundo tanquam finem ultimum, & Deum creaturæ commutabile bonum? Quod in suo concursu suam non exerceat libertatem, sed violenter, coactè, & contra propriam inclinationem, entitatem agat, quæ conformis est ipsius voluntati, sicut & quod physicè malitiam agat, quæ

S. V.

Secunda ratio probativa Conclusionis proponitur.

quæ nec præcontinetur in ejus omnipotentia, nec est ordinabilis ad ipsum tanquam ad ultimum finem? Quare hoc concedere est Deum in operando negare se ipsum, ut testatur Divus Thomas q. 3. de potent. art. 5. ad 12. dicens: *Quod si Deus aliquid faceret contra suam bonitatem, aut aliquid, in quo sua bonitas non exprimeretur, sequeretur, quod negaret se ipsum.*

32. Secundò: actus peccati secundum illud, quod dicit entitatis, & actualitatis sic à Deo fit, quod media tendentia affectiva in bonum, voluntas convertitur in Deum, tanquam in ultimum finem. Ita D. Thomas q. 16. de Dæmonibus art. 3. ad 1. dicens: *Sicut & quilibet peccator quantum ad hoc, quod appetit aliquod commutabile bonum, convertitur in Deum, cujus participatione omnia sunt bona; in quantum verò inordinatè appetit illud, avertitur à Deo, id est ab ordine justitiæ illius.* Hic enim actus, quæ formaliter est tendentia vitalis affectiva in bonum, tendit ad Deum, ut finem ultimum illius, etsi non expressè, saltem virtualiter, & implicite, ut iterum docet D. Thomas q. 22. de verit. art. 2. dicens: *Sicut Deus propter hoc, quod est primum efficiens, agit in omni agente; ita propter hoc, quod est ultimus finis, appetitur in omni fine: est enim omnis bonitas physica extra Deum quædam similitudo, & participatio divinæ bonitatis ex se ordinata ad ipsam tanquam ad ultimum finem, à quo accipit vim movendi voluntatem, cum secundum appetibile non moveat, nisi in vi primi appetibilis: si ergo actio creaturæ, quæ formaliter est entitas, & bonitas physica tendit in Deum, tanquam finem ultimum, quomodo eandem physicè agere potest omnipotentia, etsi ex determinatione creaturæ, violenter, & coactè propter bonum commutabile tanquam propter ultimum finem, & Deum creaturæ? Nihil certius, quam quod ordo finium est secundum ordinem agentium: ergo si summa Dei bonitas juxta D. Thomam est ultimus finis per se simpliciter talis respectu talis actionis, quæ formaliter est tendentia vitalis; & omnipotentia debet necessariò esse causa per se, & simpliciter talis; nisi velint, quod in Deo non connectatur essentialiter ratio primi principii, & ratio ultimi finis; quod magis se extendat causa finalis in Deo, quam ejus omnipotentia; quod id, quod à creatura rationali ordinatur ad Deum tanquam ad ultimum finem, ab ipso Deo ordinetur ad bonum commutabile tanquam ad ultimum finem: quod totum absurdum, & ineptum credimus, ut perniciosum dogma.*



33. AD secundam rationem gradum causalitatis Divinæ. Etenim communi Philosophorum, & Theologorum consensu firmatur, quod à Deo nequit effici, nisi quod præcontinetur in eo modo illo, quo effectus continetur in sua causa efficiente. Ex quo evidens argumentum fit, quod formalis malitia peccati non est à Deo, ut efficiente, five ex propria, five ex aliena determinatione. Quis enim asserere audeat, quod in ipsa justitia per essentiam præcontinueatur injustitia, quod à sanctitate ipsa egrediatur physicè iniquitas? *Numquid iniquitas apud Deum? Absit,* inquit Apostolus ad Rom. 9. cum sanctitas, & justitia per essentiam excludant injustitiam, & peccati iniquitatem. Si enim, ut ait Avicenna à Philosophis laudatus, *equitas tantum est equitas*, id est equitas non admittit extranea, aut contraria, sed purè explicat, & continet constitutiva, & propria, quanto magis justitia, & sanctitas explicabunt repugnantiam injustitiæ, & iniquitatis?

34. Hoc luculentissima ratione confirmat D. Thomas loco citato ex 1. p. q. 25. art. 5. ad 1. explicans, quod Sapientia Divina est justitia, misericordia, potentia, voluntas, intellectus, &c. Quod & docuit eadem 1. p. q. 13. ferè in omnibus articulis, & præsertim 3. & 5. Ex qua doctrina inferunt Theologi 1. p. q. 27. art. 4. in omni opere Dei misceri, ac simul concurrere justitiam, misericordiam, sapientiam, & reliqua attributa: quia nimirum omnia illa attributa sunt unum per essentiam; quamobrem unum exire nequit in suam operationem, quin reliqua sibi coope- rentur. Cum enim Deus non possit non operari propter semetipsum quidquid operatur, non potest in aliquo opere præcindere à fine alicujus virtutis in ipso repertæ, quin ad illum suam ordinet operationem: ergo nec ex parte subjecti. De Christo enim communiter asserunt Theologi in quolibet opere omnes suas exercuisse virtutes: nam etsi opus illud ad aliquam præcisè compararetur, ut ad principium elicitive; omnes tamen aliæ concurrerent, aut imperativè, aut regulativè, ne perfectio aliqua possibilis operi deficeret; quanto magis Deo erit hæc attribuenda perfectio?

35. Verum, ut hæc omnia magis in considerationem veniant, audiendus D. Thomas in 2. ad Annibal. dist. 3. art. 3. explicans, quomodo potest in actu voluntatis creatæ esse defectus, quin defectus ille attribuatur, vel sit à Deo, quod sequentibus verbis declarat: *Omnia quæ sunt à Deo causata procedunt ab eo, sicut ab artifice artificata. Unde in Psal. 103.*

*dicitur: omnia in sapientia fecisti. Defectus autem, qui est in artificio contra artem, non potest esse ab arte, sed incidit ex defectu instrumenti, vel materiae. Peccatum autem, in quantum hujusmodi, Divinae arti contrariatur, eo quod est averfio à bono incommutabili, quod est omnium artificiorum à Deo finis, & per consequens principium illius primae artis. Nam principia artificiorum sunt finis, ut patet in 2. Physicor. Relinquitur ergo, quod peccatum non possit esse à Deo, sed ex defectu alicujus creaturae, per quam Deus operatur, sicut per instrumentum. Hæc ibi; quod evidentius est, quam quidquid ad elucidationem textus afferri potest. Constat enim primò soliditas præcedentis discursus. Si enim malitia peccati est formaliter injustitia, & à Deo formalis averfio, quomodo potest præcontineri in Omnipotentia Dei, dum in ejus voluntate, justitia, & sanctitate non præcontinetur? Quod continetur in Deo est ipse Deus, juxta illud Augustini: *Creatura in Deo est ipsa creatrix essentia*: sed chymæra est, quod id, quod in aliquo statu est ipse Deus, in alio statu positum sit ipsa averfio formalis à Deo: ergo & impossibile erit in Deo contineri, ut in principio effectivo, id, quod ex se est recessus à Deo. Ulterius: quod continetur in Deo, ut in principio effectivo, si extra Deum ponatur, est participatio Dei: sed est inintelligibile, hominem averti à Deo per id ipsum, quod à Deo participat, & est Dei participatio; & quod in sui conceptu est naturalis tendentia ad Deum, ut in finem, ex quo participatur: ergo & inintelligibile est, malitiam peccati præcontineri in Deo.*

36 Urgentiùs ex ultimo testimonio arguitur. Nam etsi Artifex creatus deficere possit à consecutione finis sui artificiat, Deus tamen ab eo obtinendo deficere nequit. Ille enim non est sua ars, sed talis est ex accidenti, nec est ipsa benè operandi regula; unde potest præter, & contra artem, & regulam operari; ipsa tamen operandi ars, & regula à regula deficere non potest, nec ab arte, aliàs deficeret à se ipsa; sed actio Dei, si ad formale peccati terminaretur, à consecutionis sine deficeret: ergo actio Dei ad formale peccati non terminatur. Præterea: Artifex, qui omnia, & semper operatur juxta artem, & regulam, non potest suorum artefactorum finem non assequi: sed Deus omnia operatur, & semper juxta artem, & regulam: ergo infallibiliter assequitur suorum finem artefactorum: sed peccatum pro formali finem Dei non assequitur, quia est averfio ab illo: ergo Deus non operatur peccatum pro formali. Tandem, ut plura alia omittam; etsi contingat, potentiam executivam, quæ non est ipsa benè operandi regula in fine operationis assequendo deficere, vel ex propria, vel ex alterius determinatione, implicat tamen, deficere ex propria, aut ex aliena determinatione potentiam executivam, quæ per essentiam

est ipsa benè operandi regula: sed potentia executiva Dei est per essentiam ipsa benè operandi regula: ergo deficere non potest, quominus recta sit ejus operatio. Ex quibus fit evidens, quod cum formale peccati sit recessus ab actualitate, & perfectione infinita Dei, nequit oriri, & præcontineri in Omnipotentia, quæ est purissima actualitas, bonitas, perfectio, sapientia, & sanctitas Dei: vel assignent nobis modum, quo formaliter, aut eminenter præcontinetur? Cum sit penitus repugnans talis præcontinencia, quæ potius esset depressio, & defectus Omnipotentiae, quam perfectio: nequit enim non esse defectivum principium illud, cui correspondet malum, quod est privatio universalis boni.

37 Dices, quod licet formale peccati non præcontinetur formaliter, vel eminenter, præcontinetur tamen virtualiter in ejus summa, & perfectissima actualitate: verissimum namque est dicere: *Deum esse virtualiter physice peccatum: esse etiam virtualiter æquivalenter peccatum quoad aliqua munera: continere active permiffive peccatum, quia illud causat: & quoad aliqua æquivalere bonitati peccati; scilicet quoad munus entis, & existentis: sicut est virtualiter claudicatio, finitas, error quoad aliqua munera*. Sic P. Marin tract. 11. de peccatis disp. 4. sect. 5. num. 83. loquens de formali peccati malitia, non de naturali entitate actionis. Propter quod sanè statuerat n. 72. ejusdem sectionis, *malitiam formalem peccati, ipsumque odium Dei esse moraliter transcendentaliter bonum, quia habet suam essentiam completam, & integram cum omnibus proprietatibus*.

38 Miror sanè doctrinam istam, quam solum pro suo arbitrato excogitavit Auctor iste, cujus nec in Scriptura, nec in Patribus, nec in vera Philosophia fundamentum invenio. Quomodo enim verificari potest, quod Deus sit virtualiter effectivè peccatum; quod sit æquivalenter ipsum, cum nomen, quod deformitatem simul cum actu significat, non possit dici, quod sit simpliciter à Deo? Participatio virtualis solum datur, quando in uno reperitur virtus alterius; ita lignum calidum participat virtualiter ignem, quia calor est virtus ignis, & semen est virtualiter animal: vel quando id, quod in altero est solum virtualiter, convenit alteri etiam formaliter, quomodo sublunaria participant calorem à Sole, & omnis effectus suam causam, quia in ipsa virtualiter præcontinetur: sed malum sub ea ratione, qua malum est, nec est virtus Omnipotentiae, nec convenit ipsi, cum formaliter acceptum dicat carentiam omnis bonitatis, & perfectionis secundum id, quod explicat; ergo Deus nequit esse physice peccatum, nec virtualiter æquivalenter, cum sit verus, & proprius recessus à Deo, qui averfivè inspectus est veluti regula, si vel sic dici potest, omnis malitiae. Id ostenditur argumento desumpto ex D. Thoma 1. p. q. 75. art. 5. ad 1.

ad 1. dicente ex D. Dionysio, quod *Deus est infinitus virtualiter in se omnia præhabens, unde participatur à rebus, non sicut pars, sed secundum diffusionem processionis*; sed implicat contradictionem, actualitatem intrinsecam alicujus virtutis explicari, diffundi, & communicari per id, quod est ei oppositum: ergo cum Deo opponatur peccatum formaliter sumptum, nequit virtualiter præcontineri in ipsa Dei Omnipotentia modo illo, quo verificari possit, esse æquivalenter, aut virtualiter peccatum. Quis enim asserat, Solem esse causam tenebrarum? Quod sit virtualiter, aut æquivalenter privatio lucis? Vel quod vita sit causa mortis, aut virtualiter, vel æquivalenter ipsa mors, non solum quoad omnia munera, sed quoad aliquod proprium ipsius formaliter acceptum? Non ergo Deus potest dici esse virtualiter peccatum, aut quod peccatum virtualiter præcontinetur in ipso, cum continentia virtualis fundetur in ejus actualitate, quæ actualitas, & perfectio Omnipotentiae diffundi nequit in eo, quod per prius in actualitate summa Divinae essentiae non præcontinetur.

39 Nec obstat in excusationem dicere, quod Deus solum quoad aliquod munus æquivalet bonitati peccati, scilicet quoad munus entis, & existentis, non tamen quoad formale malitiae: nam contra est primò, quia ex solutione inferitur, Deum solum positivè causare entitatem physicam peccati, prout entitas est, non tamen malitiam, quæ est ipsa Thomistarum sententia. Secundò, quia si in potentia Dei, quæ per essentiam est ipsa voluntas justa, contineri potest entitas, quin malitia in voluntate, & justitia præcontinetur, quidni poterit procedere, aut causari à Deo entitas peccati, ut entitas est, quin causetur malitia, non obstante utriusque identitate? Tertio, quia falsa erit hæc propositio, quam propugnat Auctor iste tract. 11. disp. 7. num. 39. *Deus eodem modo est causa malitiae, ac entitatis, & actus peccati, sicut & ista, Deus est causa per se purè physica malitiae*: nequit enim Deus eodem modo esse causa malitiae, ac entitatis, quin eodem modo præcontinetur in actualitate Omnipotentiae malitia, ac præcontinetur entitas; sed malitia juxta solutionem non præcontinetur in ipsa adhuc virtualiter, ne Deus sit virtualiter peccatum, quoad tale munus: ergo nequit eodem modo causari à Deo: ergo falsum est, Deum esse causam per se malitiae, & quamvis superaddat, id intelligendum physice, hoc nihil aliud est, quam dicere, Deum non peccare, nec morale malitiam ei imputari, quod Calvinus, cæterique Hæretici fatentur, ut Auctor benè noverat dicta disp. 5. num. 64. & 65. citans Calvinum dicentem: *Deum mali Auctorem non debere appellari*. In quo notam, & reprehensionem non effugit Auctor iste, eandem incurrens censuram, quam parùm sincere ibi Thomistæ imponit.

40 Fallitur & in alio, ni fallor ego, dum asserit, odium Dei habere integritatem in linea odii Dei, ideoque esse moraliter transcendentaliter bonum, quia habet suam essentiam completam, & integram cum omnibus suis proprietatibus. Falsissimum enim est dicere, odium Dei habere aliquam essentiam formaliter consideratam, cum privatio, ut talis, careat omni actualitate, & essentia, sitque defectus totaliter consistens in non esse, ut docet D. Thomas in 2. dist. 30. q. 1. art. 2. Unde nec habet constitutum propriè tale, sicut nec essentiam, aut aliquam quidditatem, ut resolvit S. Doctor 3. contra Gent. cap. 7. probans, nullam dari essentiam, five naturam malam; contra quam asserionem hoc sibi objicit argumentum: *Si malum est genus, & differentia in moralibus; cum essentia nihil aliud sit, quam compositum ex genere, & differentia, dabitur essentia mali*. Cui argumento respondet, hoc minimè sequi: *Quia malum in moralibus sub ratione, sub qua constituit essentiam, non est malum, sed bonum; sub ratione autem, sub qua est malum, non est essentia, sed privatio essentiae, & speciei*. Et in 2. dist. 37. q. 1. art. 1. *Nomine substantiae potest intelligi, vel primum predicamentum, in quo sensu certum est, peccatum substantiam non esse: vel potest intelligi nomine substantiae quidquid dicitur positivè in quocumque genere, & cujus essentia explicari potest*. Et immediatè subdit: *In actu peccati est duo considerare, scilicet actum, qui essentia quidem est, & sic est substantia: vel ipsam privationem ordinis, per quam malus est; & quia privationes essentiam non habent, ex ista parte peccatum substantia non est*. Et 2. 2. q. 10. ar. 5. ad 1. *Formalis ratio alicujus peccati potest accipi dupliciter: uno modo secundum intentionem peccantis, & secundum hoc id, ad quod convertitur peccans, est formaliter objectum peccati, & ex hoc diversificatur ejus species. Alio modo secundum rationem mali, & sic illud bonum, à quo receditur, est formale objectum peccati. Sed ex hac parte non habet speciem*. Non ergo est vera species intra genus moris, nec spectat ad constitutionem odii Dei, five in esse naturæ, five in esse moris: non in esse physico, cum secundum sui esse essenziale, & positivum dicat bonitatem, & perfectionem de genere physico, proindèque à Deo causabilem: non in esse moris, cum species essentialis actus desumatur penès attingentiam ejus, quod primariò, & directè attingitur ab illo, non autem secundum id, quod est per accidens, uti se habet malitia peccati juxta D. Thomam 1. 2. q. 72. art. 2. *Unumquodque sortitur speciem secundum illud, quod est per se, non autem secundum id, quod est per accidens; inordinatio actus in peccante per accidens se habet ad intentionem illius, nullus enim intendens in malum operatur*. Quod & repetit 1. p. q. 48. art. 1. ad 2. *Sic igitur malum, quod est differentia constitutiva in moralibus est quoddam bonum adjunctum privationi alterius boni, sicut finis*

finis intemperantiæ est, non quidem carere bono rationis, sed delectari absque ordine rationis, unde malum in quantum malum non est differentia constitutiva, sed ratione boni adjuncti. Et in 2. Sententiar. dist. 34. q. 1. art. 2. ad 3. *Dicendum, quod malum per se, vel abstractè sumptum non est differentia specifica, sed malum per accidens, vel concretè acceptum; omnia enim moralia ex fine speciem consequuntur:* quibus certò elucescit, quod malum abstractivè sumptum essentiam non habet in genere moris, nec ipsam esse integram, & completam, ac proinde nec moraliter transcendentaliter esse bonam. Non secus, ac si quis diceret, essentiam, ac proprietates habere tenebras. Nam in utrisque essentia, & proprietates logicè dicuntur; physicae non sunt: & bonum moraliter solum dicitur, quod regulis morum correspondet, cum consistat in tendentia ad objectum, ut stat sub regulis morum: & quod ita non est, neque essentiam, neque proprietates boni moraliter habet. Difficilis sanè est sententia de concursu ad entitatem peccati; at si nos Philosophiam difficilem docemus, Adversarii nostri Theologiam difficillimam.

§. VI.

Concursus purè permissivus datur in Deo ad formale peccati.

41 **C**oncursus causæ liberæ superioris cum causa libera inferiori duplex est, alius permissivus, alius positivus. Tunc causa libera superior permissivè dicebatur concurrere, ut erat universalis Theologorum opinio, cum suum concursum ad bonum negabat inferiori, malum verò non impediebat, ut faceret; qui permissivus concursus dupliciter ad causam superiorem comparari potest: aut enim causa superior talis est, cui ex munere, & propriâ obligatione incumbat malum vitare causæ inferioris, aut talis est, quæ tali lege non obligetur? Quas inter causas ea est tritissima apud omnes differentia, quod peccatum inferioris non tribuitur superiori, si illud ab inferiori excludere non tenetur: cum verò malum arcere tenetur, superiori adscribitur, qui potest, tenetur, & non vitat. Cum ergo Deus Optimus Maximus nulla lege, aut obligatione teneatur ex munere causæ primæ ad vitandum mala creaturæ rationalis; quinimò iuste, & sapienter permittit, ne plurima deficiant bona, quæ Deus pro sua libertate, & potentiâ malorum occasione producit, permissivè concurrere ad mala, nec causa, nec Auctor dicitur malorum. A temporibus scientiæ mediæ alius modus concurrere permissivè assignatur ab Auctoribus suis, sibi persuadentibus, Deum ita nobis applicare suam omnipotentiam ad concurrendum nobiscum, ut quamvis ipse

nolit actum pravum existere, sed maximè velit actus moraliter boni existentiam, illa tamen suæ potentia facta applicatione, contra propriam voluntatem ad malum, ut physicè, realiter, & positivè influat à voluntate creata determinatur.

42. Concursus etiam positivus, quantum arbitror, à Theologis antiquis dicebatur ille, quo Deus ex propria, efficacique determinatione omnipotentiam suam, ut concurrat ad hunc actum pro suo dominio, & libertate applicat. Rursus concursus iste positivus duplex est, alter specialis, alter generalis: ille est, quem Deus tribuit ad primum actum, & hic terminari non potest ad entitatem peccati, eò quod nulla indispositio supponitur in agente creato, nec ex parte voluntatis, quæ tunc primò exit in actum, nec ex parte intellectus, qui nonnisi ex defectu voluntatis potest in practicis deficere. Alius est generalis, ille nimirum, qui tribuitur agenti plenè constituto in actu, homini scilicet postquam jam ad primum actum liberum est reductus. Qui etiam dupliciter contingere potest, vel enim supponit aliquam ex parte intellectus inconsiderationem, quæ pro aliquo priori non intelligitur peccaminosa, vel nullam supponit? Si illam non supponit, concursus ille erit ad actum bonum, sin autem concursus erit ad actum peccati, ut docent Thomistæ 1. p. q. 63. art. 5.

43. Hoc genere positivi concursus Recentiores scientiæ mediæ Sectatores non contenti, alium nobis assignant, quo Deus ad actus concurrat liberos voluntatis creatæ, non quidem determinando concursum, aut actum, sed ex determinatione voluntatis creatæ, quod concursus genus positivum dicunt, quia licet non existat ex determinatione Dei, tamen non extrahitur ab omnipotentia. In præsentem non inquirimus qualitatem hujus concursus, quem satis explicatum, & impugnatum relinquimus; sed an talis concursus, quæ formaliter permissivus est, causet physicè, & realiter operetur entitatem, & malitiam peccati, vel an solum consistat in denegatione gratiæ? In hoc enim sæpissimè Auctores contrarios legenti gravissimæ deceptionis occasio esse potest, dum asserunt, Deum esse causam permissivam peccati: cujus significationem attendere, & expendere congruum duximus, ut tollatur omnis confusio, & utriusque Scholæ maximum discrimen elucescat. Thomistæ nomine permissivus peccati passivè sumptæ nihil aliud intelligunt, quàm denegationem gratiæ efficacis ad actum adimpletivum, conferente Deo titulo Auctoris naturæ physicam prædeterminationem ad actum peccati, ut entitas est. At difficillimè ab Adversariis explicatur, in quo consistat hæc permissio peccati passivè sumpta.

44. Pro cujus intelligentia maximè notandum, quod passiva permissio est effectus Dei

Dei negativus, eo sensu quo negationes logicæ denominatione vocantur effectus. Nam carentia gratiæ efficacis est à voluntate divina volente non conferre gratiam efficacem, cum possit; est etiam effectus Dei in quantum importat aliquid positivum; nam prædeterminatio physica ad entitatem peccati est executio omnipotentia ex imperio voluntatis divinæ. Non enim peccatum existeret, nisi Deus illud permittere esse; nec permittit, nisi volendo: ut testatur Augustinus in Enchir. cap. 101. dicens: *Propterea namque magna opera Domini, & exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro, & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus sit voluntatem, quod non fieret, si non sine- ret: nec utique nolens sinit, sed volens; cui consonat D. Thomas in 1. dist. 47. art. 4. Undè dicitur, quod Deus non vult mala fieri; sed vult permittere, mala fieri.* Aliud namque est permissio peccati, ac peccatum permissum. Illa activè sumpta est exercitium proprium voluntatis divinæ potentis pro suo dominio velle conferre gratiam, & velle eam non conferre. Undè juxta D. Thomam ibi permissio peccati correspondet voluntati consequenti Dei; licet peccatum permissum ad nullam voluntatem pertineat. Si ergo volendo Deus permittit, à fortiori non influet in entitatem peccati, nisi volendo: & idè Augustinus lib. 83. qq. q. 23. asserit: *Hoc est aliquid fieri Deo agente, atque Deo volente.*

45. Quo præsupposito difficillimè explicatur ab ipsis permissio passiva peccati, quæ ex voluntate Dei fit, & ex qua infallibiliter inferatur logicè peccatum. Inutilis est primò recursus ad inefficiam auxilii, cum non sit inefficax ex se, & ut descendit à Deo, sed quatenus voluntas creata non est adimpletura præceptum, quod verum est sine interven- tu voluntatis divinæ in eorum principiis: non enim aliter explicari potest talis auxilii inefficacia. Si enim inefficax asseritur, quia Deus inefficiam prævidit per scientiam mediæ? Primò: hæc independentè à voluntate divina juxta ipsos existit in Deo. Secundò: scientia mediæ non potest ingredi formalem constitutionem permissionis, maximè dum ipsa consequitur ad peccatum de facto existens, utpotè acquisita per ipsum à voluntate creata: ergo supponit permissionem peccati adæquatè constitutam. Si autem auxilium dicas inefficax, quia voluntas creata deficienti reddit illud inefficax; hoc ex Deo non est, sed à voluntate creata. Uno verbo: inefficacia auxilii ab illo ponitur, in cujus est potestate; sed solum juxta ipsos est in potestate creaturæ, quod sit, vel non sit inefficax: ergo inefficacia à creatura debet esse. Quomodo ergo permissio peccati, quæ à Deo volita est, & ex ejus descendit voluntate poterit consistere in carentia efficacis, aut in inefficacia auxilii?

46. Eiusdem inefficaciæ erit asserere, ad

permissionem peccati ultra auxilium sufficientem requiri carentiam aliorum auxiliorum efficacium, quæ à Deo est: nam negatio aliorum auxiliorum, etiam efficacium, non infert infallibiliter peccatum, etiam conjuncta cum auxilio sufficienti, nisi ratione inefficaciæ auxilii, quæ à Deo non est, nec ex ejus descendit voluntate: immò nec ipsa negatio auxiliorum efficacium, ut efficacium. Nam sicut ab illo est negatio auxilii quoad entitatem, à quo est tale auxilium quoad substantiam, ita ab illo est negatio auxiliorum, ut efficacium, à quo potest efficacia auxilii præstari: sed hæc efficacia auxiliorum non potest à Deo descendere, cum antecederet ad voluntatem divinam, seu præcisivè ab illa sint efficacia in statu, quem vocant conditionatum, & in statu absoluto reddantur efficacis à voluntate creata: ergo ab illa, & non à voluntate divina esset negatio auxiliorum, ut efficacium. Non enim ad divinam providentiam spectat, quod sit, vel non sit inefficax, cum non magis se extendat, quàm divina omnipotentia, sub qua licet præcontineatur entitas auxilii, non tamen efficacis: cum ex vi comprehensionis suæ omnipotentia non cognoscat efficaciam auxilii, cognoscendo ex vi illius quidquid in ipsa præcontinetur. Debet ergo asseri, efficaciam ex alterius dispositione convenire, in cujus potestate sit, quod auxilium sit, & denominetur efficax, vel inefficax: quo stante permissio peccati ex Deo non erit.

47. Si tandem dicant, quod decretum collativum auxilii sufficientis supponens scientiam mediæ peccati connectitur cum peccato, eò quod connectitur cum scientia mediæ, quam supponit, & infert infallibiliter auxilium, atque adè connectitur cum existentia utriusque, & consequenter cum peccato, quod infallibiliter infertur ex coexistentia auxilii, & scientiæ mediæ. Contra est: nam decretum hoc non potest constituere, permissionem passivam peccati, cum non sit effectus Dei: ergo nec salvatur permissio peccati connexa infallibiliter cum peccato. Deindè: hoc decretum collativum auxilii sufficientis connexum cum peccato non potest ab ipsis concedi requisitum ad existentiam peccati, cum sit in eorum principiis repugnans: ergo ex connexionem hujus decreti cum peccato non deducitur permissio requisita ad existentiam peccati cum ipso connexa. Nec coexistentia auxilii cum scientia mediæ peccati infert infallibiliter peccatum ea ratione, qua est effectus Dei; nam hæc coexistentia nihil aliud est, quàm existentia utriusque: solum autem existentia auxilii est effectus Dei, quod auxilium conjungibile est cum carentia peccati; non tamen est effectus Dei existentia scientiæ mediæ. Ita sæpè laudatus Sapientissimus ille Primarius Salmantinus M. Bolivar tract. 6. de Prædest. dub. 3. §. 1.

48. Verum quoniam omnes modos di-

cendi persequi non est operis instituti, & quia nullus est, in quo non major adhuc probabilitas desideretur, & quia longum esset, & ad controversiam, quam institimus minimè necessarium. Id, quod nostris temporibus communiori Theologorum hujus Scholæ sententione probatur, est, malitiam peccati esse à Deo, ut influente positivè, & causante illam ratione suæ omnipotentiae, etsi non operetur ex propria determinatione, & cum inclinatione ad peccatum. Sed hunc modum dicendi apertè rejicit D. Augustinus non minus impossibile judicans peccati pro formali efficientem causam quærere, quam velle tenebras videre, & silentium audire. Sic cap. 7. lib. 12. de Civit. Dei luculenter dixit: *Nemo ergo quærat efficientem causam malæ voluntatis, non enim est efficiens, sed deficiens, quia nec illa effectio est, sed defectio. Deficere namque ab eo, quod summè est ad id, quod minus est, hoc est incipere habere voluntatem malam. Causas porro defectuum istarum, cum efficientes non sint, ut dixi, sed deficientes, velle invenire, tale est ac si quisquam vellet videre tenebras, vel audire silentium.*

49. Confirmat hoc, vel maximè testimonium D. Thomæ q. 1. de malo art. 3. ad 14. ubi docet: *Quod voluntas, quæ est quoddam bonum, dicitur causa mali per accidens præcisè, quia malitia privativa conjungitur bonitati actus peccaminosi, non quia ejus causalitas transeat ad malitiam privativam.* Et ponit exemplum: *sicut operatio edificantis non pertingit ad hoc, quod habitanti in domo bene, vel malè accidat.* Quod & repetit q. 3. de potentia art. 6. ad 6. Hujus rei vel indè abundè magnum argumentum est ratio, quam assignat 1. p. q. 49. art. 2. *malam, quod est in defectu actionis, semper causatur ex defectu agentis.* Quod luculenter explicat 1. 2. q. 75. in corp. & ad 3. dicendo: *Quia voluntas sine directione regula operatur, quia movetur ab aliquo fine, vel motivo, cui adjungitur negatio finis debiti, ideo defectus, vel privativa malitia in peccato dicitur provenire ex negatione finis debiti, quæ est conjuncta bono apparenti, vel moventi voluntatem ad peccandum, & tandem in 2. dist. 44. q. 1. art. 1. Undè cum potentia voluntatis humanæ sit per se ordinata ad bonum, defectus à bono in actu ejus oportet, quod causetur ex aliquo defectu in ipsa: quibus satis ostenditur mens Angelici Præceptoris, quod causalitas Dei non transit ad malitiam privativam, quia semper causatur ex defectu agentis. Sed licet in omnipotentiam Dei reducatur actualitas, & perfectio creaturæ, nequit reduci concursus secundum id, quod dicit imperfectionis, & defectus: ergo falsum est, peccatum non existere nisi Deo efficiente secundum id, quod dicit defectus, & privationis finis debiti, vel ut loquitur D. Thomas, quod causalitas Dei transeat ad malitiam privativam.*

50. Videant ergò Auctores oppositi ex his, quæ §. antecedenti superiori calamo scri-

plimus, quàm parùm concordent hæc duo, quod Deus permisivè concurrat, & quod omnipotentia influat in malitiam peccati. Permittere ex terminis solum dicitur quod malum est, quod displicet: quare Theologi antiqui permissionem, quam agnoscebant respectu malitiæ, negant actui secundum quod entitas est; & operationem, quam agnoscunt in ordine ad actum, negant respectu malitiæ. Ita Doctor subtilis lib. 1. sententiar. dist. 41. & 47. dicens: *Ita Deus scit, hunc peccatum, non solum quod scit se permittiturum, sed etiam quia scit, se cooperaturum huic ad substantiam actus non circumstantionatè, & per consequens iste committet: vel non cooperaturum ei ad actum necessarium, & per consequens iste omittet.* Et Joannes de Bassolis in 2. dist. 37. dico, inquit, quod positivum ipsum subtractum non permittit, scilicet Deus, immò operatur, & adimplet, sed malum ipsum, ut sic, permittit. Quomodo ergo dici potest permissio respectu actualitatis, & perfectionis convenientis actui peccati secundum quod entitas est, quæ amorem Dei efficacem terminat, & quæ est, ut diximus, effectus voluntatis consequentis? An forsan permisivè se habet Deus respectu illius influxus, qui si deficeret, deficeret perfectio, & activitas omnipotentiae? Numquid potentia, & quælibet virtus permisivè se habet ad terminum præcontentum sub ratione formali specificativa ipsius? Intellectus ad hoc verum in particulari, potentia visiva ad talem colorem? Ergò nec omnipotentia permisivè se habet ad id, quod est verum ens reale præcontentum sub ratione formali ipsius. Hujus permisivè concursus verum, realem, & physicum influxum dicentis, textum vel unum ex Sacris Litteris, PP. & Conciliis non assignabunt; cum contra tot sint SS. PP. testimonia omnem concursum positivum excludentia erga malitiam peccati. Sic S. Basilus in Homil. cujus titulus est, *quod Deus Auctor malorum non est: extinguit ergo Deus malum, non est ex Deo malum, quoniam & Medicus morbum tollit, non morbum corpori infligit.* Et iterum: *non enim turpe ab honesto, neque vitium à virtute: quamobrem sanè apparet, Deum mortem nequaquam fecisse.* Et D. Gregorius Nissenus Orat. 3. *Deus nullo modo mali causa est; quippe natura hujus, vitium ejus est, qui eligit.* Et D. Prosper ad Gall. cap. 1. *Deum omnino non esse causam cujuscumque peccati.* Et cap. 15. *infidelitas non est, nisi ex sola hominis voluntate.* Quæ universalis negativa locutio omnem positivum influxum removet. Sed hoc tam in SS. PP. quàm in Theologis tam tritum est, & in medio positum, ut tempus ulterius non esse nobis in his conterendum, arbitrer.

51. At Thomistæ nomine permissionis peccati non intelligunt aliquod ens à Deo productum in homine, nec præcisè permissio dicit non impedire, sed est formaliter idem quod providendo, ac volendo permissionem pec-

peccati, non impedire peccatum denegando gratiam efficacem. Sic expressè D. Thomas cap. 9. ad Rom. lect. 4. *Actus, quem Deus exercet erga reprobos, non est, quod disponat eos ad malum, sed hoc solum Deus circa eos agit, quod eos permittit agere, quæ concupiscunt.* Ubi apertè dicit, Deum agere hoc ipso quod permittit, quia permissio divinam includit voluntatem, quæ Deus vult positivè permittere peccatum, ut expressè affirmat D. Thomas 1. p. q. 19. art. 9. ad 3. *Deus vult permittere mala fieri; cujus rationem assignat q. 22. art. 2. dicens: Cum igitur Deus sit universalis Provisor totius entis, ad ipsius providentiam pertinet, ut permittat quosdam defectus esse in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum universi perfecti.* Et q. 23. art. 3. *ad providentiam pertinet permittere aliquem defectum in rebus, quæ providentiæ subdantur, ut supra dictum est. Undè cum per divinam providentiam homines in vitam æternam ordinentur, pertinet etiam ad divinam providentiam, ut permittat, aliquos ab isto fine deficere.* Quem permittendi modum consistere in pura negatione gratiæ testatur 1. 2. q. 79. art. 3. *Causa subtractionis gratiæ non solum est ille, qui ponit obstaculum gratiæ; sed etiam Deus, qui suo judicio gratiam non apponit.* Quod magis explicuit art. 1. in corp. probans, Deum non esse causam nec indirectè peccati: *Contingit enim, inquit, quod Deus aliquibus non præbeat auxiliium ad evitandum peccatum, quod si præberet, non peccarent: sed hoc totum facit secundum ordinem suæ sapientiæ, & justitiæ, cum ipse sit sapientia, & justitia. Undè non imputatur ei, quod alius peccet, sicut causa peccati: sicut Governator non dicitur causa submerisionis Navis ex hoc, quod non gubernat Navem, nisi quando subtrahit gubernationem potens, & debens gubernare.* Et q. 3. de malo art. 1. ad 1. *Deus tantum dicitur operari malum, aut inclinare hominum voluntates in malum, quatenus non prohibet, aut impedit homines peccare.* Et 3. contra gent. cap. ultimo: *Illos, quibus ab æterno disposuit se gratiam non daturum, dicitur reprobasse.* Quæ omnia clarissimè confirmant, quod permissio peccati activè sumpta est voluntas Dei non conferendi gratiam ad vitiationem peccati, & passivè sumpta ipsa denegatio gratiæ, quin Deus positivè influat medio vero, & reali concursu in malitiam peccati.

§. VII.

Solvuntur argumenta.

52. **O**bjicies primò: quidquid sit de modo operandi permisivè per concursum positivum, est sufficiens fundamentum in Littera Concilii Tridentini, ut concursus permisivus verè sit, & dicatur operativus: ibi enim sess. 6. Can. 4. *damnatur qui dixerit, mala opera, ut bona Deum operari non permittit*

*solum, sed etiam propriè, & per se: ergo loquendo de malis operibus, Deum non possumus alio modo dicere causam permisivam, nisi concursus permisivus sit verè operativus. Sed facilis est solutio, distinguendo consequens, loquendo de operibus malis, ut mala sunt, concedo consequentiam, ut opera sunt, nego consequentiam. Aliud est loqui de opere malo, aliud de opere ut sic, licet in re malum sit. Opus malum Deus non causat, alias causaret malitiam: opus verò, quod malum est, Deus causat, ut opus, non ut malum. Quare subsistit optimè discrimen statutum: utrumque enim opus Deus causat, sed non equaliter; in opere enim bono operatur opus, & bonitatem; in malo causat opus, sed non malitiam. Docet Spiritus Sanctus, non eodem modo operari Deum opera nostra mala, ac opera nostra bona, sed illa solum permisivè, ista propriè, & per se: idem & nos asserimus accipientes verba Concilii in proprium sensum. Ibi enim, ut supra diximus, agit contra Hæreticos asserentes, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, & supponentes id, quod negare non poterant, vias scilicet aliquorum hominum malas esse: ex quo inferebant, Deum equaliter operari opera bona, & mala, & utraque esse eodem modo propria Dei. Hunc errorem Concilium proferbit: at prius radicem evellit tum Can. 4. definiens hominis libertatem, quia potest dissentire, si velit; tum Can. 6. statuens, esse in potestate hominis vias suas malas facere: ac subindè mala opera non ita Deo tribuenda esse, ac bona: illa quippe, id est mala, Deo tribuuntur quoad entitatem; quoad malitiam non item: ista verò, id est bona, quoad entitatem, & bonitatem. Enim verò juxta consuetum loquendi modum qui dicit: Petrus non facit parietem nigrum, sed permittit fieri parietem nigrum, non negat, Petrum facere parietem, sed quod illi nigredinem superponat. Ita Concilium minimè negat, Deum utraque opera operari, sed affirmat; negat tamen, pariem esse modum utraque operandi. Est namque valdè notandum, quod cum Deus operetur per intellectum, & voluntatem, verbum operor dictum de Deo appellat conceptum formalem, quia significat actum animæ interiorem, ut dicitur in summulis cap. de Appellat. undè ista est mala consequentia: *Deus non operatur opera nostra mala: ergo non operatur opera nostra:* alioquin falsò dixisset Propheta: *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine:* non ergo ly opus nostrum aliquid importat contrarium causalitati divinæ, sicut opus nostrum malum malitiam importat: ex quo patet, quod considerando omnia opera nostra, prout his vocibus significantur, non prout istis opera nostra mala, operatio divina simpliciter, & absque ulla restrictione super illa omnia fertur, & restrictio solum est adhibenda, cum dicitur, opera nostra mala operari, ne Deus putetur*

ad malitiam positivè concurrere; sicut ex D. Anselmo lib. de concord. præscientiæ, & prædestinationis cap. 7. diximus: *Facit igitur Deus omnia, quæ justa, vel injusta voluntate fiunt, id est bona opera, & mala: in bonis quidem facit, quod sunt, & quod bona sunt, in malis verò facit, quod sunt, sed non quod mala sunt, & præmiserat, quòd omnis actio est à Deo.* Hic nulla adjecta particula restrictiva asserit, quòd Deus facit in bonis operibus, & quod sunt, & quod bona sunt, id est, facit bona opera, & pro materiali, & pro formali: in malis verò facit absolute quod sunt, sed non quod mala sunt, id est, facit opus malum pro materiali, non pro formali: ergo bene loquimur, dum cum Anselmo loquimur.

53. Secundò principaliter pro eadem parte argumentatur. Non stat, entitatem peccati esse, & produci à Deo, & quòd malitia non sit, & non producat à Deo. Hoc sibi Adversarii demonstrare videntur sic arguentes: primò, non stat unam, & eandem rem esse, & non esse à Deo, produci, & non produci à Deo: hæc enim contradictoria sunt, quæ simul vera esse non possunt; sed entitas & malitia peccati sunt una, & eadem res: ergò non stat, entitatem peccati esse, & produci à Deo, & non esse, & non produci à Deo malitiam. Confirmatur hoc vel maximè. Primò, quia Petreitas, & humanitas Petri sunt idem, non stat, humanitatem Petri esse & produci à Deo, & quòd Petreitas non sit, & non producat à Deo: ergo. Confirmatur secundò: non stat, entitatem peccati causari à creatura, quin causetur malitia, propter utriusque identitatem: ergo propter eandem rationem non poterit produci entitas à Deo, quin malitia à Deo producat: neque enim minus inter se opponuntur produci, & non produci, quam produci à Deo, & non produci ab ipso; sed identitas realis entitatis peccati cum malitia pugnat cum eo, quòd entitas producat non producta malitia, aliàs ex realiter identificatis posset unum non existere: ergo pariter repugnabit, entitatem esse productam à Deo, & non malitiam. Quid enim producit à Deo, nisi quod est res producta? Sed entitas peccati est res producta, & malitia peccati est entitas peccati: ergo malitia peccati producit à Deo.

54. Si dicas, ad vitandam contradictionem sufficere, quòd entitas virtualiter distinguatur à malitia, nam id sufficit in divinis, ut producatur filiatio, quin producatur essentia cum illa formaliter identificata. Contra insurgunt primò, quia talis distinctio inter entitatem, & malitiam conficta est, & solum se tenet ex parte intellectus, in objecto autem non invenitur. Secundò: quidquid sit de præcisione facta per intellectum, concursus physicus, & realis non est præcisivus. Tertio, displicet exemplum magis ac ipsa solutio; nam Mysterium Trinitatis fide credimus divina, & id ita esse in Deo ratione non

comprehendimus; ut quid ergo abjectissimam, vilissimamque omnium entitatem illi comparabimus?

55. Hoc argumentum procedit sive peccatum consistat in privativo, sive in positivo. Si enim primum asseritur, urget nos argumenti difficultas eodem modo respectu fundamenti, quod positivum debet esse; cum privatio, & negatio fundari nequeant in aliquo privativo, ne una privatio sit alterius fundamentum: nam fundamentum malitiæ à Deo non causatur, cum tamen causetur entitas realiter identificata cum ipso. Admisso ergo, quòd malitia consistat in positivo, pro solutione Sophismatis positi; nam revera nobis, non tam argumentum, quam sophisma est, quod miris verbis exaggerant Adversarii, illud suppono ex Logica Collegii S. Thomæ Complutensis q. 3. de universal. art. 4. quòd cum extrema ratione distinguuntur, ex his, quæ pertinent ad rationem, in qua distinguuntur, quod prædicatur de uno, potest negari de altero. Undè tunc de extremis sola ratione distinctis verificari possunt prædicata contradictoria, quando alterum ex illis prædicatis convenit uni extremo secundum illam rationem, in qua distinguuntur ab alio. Sic de essentia, & Paternitate, quæ in divinis sola ratione distinguuntur, verificari distinguuntur, & non distinguuntur à filiatione, quia distinguuntur à filiatione convenit Paternitati sub conceptu relationis, per quem ratione distinguitur ab essentia. Sed ne videamur exemplum omnino ab incomprehensibili Mysterio petere, simile nos præbet anima rationalis, cujus intellectiva ratio à sensitivâ ita distinguitur, ut utraque eadem entitas sit; & tamen de hæc prædicatur, esse actum corporis, quod de illa negatur. Hancque doctrinam, quæ à laudatis Complutensibus optimè traditur, omnium Thomistarum esse, quamquam aliqui vocibus differant, nemo nescit. Hoc ergo supposito, sicut & quòd produci, & causari à Deo convenit entitati secundum illam rationem, qua distinguuntur à malitia; convenit namque entitati secundum quòd spectat ad genus physicum, qua ratione præcontinetur in omnipotentia, & est ens participatum, & ad Deum ordinabile, ut ad finem; quod minimè convenit malitiæ, cum causabilis non sit, quia formaliter ut talis nec in Deo continetur, nec à Deo participatur, nec est in Deum ordinabilis, ut ad finem. Undè ipsa spectat ad genus moris, licet entitas, cum qua realiter identificatur, spectet ad genus physicum. Cum ergo ex his, quæ ad diversa genera pertinent, licet aliàs sint realiter identificata, possit unum causari ab uno principio, & non aliud, indè fit, quòd entitas causatur, & producit à Deo, non tamen malitia.

56. Quo supposito facilis est argumenti solutio. Ad primum respondetur distinguendo majorem: secundum unam, & eandem

rationem concedo maj. secundum diversas rationes, sub quibus spectant ad diversa genera nego maj. & dist. min. est una, & eadem res formaliter, & ad idem genus spectans nego min. formaliter diversa, & ad diversa genera spectans concedo min. & neg. consequentiam. Licet enim in genere physico omnia à Deo efficiantur, causeturque entitas peccati, non ex hoc deducitur, malitiam spectantem ad genus moris à Deo effici. Potest enim aliquid esse causatum à Deo in genere physico, quin sit ab ipso causatum in genere moris. Et quæ in hoc ab Adversariis proponitur difficultas, ipsos æqualiter urget, cum argumentum in suis principiis manifestè instetur. Primò: quia entitas peccati continetur in Deo, ut in principio effectivo, malitia verò, ut in principio defectivo in Deo non continetur, nè contineatur iniquitas in sanctitate per essentiam; cum tamen sit una realis entitas. Secundò in ipsa voluntate, creata, quæ non obstante identitate entitatis cum malitia, intendit directè entitatem, & non intendit directè malitiam, quia nemo intendens malum, operatur, & non minus opponuntur directè intendere, & directè non intendere, quam causare, & non causare. Tertio in eadem voluntate, quæ realiter identificatur cum potentia peccandi, seu cum defectibilitate radicali, & tamen Deus est causa voluntatis, quin sit causa potentiæ peccandi, seu defectibilitatis radicalis, quæ non convenit voluntati ex Deo, sed quia ex nihilo facta est. Vel quartò in ipsa entitate peccati, quæ est à voluntate, ut efficiente, cum malitia sit ab illa, ut defectibili, licet entitas realiter identificetur cum malitia. Quintò in habitu vitioso in positivo consistente, cujus licet entitas positiva identificetur cum habituali malitia, Deus causat entitatem positivam, quin causet habitualement malitiam. Et tandem in actu offensivo Dei, & in actibus meritorii Christi Domini, qui juxta omnes sunt in genere physico finiti, & in genere moris infiniti, vel superioris ordinis, respectu quorum sit idem argumentum: non minus opponuntur finitum, & infinitum, quam causatum, & non causatum: ergò potest aliquid esse causatum à Deo in genere physico, quin sit causatum ab illo in genere moris.

57. Videant ergo Adversarii, quòd præfens difficultas non est privativa doctrinæ Thomistarum: ipsos urget, immò, & quemlibet Catholicum, asserente Scripturâ Sacrà, *omnia per Verbum facta sunt*; & alibi: *nihil odisti eorum, quæ fecisti*; & *Deus odio habet iniquitatem*. Si enim omnia per Verbum facta sunt, & malitia aliquid est, sequitur, malitiam à Deo esse factam; atque odio habere, & non habere aliquid, quod fecit: quæ Sacri eloquii contradictio solvi nequit, nisi dicatur, in genere physico omnia à Deo effici, & à Deo amari; iniquitatem verò, quæ ad genus moris spectat, à Deo non causari; nec amari, sed odio haberi.

58. Ad id, quo primò confirmatur argumentum nego causalem, ut insufficientem: non enim sola identitas est ratio, quare humanitas Petri non possit à Deo produci, quin ab ipso producat Petreitas, sed quia produci à Deo non convenit humanitati per id, quo distinguitur à Petreitate, sed potius per id, quo à Petreitate non distinguitur. Utrique enim æqualiter, & per idem convenit ratio producibilis à Deo, quia nimirum ratio entis participabilis, & ordinabilis in Deum utrique æqualiter, & per idem convenit. Et ex hoc rursus ad secundum concessio antecedenti negatur consequentia: nam quæ sunt idem separari non possunt, nec unum potest existere sine alio: existentia namque entitati non convenit secundum illam rationem, qua distinguitur à malitia, sed per illam, qua cum malitia convenit: quocirca in existendo non possunt separari. At terminare causalitatem divinam convenit entitati per id, quo distinguitur à malitia: quare licet entitas, & malitia non opponantur in ordine ad produci, opponuntur tamen in ordine ad produci à Deo, seu à principio verè efficiente. Et ratio fundamentalis est, quia influxus creatus, non solum est utriusque generis physici, & moralis; sed etiam moralis efficienter, & deficienter. Undè cum deordinatus est, non solum attingit entitatem, quæ spectat ad genus physicum, sed etiam malitiam, quæ spectat ad genus moris: causalitas vero divina in hujusmodi purè spectat ad genus physicum, cum de genere moris nihil ibi, nisi deficienter sit: undè non attingit malitiam.

59. Non majoris difficultatis est, quod contra responsum factam primo loco dicitur; quia illa distinctio non se tenet præcisè ex parte intellectus, sed in objecto ipso fundatur, importaturque signatè in istis vocibus, *entitas peccati, malitia peccati*: primum enim complexum signatè dicit aliquid à Deo participatum, & ex se ordinabile in ipsum: secundum verò importat signatè aliquid, & imparticipabile, & inordinabile. Undè absolute, & sine restrictione dicimus: *entitas peccati est à Deo, malitia non est à Deo*. Ad secundum respondetur, quòd virtus productiva ex eo, quòd attingat unum, & non aliud, dum spectant ad diversa genera, nequit præcisè vocari; sicut voluntas præcisiva non est, licet attingat bonum, & non verum; nec intellectus ideo præcisivus dicitur, quia attingit verum, & non bonum, licet verum sit realiter bonum, cum verum, & bonum ad diversum genus pertineant. Virtus ergo illa præcisiva erit, quæ inter prædicata realiter identificata ejusdem generis attingit unum, non attingit altero: sicut intellectus in illis, quæ sunt de genere objecti, aut veri.

60. Ad tertium dicitur, quòd exemplum maximè est ad rem: nos enim evidentem rationem assignamus, ut de re identicè una,

possint verificari prædicata contradictoria. Quòd si eadem ratio militat in divinis, non mirum si exemplum ex divinis petamus, per quod Sacrosanctæ Trinitatis Mysterium non dejicitur, sed redditur intelligibilius, quando ex iis, quæ ratio naturalis dicit, assurgimus ad illam eminentiam nostro imperfecto modo concipiendam. Aptum ergo est illud exemplum, si, ut à Thomistis adducitur, à Contrariis intelligatur. Pro quo advertet, in Mysterio Sanctissimæ Trinitatis duo præcipuè inveniri. Primum est, quòd essentia Filii producta ita sit à se, ut nec à Patre, nec ab alio producatur. Undè Pater divinus Filium ita producit, ut non producat essentiam. Secundum est, quòd essentia Patris, & Filii sit omnino eadem absque virtuali distinctione; ex quo sequitur, quòd natura, & essentia non multiplicetur realiter, & si supposita realiter multiplicentur. Porrò in hoc secundo Mysterium illud ita est singulare, & supra naturæ captum elevatum, ut vix leve inveniat vestigium illius, de quo 1. p. q. 93. per totam. In primo autem Mysterium illud non ita singulare est. Immo etiam in creatis generationibus Pater filium producit, sed non filii naturam; hæc enim non est producibilis, nisi ab agente universali, & cujus actionis terminus à quo est non natura, quod agens non potest esse ejusdem naturæ individuum sub illâ constitutum, ut est quilibet Pater. Undè ut satisfaciamus argumento, quod sit ex illo principio naturali, quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se; illud principium explicamus de iis, quæ re, & ratione sunt eadem uni tertio, ut didicimus ex Divo Thoma 1. p. q. 28. art. 3. ad 1. ubi & apponitur exemplum in actione, & passione, quæ sunt idem motui, non tamen inter se, & alia ab aliis afferuntur exempla; quæ sanè si ad rem non sunt, nec illi Mysterio similia, vanè à Theologis, Theologorumque Principe ad solutionem argumenti inducuntur. Aptum ergo, & propriissimum est illud exemplum, quia ratio illius, ut adducitur à Thomistis æqualiter militat in nostro casu, quoniam nimirum produci à Deo convenit entitati actus pravi ratione illius, quo virtualiter differt à malitia; sicut produci convenit filiationi per id, quo virtualiter ab essentia differt. Ex quo fit, quòd Deus causat entitatem secundum id, quo à malitia differt: restat tamen disparitas in eo, quòd nec à Patre, nec ab alio essentia divina producitur; malitia verò peccati causatur à voluntate; per quod infinite differt productio peccati à productione Filii; nam de Filio verificatur, quòd est res producta, & improducta, de peccato minimè.

61. At quia hoc argumentum primo loco obvium faciunt Adversarii, quo veluti Achille Duce moventur, ut solutio perspicuè, diligenter, atque enodatè explicata maneat, operæ præmium est audire D. Thomam sibi illud proponentem in 2. dist. 37. q. 2. art. 2. Res

non assignatur causa efficiens secundum quòd est in intellectu, sed secundum quòd est in re: sed quidam actus sunt, in quibus non potest separari illud, quod est de natura actus à deformitate, nisi secundum intellectum, quia bene fieri non possunt: ergo non causatur, nisi secundum quòd stant sub illa deformitate: sed ut sunt sub deformitate non sunt à Deo: ergo nullo modo à Deo sunt. Ad quod argumentum respondet: Sicut actio, quæ peccati deformitatem habet, dicitur bona in quantum est actio, bonitate naturæ: non propter hoc, quòd aliquando invenitur separata à deformitate, sed quia bonitas illa naturæ deformitati substat: ita etiam Deus dicitur esse causa illius actionis, in quantum est actio, & non in quantum est deformatio: hoc modo, quòd actionem non faciat à deformitate separatam, sed quia in actione deformitati conjuncta, hoc quòd est actionis facit, & quòd deformitatis non facit. Et si enim in aliquo effectu plura inseparabiliter conjuncta sunt, non oportet, ut quidquid est causa ejus quantum ad unum, sit causa ejus quantum ad alterum. Hæc D. Thomas. At pro clariori intelligentia illius causalis, actio, quæ peccati deformitatem habet, dicitur bona, quia bonitas illa naturæ deformitati substat, advertendum, quòd verissimum est; sed reddit causam materialem, non formalem; nec enim ratio formalis, quare actio illa sit bona bonitate naturæ, est malitia, cui substat, sed quia subjectum malitiæ debet esse bonum; malum enim non subiectum in malo, sed in bono, ut docet S. Thomas 1. p. q. 48. art. 3. Et q. 49. art. 3. in princip. corporis dicens: Oportet enim, quòd omne ens, in quantum est ens, bonum est, & quòd malum non est, nisi in bono, ut in subjecto.

62. Discimus ex hoc discursu, quòd licet entitas peccati non causetur, ut præcisè apparet in conceptu præcendente; quia causa illius adæquata illam ponit in re, & cum malitiâ: ratio tamen quæ, & sub qua à Deo causatur, est illa, quæ præcisè apparet in conceptu præcendente entitatem à malitia. Dum ergo asserit, Deum causare sub ratione entis quidquid est in actione peccaminosa, ly sub ratione entis denotat modum se tenentem ex parte Dei, qui est purissimum ens, ac proinde non nisi sub ratione entis potest agere. Denotat etiam rationem, sub qua terminus subicitur causalitati divinæ; nam terminus quo similis esse debet principio quo agendi: ultimò denotat rationem, quæ terminat causalitatem divinam, & quæ per illam producitur. Ex quo sequitur, esse extra spheram suæ causalitatis malitiam peccati.

63. Concedimus ergo, quòd entitas, & malitia peccati in re, physice, & subjectivè unum sunt, terminativè autem, & comparative ad causalitatem divinam duo sunt, & tantum distincta, quantum requiritur, ut terminet entitas Dei causalitatem, malitia vero non item. Non distinctionem istam fingimus, sed illam à D. Thoma accipimus 1. 2.

q. 72.

q. 72. art. 1. in corpore: Sicut dictum est, ad rationem peccati duo concurrunt, scilicet actus voluntarius, & inordinatio ejus, quæ est per recessum à lege Dei. Horum autem duorum unum per se comparatur ad peccantem, qui intendit talem actum exercere in tali materia: illud autem, scilicet inordinatio actus, per accidens se habet ad intentionem peccantis. Et dicta dist. 37. q. unic. art. 2. in corpore sic dicit: In peccato est etiam duo considerare, scilicet ipsam actionem, & deformitatem: ipsa igitur peccati actio est natura aliqua; sicut & alia accidentia naturæ quædam sunt. . . . Secundo verò modo naturæ non sunt.

64. Non desunt plura exempla, quibus res sufficienter declarari potest. Primum sit in concursu Dei, qui juxta Adversarios identificatur cum actu, & malitia actus: immo reliqui Theologi adstruunt, concursum prævium distingui ab actu, sive bono, sive malo, frequentius asserunt, concursum simultaneum non distingui ab ipso. Et tamen nullus est ausus dicere, concursum Dei honestum, non esse, ac laudabilem. Vel aliter, & urgentius: Deus odio habet voluntatis creatæ influxum in malitiam; sed influxus voluntatis creatæ in malitiam est idem realiter juxta Adversarios cum influxu omnipotentis Dei in malitiam, quem Deus nequit odere habere: ergo rectè componitur, quòd odium Dei terminetur ad unam formalitatem influxus in malitiam, quin terminetur ad entitatem talis influxus. Habemus etiam in Mysterio Incarnationis exemplum. Primò: Deus per actionem physicam univit humanitatem personæ Verbi, non naturæ; unio enim facta est in persona, non in natura: & tamen persona, & natura sunt unum tanta, ac majori identitate, quam entitas, & malitia. Similiter relatio sub conceptu in, seu formæ hypostaticæ terminavit humanitatem, non sub conceptu ad, seu relationis: & tamen conceptus isti non realiter, immo nec virtualiter adæquate distinguuntur. Ulterius in actu libero Dei, cujus terminatio secundum expressum terminationis defectibilis est, quin sit defectibilis entitas terminationis. Adde, animam rationalem, ut supra diximus, secundum diversas rationes esse, & non esse actum corporis: item Philippum, exempli gratiâ, generasse Alexandrum, cum tamen Alexander idem sit cum suâ naturâ: ergo non dicunt Thomistæ aliquid novum, cum dicunt, causalitatem divinam terminari ad entitatem peccati cum præcisione à malitia.

65. Sed his tamen objicitur: primò, quia nec divinus intellectus, nec humanus potest entitatem præcendere à malitia: ergo cum causalitas divina non sit magis præcisiva, multò minùs poterit talem facere præcisionem. Secundò: entitas illa actus non producitur eo modo, quo apparet in conceptu, sed ut est in re: sed in re est ipsa malitia: ergo producitur malitia. Tertio: quia vel ratio

sub qua divinæ omnipotentis est universalissima ratio entis positivi, vel non; sed alia inferior? si hoc secundum: ergo quòd volitio prava sit ens positivum non infert, omnipotentiam debere in eam influere. Si primum, ergo debet influere in ipsam moralitatem malitiæ. Consequentia est clara: nam quòd universalis ratio entis sit ratio sub qua ad concursum omnipotentis nihil est aliud, quam quòd quidquid participaverit rationem entis positivi, debeat terminare ipsius influxum: sed moralitas ipsa malitiæ, ut supponit argumentum, in positivo consistit: ergo debet terminare, ut quòd, influxum omnipotentis.

66. Sed hæc argumenta captiosa sunt, & vana, atque facillimè retorquentur, assumptis pro medio exemplis, quæ pro nobis attulimus. Ad primum respondetur concessio antecedenti, negando consequentiam. Quòd enim intellectus divinus, aut creatus non possit cognoscere entitatem peccati, quin simul cognoscat malitiam, indè provenit, quòd intellectus infinitus, ac infinite rerum comprehensivus, non potest non cognoscere simul objecta, quæ sub eadem cognoscibilitate proponuntur. Potest tamen decernere concursum ad entitatem, quæ est ipsius participatio, quin illum decernat ad malitiam, quam Deus in se non continet. Hujus rationem assignavit D. Thomas 1. p. q. 25. art. 5. ad 1. per hæc verba: Ipsum facere subjacet præscientiæ, & præordinationi, non tamen ipsum posse, quòd est naturale & consequenter nec ipsum nosse. Deus ergo comprehendens peccatum, videt id, quòd habet entitatis, & actionis; videt etiam quòd habet deformitatis, & malitiæ: illud agnoscit suum, quia primo ab ente est participandum: undè illius existentiam ponendam per suum concursum decernit; malitiam autem esse contra se ipsum noscit, & illius existentiam pro suo iudicio permittit. Intellectus etiam creatus plura non potest præcendere, quæ distinguuntur, quantum ad actiones, ut patet in omnibus terminis realibus connexionum.

67. Ad secundum constat defectus Syllogismi, quia fit transitus de genere in genus, & instatur multipliciter in voluntate, & intellectu. Verum est bonum, sed verum intelligitur: ergo bonum. Vel aliter: terminatio actus liberi est defectibilis, sed terminatio est entitas: ergo defectibilis est entitas. Quare respondetur, quòd entitas peccati non ponitur in re, ut apparet in conceptu, quia prout in conceptu est præcisiva à malitia, saltem quoad explicitum, in re verò talis præcisio non datur, sed consequitur modum intelligendi; at nihilominus causalitas divina ad id præcisè terminatur, quòd apparet in objecto sub illa præcisione; malitia autem producit voluntas creatæ, quæ deficienter cooperatur concursui, & causalitati divinæ, Hoc patet in exemplis positis, sicut in unione hu-

humanitatis ad personam, & in claudicatione.

68. Ad tertium constat ex superius dictis, quod subjacet causalitati divinæ universalissima ratio entis positivi: cœterum subjacet sub explicito conceptu entis, quia sub illo est bonum in Deo contentum, à Deo participabile, & in ipsum ordinabile, ut in finem, non verò sub alia formalitate, & expressione, quia sub illa non est bonum, non est in Deo contentum, non est à Deo participabile, & est ipsa deordinatio à Deo. Unde moralitas illa positiva, ut ens, causalitati divinæ subjacet, non ut deformitas: sicut filiatio, & non natura est terminus unionis, & productionis, quamvis filiatio, & natura sit una, & eadem formalitas. Plura alia possemus in exemplum adducere: sed satis sit inquirere ab Adversariis, quo jure scientia nostra, exempli gratiâ, sub ratione talis sit participatio scientiæ Dei, & non sub ratione qualitatis?

69. Objicies tertio. Etsi Deus positivè concurrat ad malitiam peccati, non sequitur esse causam peccati: non enim influxus est ex determinatione Dei, sed purè ex determinatione creaturæ concursus determinantis contra inclinationem elicitam, & innatam divinæ omnipotentiae: quod aptissimè deducitur ex illo Isaïæ 43. *Servire me fecisti in peccatis tuis.* Et apertè confirmat D. Anselmus de casu Diaboli cap. 28. loquens de voluntate prava Angeli: *non solum, inquit, habet aliquis à Deo, quod Deus spontè dat, sed etiam quod spontè rapit ipse, Deo permittente: & sicut dicitur Deus facere, quod permittit fieri, ita dicitur dare, quod permittit rapi. Quoniam igitur permittente Deo, Angelus malè usus est potestate à Deo sibi data, à Deo habuit (per rapinam uti) quod est ipsum velle.* En concursus positivus, quo Deus malam voluntatem Angeli produxit: & quæ tantum permittivè fuit à Deo, eò quod ipso invito, & coacto per rapinam illam habuit. Hoc ipsum affirmat Tertullianus in Exhortatione ad Castitatem dicens: *quod à Deo permitti dicitur, quasi de invita venit voluntate.* Et D. Bernardus serm. 5. in Natali Domini: *Nam quod judicat, & condemnat nos, eum quodammodo cogimus.* Ex quibus deducitur, Deum quasi invitum, & coactum concurrere permittivè ad peccatum. Non enim est aliqua repugnantia, quod positivè influat contra propriam inclinationem; ac si quis arriperet manum filii ad percutiendum Patrem, talis percussio verè positivè egrederetur à filio, & tamen esset contra inclinationem ipsius: quo simili rem illustrat P. Marin loco citato. Eandem doctrinam expressè docent P. Avendaño disp. 7. cap. 1. §. 19. n. 5. Et P. Herrera de scient. Dei q. 13. sect. 8. n. 123.

70. Secundò: quia licet Deus concurrat immediatè ad actum peccati physicè sumptum concursu sufficienti, & quoad entita-

tem tali; non tamen concursu efficaci, & quoad denominationem tali in illis circumstantiis, in quibus actus peccati non potest fieri, nisi cum malitia morali; ergo licet physicè concurrat, non tamen est causa peccati. Antecedens est P. Ribadeneira de Prædest. disp. 11. cap. 5. n. 60. qui doctrinam explicat num. seq. exemplo omnipotentiae. *Sicut enim, inquit, in sententia constituyente divinam omnipotentiam penitus absolutam à possibilitate creaturarum denominatur Deus potens, quatenus est ex se, producere creaturas, quæ repugnant, denominandus potens absolute, si daretur non repugnantia ex parte ipsarum: sic Deus ad entitatem physicam actus, qui pravè exercetur, denominatur concurrere immediatè, quatenus est ex se, denominandus simpliciter, & sine aliquo diminuyente concurrere, si tali actui deficeret, ut potest, ratio peccati.* Juxta quam doctrinam concursus divinæ voluntati oblati, quantum est ex se, sufficiens est, & ad actum honestum, & ad turpem; influeretque Deus physicè in entitatem physicam actus turpis, si à nostra voluntate sine turpitudine exerceretur; quando autem in his circumstantiis cum turpitudine, & malitia morali exercetur; Deus non influit actu physicè in illum, etiam quantum ad entitatem physicam, nec est actualis causa illius, nisi tantum permittiva.

71. Tertio, quia Deus offerens voluntati concursum indifferentem, non concurrat ad actum pravum absolute, sed solum sub conditione, quod talis concursus à nostra voluntate determinetur. Ita P. Avendaño disp. 6. cap. 1. §. 7. n. 3. Sed dum hoc modo concurrat, non potest dici causa malitiæ, cum absolute Deus non concurrat, nec affectivè, cum potius concursus offerat voluntati desiderans, ipsam elicere actum honestum, potius quam turpem, & ad illum vehementer impellens, sive ab hoc magnopere avertens, ut volunt alii apud P. Ribadeneira de Prædest. disp. 9. n. 23. Ergo quamvis Deus physicè concurrat ad entitatem, & malitiam actus pravi, nequit dici causa malitiæ, sed solum causa permittiva.

72. Respondendo ad argumentum, sanè rogare vellem Theologiam istam recentem, ut fileat circa modum, quo ponit in Deo concursum subiectum, & subordinatum determinationi creaturæ, & quod verè positivè influat contra propriam inclinationem, docente Scriptura Macab. 4. cap. 9. *Justum est, subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* Et Psal. 36. *Subditus esto Domino, & ora eum.* Et Threnor. 3. *quis est iste, qui dixit, ut fieret Domino non jubente?* Ergo solum chymæricè intelligibilis erit verus positivus concursus Dei, quo contra propriam voluntatem, materialiter, per accidens, ac præter intentionem, invitum, & quasi coactus concurrat. Quid magis Deo indecorum, ac indignum, quam se in eo constituisse statu, quo crea-

creatura possit omnipotentiam uti contra suam propriam voluntatem? Sanè meritissimo jure irrideret is, qui in eo statu se propria libertate privatum vellet constitutum; quanto magis est Deo repugnans concursus non subjacens divinæ præordinationi, sed creaturæ determinationi? Cum providentia, teste D. Thoma 1. p. q. 22. art. 1. *Sit ipsa summa ratio in supremo omnium Principe constituta.* Poterit nè Deus concurrere ad actum peccati, ut inanime quoddam, & eo prorsus modo, quo Lutherus agebat, nos concurrere ad nostros actus? Nam rogo, concurrere, ut inanime quoddam, ut de nostro arbitrio assereret Lutherus, quid est aliud, quam concurrere materialiter, per accidens, ac præter intentionem, ex dominio alterius, ac nullo modo se movendo, & determinando? Sed Deus, etsi causa libera sit, ac possit se agere, & se movere, dominium suum in concurrente ad actum peccati exercere non potest, hoc fatentibus Adversariis, dum asserunt, quod redderetur Deus Auctor peccati, si ad illius entitatem ex proprio dominio concurreret: ergo concurrat solum, ut inanime quoddam.

73. Confirmatur hoc. Ut principium penitus inconcussum sibi persuadent Adversarii, taliter esse Deo subiectam voluntatem creatam, si illam per decretum efficacem, & physicam prædeterminationem movet ad operandum, ut ab ea auferat omnino dominium actus, & arbitrium reddat omnino servum, non delibens, quod est in errorem declinare Lutheri, qui ita subiectum Deo putavit arbitrium, ut nullam in eo relinqueret potestatem ad oppositum, Dei motione semel impressa voluntati; & per hoc vocabat servum arbitrium: at Adversarii ita constituunt libertatem divinam in ordine ad entitatem, actus mali, ut illa stante, nulla sit in Deo potestas impediendi actum malum; immò, quod mirabilius est, semel collata potestate ad actum pravum, nec proprium concursum valet suspendere, aut impedire, quin voluntas humana omnipotentiam determinet contra voluntatem divinam; atque ideo consequenter asserunt, in Deo nullam manere potestatem ad impediendum suum concursum: ergo eandem admittunt in Deo subjectionem ad arbitrium creatum, quam Lutherus posuit ad Deum in arbitrio creato. Hanc tantam, & talem posuit Lutherus ad Deum in arbitrio creato subjectionem, quia credidit, arbitrium creatum non se determinare, sed purè determinari, cum quo nullam ad oppositum potestatem componit: hoc idem admittunt ipsi in Deo semel collata nobis potestate ad actum malum: ergo in vi ejusdem consequentiæ idem in Deo tenentur asserere.

74. Erit ergo inter utramque subjectionem ea dumtaxat differentia, quod subiectio requisita, ut decernat, & prædeterminet, conditio erit naturalis in voluntate creata; in

Deo verò erit voluntaria, scilicet ex donatione, vel dignatione. Immo sequitur, quod natura ipsa creaturæ rationalis petat, Deum sibi esse subiectum, quo quid indignius poterit excogitari? Ipsa namque ex suis essentialibus prædicatis petit, sibi dari intellectum, quo discernat bonum à malo, & voluntatem, qua sibi convenientia prosequatur, & nociva fugiat; unde suapte natura exigit dari sibi arbitrium, quod non est aliud, quam facultas voluntatis & rationis, qua possit pro libito honestum, & inhonestum, seu delectabile, bonum amplecti, ut significavit Ecclesiast. cap. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui:* sed potestas ad peccandum supponit necessariò, juxta Adversarios, Deum creaturæ esse subiectum: ergo ex sola conditione, naturaque ipsa rationalis creaturæ, Deus illi debet esse subiectus.

75. Non sic Deum quasi invitum, & coactum, & quasi servum concurrere docet textus Isaïæ, ut credidit P. Marin loco citato disp. 6. sect. 1. n. 6. Verior, & præclarior est SS. PP. & Interpretum interpretatio, videntur apud Cornelium Isaïæ cap. 43. *Non ego te mihi in victimis servare feci: sed tu me tibi servare fecisti; hoc est, peccatis tuis tu me gravasti, molestia affectisti, & quasi servus tuus essem, aut mancipium, onerasti.* Et catachese 70. vertunt, *in peccatis tuis ante me stetit, (sic enim legit editio Romana, Trineus, & Procopius, licet alii dicunt aliter, ut mox dicam) tanquam effrons, & impudens, non tam victimas, quam peccata oculis meis ingerens, ostentans, & quasi offerens; ideoque irritans, & quasi irridens, immo pugnant contra me.* Hic sensus est genuinus. Et in sensu morali ex Lactantio lib. 4. cap. 16. Leocastrius. *Tuis peccatis servare, id est servi carnem induere, servi penas, scilicet crucem, suscipere me Christum fecisti.* D. Hieronymus. *Quasi, ait, labor sit Dei, & lassitudo defendere peccatores.* Perinde ac si Deus clemens, & parcens pugnet contra se, suamque justitiam, flagrantem, ut justa vindicta peccata, & peccatores plectat. Videant ergo illi quantum proprio Spiritui fidentes, indiscussaque SS. PP. auctoritate decipiuntur, dum inferunt, Deum quasi invitum, & coactum concurrere ad entitatem peccati.

76. Nec favet Anselmus, cujus sententiæ, vel inde magnum argumentum est, quod supra ex S. Doctore diximus, si verba textus citati fideliter referantur. Sic enim habet: *Quoniam igitur permittente Deo Angelus malus per rapinam usus est potestate à Deo spontè data; à Deo habuit uti, quod non est aliud, quam ipsum velle: quibus certissimè contraponit, quod fecit Angelus malus utens per rapinam, potestate sibi à Deo spontè data ad ipsum uti, quod habuit à Deo, & quod non est aliud, quam ipsum velle.* Per rapinam ergo, vel aliis terminis, injustè usà est voluntas potestate sibi tradita ad benè volendum. Cujus

nomine necessariò intelligitur non omnipotentia Dei, sed propria Angeli voluntas; vel potentia illa, cujus exercitium est ipsum velle, & solum est velle voluntatis, sicut intelligere intellectus. Non ergo est omnipotentia Dei, qua malè usus fuit, sive quâ per rapinam usus est injustè Angelus, ut intendit argumentum, de qua nec minimum verbum legitur in D. Anselmo, qui expressè cap. 28. ad interrogationem Discipuli. *Si potestas ipsa volendi, & ipsum velle fuit aliquod bonum, fuit à Deo?* Respondet: *utrumque fuit aliquid; & potestas quidem non nisi bonum aliquod, & spontaneum donum Dei: velle autem secundum essentiam bonum*: quibus solum loquitur de voluntate, non de omnipotentia. Quare sensus prædicti testimonii talis est, quòd Deo permittente Angelus injustè usus fuit potestate à Deo sibi data, quæ potestas à Deo est positivè influente, malus usus ab ipso permittente.

77. Non magis suffragatur Tertullianus, qui verbis citatis solum intendit, peccatum à Deo permissum; quod expriment prima verba, quod à Deo permitti dicitur, est contra Dei voluntatem, ut superius explicatum manet: quare dicit *quasi de invita venit voluntate*, non quòd Deus quasi invitatus, & coactus positivè influat, sed ut exprimat, qualiter displiceat Deo malitia peccati; quasi diceret intelligentiæ nostræ causâ: simili modo, ac apud homines se habet, quòd de invitâ provenit voluntate. Deindè ut ostendat humano more, quo amore Deus homines profectatur, ut qui mala, quæ super nos ipsi ducimus, nollet; sicut & invitatus dicitur in testimonio citatis Bernardi, & Chrysostomi, quæ solum benignitatem, & misericordiam Dei expriment, qua neminem perire vult; ipsiusque clementiam, qua pronior est ad ignoscendum, quàm ad puniendum, dicente Propheta: *Quoniam ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus*. Et per Ezech. 18. *numquid voluntatis mea est mors impii, & non magis, ut convertatur, & vivat?* Quærit enim peccatores propter ipsos, suâ illum promovente bonitate. Quæ quantum in ipsa est, ut dixi, *vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Non ergo illam subjectionem creaturæ docet Tertullianus. Nec Deum operari positivè contra propriam inclinationem, probat exemplum arripientis manum filii ad percutiendum Patrem. Quis enim credat, quòd sicut membra exteriora filii illum percussiois motum patiuntur, ita similiter Deus, renuente propria voluntate, cogi possit ad concurrendum, & quòd sit in Deo major inclinatio ad obediendum creaturæ, quàm ad propriam perfectionem?

78. Ad secundum respondetur negando antecedens, sicut & hujus probationem, non enim sustineri potest doctrina argumenti in principiis à Theologis communiter receptis.

Omnes enim distinguunt inter actum malum, quia prohibitum, & inter actum prohibitum, quia malum. De isto ad differentiam illius, asserunt esse intrinsecè, & essentialiter malum; ideòque prohiberi per legem, quidquid sit, an malitia conveniat ipsi per contrarietatem ad legem æternam, aut per dissonantiam ad naturam rationalem? Cum supponant omnes, ex suis intrinsecis dissonum, & legi æternæ, & naturæ rationali: undè juxta principia communia, ita impossibile est, actum prohibitum, quia malum, absque malitia exerceri, sicut est impossibile, deficere legem æternam, & naturam rationalem, quibus talis actus ex suis intrinsecis ad-versatur. Si ergo odium Dei v. g. liberè exerceri nequit absque malitia morali, à qua nec per ignorantiam invincibilem, nec per excusabilem inadvertentiam depurari potest, cum neutra locum habeat in tali actu: quomodo poterit Deus concurrere, influereque physicè in entitatem physicam actus turpis sub illa conditione, nempe si à nostra voluntate sine turpitudine exercetur?

79. Secundò retorquetur contra argumentum ipsum argumentum. Concursum divinum juxta doctrinam objectionis, licet non influat actu, & quoad efficaciam in actum turpem, quando cum malitia exercetur, influit tamen quoad sufficientiam: ergo quantum est ex parte concursus divini datur virtus sufficiens ad influendum in talem actum, quamvis actu non influat, nec ut turpiter exercitus sit à Deo; sed si Deus quantum est ex se est potens quoad sufficientiam in actum turpem cum turpitudine exercitum, quoad sufficientiam est potens peccare: ergo verum absolute erit dicere, quòd Deus est potens peccare. Discursus irreprehensibilis est; nec non certissima minor: si enim Deus influeret physicè quoad efficaciam in talem actum cum deformitate à nostra voluntate exercitum, Deus de facto peccaret; ergo si quantum est ex se est potens influere in actum turpem cum malitia exercitum, Deus quantum est ex se erit potens peccare quoad sufficientiam, quod nullus Theologorum dixit, nec dicere audebit. Vel aliter: hoc ipso, quòd concursus Dei, quantum est ex se, sit potens quoad sufficientiam influere in actum turpem turpiter exercitum, talis actus sic exercitus esset physicè causabilis à Deo: implicat enim contradictionem, quòd causa quantum est ex se habeat virtutem sufficientem ad causandum aliquid, quin & illud sit passivè causabile per talem causam: sicut enim denominatio causati passivè sumitur ab actione causante actu; ita passiva denominatio causabilis sumitur à causa potente causare: undè sicut repugnat, dari actionem actu causantem aliquid, quin illud sit passivè causatum; ita repugnat, dari causam potentem causare, quin illud sit passivè causabile à tali causa: ergo vel Deus medio illo concursu influit physicè,

quoad

quoad efficaciam in actum pravum pravè exercitum, vel nec etiam influit in illum quoad sufficientiam. Undè ad exemplum ex divina omnipotentia desumptum, quo fulcitur argumentum, satis impugnatur à nostris sententia illa; & tam veraciter, quàm communiter dicitur, quòd omnipotentia essentialiter connectitur cum creaturis possibilibus, & quòd non respicit possibile sub conditione possibilitatis, sed dumtaxat possibile absolute. Videantur Auctores ibi.

80. Non felicius dicitur tertium: ex quo novum contra ipsos insurgit argumentum. Etenim si Deus medio concursu indifferenti solum concurrat ad actum pravum sub conditione, quòd determinetur per nostram voluntatem, hoc sanè non tollit, quominus sit vera causa physica actus pravi, quantum ad entitatem, nec minuit connexionem, vel identitatem repertam inter malitiam, & entitatem actus: sed adæquata ratio, ut attribuat malitia Deo concurrenti prædeterminando voluntatem, est, quia esset causa actus pravi, quoad entitatem, quæ cum malitia connectitur, vel identificatur: ergo poterit Deus prædeterminare entitatem peccati, quin sit causa malitiæ. Secundò: nam purificata conditione determinationis concursus divini per nostram voluntatem, jam Deus concurrat physicè ad actum pravum: veritas enim conditionalis purificata conditione transit in absolutam: ergo si Deo prædeterminanti attribuitur malitia, quia concurrat absolute, etiam eadem de causa debet illi tribui concurrenti concursu indifferenti. Tertio: velle aliquid conditionatè est velle illud absolute purificata conditione; sed Deus purificata quacumque conditione non potest absolute velle malitiam, quia hæc sub omni conditione non est honestè amabilis: ergo nec potest applicari omnipotentia, ut voluntas creata cum ipsa efficiat malitiam, si hæc applicatio exigit volitionem conditionatam malitiæ. Quarto: velle malitiam conditionatè, sub conditione determinationis voluntatis creatæ ad operandum, est velle, vel ponere in Deo volitionem liberam objecti ex terminis necessariis: quòd enim malitia existat, si existit determinatio voluntatis creatæ ad malitiam, quæ realiter est ipsa malitia, est ex terminis necessarium: ergo fatua esset hujusmodi volitio, & talis, qualis esset illa, qua quis vellet, existere hominem, si existeret. Quintò: Deus vult conditionatè suum concursum, & non vult conditionatè nostram determinationem; & tamen determinatio nostra est realiter Dei concursus: ergo fiat, ex duobus realiter identificatis Deum.

velle unum modo, quo non vult alterum: cur ergo non poterit determinare, & efficere entitatem, quin efficiat, aut determinet malitiam?

81. Verè falsum esse constat ex superius dictis, quòd asseritur in argumento, scilicet Deum non concurrere affectivè ad illum actum secundum illam rationem, secundum quam terminat causalitatem divinam; ac si Deus id efficere nollet, vel posset aliquid extra se necessariò, & non liberè efficere. Nec minus intelligibile est, quòd sic concurrat ad peccatum offerendo voluntati concursum, desiderans elicentiam actus honesti: nam hoc desiderium, ut voluntas nostra eliciat actum honestum, vel est actus distinctus à decreto preparativo concursus indifferentis, vel est omninò idem cum illo? Si primum: ergo merè per accidens se habet in ordine ad divinum concursum in nostros actus liberos; cum ex actibus voluntatis divinæ solum concludat formaliter, & per se decretum preparativum concursus divini: ergo quòd Deus habeat illud desiderium parum refert, ut Deo attribuat, vel non attribuat malitia actus pravi, si semel iste physicè causetur à Deo. Si dicatur secundum: desiderium est omninò indistinctum à decreto preparativo concursus indifferentis: ergo cum decretum preparativum concursus indifferentis omninò aequaliter respiciat utrumque actum, sicut ipse concursus preparatus, juxta oppositam sententiam, qui nequit non esse conformis decreto preparativo ipsius, aequaliter desiderium respicit actum honestum, ac turpem, nec magis impellit ad illum, quàm ad istum: quare ex hoc Deus non excusaretur à culpa. Demus enim, quòd mulier sollicita à viro, toto animo reluctetur, eumque lacrymis, verbis, & precibus vehementer ad castitatem impellat, ut ipsum à peccato dimoveat; nihilominus, etsi reluctans, gemens, & plorans, si sollicitationi succumbat, an excusabitur à peccato? Num propterea dici potest, solum effectivè, & non affectivè concurrere ad actum turpem? Ergo nec excusabitur ipse Deus offerens voluntati concursum indifferentem, quamvis actum honestum desideret, si tandem voluntati determinanti succumbat, & cum illa ad actum turpem concurrat. Ex quibus constat argumenti solutio. Hactenus, quantum fieri potuit, à nobis ea dicta sunt, quæ Lectori satis erunt, ut intelligat repugnantiam concursus Dei ad formale peccati. Nam si quæ eorum majori vi, & argumentis indigent, dubiis sequentibus confirmabuntur.

DUBIUM II.

An Deus immediatè concurrat ad actum peccati,
& suo concursu verè sit causa illius?

Quoniam primam hujus disputationis partem, hoc est, Deum minimè ad formale peccati physicè, & positivè concurrere, ostendimus; jam ad partem Disputationis secundam pergamus, in qua illud quærebatur, an causalitas Dei ita immediatè concurrat ad entitatem peccati, ut sit vera illius causa? ut visis circa causalitatem entitatis peccati Angelicis D. Thomæ principiis, ad dubii principalis decisionem mens instructa faciliùs, & subtiliùs perfequatur. Ne verò quempiam fallat hujus termini *concurfus immediatus* significatio, accuratè observandum, non melius concursum Dei immediatum in actum liberum voluntatis creatæ dignosci, quàm ex oppositione ad mediatum; quo nempè Deus non immediatè per suam actionem actum voluntatis attingit. Hic ut certum debet supponi, Deum saltem mediatè ad entitatem peccati concurrere. Quis enim vel Catholicus, vel rationis compos, si Manichæos excipias, neget, aut in dubium vertat, quòd facultas, aut potentia ponendi actum peccati, nempè voluntas, à Deo sit? Quis & quòd voluntate immediatè operante Deus mediatè non operetur? Hoc omnibus certum, & persuasum esse debet. Non ergo de concursu mediatò, sed de immediato Dei concursu nobis est instituenda disputatio, quem necessarium prædicat Scriptura Isaia cap. 26. *Omnia enim opera nostra operatus es in nobis.* Et Joan. 15. *sine me nihil potestis facere.* Et ad Philipp. cap. 2. *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere.* Et 2. ad Corinth. 3. ubi, cum loqueretur Apostolus de concursu nostro ad opera salutaria, asserit, nos esse cooperatores Dei. Et 1. ad Corinth. 13. *Plus omnibus laboravi, non ego, sed gratia Dei mecum.* Et tandem ex actibus Apostolorum cap. 13. *In ipso vivimus, & movemur, & sumus;* quibus verbis eandem nos habere à Deo dependentiam agnoscit Apostolus in hoc, quòd est moveri, atque in hoc, quòd est esse, & vivere; sed in hoc immediatè pendemus à Deo: alioquin non posset nos annihilare immediatè: ergò & in hoc, quòd est moveri actibus nostris immediatè pendemus à Deo.

2. At cum concursus physicus immediatus alius sit prævius, alius comitans, & simultaneus, hinc magna in astruendo modum, quo Deus immediatè concurrat, oritur con-

troversia; an nempè causas secundas physicè applicet, & ad operandum præmoveat, vel an solum cum illis concurrat ad earum operationes ipsis creaturis primò determinantibus? Thomistæ propugnant, dari prævium illum physicum concursum ex dominio naturali, seu jure primæ causæ, ac indè ex determinatione divina. Auctores verò contrarii, et si id fateantur de concursu necessario requisito, ut causæ necessariæ operentur, negant in causis liberis; nam ex earum determinatione dicunt existere illum concursum. Nos tamen in præsentis dubio solum inquirimus hujus concursus immediati existentiam, & necessitatem: postea gradatim de cæteris, quæ ad integram rei discussionem facient, disputaturi. Circa propositam ergo difficultatem D. Thomas in 2. dist. 37. q. 2. art. 2. duas refert antiquorum sententias: alteram asserentium, omnes actus, in quantum actus sunt, esse à Deo, minimè tamen in quantum deformitatem habent; alteram aliorum asserentium, actum peccati nullo modo, nec etiam in quantum actus est, à Deo esse. De hac secunda opinione statim subdit D. Thomas: *quam ad præsens nulli, vel pauci tenent; quia propinquissima est errori duplici.* Sed licet auctoritas D. Thomæ tantum habeat ad faciendam fidem virium, nihilominus post hanc D. Thomæ censuram, non desuere, qui in hac quæstione, & controversia partem istam amplecterentur. Ita Ludovicus Dola ex Ordine Cappucinatorum, qui in opusculo *disputatio quadripartita* contendit, concursum causæ primæ cum secunda solum esse mediatum, & remotum; in quo sequitur Durandum in 2. dist. 37. q. 1. Eandem sententiam, dictam Angelici Præceptoris erroris notam nihil facientes, non desitutam auctoritate P. Vázquez judicat; & absolutè probabilem censent PP. Hurtado, Quiros, Puente: quibus satis favet P. Ribadeneira disp. 11. de Prædest. cap. 5. omnes videndi apud P. Marini tract. 11. disp. 6. sect. 1. n. 2. At Thomistæ, quibus plus est unus D. Thomas, quàm omnes præcitati simul Auctores, quod ab Angelico Magistro acceperunt, id ipsum, eo duce, & quo Magistro jurè ac verè gloriauntur, retinent, & propugnant; quod sedula, diligentique investigatione breviter exponam, quantum videlicet satis erit, ut argumento huic respondeatur.

S. I.

S. I.

Deus immediatè concurrat ad entitatem peccati.

3 UT certum debet supponi id, quod attentius in hoc loco advertendum est, quòd omne ens, in quantum est, à Deo est. Hoc probat apertè D. Anselmus dicens: *Audacia enim est dicere, aliquid esse ens, quod non sit ab ente primo.* Hæreticum & hoc incunctanter pronunciat D. Thomas in 2. ad Anselm. dist. 38. q. unica art. 2. dicens: *Hæreticum est dicere, aliquid ens, in quantum ens, non esse à Deo; nec solum fidei contrarium est, sed etiam rationi.* Omne enim, quod est, aut est necessarium, aut possibile. Quod autem est necessarium, aut est per se necessarium, aut est aliundè necessarium. Quidquid autem est necessarium aliundè, constat, quòd causam sui esse habet ab eo, à quo ejus necessitas pendet. Quod autem est possibile, necesse est, ut causam habeat, quia quantum est in se potest esse, aut non esse. Undè si esse ei applicetur, hoc est per aliquam causam extrinsecam: & sic relinquatur, quòd omne ens oportet reduci, sicut in causam, in id, quòd per se necesse est esse, quòd est solus Deus, qui est suum esse. Undè relinquatur, quòd omne ens sit à Deo. Hæc D. Thomas: ex quo certissimo fidei principio sequens demonstrativus formatur discursus: omne ens, in quantum ens, est à Deo: sed actus peccati, in quantum est actus, est ens: ergo actus peccati, ut actus, est à Deo: sed non ex eo præcisè, quòd principia contulerit agendi: ergo ex immediato concursu. Minorem subsumptam probat D. Thomas in 2. dist. 37. q. 2. art. 2. ubi postquam asseruit, opinionem negativam esse duplici errori propinquissimam, ut id ostenderet, subjecit statim: *Primò, quia ex ea videtur sequi, quòd sint plura prima principia.* Hoc enim est de ratione primi principii; ut agere possit sine auxilio prioris agentis, & influentia ejus. Undè si voluntas humana actionem aliquam posset producere, cujus Auctor Deus non esset, voluntas humana rationem primi principii haberet. Et ut solutionem hujus argumenti tunc temporis frequentem impugnaret, eam retulit, & sequentibus confutavit verbis: *Quamvis solvere hoc nitantur dicentes, quòd voluntas, etsi per se possit actionem producere sine influentia prioris agentis; non tamen habet à se esse, sed ab alio, quòd etiam exigeretur ad rationem primi principii.* Sed hoc videtur inconveniens; ut quòd à se esse non habet, à se agere possit, cum etiam per se durare non possit, quòd à se non est. Omnis etiam virtus ab essentia procedit, & operatio à virtute. Undè cujus essentia ab alio est, oportet, quòd virtus, & operatio ab alio sit. Et præterea, quamvis per hanc responsonem vitaretur, quòd non esset primum simpliciter, non tamen posset vitari,

ri, quin esset primum agens, si ejus actio in aliquid prius agens non reduceretur, sicut in causam. Quibus D. Thomas minorem probat, & solutionem, quæ unica est in hac causa, demonstrativè rejicit.

4. Tota ergo difficultas ad primam minorem facti discursus reducitur, an actus peccati, in quantum est actus, sit ens? Nihil expressius in D. Thomæ dicta dist. 37. q. 2. art. 2. in corpore: *Actus, in quantum actus, à Deo est, & ut sic non habet aliquid, quòd deformitatem habeat.* Ibi: *quantum ad substantiam actus manet aliquis ordo in peccato ad agentem, & ad finem: sed quantum ad deformitatem sic est ibi inordinatio sola, & hoc modo non est natura aliqua.* Ubi sine dubio loquitur de ordine intrinsecò, & per se; nam deformitas etiam ordinatur à Deo extrinsecè, & per accidens. Et ad quintum: *actio, quæ peccati deformitatem habet, dicitur bona, in quantum est actio, bonitate naturæ, non propter hoc, quòd aliquando invenitur separata à deformitate, sed quia bonitas illa naturæ deformitati substat.* Et 1. 2. q. 79. art. 2. dicendum, quòd actus peccati, & est actus, & est ens, & ex utroque habet, quòd sit à Deo. Cujus ratio est manifesta, nam id, quo redditur homo physicè volens, quo transit de potentia physica in actum physicum, ac tandem id, quo physicè operans constituitur, & quo potentias executivas exteriores applicat ad suas operationes, verè est ens, eo modo loquendo de ente, quo entia dicuntur ea, quæ ponuntur in predicamento qualitatis, vel actionis: sed per volitionem peccaminosam, seu per actum peccati redditur homo physicè volens, de potentia physica transfertur ad actum physicum, ac tandem constituitur physicè operans, & potentias executivas, seu membra exteriora ad suas applicat operationes: ergo volitio peccaminosa, seu actus peccati verè, ac propriè est ens, eo modo loquendo de ente, quo dicuntur entia ea, quæ ponuntur in predicamento qualitatis, vel actionis; aut sicut dicuntur entia reliqui actus intellectus, & voluntatis, quibus homo bona appetit, & suas potentias applicat ad operationes. Viderint ergo eruditi Theologi, quo jure, aut quo rationum pondere affirmari potest, oppositam sententiam non esse desitutam auctoritate, & quòd absolutè probabilis sit? Judicante D. Thomæ maximo veritatis vindice, propinquissimam esse duplici errori; cui & consonat B. Albertus Magnus in 2. dist. 37. his verbis: *Hæc opinio, quæ obtinuerat plures antiquorum, ferè cessit ab aula, & à multis modernorum reputatur hæretica.* Videant & quantum distet à mente D. Thomæ P. Marini loco citato num. 3. qui desperatæ modernorum causæ volens se exhibere Patrouum, asserit: *non fundatur necessitas hujus immediati concursus in eo, quòd Scriptura, & Patres dicant, Deum esse Auctorem, & causam rerum omnium: quia hæc ratio solum probat, concurrere*

Qq 2

sum

sum respectu rei bonae; cum tamen ex ipsa ratione entis inferat D. Thomas, Deum esse causam actus pravi, in quantum est ens; & 1. p. q. 5. art. 3. ex ratione entis inferat bonitatem, dicens: *Omne ens, in quantum ens, est bonum*: ergo in ipsa ratione entis fundatur concursus necessitas. Cujus entis naturam, de qua differitur, si attentè perpenderet, sanè intelligeret, rationem istam non suadere, sed vincere, si non protervum, & repugnantem, saltem docilem, qui sapere ad sobrietatem vellet.

5. Habetur etiam manifestè hujus assertionis secunda probatio ex D. Thoma 1. 2. q. 79. art. 2. dicente: *Omni actio causatur ab aliquo existente in actu; quia nihil agit, nisi secundum quod est actu; omne autem ens actu reducitur in primum actum, scilicet Deum, sicut in causam, qui est per suam essentiam actus. Unde relinquatur, quod Deus sit causa omnis actionis, in quantum est actio. Sed peccatum* (addit D. Thomas) *nominat ens, & actionem cum quodam defectu. Defectus autem ille est ex causa creata, scilicet ex libero arbitrio, in quantum deficit ab Ordine primi agentis, scilicet Dei. Unde defectus iste non reducitur in Deum, sicut in causam, sed in liberum arbitrium: sicut defectus claudicationis reducitur in tibiam curvam, sicut in causam, non autem in virtutem motivam, à qua tamen causatur quidquid est morionis in claudicatione: Et secundum hoc Deus est causa actus peccati, non est tamen causa peccati, quia non est causa hujus, quod actus sit cum defectu. Ita D. Thomas expressè Deum nominans, & probans esse causam actus peccati. At cum hoc sit principalis controversia, diligentius nobis, & illustrandum, & exponendum secunda conclusione.*

S. II.

Deus suo concursu verè est causa entitatis peccati.

6. **C**onkursus Dei ad materiale peccati pluribus è sacra pagina testimoniis valet ostendi, quorum aliqua dubio sequenti n. 4. interprete D. Augustino dabimus. Modò verò, quia fecunda res est, unum, vel alterum dumtaxat tradere fati sit; nam consideranti Sacras Scripturas similia passim occurrunt. Igitur Job 1. 21. legitur: *Dominus dedit, Dominus abstulit*, cum tamen ablatio fuerit peccatum Dæmonis, Sabæorum, & Chaldæorum, ut ibidem habetur. Agnoscenda ergo ibi est Creaturarum malitia, sed simul actio Dei sanctè causantis. Unde cap. 2. v. 3. legitur, *Dominum ita Dæmonem corripuisse: Tu autem commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra*. Ipse ergo Dominus afflixit, quia fecit; Satan autem peccavit, quia malè fecit. Similiter 2. Reg. 16. legitur: *Dominus enim præcepit, ei (Semei) ut malediceret David. Ubi præcepit propriè, & activè accipi notavit Cornelius ibi:*

Ut enim optimè exponit S. Bernardus fermi: 34. *Sæviebat lingua maledica, & ille (David) intendebat, quid in occulto ageret Deus*. Peccavit ergo Semei, quem & pœnas luere David præcepit 3. Reg. 2. 8. Egit ergo Deus optimà ordinatione id ipsum, quod Semei deordinatione pessimà. Quia verò SS. PP. scripturæ interpretes optimi sunt, intentum probemus ex ipsis. Et primò ex D. Anselmo lib. de concord. præscientiæ, & prædestinationis cap. 7. asserente: *facit igitur Deus omnia, quæ iusta, vel injusta voluntate fiunt, id est, bona opera, & mala: in bonis quidem facit, quod sunt, & quod bona sunt; in malis verò facit, quod sunt, non quod mala sunt*. Et præmiserat, *quod omnis actio est à Deo*: id est, facit opus bonum tam pro materiali, quam pro formali, in malis autem operibus solum materiale, non formale causat. Consonat Magnus Parens Augustinus lib. 5. contra Julianum cap. 3. veritas S. Doctor illud ad Rom. cap. 1. *tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut sciant, quæ non conveniunt. Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, &c.* Quæ verba intelligenda esse asserbat Julianus de concursu permissivo peccati pro materiali. Quare insurgit contra ipsum: *quid est autem, quod dicis, cum desideris suis tradi dicuntur, relicti per divinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi; quasi non simul posuerit hæc duo idem Apostolus, & potentiam, & patientiam, ubi ait: Sic autem volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem. Quæ verba Magni Augustini clarissimè præfereunt veram Dei causalitatem in entitatem peccati, non in malitiam, ad quam solum permissivè se habet. At de testimonio isto iterum dubio sequenti redibit sermo.*

7. Hoc constantissimè defendit B. Albertus Magnus loco citato art. 7. dicens: *Cum actus malus sit simpliciter actus egrediens à potentia perfecta secundum naturam, non egreditur ab ea, nisi secundum, quod movetur à causa prima, alioquin sequeretur, esse duo prima principia: Sed juxta omnes etiam Adversarios causa movens principium ad agendum est directè causa actus: Ergo juxta B. Albertum Deus directè est causa actus mali quoad entitatem: debet enim verbum movetur accipi pro motione physica, non morali, quæ hic locum non habet. Hoc apertissimè ostendit D. Thomas tum locis superius citatis, tum 1. p. q. 99. art. 2. ad 2. *quidquid est entitatis, & actionis in actione male reducitur in Deum, sicut in causam: Sed quod est ibi defectus non causatur à Deo, sed ex causa secunda deficiente: ad eundemque modum loquitur 1. 2. q. 79. art. 2. Ubi expressè quærit: Utrum actus peccati sit à Deo? In argumento sed contra concludit: Ergo voluntas Dei est causa actus peccati. Et in corp. art. id ipsum repetit, ac docet, nec non & in solutione ad secundum. Item q. 3. de malo art. 2. Plena sunt omnia hujus Sancti Doctoris clarissimis testimoniis.**

monii. Sed ne ultra quàm necessarium est, testimonia referam, sistam in celebri ipsius loco, qui habetur in 2. dist. 37. q. 2. art. 2. in corpore, ubi consimili voce loquitur, vocans Deum authorem entitatis, & actionis, quæ est peccatum, ne admittantur duo prima principia, si actus peccati non sit à Deo, sequentibus verbis. *Si voluntas humana actionem aliquam posset producere; cujus auctor Deus non esset, voluntas humana rationem primi principii haberet: Ergo actionis, quæ mala est, Deus est author juxta D. Thomam, quod sanè nulla responsione eludi potest; cum nulli amplius exceptioni relinquatur locus.*

8. *At cum nulli dubium sit, ut dixit S. Augustinus lib. 3. contra Academicos gemino pondere nos impelli ad descendendum, auctoritatis, atque rationis; nec major auctoritas, nec efficacior ratio haberi potest, ut huic adhæreamus sententiæ, à qua nulla argumenta me movere possunt, ut discedam, quam video placuisse, Sancto Doctori. Pro re constanti, & perspicua habet, Deum esse causam entitatis peccati, non tamen malitiæ. Quis ergo erit ita arrogans, ut se doctiorem, aut in vitando periculo inordinatæ locutionis cautiorem credat? Non Theologos licet, sine gravi causa, nova placita cudere. In rebus ita obscuris ratione Patrum contenti esse debemus, nec meliores requirere. Opinio propria, etsi falsa, videri potest intellectus; at concursus SS. PP. intellectus, opinio reiicienda videri minime potest. Tria sunt, inquit Augustinus lib. de utilitate credendi cap. 11. *velut finitima sibi met in animis hominum distinctione dignissima intelligere, credere, operari. Quæ si per se ipsa considerentur, primum semper sine vitio est, secundum aliquando cum vitio, tertium nunquam sine vitio... quod intelligimus, debemus rationi, quod credimus, auctoritati; quod opinamur, errori. Ergo quod credimus auctoritati SS. PP. nunquam cum vitio. His amplius ne requiramus. His frumini, his circumdamini, ut his freti, circumdari delectati, armati, contra cuncta inimicorum sæcula persisterere valeatis, illo dixit Julius I. Epist. 1. ad Orientales. Nihilominus ne validis rationibus apud nos destituta sententia ista à quopiam credatur, ad rationum pondera animam convertamus ex eorumdem PP. didis.**

9. Nulla validior, aut efficacior ratio assignari potest, quàm quæ proponitur à D. Thoma loco citato ex sentent. dist. 37. art. 2. quæ sic formari potest. Illius entitatis, & actionis assignari debet aliqua prima causa, ad quam sistat resolutio, & à quo primò incipiat motus, seu causalitas productiva illius; sed hoc ipso quod Deus non sit causa entitatis, & actionis, sed sola voluntas, negatur, Deum esse hanc primam causam, & adstruit voluntas, ut causa, à qua primò incipit motus, seu causalitas productiva illius: Ergo aliud distinctum à Deo, agnosci debet primum principium talis actionis: Sed hoc consequens est error in fide, quàm constitemur unum verum

omnium visibilium, & invisibilium principium: Ergo Deus est causa entitatis, & actionis, in qua est malitia peccati. Patet min. primi discursus; nam qui negat, Deum esse causam illius entitatis, & actionis, à fortiori negat, Deum esse primam causam, quia particula prima addita ad ly causa non est conditio diminuens, sed causam elevans ad supremum significatum. Unde sicut optimè valet; *non est ens: ergo non est primum*, ita eadem infallibili consequentia deducitur; *Deus non est causa entitatis peccati: Ergo non est illius prima causa*. Hoc sane argumentum certum, & clarissimum est, idoneum ex se, ut certitudinem, atque evidentiam pariat: *Deus non est causa entitatis peccati: Ergo non est illius prima causa*.

10. Sed res ista, quæ manifesto nobis argumento demonstrata est, à pluribus refellitur. Huic argumento respondendum putavit P. Marin tract. 11. de peccatis disp. 6. sect. 2. n. 15. *Imprimis sequela absurda si ex aliquibus principis cum aliqua apparentia intelligi potest, est ex principis Thomistarum; quia ipsi concedunt, Deum esse primam causam efficientem, quia est principium omnis boni; & Creaturam esse primam causam deficientem, quia est causa per se mali ut mali, & malum ut malum non est à Deo. Si ergo hæc differunt à Manichæis, quid mirum, quod differant, quæ nos dicimus, nimirum, Deum esse causam primam entitatis peccati, quia Deus causat Creaturam, & libertatem, & influit in peccatum? Ad probationem distinguo maj. Deus non est auctor entitatis peccati, strictè sumpto, & sine restrictione auctore Conc. maj. cum restrictione, & in sensu intento à D. Thoma nego maj., & nego min. Itaque D. Thomas intendit, Deum esse auctorem omnis actionis, auctore sumpto pro primo influente, & pro illo principio, à quo reliqua principia accipiunt virtutem, & quo reliqua principia indigent, ut patet ex ejus ratione; Et in hoc sensu Deus est auctor; quia Creatura indiget Deo ab eo accipiens existentiam, auxilia, & libertatem. Non tamen est auctor sine restrictione, quia juxta Augustinum lib. 83. qq. q. 3. *Illo auctore cum dicimus, illo volente dicimus. Et D. Thomas in 2. dist. 37. q. 2. art. 1. ubi dicit, hereticum esse dicere, omne ens in quantum ens non esse ex Deo, & Deum non esse primam causam omnis entis. At Deus quamvis physice influat in omne ens, & fortè sit causa purè physica per se omnis entis, non est strictè auctor, quia actus peccati non fuit Deo volente, sumpta volitione aliter quàm pro permissione.**

11. Sic ad verbum respondet prius P. Ramirez de Prædest. Disp. 6. cap. 5. n. 169. facta namque eadem instantia contra Thomistas respondet distinguendo maj. *Si voluntas humana actionem aliquam producere posset, cujus Deus auctor non esset, sumpto auctore in sensu D. Thoma, voluntas humana rationem primi principii haberet, Conc. maj. sumpto auctore in sensu arguentis, nego maj. Et deinde min. Ad cujus implicitam probationem distinguo propositionem. Id, quod est per se, prius est, quàm id, quod est per*

accidens in ratione attributionis effectus concedo: in ratione principii, nego. Quod explicat numero sequenti: itaque intentum D. Thomæ est, quod si voluntas humana actionem aliquam producere posset, cujus Deus auctor non esset, id est sine indigentia influxus immediati Dei, ut primi agentis, voluntas humana rationem primi principii haberet, quia non dependeret immediatè in operando: Unde inferretur, neque in essendo dependere, quod est formalissimè habere rationem primi principii independentis, & incidere in errorem Manichæorum concedentium duo prima principia æque æterna, & independentia in essendo, & in operando; quorum unum esset bonorum, alterum malorum; & illud substantia per se bonas, hoc verò substantia per se mala. At minimè venit in mentem D. Thomæ, prout judico, quod si voluntas humana actionem aliquam producere posset, cujus Deus auctor non esset, id est, quæ Deo, ut cause per se volenti, & determinanti non tribueretur, voluntas humana rationem primi principii haberet, quod clarè colligitur ex explicatione, quam tradit, primi principii, dicendo; hoc est de ratione primi principii, ut agere possit sine auxilio, & influentia prioris agentis: Vbi non meminit causalitatis per se; sed tantum influentia ab altero primo agente independentis; ergo quia non iudicavit, esse de ratione primi principii causalitatem per se in omne, quod producit, sed tantum influentiam independentem ab altero, quod comparatur, ut primum agens. Et num. 171.: quod quando D. Thomas protulit, quod si voluntas humana actionem aliquam produceret, cujus Deus auctor non esset, voluntas humana rationem primi principii haberet: terminum auctor usurpavit improprie, & latè, prout contraponitur non influenti, aut influenti cum dependentia ab altero priori agente; non verò proprie, & strictè prout contraponitur non causanti per se, aut non operanti cum inclinatione ad effectum: quo etiam sensu accepit alium terminum, sine auxilio, confundendo auxilium cum influentia necessaria, quamvis permissiva, quæ impropria acceptio est vocis auxilium, per quam significatur coadjuvatio, & cooperatio ad effectum alterius causæ, quæ cum influxu merè permissivo in vigore sermonis non conveniunt. Quod magis explicat num. seq. 172. Quod sicut Deus, ut permittens malitiam se habet, tanquam causa prima comparativè ad secundam, quæ malitiam per se causat, & cui malitia tribuitur; sic Deus influens permissivè, & per accidens in entitatem actus, se habet, ut primum principium comparativè ad voluntatem, cui entitas actus per se tribuitur. Et ratio est, quia conceptus primi principii non stat in efficaciori influxu respectu cujusvis effectus, sed in eo, quod influat per virtutem ab alio non acceptam; quæque ex se possit reduci ad actum sine dependentia ab alio, à quo possit impediri, & quod nil sit, quod ejus influxum immediatum non exigat, taliter, ut ipso nolente concurrere, omnis actio cujusvis alterius agentis impediatur: Cumque sive Deus concurrat permissivè, sive per se, ipsi non deficiant hæc prædicata, semper per

consequens concurrat, ut primum principium, & Creatura, in qua sunt prædicata opposita, ut secundum, quamvis prioritatem aliam habeat quoad efficacitatem influxus, & attributionem effectus, quæ cum conceptu secundi agentis non opponitur. Ulterius num. 173. Voluntas non potest concurrere, ut prima causa per se, ubi non est secunda: concurrat igitur, ut unica causa per se. Quod iterum inferius repetit, dicens. Respondeo: Voluntatem concurrere ut unicum auctorem actionis prævæ, sumpto auctore pro causa per se, secus sumpto auctore pro non indigente influxu alterius ad operandum, per cuius subtractionem possit impediri ab operando, sub qua distinctione est, aut non est unicus auctor prævæ actionis. Nec quamvis in acceptione dicta sit unicus auctor, inferre licet, esse auctorem independentem: quia ad id erat necessarium, quod in esse, & in operari alterius voluntati non esset subjecta; pro cuius præparationis modo duntaxat potest operari: quod non contingit in voluntate creata, etsi sit unica causa per se illius. Hæc ille.

12. Sed pace illorum dixerim, aut dissimulant, aut mentem D. Thomæ, & nostram, quam impugnare satagunt sententiam, non percipiunt. Dabo iterum verba D. Thomæ, quorum sola lectione conficta responsio aperte confutatur. Dicit enim: Sed hoc videtur inconveniens, ut quod à se esse non habet, à se agere possit, cum etiam per se durare non possit, quod à se non est. Omnis etiam virtus ab essentia procedit, & operatio à virtute. Unde cuius essentia ab alio est, oportet, quod virtus, & operatio sit ab alio. Et præterea, quamvis per hanc responsionem evitaretur, quod non esset primum simpliciter, non tamen posset evitari, quin esset primum agens, si ejus actio in aliquid prius agens non reduceretur, sicut in causam. Pro quo suppono, Manichæos tanquam primarium ipsorum dogma duo statuisse principia, quæ & principio careant, & nunquam desinerent, invicemque contraria forent, quorum unum lucem, ac bonum appellabant; alterum tenebras, ac malum, ut idem sint, ac Deus, & Diabolus, quos quidem ambos Deos nonnunquam nominarunt, Deum bonum, ac Deum malum. Ab his duobus principii statuebant, exorta esse omnia, ab altero bona, ab altero mala; ab uno animam, ab alio corpus. In quem prolapsi sunt errorem, cum non posent imaginari, Deum bonum auctorem esse malorum, quæ sunt in Mundo, accusabantque Christianos, quod non adhiberent fidem Jesu Christo dicenti Matthæi 7. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere. Sic Epiphanius hæref. 61. Hoc perversum, & ridiculum Manichæorum dogma legitima inferri consecutione, si Deus non est auctor, & causa entitatis peccati, probat D. Thomas efficacissimè concludens; Voluntatem humanam esse primum principium talis actionis; quod evidenter apparet restringendo terminos ad lineam agendi. Illud agens est primum simpliciter, à quo primò incipit motus

tus causalitatis, & in quo ita sistit resolutio, ut ad nullum aliud reducat: Sed talis adstruitur voluntas respectu illius entitatis, ac propriæ actionis: Ergo quidquid sit in linea entis, erit simpliciter prima in linea agentis, & causæ. Ex quo rursus per consequentiam mediatam inferitur, fore voluntatem in omni linea causam primam: tum, quia communiter dicunt Philosophi, operari sequitur ad esse, & commensuratur cum illo; quia unumquodque operatur in quantum est in actu: tum, quia id, quod primum est, & independentes in linea perfectionis simpliciter simplicis, in nulla linea potest esse secundum, & pendens: Sed linea operandi linea est perfectionis simpliciter simplicis, cum sit melior ipsa, quam non ipsa in quolibet: Ergo quod est in hac linea, primum, & independentes, in nulla est pendens, & secundum.

13. Qua, obsecro, ratione, qua veritate, aseritur, nomen causæ, & authoris non accipi à D. Thoma proprie pro causa per se, ex propria electione, intentione, & proposito operante? Quis credat, D. Thomam aserere, primam causam non esse causam per se in linea operandi dicente perfectionem simpliciter simplicem? Cui persuadebunt, quod Creatura est unica causa per se actionis, secundum quod ista actualitatem, & perfectionem physicam dicit? Quod voluntas concurrat ut unicus auctor actionis prævæ, sumpto auctore pro causa per se, quæ videtur ipsa Manichæorum, ex Epiphano hæresis? Quod sit in rerum natura aliqua perfectio non reducibilis in Deum tanquam in causam per se talem? Ad quid ergo vero, perspicuo, usitatoque tam à Philosophis, quam à Theologis sensu relicto, ad novas interpretationes ire, quæ contradictionem includunt, & tot inconvenientibus viam parant? Quid enim magis prodigiosum, aut quid fabulis magis simile, quam imaginari primam causam causantem, & non causalitate propria, & per se tali? Quod illa infinita Dei, & actualissima virtus, à qua omnis causa in sua efficacia dependet, careat modo illo perfectissimo causalitatis propriæ, & per se talis? Ecquis non videt interpretatione ea vigente, eodem jure posse concludi, non esse indubitata veritatis illud Joann. 1. Omnia per ipsum facta sunt; quod dixit Augustinus lib. de Trinit. cap. 9. Voluntas Dei est prima, & summa causa omnium corporalium specierum; Et lib. 1. de liber. arbitr. cap. 2. Credimus autem, ex uno Deo omnia esse, quæ sunt, & tamen non esse peccatorum auctorem Deum. Falsus D. Thomas loco citato ad Anib. doctrinam illam rejiciens ut hæreticam, his verbis: Respondeo dicendum, quod hæreticum est dicere, aliquid ens, in quantum ens, non esse à Deo, nec solum fidei contrarium est, sed etiam rationi. Hæresim dixit, actionem peccati, quæ verum ens est, non esse à Deo; forte quia opponitur nostræ confessionis Symbolo, quo credimus Deum Omnipotentem factorem visibilium, & invisibilium. Non

ergo ex his testimoniis deduci posset causalitas propriè talis, quia solum expriment causalitatem, & nullus meminit causalitatis per se. Hoc sane maximè veritati contrarium; hoc ridiculum, licet ex solutione P. Marin legitime illatum, cum ea ratio, quæ exceptionem, hanc in citato D. Thomæ testimonio suadet, alias admittendas persuadeat.

14. Secundò id ipsum efficacissimè corroborari potest. Primò: Si voluntas humana, ut fatetur, actionem aliquam producere posset, cujus Deus auctor non esset, id est, sine indigentia influxus immediati Dei, ut primi agentis, voluntas humana rationem primi principii haberet: Ergo ideò non habet rationem primi principii, quia Deus immediatè influit: Sed Deus juxta ipsos, eodem modo concurrat ad entitatem, ac ad malitiam: ergo si ex modo concurrendi dicitur Deus à SS. PP., & à D. Thoma absolute causa actus peccati, & poterit absolute dici Deus auctor, & causa malitiæ peccati: Cur enim negaretur unum Deo, dum attribuitur aliud, dum se habet æquo modo Deus respectu utriusque? Cur ergo aserit S. Augustinus, esse peccati ex Deo esse, ut auctore, licet peccatum non sit ex Deo? Secundò: necessitas concursus unice determinabilis à voluntate creata, & existentis unice pro illius placito, non removet à voluntate rationem primi principii: nullus quippe dixit, per hoc, quod actus peccati à Deo poni non possit in re sine concursu nostræ voluntatis, amoveri à Deo rationem primi principii, si existentia nostri concursus ita constituitur in manu Dei, qualiter à Thomistis media prædeterminatione constituitur: Sed eodem prorvis modo existentiam concursus divini constituunt Adversarii in manu nostræ voluntatis: ergo. Tertio: concursus, per quem voluntas non subicitur Deo in exercitio operandi, non auferit à voluntate rationem primi principii: Sed talis est concursus permissivus, ut ponitur ab ipsis: non enim voluntas subicitur Deo per concursum, in quem ipsa sola exercet dominium, & qui contra Dei inclinationem, & voluntatem existit: ergo taliter effectus ille existit à voluntate, quod respectu ipsius verè habet rationem primi principii. Si ergo hanc rationem primi principii removet D. Thomas à voluntate, quam de fide ponit in Deo respectu entitatis peccati, & agnosci hæc entitas debet effectus per se talis respectu divinæ causalitatis: maxime cum hæc sola simplicissima textus D. Thomæ expressio longè optima sit; & interposita illa explicatione, tam Phylosophis, quam Theologis oratio omnino incongrua, evadat, sensus expers, & ipsius Angelicæ detrahens doctrinæ. Nec dissimulare debemus ineptissimum illum conatum rejiciendi sensum S. Thomæ, & nostrum ad Manichæos; quod dicamus, primam in deficiendo causam nostram esse voluntatem. An putant illi defecere importare aliquam naturam? Scio, P. Marin essentiam in malitiâ invenisse, ut supra

n. 39. vidimus; sed quid nobis cum cogitatis eius? At quidem ille malitiæ essentiam in Deo finxit, ut ab illo procederet vel invito, durâ necessitate constrictus fugiendi Manichæismum, quod nisi in Deo causabilem malitiam poneret, non videtur fugere posse. At D. Thomam, & S. Augustinum sequens, Scyllam, & Charybdim vitari animadverteret. Legat Augustinum de Civit. Dei à cap. 6., & videbit, causam mali nullam esse: unde nec in Deo causabilis malitia est, neque nos sumus causa; logicè tamen causa mali dicimur, quia in bono deficiamus à fine boni. De hoc adhuc statim.

§. III.

Sanctitas, & puritas concursus divini ostenditur.

15 **Q**uoniam potissima, & unica totius controversiæ difficultas in eo consistit, ut puritas, & sanctitas divini concursus ostendatur, idcirco visum est, hanc attentè explicare, ut Adversariorum argumentatio invalida, & inanis cognoscatur. D. Thomas, ut rem ita difficilem declararet, sic q. 3. de malo art. 2. in corp. profundissimè discurret. Sed tamen attendendum est, ait S. Doctor, quòd motus primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, sed in unoquoque secundum proprium modum. Alio enim modo causatur à motu Cæli motus corporum inanimatorum, quæ non movent se ipsa: & alio motus animalium, quæ movent se ipsa. Rursumque alio modo consequitur ex motu Cæli pullulatio plantæ, cujus virtus generativa est debilis, & producit germen inutile: alio modo pullulatio plantæ, in qua virtus generativa non deficit, sed perfectum germen producit: cum enim aliquid est in debita dispositione ad recipiendum motionem primi moventis, consequitur actio perfecta, secundum intentionem primi moventis; sed si non sit in debita dispositione, & aptitudine ad recipiendum motionem primi moventis, sequitur actio imperfecta. Et tunc id, quod est ibi actionis, reducit in primum movens, sicut in causam: quod autem est ibi de defectu, non reducit in primum movens, sicut in causam, quia talis defectus consequitur in actione ex hoc, quòd agens deficit ab ordine primi moventis, ut dictum est. Sicut quidquid est de motu in claudicatione, est ex virtute motiva animalis; sed quidquid est ibi de defectu, non est à virtute motiva, sed à tibia. Sic ergo dicendum, quòd cum Deus sit primum principium motionis omnium, quædam sic moventur ab ipso, quòd etiam ipsa se ipsa movent; sicut quæ habent liberum arbitrium, quæ si fuerint in debita dispositione, & ordine debito ad recipiendum motionem, quæ moventur à Deo, sequuntur bonæ actiones, quæ totaliter reducuntur in Deum, sicut in causam. Si autem deficiant à debito ordine, sequitur

actio inordinata, quæ est actio peccati. Et sic id, quod est ibi de actione reducit in Deum, sicut in causam, quod autem est ibi de inordinatione, vel deformitate, non habet Deum causam, sed solum liberum arbitrium. Et propter hoc dicitur, quòd actio peccati est à Deo, sed peccatum non est à Deo. Hucusque D. Thomas, qui clarissimè rationem evidentem assignat; & ex quibus colliguntur plura pro concursu Dei ad materiale peccati.

16. Inferitur primò, primum actum, quem voluntas creata elicit, sive sit primus absolute, & simpliciter, sive primus in aliquo negotio, nempe, quotiescumque novam ferriem operationis ingreditur, & incipit aliquam operationem novam diversam ab eâ, per quam se prius exercebat: quæque nullum vitium deordinatæ à se prius voluntatis sequatur, non posse esse malitia infectum. Ratio est: quia nulla supponitur in voluntate indispositio, propter quam exigat concursum ad materiale peccati. Nec enim potest esse defectus ex parte apprehensionis, quæ cum sit prima vel absolute, vel circa objectum talis negotii, debet à Deo immitti: nec etiam est indispositio ex parte voluntatis, quæ tunc, nullo pravo illius objecti amore supponitur inquinata. Et ex alia parte primaria illius inclinatio est ad bonum honestum, quia conforme naturæ rationali, non ad malum, quòd est contrarium naturæ, nec ad bonum purè physicum, seu delectabile. Undè si voluntatem in illo statu existentem Deus moveret ad materiale peccati, Deus esset causa peccati, quia illam moveret contra propriam inclinationem. De quo 1. p. q. 63. art. 5. & 1. 2. q. 9. & q. 10.

17. Colligitur secundò, & maximè ad rem nostram, Deum non movere voluntatem ad materiale peccati, nisi in ea invenerit aliquam dispositionem, ratione cujus petat concursum ad materiale peccati, quæ dispositio vel se tenet ex parte iudicii proponentis convenientiam physicam objecti, qua voluntatem attrahit, vel ex aliqua prava affectione præcedente, & inclinante in illam convenientiam, vel ex parte appetitus sensitivi nulla resistentia insultantis contra rationem. Si tamen aliqua ex his dispositionibus in arbitrio sit, ut causæ primæ adimpleat munus, sanctissimè, & iustissimè concursum præbet ad materiale peccati: cujus aptissimum habemus exemplum in humanis. Sacerdos publicè ministrans Sacrosanctam Eucharistiam, iustè, & sanctè illam dat peccatori occulto; quem ille scit, & censet indignum; nec ob id illius Sacrilegæ Communionis, cui cooperatur physicè, ullatenus est causa, sed permissor. Etenim licet actio illa recipientis separari non possit à malitia, Sacerdos tamen physicè cooperans sumptioni, peccato minimè cooperatur, munus adimplens suum. Ita similiter Deus gerens munus causæ primæ, cui ex officio incumbit concurrere juxta di-

dispositionem, & exigentiam voluntatis, etsi concurrat ad materiale, concursus à malitia immunis evadit. Sapientia namque sua directus decrevit, defectibus providere juxta propriam ipsorum naturam, quæ petit aliquando deficere in propriis operationibus, nec possunt semper bonè, & uniformiter absque defectu operari, quod est certissimum.

18. Inferes tertio, concursum divinum præcisè respicere, ut terminum à se causandum, entitatem materialem peccati, quæ bona est, & à malitia omnino præscindit. Deus enim solum concurrat cum voluntate ad id, in quod ipsa inclinatur, non ad id, quod ex consequenti, & præter intentionem admittit: cujus ratio est, quia Deus solum concurrat ad id, in cujus efficientiâ voluntas creata subordinatur Deo, non ad id, quod efficit Deo non subordinata; deficit enim, quia finem extra Deum constituit, quòd divinæ actionis sanctitas abduci non potest. Undè solum inclinatur ad tendentias procedentes ab inclinationibus, quas causis indidit secundis: & tendentia in id, ad quod voluntas per se non inclinatur, & quod per se non amat, non procedit ab inclinatione, quam Deus dat voluntati, immò potius est illi contraria. Secundò, quia concursus purè effectivus, & nullo modo defectivus, qualis est divinus, non est ad id, in quo voluntas se habet defectivè: nam ut ait S. Augustinus lib. 83. qq. Deo Authore non fit homo deterior: sed tendens voluntas ad id, quod per se non amat, & in quod per se non inclinatur, defectivè se habet: ergo. Tertio, quia concursus Dei tantum est ad id, quod cadit sub sphaera voluntatis, & activitatis divinæ, & non ad id, quod est extra utriusque potentiæ ambitum; sed bonum intra ambitum utriusque potentiæ continetur, minimè tamen malitia: ergo hanc non respicit concursus divinus, ut terminum à se causandum. Constat ergo, Deum liberè, & honestè concurrere cum voluntate creata. Verùm pro sanctitate divini concursus causam dicit Augustinus lib. de grat. & liber. arbitr. cap. 21. His, & talibus testimoniis divinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum est, satis, quantum existimo, manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas (quâ diversitate, norunt hi, qui Augustini doctrinam sæpius aliàs traditam norunt) eorum voluntates, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum, iudicio utique suo, aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem iusto. Ex quibus innoscit nobis, quòd Deus laudabilis est in iis, quæ suo iusto operatur iudicio, sicut laudabilis est homo in iis, quæ & iusto operatur iudicio; sed cum Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates ad mala (utique permittens malitiam) iusto operatur iudicio: ergo in iis etiam, quæ Deus operatur permittivè est laudabilis. Vel ali-

ter: qui operatur regulatus iusto iudicio, honestè, & laudabiliter operatur; sed Deus permittivè operans, operatur regulatus iusto iudicio, teste D. Augustino: ergo honestè, & laudabiliter operatur, cum operatur permittivè, eoque in sensu permissionis, quem intendunt Adversarii. Præterea: Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, ut Apostolus prædicat: ergo in omnibus operatur laudabiliter. Cur enim à distributione illa excipiemus ea, quæ operatur permittivè? Hæc satis, quæ, etsi omnibus manifesta, nos inferius luculentiori calamo expendemus.

§. IV.

Solvuntur Argumenta.

19. **N**ihil fanè in medium afferunt Adversarii, contra quod prius non scripserit D. Thomas. Nihil dicunt, quod ab ipso sibi non fuerit objectum. Constat hoc legentibus argumenta, quæ sibi objicit in 2. dist. 37. q. 2. art. 2. Contra se ita primum objicit: *Omne quod est à Deo, bonum est, & omne bonum alicui bonum est: quædam autem peccata sunt, quorum actus nulli boni sunt, quia facienti nocent, & ei, in quem fiunt: ergo tales actus nullo modo à Deo sunt.* Hoc est primum argumentum, & intimè tangens difficultatem; ac si argumentaretur ita: Deus non potest esse causa actus intrinsecè mali, qui nullo modo potest esse bonus: sed plures actus peccatorum, ita sunt intrinsecè mali, ut nullo modo possint esse boni: ergo illorum Deus causa non est. Probat minorem: actus, qui aliquo modo possunt esse boni, debent non nocere agenti, vel aliis non officere: sed plures sunt actus peccatorum, qui agenti, & aliis, in quos fiunt, non possunt non nocere; ut patet in fornicatione, quæ nocet agenti, & proli: ergo.

20. Huic argumento ita occurrit D. Thomas: *Ad primum ergo dicendum, quòd cum dicitur actus peccati nulli bonus esse, hoc convenit sibi secundum quòd sub deformitate consideratur; & hoc modo non reducit in Deum, sicut in causam. Nullus tamen actus est, qui secundum se consideratus, secundum hoc, quòd bonus est, alicui etiam bonus non sit, sicut actus fornicationis, in quantum est delectabilis, est bonum concupiscibile.* Quæ solutio ad formam redacta, concessa maiori, negat min. ad probationem dist. maj. secundum illam rationem, qua deformitatem importat neg. maj. quæ boni sunt, conc. maj. & dist. min. eodem modo neg. consequentia. Ad probationem min. dicitur, fornicationem adæquatè sumptam, prout includit deformitatem, seu malitiam utrique nocere, agenti scilicet, ac proli; nocet agenti, quia operatur contra debitum illius actus; nocet quoque proli, quæ non educabitur debite: at si consideretur, ut

ut actus physicus, & præcise à lege prohibente, utriusque prodest: agenti, quia ut sic est bonum quoddam delectabile: prodest quoque foetui, qui ex illo actu consequitur esse, quod proli bonum est. Immo D. Thomas in eodem articulo, argumento secundo *sed contra*, ex eo quod Deus actum istum causat quoad substantiam, probat, omnis actus mali Deum causare entitatem. Sic enim arguit S. Doctor: *Quidquid non est causa operationis, per quam aliqua substantia in esse producit, non est causa illius substantiæ; sed per aliquam actionem peccati substantiæ quædam in esse producantur, sicut per adulteria, & fornicationes homines generantur: si ergo harum actionum Deus causa non est, in quantum actiones sunt, tunc nec hominum, qui per has actiones generantur, est causa, quod est absurdum.*

21. Secundum argumentum tale est: *quidquid est causa actionis, in qua deformitas fundatur, secundum quam actio mala dicitur, est movens, & cooperans ad malum: nihil enim operatur ad malum, nisi secundum quod talem actionem producit: sed Deus nullo modo ad malum cooperari debet dici: ergo illius actionis, in qua malum consistit inseparabiliter, convenit sibi per se non est.* Hoc est validissimum argumentum, quod objiciunt Adversarii; tum quia procedit de actibus intrinsicè malis, & qui nunquam possunt ab agente libero bene fieri: tum, quia asserunt, nullum alium aptiorem esse modum ad causandam actus malitiam, quam movere voluntatem ad entitatem inseparabilem à malitia, & illi ad hoc cooperari. Non enim voluntas creata alio modo malitiæ est causa: ergo si hoc modo Deus concurrat, causat malitiam.

22. Sed respondet D. Thomas: *Ad secundum dicendum, quod illud dicitur ad malum cooperari, quod inclinatur ad actionem, secundum quod actio deformitati substat, unde mala est. Hoc autem Deo non convenit: & ideo non oportet, ut ad malum cooperari dicatur, quamvis actionis illius causa sit, in qua malum consistit, secundum quod influit agenti esse, posse, & agere, & quidquid perfectionis in agente est.* En quomodo concursus, & divina causalitas purissimè attingit entitatem actus, intactâ malitiâ, quia scilicet Deus movet voluntatem ad actum, ut bonum, non ut substat deformitati, non ut contrarium legi. Quod percipies haud difficiliter, si dicta §. antecedenti iterum diligenter observes.

23. Tertio arguit D. Thomas: *Bonarum actionum Deus non est Author, nisi secundum quod Deus potentia agendi efficaciam confert, quia determinatio operis ex libero arbitrio est, ut supra habitum est. Si igitur Deus ipsarum actionum malarum, in quantum actiones sunt à potentia egredientes, causa est, eodem modo dicendus est Author malarum actionum, sicut est Author bonarum.* Cui argumento facile occurrit D. Thomas, quamvis ab Adversariis maxime observanda sit ejus solutio.

24. Ad tertium dicendum, quod Deus dicitur causa bonarum operationum, non solum quantum ad essentiam actus, sed etiam quantum ad perfectionem, secundum quam bonæ dicuntur; utrumque enim agenti influit, & ut agat, & ut bene agat: sed in malis actionibus, quamvis sit causa earum quantum ad essentiam, non tamen est causa quantum ad defectum, & ideo absolute dicendus est causa bonorum operum, non autem peccatorum. Hic primò notandum venit, quod in utroque actu, bono scilicet, & malo distinguit S. Thomas substantiam actus à bonitate, & malitia: deinde, quod actus bonus terminat causalitatem divinam, quoad utrumque; malus verò quoad unum, nempe quoad substantiam, non quoad malitiam. Tertio, quod Deus dicitur absolute causa actionis prave, ut actio, ita ut dictio diminuens non cadat supra ly *causa*, sed supra formalitates termini causati. Et quarto habetur explicatio Canonis Tridentini definiti, Deum non esse eodem modo causam operis boni, ac mali.

25. Quartum argumentum ita procedit. *Quod convenit alicui secundum genus, & differentiam suam constitutivam, convenit sibi per suam essentiam, quia essentia rei his significatur: sed quidam actus sunt, qui ex genere suo mali sunt, ut supra habitum est, & quidam, qui ex differentia, per quam in speciem contrahuntur: ergo per essentiam suam mali sunt, & ita, nec in quantum sunt, à Deo sunt.* Argumentum hoc inter difficillima, quæ Thomistis objiciuntur, computari debet, quod sub aliis terminis ad formam reduci potest. Nequit Deus esse causa actus essentialiter mali, quin sit causa malitiæ: sed quidam actus sunt essentialiter mali: ergo illorum Deus causa esse non potest, quin sit causa malitiæ: sed malitiæ Deus non est causa: ergo nec illorum actuum. Consequentia prima constat ex forma. Min. certissima est, quia actus ex proprio genere, & ex propria differentia mali, sunt essentialiter mali; essentia enim rei non distinguitur à genere, & differentia, ex quibus constat quidditativa definitio: & plures actus mali sunt ex genere, & differentia propria, ut constat in odio Dei. Maj. verò facili negotio ostenditur; nam essentia actus essentialiter mali est ipsa malitia: ergo perinde est causare actum essentialiter malum, ac causare malitiam: ergo nequit Deus esse causa actus essentialiter mali, quin sit causa malitiæ.

26. At respondet D. Thomas: *Ipsa privatio, qua aliquid malum dicitur, non potest esse differentia, neque genus, sed unusquisque actus specificatur, & in genere ponitur per aliquid positivè dictum; sed positionem utramque, per quam scilicet ponitur actus in genere, vel in specie, potest consequi privatio aliqua: & ideo quidam actus dicuntur mali ex genere, vel ex eo, quod in speciem trahit.* Profundissima est S. Doctoris solutio, ad quam semper recur-

rit, idem sibi proponens argumentum, ut salvet, actum non constitui per privationem, in qua consistit malitia: ut videre est in 2. ad Annib. dist. 37. q. 1. art. 2. ad 2. & q. 3. de malo art. 2. ad 2. & 1. 2. q. 79. art. 2. ad 3. ubi sic dicit: *Actus, & habitus non recipiunt speciem ex ipsa privatione, in qua consistit ratio mali, sed ex aliquo objecto, cui conjungitur talis privatio: & sic ipse defectus, qui dicitur non esse à Deo, pertinet ad speciem actus consequenter, & quasi differentia specifica.* Omisâ pro nunc controversiâ de constituto peccati, pro intelligentia solutionis S. Doctoris notandum maximè, actum essentialiter malum, v.g. *Volo peccare, volo vindictam*, dupliciter considerari ab Angelo Præceptore: primò, ut est tententia physica ad peccatum, vel homicidium, quo adimplendus est appetitus vindictæ: secundo, ut talis tententia hic & nunc importat averfionem à lege Dei: primo modo, etsi attingentia sit objecti prohibiti, non consideratur, ut tangens, & violans prohibitionem, sed occisionem hominis secundum se, in quo nondum concipitur moralis malitia objectiva, quæ prohibitionis violationem non anteverit, sed tententia irascibili consona in vindictam impellenti. Secundo verò modo si consideretur actus, jam malitia intelligitur infectus. Sub prima consideratione actus inadæquatè bonus est, bonitate delectabili in genere physico. Sub secunda malus est, quia contrarius legi, & rationi, & ut sic privationem importat fundamentaliter, vel juxta aliam sententiam defectum positivum consequentem speciem physicam, constitutam per tententiam priori modo consideratam. Quam doctrinam accipe à D. Thoma in 2. ad Annib. dist. 37. q. unica art. 2. ad 2. his verbis: *Duplex est bonitas, scilicet bonitas naturæ, & bonitas moris. Prima bonitate, natura omnis bona est secundum genus naturæ suæ. Actus autem peccati dicitur esse malus ex genere, malitia moris; & secundum hoc determi-*

natur ad genus moris; quod quidem accipitur secundum ordinem actus ad indebitam materiam, sicut malum ex genere dicitur ledere innocentem. Quod ipsum docet q. 3. de malo art. 2. Ad secundum dicendum, quod deformitas peccati non consequitur speciem actus, secundum quod est in genere naturæ, sic autem à Deo causatur; sed consequitur speciem actus, secundum quod est moralis, prout causatur ex libero arbitrio. Ecce physicè, & metaphysicè bonum illummet actum, qui dicitur essentialiter malus; quia nimirum, ut supra diximus ex D. Thoma, nullus est actus ita malus moraliter, qui bonus non sit in alia consideratione, & sub ista causatur à Deo, cujus concursui purè concomitanter associatur malitia ex diverso principio.

27. Quibus firmatur, & mihi ineluctabiliter argumenti solutio, distinguendo maj. si actus etiam physicè sumptus sit malus essentialiter, Conc. maj. si tantum sumptus moraliter sit malus neg. maj. & dist. min. Quidam actus essentialiter mali in genere moris Conc. min. in genere physico, neg. min. quia actus illi quantumvis mali moraliter, physicè boni sunt, & alicui inclinationi convenientes: concursus igitur divinus, & purissima Dei causalitas in actu, qui vocatur essentialiter malus, invenit suum terminum, scilicet entitatem actus à malitia omnino præcipientem: nam etsi in re entitas illa sit inseparabilis à malitia, alia tamen est ratio malitiæ, alia ratio entitatis. Hic plura posset adduci, sed quia dubio sequenti habent sedem propriam, ibi ea tractabimus, cum nobis in præsentia sufficiat ostendere, quid docuerit D. Thomas, & in quo uno ore, unaque animi consensu conspirant Thomistæ omnes. Quare de secundo hujus disputationis argumento satis: qui enim hoc non videt, mentem avertit, nè verum omnibus patens intueatur.

DUBIUM III.

An Deus sic causet entitatem peccati, quod prædeterminet voluntatem ad illam?

§. I.

Affirmativa sententia defenditur.

1. **Q**UAMVIS hæc potissima difficultas abundè probata supponi deberet, statutâ causalitate Dei erga actum peccati: quia tamen P. Ramirez, minus æquo sensum quæstionis prævertens, ex causalitate non deduci prædeterminationem ad entitatem affirmat, idè rem hanc examinandam suscipimus; Et licet nolim longum habere discursum, nihilominus de argu-

mento isto quædam dicam, maximè ut argumenta præcipua, penitus perpendantur. Aserit ergo P. Ramirez de Prædest. disp. 6. cap. 5. n. 163. *Sit ita pro nunc, & accipiantur adducta verba, ut sonant; quod inde pro prædeterminatione materialis peccati, quæ ut consona Patribus suadere intenditur? Ubi nec leve signum voluntatis antecedentis, qua Deus determinet quidquid entis, & positivè in peccato est: quare licet cogere vi illorum ad fatendum, Deum esse causam per se actus peccati, ut actus est; negarem prædeterminationem, & dicerem, Deum se habere circa materiale peccati, sicuti in mea sententia se habet quoad opus honestum, quod causat per se, non in-*

terveniente ulla prædeterminatione quoad materiale, & formale illius, præcisè quia concurrat præparando omnipotentiam ex serâ intentione boni operis, quo redderetur inutilis labor Adversariorum in coacervandis auctoritatibus. Hæc Auctor iste, consentiens sanè P. Herrera lococitato num. 101. asserenti: *mirum est, quàm sæpe hanc æquivocationem patiuntur Adversarii. Respondeo ergo, Deum immediatè producere omnem actualitatem, & omnem gradum quemlibet existentia; ad hocque non requiri, Deum illum prædeterminare, sed sufficere concurrere determinatum à Creatura.* Hæc ille.

2. At oppositum, quod contra Auctores istos pro virili propugnamus, sanè liquidum est, ex tot præiactis fundamentis, quæ etsi superius sint dicta, tanquam in auxilium oportet hic adducere. Et quidem primum sit testimonium D. Augustini lib. 5. contra Julianum cap. 3. quod fufius in præfenti demonstrandum promissimus dub. 2. §. 2. n. 8. Hic verans Augustinus illud Apostoli ad Rom. 1. Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant, quæ non conveniunt: tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam: tradidit illos Deus in passiones ignominia. Intendit demonstrare contra Julianum Pelagianum ex verbis Pauli, Deum determinare homines ad actus peccatorum: Cumque Julianus responderet in prædictis verbis tantum contineri permissionem divinam, ita ut ly tradidit esset idem, ac permisit, & sensus fieret, permisit Deus cadere in reprobum sensum, quæ Apostoli intelligentia congruebat maximè Juliano, qui efficacem Dei motionem ad actum peccati negabat, confirmabatque ex verbis alii Pauli: *Sustinuit in multa patientia vasa iræ; hanc reprobans Augustinus explicationem sic contra Julianum argumentatur. Quid autem est, quod dicitis, cum desideris suis tradidit dicuntur? Relicti per divinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi. Quasi non simul posuerit hæc duo Apostolus, & patientiam, & potentiam ubi ait: Sic autem volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem; Ex quibus argumentum conficitur. Deus non solum se habet permissivè, cum nos peccata committimus, sed motivè, & impulsivè (secundum exigentiam causæ secundæ, prout decet naturaliter primam causam; quo sensu semper & Augustinus, & nos cum illo loquimur) qui reprehendens explicationem Juliani de traditione purè permissiva, & non de determinatione, sumpta pro motione efficaci impellente ad actum peccati, utrumque vult accipi ex verbis Pauli, scilicet, & permissionem, seu derelictionem, & positivam traditionem: sed hæc motio, & impulsio non est moralis, nec ad malitiam: Ergo est physica, & efficacax ad entitatem: verbum enim compello, quo se explicat Augustinus efficacem motionem importat ad aliquid repertum in peccato; & hoc non est malitia, quia ut ait*

ipse S. Doctor supra relatus. *Deo auctore nemo fit deterior: ergo ad entitatem peccati.*

3. Auctoritas ista, quæ in principiis Thomistarum planum, & facilem habet intellectum, minimè placet Adversariis, ut à nobis intelligitur: quare ut aliorum solutiones omitam, respondet P. Herrera de prædest. q. 7. lect. 6. à n. 95. *Julianum sub nomine patientia deserentis, & relinquentis non intelligere diminutionem Gratia. Etenim negabat Julianus, necessariam esse Gratiam ad evitanda peccata: Ergo per diminutionem Gratia induratos non tradidit homines desideris suis. Intellexit ergo Julianus sub nomine desertionis tolerantiam divinam non adhibentem remedium exterius severioris alicujus pœna, quo peccatores vel respicerent, vel à gravioribus peccatis frænarentur, vel morte præoccuparentur, ne scelera cumularent. At verò Augustinus licet hanc desertionem concederet, contendeat tamen, ultra hanc desertionem purè tolerantem in excacatione, & obduracione peccatorum conjungi cum illa plurimos, atque mirabiles effectus Divina Omnipotentia. Juxta hanc intelligentiam dicendum est, Augustinum negare illam propositionem Juliani; cum desideris suis traditi dicuntur, relictis per divinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam; non quia affirmat, nullum hominem per potentiam divinam in peccata compelli, sed quia negat, peccatores solum obdurari, quatenus impuniti relinquuntur: cum alii etiam effectus Divina Omnipotentia intervenire, videlicet subtractio gratia efficacis, cum prævisione ejus inefficacia. Sic ille. Quam ut fundet explicationem subjungit. *Nec poterat Augustinus, quin sibi contradiceret, asserere, Deum ad peccata compellere, cum id ipsum aliis in locis apertè neget, præsertim cum ex professo disputat de Judæorum excacatione, & obduracione tract. 53. in Joann. colum. 3. Vbi hæc habet: fecerunt peccatum Judæi, quod eos non compellit facere, cui peccatum non placet. Præterea S. Prosper ad capita Gallorum sic respondet sent. 11. *Qui dicit, quod per potentiam Deus homines ad peccata compellit, meritiò reprehenditur. Neque enim Deus, qui justitia, & bonitatis auctor est, quemquam ad peccatum cogere, & ab innocentia in facinora præcipitare credendus est. Non ergo Augustinus ex eo negat illam Juliani propositionem, quod censet, Deum ad peccatum compellere, sed quia sentit, aliter derelinqui peccatorem, quàm per param tolerantiam, aut peccatorum non punitionem. Deinde invehitur contra M. Gonet, dicens: *Ex quo inferes, Gonetum satis callidè, & parum fideliter hanc propositionem Augustino adscribere loquendo de excacatis, & obduratis: non solum relictis per divinam patientiam intelligendi sunt, sed etiam per peccata compulsi. Hanc enim propositionem Augustinus non docuit, sed tantum negavit propositionem Juliani asserentis, solum obdurari peccatores, quia per patientiam relinquuntur, non quia per potentiam compellantur. Ex eo autem, quod hæc sit falsa, non est verum, quod non solum per patientiam relictum****

lum infertur, veram esse hanc propositionem, non solum obdurantur peccatores, quia per patientiam relinquuntur, non quia per potentiam compelluntur; sicut ex eo, quod falsa sit hæc propositio, solum Judas peccavit, non autem Christus, malè infertur hæc, non solum Judas peccavit, sed etiam Christus: solum enim infertur propositio negans totam aliam propositionem indivisibiliter sumptam, non solum Judas peccavit, non autem Christus. Hæc dixerim, ait ille pro detegenda calliditate Gonet.

4. Verum quid, aut cur P. Herrera minus intra religiosæ moderationis terminos se continens M. Gonet improbat? Hanc D. Augustini locutionem, quæ suis principiis minus conformis est, tanquam ex M. Gonet prolata, invidiosè indicat; cum tamen Augustinus utramque propositionem protulerit sententiam Juliani reprehendens. Asserebat quippe Julianus, verba Apostoli sic esse intelligenda, ut redderet hunc sensum, *relictis sunt per divinam patientiam, sed non sunt per potentiam in peccata compulsi.* Utrumque Augustinus verum esse probat ex eo, quod Apostolus non solum posuit patientiam, quæ significatur derelictio, sive permissio, sed posuit etiam potentiam, quæ permissio significatur. Quod ut constet evidentius, verba subjicio, quæ Augustinus immediatè profert, ut monstret falsitatem, illius negativæ, *non sunt per potentiam compulsi, sic enim Augustinus profertur. Quid horum tamen dicit esse, quod scriptum est: Et Prophetam si erraverit, & loquutus fuerit, ego Dominus seduxi Prophetam illum, & extendam manum meam super illum, & exterminabo eum de medio Populi mei Israel, patientia est, an potentia? Et duabus lineis interjectis: *an & hic dicturus est, quod ait: Ego Dominus seduxi Prophetam illum intelligendum esse, deserui, ut pro ejus meritis seductus erraret? Et columna sequenti circa finem ait: quis verò ita despiat, ut cum audierit quod in psalmo canitur, ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori, hoc dicat, orasse hominem, ne Deus sit piens erga ipsum, si Deus non tradit, ut mala fiant, nisi patientem bonitatem præbendo, cum fiant? Et postquam explicuerat, eodem in sensu intelligendum esse illud Orationis Dominicæ, & ne nos inferas in tentationem, quasi ex firmissimis principiis intentum concludens, ait: *Tradit ergo Deus in passiones ignominia, ut fiant, quæ non conveniunt, sed ipse convenienter tradit.* Est namque totus in præfenti capite, ut probet, Deum non se habere permissivè solum erga peccata, sed esse aliquid in peccato, quod ipse efficit nempe physicum ejus esse. Unde in verbo tradit positivum, & causativum, non purè permissivum influxum importari contendit.**

5. Hæc à nobis dicta sunt, ut constet, M. Gonet non fraudulenter, minusque fideliter adduxisse Augustinum, & ut magis constet esse expressam D. Augustini sententiam. Nam S. Doctor id contendit demonstrare contra Julianum, quod ipse Julianus negabat;

non id, in quo ab Augustino Julianus non dissentiebat. Fatebatur Julianus, in verbis Pauli contineri permissionem Dei erga peccata; quod verum esse Augustinus minimè negat. At contendeat Julianus, nullum in verbis Apostoli significari positivum influxum, & de hoc Augustinus reprehendit Julianum, oppositum probans tot Sacrae paginae testimoniis, quibus utitur ad confirmationem doctrinae.

6. Nec obstat auctoritas inducta à P. Herrera ex tract. 53. in Joann. Utrumque enim verum est, & Augustinus minimè sibi contradicit; nam cum ait, *Deum non compellere homines ad peccata*, loquitur de peccatis pro formali, ad quæ Deus voluntatem hominis minimè compellit: Cum verò asserit, *Deum per potentiam compellere homines ad peccata*, de peccatis pro materiali sermonem facit. Constat autem, has non esse contradictorias: *Deus compellit homines ad peccata pro materiali: Deus non compellit homines ad peccata pro formali;* Nec enim sunt ejusdem de eodem secundum idem. Quo etiam in sensu loquutus est S. Prosper Augustini discipulus. Videtur tamen mihi D. Prosper vitare rigorosam significationem illius verbi compello, quæ vim quamdam importare videtur inimicam libertati, quamquam & Ecclesia non adeo rigidè verbum illud quandoque accipiat, ut ejusmodi vim libertati inimicam significare velit; orat enim Deum, ut nostras etiam rebelles compellat ad se voluntates. Sed, fateor, dum in malum refertur, magis curandum est, ut vigor significationis verbi illius removeatur, quam certè Augustinus nunquam vult: Unde lib. de gratiâ, & lib. Arbit. cap. 20. loquens de Semei maledicente Davidi, ait: *Deus voluntatem Semei vitio malam in hoc peccatum maledicendi Davidi inclinavit;* quasi diceret: quod erat actus, à determinatione Dei erat; quod autem vitii, à mala Semei voluntate. Nec D. Augustinus alia de causa illo compellendi utitur verbo, nisi quia Julianus illud usurpavit. Nostra autem explicatio traditur à fidelissimo Augustini interprete D. Thoma 1. 2. q. 79. art. 1. ad 1. Ubi similia Augustini exponens verba dicit: *quod autem Augustinus dicit in lib. de Grat., & liber. arbit. cap. 21. Inde sumpta est Glosa, quod Deus inclinât voluntates hominum in bonum, & malum, sic intelligendum est, quod in bonum quidem directe inclinât voluntatem, in malum autem, in quantum non prohibet.* Cum ergo in actum peccati bona sit entitas, ad illam directè inclinât, non ad deformitatem, quam permittit. Hoc totum videre est in prælaudato capite, & ex quibus inferet quilibet, quàm injusta, ne plus dicam, sit hæc M. Gonet facta accusatio.

7. Si ab Augustino exordium sumpsimus, ad D. Thomam accedimus, ut isto etiam præsidio sententia opposita spoliata maneat. Audiendus est in 1. dist. 36. q. 2. art. 3. *Similitudo, vel ratio rei in Deo existens secundum quod est productiva ipsius rei, est prædeterminativa, & q. 3. de verit. art. 2. Hanc rationem ponendi ideas innuit*

innuit Dionysius in 5. cap. de divinis nominibus. dicens: Exemplaria dicimus in Deo existentium rationes substantificas, quas Theologia prædefinitiones vocat, & divinas, & bonas voluntates existentium prædeterminativas, & effectivas; Sed ex his, quæ jam observata volui dub. 1. §. 4. n. 32. in Deo datur idea entitatis, & actualitatis peccati, cujus est causa: ergo sic ipsam causat quod voluntatem prædeterminet ad actualitatem peccati.

8. Secundò habet ille modus dicendi adversum D. Thomam negantem, quod actio, peccati sit à Deo, quatenus præcisè confert virtutem sufficientem, & penitus indifferentem, ac unicè à voluntate determinabilem, quem expressè rejicit tertio contra Gent. cap. 71. Ubi apertè docet, omne agens producere actionem suam virtute divina, id est virtute Dei moventis potentiam ad agendum, ut explicuerat S. Doctor cap. antecedenti immediatè. 3. dicens: Operari virtute divina est operari virtute motionis divinae, sicut Artifex applicat instrumentum ad proprium effectum. Ubi clarè docet, voluntatem nostram ad operandum eo modo applicari à Deo, quo instrumentum ab Artifice, qui certè illud applicat, physicè prædeterminando: Unde sicut contingit sæpius, quod Artifex rectè, ac secundum artem suam instrumentum prædeterminando movet, & tamen operatio propter defectum instrumenti est defectuosa, ita fiat, cum rectitudine præmotionis divinae, operationes nostras esse defectuosas propter nostrarum voluntatum pravam dispositionem. Quod eleganter explicuit D. Thomas dicto cap. 70. frequentibus verbis: nam cum ostensum sit, omne agens actionem suam producere, in quantum agit virtute divina, & ex hoc Deum esse omnium, & effectuum, & etiam actionum causam, itemque ostensum sit, quod malum, & defectus in his, quæ providentia divina reguntur, accidat ex conditione secundarum causarum, in quibus potest esse defectus, manifestum est, quod actiones malæ, secundum quod deficientes, non sunt à Deo, sed à causis proximis deficientibus: quantum autem ad id, quod de actione, & de entitate habent, oportet, quod sint à Deo: sicut claudicatio est à virtute motiva, quantum ad id, quod habet de motu, quantum verò ad id, quod habet de defectu, est à curvitate cruris. Hæc D. Thomas, quibus nihil aptius ad rem præsentem.

9. Evincit hoc magis causalitatis divinae conditio: cum ratio primi principii in Deo coincidat cum ratione primi determinantis; non enim Deus aliquid ad extra necessariò operatur, sed liberè juxta placitum divinae voluntatis: Ergo inintelligibile est, quod aliquis effectus sit à Deo tanquam à causa, & quod non sit ab ipso ut prædeterminante: aliàs ad actus nostros concurreret, voluntate nostra dominium super Deum exercentem, & voluntas divina vellet omnipotentiam suam determinari à Creatura ad malum formalitèr tale; nec non existeret in rerum natura vera, ac

physica entitas, ipso non volente, ut tota ista disputatione probatum relinquimus. Sed satis hoc de medio isto concurrenti, cum superius de impossibilitate hujusmodi subordinationis Dei ad nos, multa disputaverim. Quare his omiſſis ad argumenta gradum facimus.

§. II.

Solvuntur Argumenta ab auctoritate.

10. **O**bjicies primò ex P. Marin de peccat. disp. 5. sect. 5. n. 71. post P. Ramirez de prædest. disp. 6. cap. 3. n. 71. illud Joann. cap. 2. *Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ non ex Patre, sed ex mundo est: at superbia vitæ, concupiscentia carnis, & oculorum non solum sunt formale, sed materiale actionis pravae: Ergo si absolutè, & sine restrictione ex mundo sunt, & non ex Patre, Deus nec secundum formale, nec secundum materiale eas actiones prædefinit, & per se causat. Ad hæc dicitur Jacobi cap. 1. Deus neminem tentat: Et cap. 3. non est ista sapientia desursum descendens. Absolutè non tentare alium est ad nihil mali inducere alterum; Sed materiale mali est aliquid mali, quod ex materiali, & formali resultat: Ergo Deum esse malorum intentatorem, ut inquit idem Apostolus, absolutè, & sine distinctione proferens: Deus enim intentator (id est non tentator) malorum est, non permittit per suam pravam determinationem inducere ad materiale peccati. Ultimò: quomodo non erit desursum sapientia illa, quæ verè stultitia est, si totum esse physicum ipsius desursum est? Ergo ex scriptura videtur constare, non minus opponi divinae perfectioni causalitas per se materialis, quod est in actione prava, quam formalis malitiæ ipsius.*

11. Secundò ex Patribus: D. Augustinus lib. de Spirit. & litter. cap. 31. inquit: nusquam legimus in scripturis: non est voluntas nisi à Deo, & rectè non scriptum est; quia verum non est; alioquin peccatorum etiam (quod absit) auctor est Deus; si non est voluntas nisi ab illo. Idem de articulis sibi falsò impositis art. 10. abominanda opinio est, quæ Deum cujusque malæ voluntatis, aut actionis malæ credit auctorem: adulteria enim Matronarum, & corruptelas Virginum non instruere novit Sancta divinitas, sed damnare; nec disponere, sed punire. Et post pauca: non ergo casus ruentium, nec malignitatem iniquorum, nec cupiditates peccantium prædestinatio Dei, aut excitavit, aut suavit. Hic non omittendum, quod subsumit P. Herrera loco citato n. 20. At, ut rectè notat Alderete explicans hunc locum, cupiditates illæ, adulteria, Virginum corruptelæ, malæ voluntates, & malæ actiones sunt materiale peccati, neque alitèr materiale peccati explicatur: Ergo juxta Augustinum abominanda est opinio, quæ credit Deum auctorem materialis peccati: Ita Doctor iste, quò nihil potuit excogitare subtilius, aut pro suo inferre modestius ingenio.

12. In-

12. Insuper probat ex lib. 5. de Civit. Dei cap. 5. Sicut omnium Creaturarum auctor est Deus, ita omnium potestatum dator, non voluntatum; mala quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est. Et ex lib. 2. de liber. arbitr. cap. ultimo: ad Deum non pertinere motum illum aversionis, quem fatemur esse peccatum. Sic etiam ex sequenti lib. 3. cap. 1. quid opus est querere, unde iste motus existat, quo voluntas avertitur ab incommutabili bono ad commutabile bonum; cum eum non nisi animi, & voluntarium, & ob hoc culpabilem esse fateamur. Tandem ex lib. de peccator. merit. & remis. cap. 18.: nefas esse concedere, Deum esse auctorem voluntatis malæ: & infra, malam voluntatem non habemus ex Deo.

13. Tertio ex D. Chrysoſtomo 2. ad Timoth. 4. Homil. 8. Scito, quod Deus omnia providet, quod alia quidem operatur, alia verò permittit, quod nihil mali vult fieri, quod non ex sola ipsius voluntate fiunt omnia; sed ex nostra quoque: mala omnia ex nostra tantummodo sunt, bona omnia ex voluntate nostra, & ipsius adjutorio. Ex D. Prospero ad 13. object. Vincen-tianam de hominum casu: In tali negotio neque quidquam divina voluntatis intervenit, cujus opere scimus, multos, ne laberentur, detentos, nullos autem, ut laberentur, impulsos. Ex D. Fulgentio lib. 1. ad Monimum cap. 19. mala voluntas non pertinet ad Creatorem; & rationem præbet: quia malam voluntatem non dat homini Deus. Et ex D. Thoma 1. 2. q. 79. art. 3. Ubi inquirens, an Deus sit causa excacationis, & indurationis? Respondet: Dicendum, quod excacatio, & induratio duo important, quorum unum est motus animi humani in-hærentis malo, & averti à divino lumine, & quantum ad hoc Deus non est causa excacationis, & obdurationis, sicuti non est causa peccati. Quibus attentè recognitis, ait P. Ramirez n. 88. has omnes propositiones ex Patrum mente in unum collige: malam voluntatem non esse à Deo, ne à Deo sit malitia, ita ut causare malam voluntatem, sit antecedens legitimum inferendi causalitatem per se malitiæ. Abominandam esse opinionem, quæ Deum cujusque malæ voluntatis, aut pravae actionis credit auctorem. Deum non instruere adulteria, nec reliquas pravæ actiones. Malas voluntates non esse à Deo, quoniam contra naturam sunt. Motum aversionis ad Deum non pertinere. Nefas esse concedere Deum auctorem malæ voluntatis. Mala omnia ex nostra tantummodo voluntate fieri. In hominis lapsu neque quidquam divina voluntatis intervenire, quia ad lapsum impellatur. Malam voluntatem non pertinere ad Creatorem, quia eam non dat homini Deus. Deum non causare actum malum secundum se, sed purè non impedire. Compara deinde, prosequitur, cum propositionibus, quæ ex prædeterminatione ad materiale actionis legitime inferuntur, id est: Malam voluntatem esse à Deo, quamvis à Deo non sit malitia. Neque ex causalitate per se actionis malæ valere consequentiam ad causalita-

tem per se malitiæ. Non esse abominandam opinionem, quæ Deum cujusque malæ voluntatis, aut pravae actionis credit auctorem; quin potius maximè consulere divino dominio ita credere, dum reduplicatio actionis, ut malæ, videtur. Deum construere, determinare, & liberè ponere adulteria, perjuriam, &c. quoad omne physicum illorum, secundum quod bona sunt. Malas voluntates esse à Deo, quamvis sint contra naturam, quia non sunt ab ipso, ut contra naturam. Motum aversionis esse à Deo, secundum totam entitatem motus aversionis. Fas esse, & Catholicum satis, concedere Deum auctorem malæ voluntatis specificatiõe. Mala omnia non fieri ex nostra solum voluntate; sed dumtaxat formale malorum, seu malitiam, à qua tanquam à forma mala sunt. In omni lapsu aliquid divina voluntatis intervenire, quia ad lapsum physicè, & materialitèr sumptum impellitur, impulsu quidem prævia determinationis, & connexionis, quamvis non suo suo, aut præceptivo. Malam voluntatem pertinere ad Creatorem secundum physicum illius, quia ratione ab illo homini datur: causareque Deum actum, & motum animi in-hærentis malo secundum se, & prout non reduplicat, aut fundat malitiam, quam purè non impedit; actum, & motum verò animi malo in-hærentis, non tantum non impedire; sed prædeterminare. Concludit præfatus Auctor, & post comparisonem ingenue factam. Vide, an possit esse una mens prædeterminantium, & Patrum, quando per oppositas propositiones se explicant, taliter, ut Patres negent, prædeterminantes affirmant: Patres specificativum veniant, sicut & reduplicativum; prædeterminantes reduplicativum fugiant, specificativum amplectantur: Patres dicant consequentiam esse bonam, prædeterminantes malam: Patres loquantur absolutè, prædeterminantes restrictè: quæ cum mentis, & judicii consensu quis componet? Conet quidem, qui pro solita ingenii sui facilitate vias aliis inaccessas, inoffenso gressu percurrit, dicens, Patres esse intelligendos de causalitate divina in actus pravos reduplicatiõe ut tales; vel de Deo, ut Provifore particulari, non de Deo, ut causa prima. Verum pro eo referendo tantum opus est, ut dixit P. Herrera, recurſu ad testimonia Patrum, quæ admittere non possunt istud effugium tam difficile, quam componere inter se amicabili societate propositiones contrarias, aut contraddictorias, cum non levi detrimento auctoritatis, cujus pondus per similes interpretationes, aut parum, aut nihil semper urget.

14. Nescio sanè, an hoc elucubratum argumentum, vel copiosissimam orationem invidiosius potius, quam veriùs, objiciendam putaverit, ut verum testimoniorum SS. PP. ac Thomisticae doctrinae sensum solitis technis implicaret; ac si verbis, & non veritate doctrinae integritas comprobari possit. Sic dum pacis attentiores crebrius eos patimur, eò liberius, in nos insurgunt. Sed absit, ut arguentium vestigia, ad non laudabilem arrogantiam declinantium, ipsis ob-

fisten-

sistentes abeamus. Sola testimoniorum observatio Sapientibus demonstrabit, contrarium adeo esse verum, ut quodnam sit inter veritatem, & falsitatem discrimen, facile ipsis appareat. Sufficiet & omnibus ad cognoscendum, Thomistas ultra modum ab ipsis vexari, nè & doctrina, & validissimis argumentis, quibus maximè urgentur, penitus opprimantur. Paucis ergo respondebo, nè prolixum sermonem tantæ prolixitati reddamus.

15. Ad primum ex Epist. Joann. respondetur, quòd cum hanc nobis auctoritatem obijciunt, convincuntur manifestè, non vidisse D. Thomam 1.2. q.77. art.5. ubi inquirat: *utrum convenienter ponantur causa peccatorum concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ?* Nam profectò non hoc nobis objicerent: ibi enim S. Thomas dicit in corp. art. *Concupiscentia carnis est inordinatus appetitus eorum, quibus natura sustentatur, vel conservatur in specie, quod pertinet ad venera: & in eodem sensu explicat cum S. Augustino concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ; sed appetitus inordinatus non significat tantum materiale peccati, sed etiam formale, sive materiale, ut stat sub formali: ergo cum Joannes negat, illa esse ex Patre, negat peccata esse ex Patre, non entitates peccatorum. Et cautè hic adversario nostro erat loquendum, nè intelligatur damnare actum concupiscentiæ, in quo solum est damnabilis deordinatio. Ipse enim actus carnalis appetitus in generationem bonus est: & hac ratione à Deo naturæ Authore est. Undè damnatur eorum hæresis, qui apud S. Hieronymum dicebant, *quoniam Diabolus fecit nuptias*. Est ergo ille motus idem à Deo Authore, & à concupiscentia carnis: ab illo habet, quòd fit; ab hac quòd inordinatus sit: illud materiale, hoc peccati formale est. Eodem defectu laborat argumentum, quod fit ex cap.3. Jacobi: nam ut docet S. Thomas 2.2. q.38. art.1. in corp. Zelus, & contentio, quæ reprehendit Apostolus sumuntur pro impugnatione veritatis, quæ est peccatum mortale, vel pro impugnatione falsitatis cum modo indebito, quæ aliquando est peccatum mortale, si in modo sit nimius excessus, frequenter verò est peccatum veniale; & hæc non esse ex Deo, certissimum est. Quare D. Thomas in eadem 2.2. q.45. art.1. in fine cap. explicans, quare sapientia illa talibus insigniatur nominibus, ita dicit: *Quicumque enim avertitur à fine debito, necesse est, quòd aliquem finem indebitum sibi præstituat, quia omne agens agit propter finem. Undè si præstituat sibi finem in bonis exterioribus terrenis, vocatur sapientia terrena: si autem in bonis corporalibus vocatur sapientia animalis. Si autem in aliqua excellentia, vocatur sapientia Diabolica propter imitationem superbiæ Diaboli.**

16. Ad testimonia SS. PP. respondetur, quòd si textus Augustini de Spirit. & litter

cap.31. legatur integer, nulla est dubitandi ratio contra Thomistas; nam Augustinus designans, quam voluntatem à causalitate subtraheret divina, immediatè subdit: *Quoniam mala voluntas jam sola peccatum est: docet ergo, malam voluntatem non esse à Deo, quod sanè verissimum est, & omnino conforme doctrinæ ejus, & nostræ, quam ex lib. de Civit. Dei à cap.6. non semel retulimus, de origine malæ voluntatis. Ad id, quod dicitur ex art.10. dicimus, quòd est futile argumentum, quod patebit manifestè, si textum Augustini adducamus integrum. Et quidem articulus Augustino impositus, ipso referente his clauditur verbis: *Adulteria, & corruptelæ Virginum Sacrarum ideo contingunt, quia illas Deus ad hoc prædestinavit, ut caderent. Hic maximè notandum primò, quòd adulteria, & corruptelæ Virginum Sacrarum, non materiale sine deformitate, sed deformitatem ipsam formaliter, & directè significant, ut nemo poterit inficiari; ac proinde cum verbum prædestino, propterea quòd significat actum animæ interiorum, appellet conceptum formalem; talis erat impostura, ac si Augustinus doceret, Deum ad hoc Matronas, & Virgines Sacras prædestinasse, ut illæ committerent peccata. Secundò, eandem habuisse ex articulo isto occasionem Augustini æmulos, ut talem ipsi imponerent errorem, quem modò imponunt Thomistis, nempe Deum esse Authorem peccati; cum enim, ut supra vidimus doceat, nos Deum ad materiale peccati movere; inde illi, sicut isti putarunt inferri, Deum juxta doctrinam Augustini esse Authorem peccati. At respondet Augustinus, & nos cum ipso dicimus. *Detestanda, & abominanda opinio est, quæ Deum cujusque malæ voluntatis, aut malæ actionis credit Authorem, cujus prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra justitiam est. Universa enim via Domini misericordia, & veritas. Adulteria enim Matronarum, & corruptelæ Virginum non instruere novit Sancta divinitas, sed damnare: nec disponere, sed punire. Quæ mala homines cum admittunt, suis concupiscentiis, & cupiditatibus serviunt, quas ab illa prima voluntaria prævaricationis labe traxerunt. Cum autem declinant à malo, & faciunt bonum, à Domino gressus hominis diriguntur, ut vias ejus velit. Propter quod dicit Apostolus, oramus autem ad Dominum, ut nihil mali faciatis, non ut nos probati appareamus, sed ut vos, quod bonum est, faciatis. Non ergo casus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædestinatio Dei, aut excitavit, aut suavit, aut impulit; sed planè prædestinavit judicium suum, quòd unicuique retributurus est, prout gessit, sive bonum, sive malum, quòd judicium futurum non esset, si homines Dei voluntate peccarent. Erit autem judicium manifestissimè: & omnis homo, quem discretio divina sententia in sinistra constituit parte, damnabitur, quòd non Dei, sed suam***

exe-

equutus est voluntatem. Hæc, & nihil amplius ad hunc articulum Augustinus: & hæc ad verbum respondent Thomistæ. Sed quid mirum? Si una est omnium sententia, & eadem debet esse responsio.

17. In aliis S. Augustini testimoniis superflua quæri video; sed ad ipsa superflua non denego responsum: omnia enim ipso modo loquendi SS. PP. perfectissimè evacuantur. Fatentur namque Thomistæ, malas voluntates à Deo non esse; ad Deum non pertinere motum illum aversionis, qui peccatum est, & quo voluntas avertitur ab incommutabili bono ad commutabile bonum. Affirmant, nefas esse concedere, Deum esse Authorem voluntatis malæ, malamque voluntatem nos habere ex Deo. Hoc sine dubio docent, & totis viribus cum suo Angelico Mag. defendunt. Nam licet peccatum, mala voluntas, & motus aversionis supponant pro entitate, & actione peccati, significant tamen de formali ejus malitiam; & cum verba facio, causo, produco, operor faciant sensum appellativum, absolutè verum est dicere, Deum nec operari, nec producere, nec causare peccatum, malam voluntatem, aut motum aversionis; cum nomen significans actum cum deformitate non possit de Deo affirmari, ut expressè docet D. Thomas in 2. dist.37. q.2. art.2. *Nomen significans actum cum deformitate, sive in generali, sive in speciali, non potest dici, quòd à Deo sit simpliciter. Undè non potest dici, quòd peccatum sit à Deo, aut homicidium, & aliquid hujusmodi, nisi cum hac additione, in quantum est actus, in quantum est ens.* Ex quibus responsum manet ad testimonia Chrysostomi, S. Prosperi, D. Fulgentii, & D. Thomæ. Nam, cum concretum supponat pro actu, qui substat deformitati, & deformitas actum efficiens se habeat, ut significatum formale, nequit verbum appellans supra significatum formale termini, in quem fertur, absolutè dici de Deo, sed cum aliqua reduplicatione. His, quæ tam perspicua, atque manifesta sunt, docetur expressè Thomistica doctrinæ innocentia, & Adversariorum calumniosa criminatio. Rogo enim; in quo Patrum, & Thomistarum non est una mens? Quenam est consequentia illa, quam Patres bonam dicunt, & quam irreprehensibilem non credunt Thomistæ? Ubi est sensus specificativus, sicut & reduplicativus, quem Patres renuunt? Quam reduplicationem fugiunt Thomistæ, sensum amplectentes specificativum, quem SS. PP. renuunt? Quis apud Philosophos, & Theologos sensum hunc reduplicativum inficiatus est unquam? Falsum est dicere *Deus diligit impium, diligit peccatorem, diligit Dæmonem* in sensu absoluto; at in sensu reduplicativo quis unquam negavit, Deum diligere impium, peccatorem, Dæmonem, in quantum sunt entia? Quid tandem in tot citatis SS. PP. testimoniis vident Auctores isti, nisi sensum reduplicativum? Aut quid aliud effi-

citur, quàm reduplicatio, dum dicit D. Thomas citato testimonio, *non potest dici, quòd peccatum sit à Deo, aut homicidium, & aliquid hujusmodi, nisi cum hac additione, in quantum est actus, in quantum est ens?* Pellatur ergo, dejiciatur, stirpitusque abrogetur hujusmodi Thomistis facta calumnia, sicut & quod hic imprudenter, & falsò contra M. Gonet dicitur, *quòd pro soliti ingenii sui facilitate, vias aliis inaccessas inoffenso gressu percurrit: etenim cum nihil ex his, quæ nobis opponunt, verum esse ab ipsis demonstrari possit, ipsi potius attentissimè videant, ne viam SS. PP. inaccessiblei celeriter contentionis animositate percurrant. Nos autem ejus sententiæ sumus. Absit enim, ut rectà sententiā relicta, aliam, quam à recto veritatis scopulo abducentem judicamus, viam ingrediamur.*

S. III.

Solvuntur Argumenta à ratione.

18. Sed jam ad lætissima Adversariorum nostrarum solvenda properemus. Obijciunt primò: si Deus voluntatem creatam ad entitatem materiale peccati efficaciter prædeterminaret, vitari non posset, quin Deus esset causa peccati. Hoc probant primò, quia homini non alia ratione attribuitur, ut causæ, malitia peccati, nisi quia suo concursu attingit materiale peccati: & ex opposito voluntas creata reddita impeccabilis, v. g., ex vi visionis beatæ, non valet attingere malitiam, quia nec entitatem materiale peccati attingere potest: ergo Deus erit causa peccati, si ad illam efficaciter prædeterminat.

19. Secundò: Deus nequit præcipere materiale peccati, quin præcipiat malitiam: ergo nec potest prædeterminare ad materiale peccati, quin sua prædeterminatione malitiam causet. Patet consequentia: nam ideò antecedens est verum, quia materiale peccati, & illius malitia sunt connexa: ergo & propter eandem rationem consequens debet esse verum.

20. Tertio: determinare principium ad aliquod extremum, est illud constituere in statu determinationis ad ipsum, extrahendo principium ab statu indifferentiæ ad tale extremum, & ad oppositum; sed nostra voluntas ex suppositione materialis, vel entitatis peccati, non est indifferens, sed determinata ad malitiam, cum jam sit inconjungibilis cum carentia malitiæ: ergo Deus constituens voluntatem in hac suppositione, nempe sub materiali, entitateque peccati, determinat ad formale: ergo non solum permittit illud, sed causat. Quod confirmari potest: necessitas ad actum, qui non potest fieri sine modo, est necessitas ad talem modum: undè ne-

ss

cessi-

cessitas claudi ad ambulandum est necessitas ad claudicandum; & nequit contineri intra sphaeram omnipotentiae hoc, quod est, hominem claudum ambulare, quin contineatur ipsum claudicare: ergo necessitas ad actum, qui non potest fieri sine malitia, est necessitas, vel determinatio ad malitiam.

21. Respondetur ad primum dist. antec. ideo attribuitur homini malitia peccati, quia suo concursu attingit materiale peccati, ut fundat peccati malitiam Conc. antec. quia absolute illud attingit neg. antec. & consequentiam: quia Deus non praedeterminat ad materiale peccati, ut fundat malitiam, sed qua formaliter est ens. Cujus ratio est, quia creatura ponit actum, cum tamen ratione legis teneatur ab actione illa abstinere. Pro cuius intelligentia observa maxime, quod dupliciter voluntas in operando potest deficere: ex defectu scilicet actualis subjectionis ad regulam rationis precedente pro signo priori ad peccatum; & ex consequenti defectu rectitudinis debitae actui formaliter; & cum defectus iste sit ipsa malitia, isto constituitur formaliter actus moraliter pravus. Prior autem ille defectus est inclinatio causae secundae deordinatae a debito fine: ideoque causa prima, quae hoc titulo secundis debet praebere concursum, juxta exigentias ipsarum, illum praebet summa sanctitate, & naturali ordinis rerum necessitate: adeo ut non nisi operando miraculose, & contra rerum exigentias, possit negare concursum actioni praeivum. Unde malitia est solius creaturae; bonitas autem physici actus principaliter est Dei. Haec doctrina est D. Thomae 1. p. q. 49. art. 1. ad 3. *Unde nunquam sequitur malum in effectu, nisi praexistat aliquod aliud malum in agente, vel materia, sicut dictum est: sed in rebus voluntariis defectus actionis a voluntate actu deficiente procedit, in quantum non subjicit se actu suae regulae. Qui tamen defectus non est culpa, sed eum sequitur culpa ex hoc, quod cum tali defectu operatur.* Et 1. 2. q. 75. art. 1. *voluntas carens directione regulae rationis, & legis divinae causat inordinationem actus; provenit enim defectus ordinis in actu ex defectu directionis in voluntate: quod & repetit ibi ad 3. & art. 2. & q. 1. de malo art. 3. in corp.* Sic ergo primus ille defectus actualis subjectionis est causa, & radix, ut se habeat deficienter, & sit causa malitiae. Cum ergo Deo repugnet defectus actualis subjectionis ad regulam rationis, quippe ipse idem prima regula est, hinc fit, quod volens entitatem peccati, non vult malitiam, nec quod creatura modo defectivo operetur. Haec est solutio D. Thomae 1. 2. q. 79. art. 2. ubi cum sibi idem proposuisset argumentum: *Homo non dicitur esse causa peccati, nisi quia est causa actus peccati; nullus enim intendens in malum operatur: sed Deus non est causa peccati: ergo non est causa actus peccati.* Ad quod respondet dicendum, *quod in hominem, sicut in causam, reducitur non*

solum actus, sed etiam ipse defectus, quia scilicet non subditur ei, cui debet subdi, & ideo est causa peccati. Sed Deus sic est causa actus, quod nullo modo est causa defectus comitantis actum, & ideo non est causa peccati. En formalissima ratio, quare voluntas causans actum, cavet & deformitatem, quia nempe causat illum cum defectu actualis subjectionis ad regulam rationis, qui defectus formalem malitiam praecedat.

22. Ex quibus constat solutio ad id, quod ibi dicitur de Beatis, vel negando causalem; vel illa admitta, negando consequentiam. Causalis non est vera absolute loquendo; sed ideo voluntas impeccabilis non potest attingere entitatem peccati, quia illam deordinare non potest a fine, cui adheret immobiliter, cum ad istum non ordinetur bonitas pure physica, sed solum honesta, cum finis honestissimus sit. Unde etiam Deus, qui solus potest positive ordinare in finem entitatem peccati, non ordinat illam, ut pure physicam, sed ut honestam, aliter in finem honestum non ordinaret. Est autem honesta Deo propter fines Providentiae, quos solus potest intendere universalis Provisor. Quare dum manet adhaesio ad finem illum deordinatae inclinationis humanae, entitas illa non est amabilis. Quod si impeccabilitas non oriatur ex visione, sed praecise ex unione hypostatica, seclusis donis accidentalibus, eidem fini adheret immobiliter negative, stante cognitione finis, ac legis; nec potest averti etiam per actum physicum materialiter contrarium, quia indecens esset, Deum hominem ferri ad pure sensibilia, nisi homo ille fatuus esset, vel omniusu rationis privatus. Cujus ratio est, quia respectu voluntatis creatae, nec est titulus, quo purgetur eius concursus a b attingentia malitiae, nec ponit talem entitatem, nisi cum defectu illo precedente subjectionis ad regulam rationis; qui defectus, ut diximus, Deo repugnat, sicut & titulo causae primae tenetur ad exigentias causarum attendere, ut illas suo concursu praemoveat.

23. Ad secundam probationem concessio antec. negatur consequentia propter maximum discrimen inter concursum pure physicum, & moralem, sive sit praecipuum, vel consilium, vel suasio, quae in suo influxu a malitia praescindere non valent. Haec enim tria respiciunt actum, ut hic, & nunc a voluntate ponendum in his circumstantiis; nam praecipuum sic tendit, sicut & suasio, *pone modo actum; consilium ait, bonum est actum modo ponere hic, & nunc:* quare non respiciunt actum quoad entitatem pure physicam, sed practice, & ut a voluntate exercite ponendum; ridiculus enim esset consiliarius, qui diceret: *pone actum furti quoad entitatem praecisam ab omni circumstantia, & a nocumento proximi.* Consilium ergo, sive praecipuum entitatis peccati causabit illam, prout spectat ad genus moris: nequit enim causare quod

quod spectat ad genus physicum, quin cavet quod pertinet ad genus moris. At praedeterminatio influit in actum, ut spectat ad genus physicum; quare potest attingere entitatem, quin causet ipsam malitiam, cum solum attingat terminum inclinationis, & objectum per se amabile a voluntate, quod saltem bonum physicum esse debet.

24. Vel aliter responderi potest, quod si Deus praeciperet entitatem peccati, praeciperet etiam malitiam, essetque causa per se illius. Etenim cum praecipuum sit prima regula moralitatis, ejusque finis intrinsecus, & proprius sit reddere homines virtuosos, ipsosque ad Beatitudinem perducere, entitas illa physice bona, semel praecipua, non esset moraliter mala, sed potius honestate morali gauderet. Quare tunc casus deficeret formale malitiae ad defectum materialis ab ipsa denominabilis; cum haec entitas, hoc ipso, quod Dei praecipuum terminaret, redderetur moraliter honesta; non quia haec moralis honestas conveniret ipsi secundum id, quod habet in genere physico, sed esset moraliter honesta honestate absoluta afficiente praedictam entitatem: & cum malitia, & bonitas sint differentiae formaliter oppositae, actus qua formaliter ab honestate morali denominabilis, non est denominabilis a malitia peccati. Uno verbo, praecipuum auferit ab actu, quod sit materiale peccati. At velle Dei, cum terminetur ad omne bonum, quod sit tale, tam in genere physico, quam in genere moris, indifferenter ad utrumque se habet, solumque ex parte termini debet correspondere bonitas; non quae praecise sit moraliter talis, sed sufficit, quod sit bonitas physica, quae ab actu non tollit, quod sit subtractum malitiae: quare bene valet: *Hic actus est a Deo praecipuus: ergo non est subtractum formaliter tale malitiae; non tamen e contra: hic actus causatur physice a Deo: ergo non est subtractum malitiae.* Instaturque efficaciter argumentum: si Deus praeciperet, aut indifferenter consiliaret malum, & bonum, malitia aut nulla esset, ut solutio nostra probat, aut si stemus contrariorum argumento tribueretur Deo; & tamen juxta Adversarios, Deo danti, & offerenti voluntati concursum indifferenter ad bonum, & malum, ipsumque positive volenti, non tribuitur malitia peccati: ergo diversimode discurre debet de praecipuo, ac de concursu Dei.

25. Sed contra instabis. Primum, quia ille, qui efficaciter decernit existentiam alicujus objecti, debet attendere, an malitia inevitabiliter sequatur ex illo objecto praedefinito, ne turpiter praedefiniat. Secundum: Deus praecipere potest, ut Creatura faciat, quod ipse voluntate efficaci vult fieri: Sed hac voluntate vult fieri materiale peccati. Ergo & poterit praecipere materiale peccati.

26. Ad primum respondetur, dist. maj. Si sit particularis provisor, Conc. maj. si genera-

lis provisor, subdividuo: Si malitia se habeat de formali ad praedefiniendum, Conc. maj. Si tantum concomitanter, aut logicè connexive ad causalitatem materialis, prout a causa defectiva, nego maj. Haec enim est differentia, quod vel ille, qui efficaciter decernit tale objectum, est particularis provisor, vel est provisor generalis, ac totius naturae defectibilis. Si est provisor particularis, malitiam objecti praedefiniti vitare tenetur, nec est ratio aliqua ipsius decretum a malitia excusans. Si vero sit generalis provisor, ad hoc minime tenetur, cum malitia non de formali se habeat ad praedefiniendum, cum solum oriatur ex defectu Creaturae. Cujus ratio est, quia illa obligatio abstinendi a materiali entitate peccati, per accidens, & pure concomitanter se habet respectu Dei, qui, ut munus exequatur causae primae, & provisoris universalis cum inclinatione tunc praedominante, debet concurrere, & ob suavitatem, quo bono providet universali, permittere debet, quod Creatura ex se defectibilis aliquando deficiat. Creatura quidem, cui providere incumbit de bono proprio, cura debet esse, ne cadat; author vero generalis, cui totius Universi incumbit providentia, obligatio illa non adest. Immo hinc agnoscimus magnam Dei misericordiam, qui ab inclinationibus nostris, juxta quas ut prima causa deberet praecurrere, specialissimo suae gratiae beneficio, ac magno potentiae suae miraculo nos multoties revocat. Lex ergo, qua tenetur Creatura vitare malitiam, Creatorem non ligat, sed pure concomitanter ad illum comparatur. Sicut lex, qua peccatorem occultum arcet a petenda, & accipienda Eucharistia, pure materialiter se habet ad Sacerdotem publice ministrantem. Deus itaque ex munere provisoris generalis providet bono communi principaliter, quam bono alicujus particulari; expedit autem bono communi, ut defectibilia aliquando deficiant, quandoque quidem non solvendo actum debitum, quandoque vero per actum contrarium: Unde & ad Deum pertinet, ut concurrat ad entitates defectuosas, entitates causando, & defectus permittendo.

27. Ad secundum respondetur negando maj. nam potest quis licite, prudenter, & honeste efficere, quod nec honeste, nec prudenter, & licite consiliare potest. Quod consiliatur, necesse est, ut licite executioni mandari possit; & recte componitur, quod licite non possit exequi, quod alius efficaciter velle potest. Sacerdos licite potest Missam celebrare, non tamen hoc laico consiliare potest, quia ipsi maximum peccatum esset. Ita in casu praesenti, Deus potest efficaciter velle, existere entitatem peccati, quia est prima causa totius bonitatis physicae; at hanc praecipere nequit Creaturae, quia cum sit simul efficiens, & deficiens, simul causaret malitiam. Ergo indecens esset Deo praecipere alteri, quod ille licite causare nequit.

28. Ad tertiam majoris probationem dicimus, quod sicut indifferentia potentiae ad sua extrema, seu exercitia duobus contingere modis potest, & totidem contingit determinatio ad unum exercitium, seu extremum: indifferentia quippe alia est suspensionis, & potentialitatis, alia verò potestatis, & domini, quae rursus subdividitur, ut toties diximus, in indifferentiam potestatis supremæ, ac supremi domini, ac indifferentiam potestatis secundæ, & subordinatæ, seu domini secundæ, & subordinatæ. Determinatio quoque alia est, quae tollit suspensionem, ac potentialitatem, & hæc non minuit, immo perficit libertatem: Unde Deus est maximè liber, quia omni caret potentialitate, quæ debeat removeri, ut agat: alia verò determinatio destruit potestatem, & dominium actus, qualis est determinatio bruti ad agendum, & qualis est illa Calvinii prædeterminatio. Cum ergo supponi debeat in præfenti, per physicam prædeterminationem non destrui libertatem (nam & frequenter Jesuitæ asserunt, quod hoc supposito adhuc per prædeterminationem ad materiale peccati Deus diceretur author peccati; ut sic punctum hujus difficultatis strictioribus terminis discutiant) facilis est solutio: nam determinatio illa, ad quam infallibiliter, & quasi activè sequitur malitia actus, nimirum ipsa entitas, prout à voluntate hominis, liberè est posita à voluntate ipsius in occasione, in qua propter instantiam præcepti à tali actus entitate abstinere deberet, & Deum orare, à qua tamen obligatione abstinendi ab hujusmodi actu Deus est liber; immo debet concursum dispensare juxta exigentiam voluntatis secundò liberæ, jure causæ primæ: & non tenetur ex promissione illud negare, ut Auctor gratiæ; quia solum promissit petentibus: *Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis.* Marc. 11. 24. Quare dist. maj. Est illud constituere in statu determinationis oppositæ dominio, & potestati super utrumque extremum, neg. maj. in statu determinationis oppositæ suspensioni, & potentialitati subdividuo: juxta exigentiam rei determinandæ Conc. contra, aut præter exigentiam (in casu de quo agimus) neg. maj. & dist. min. ex suppositione entitatis sibi liberæ, & juxta ejusdem exigentiam est determinata ad malitiam, Conc. ex suppositione sibi non liberæ, nec exacta, neg. & dist. consequens: si constitueret præter, aut contra inclinationem, seu exigentiam creatæ voluntatis, concedo: constituens verò juxta liberam ejus esse exigentiam, nego. Quin potius, ut dictum est, Deus ex suppositione concessæ indifferentiæ ad bonum, & non bonum, malum, & non malum, debet juxta liberam exigentiam Creaturarum operari, & eum concursum præbere, qui causæ primæ est; nisi aut exoratus illud neget, ut auctor gratiæ, aut non exoratus ex superexcedente misericordiâ. Et miror, hoc argumento usos eos, qui producen-

tem formale peccati sine injuria Deum imaginantur; quia ajunt, determinatur à Creaturâ. Quantò minus, quantòque decentius est, Deum operari materiale sine formali juxta exigentiam Creaturæ, quàm operari etiam formale determinatum ab illâ?

29. Sed objicies: Ut determinatio ad malitiam orta ex entitate actus ortum haberet unicè à voluntate, & non à prædeterminatione, deberet entitas actus poni liberè à voluntate; sed à voluntate prædeterminata non potest liberè poni entitas actus: Ergo determinatio ad malitiam orta ex entitate actus non à voluntate unicè, sed à prædeterminatione ortum habet. Prob. min. ut determinatio illa liberè poneretur à voluntate prædeterminata, deberet in voluntate supponi potestatem ad extremum contrarium: hæc non datur in voluntate prædeterminata, quod probò: quia, ut sit in voluntate potestas ad aliud extremum, requiritur, quod Deus sit paratus ad concurrendum cum voluntate ad illud, vel saltè, quod non sit determinatus, ut concurrat ad unum determinatè: Sed hæc præparatio Dei repugnat, cum voluntas est prædeterminata; nam per decretum, quo prædeterminationem contulit, se determinavit, ut concurreret ad hoc extremum præ aliis: Ergo.

30. Confirmatur primò: ut transgressio legis sit à voluntate, & non à Deo, requiritur, quod Deus non præsupponatur determinatus ad actum, qui est inevitabiliter legis transgressio: alioquin non esset paratus, ut concurreret cum voluntate ad impletionem legis, & consequenter voluntas, quæ sine concursu Dei nihil potest facere, libera non esset ad impletionem legis: hæc autem præparatio Dei non stat, cum voluntas est prædeterminata ad entitatem peccati: Ergo.

31. Præterea: ut determinatio ad malitiam non sit à Deo ex suppositione illius entitatis, requiritur, quod illa entitas prout à Deo, sit conjungibilis cum carentia malitiæ: Sed illa entitas prout à Deo non est conjungibilis cum carentia malitiæ: Ergo.

32. Sed facilis est omnium solutio: ad primum nego utriusque Syllogismi minorem, & ad probationem dist. maj. præparatione antecedenti Conc. consequenti nego. Unde patet ad reliqua; quia Deus antecederet, ut causæ primæ, paratus est ad concurrendum juxta exigentias secundarum. Unde si creatæ voluntas, aut non inclinaret in actum malum, aut & si inclinaret, oret, ut Paulus: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Deus ad actum peccati non prædeterminabit, aut quia à causâ secundâ non exigitur concursus; aut quia juvare contra inordinatas inclinationes, cum orassemus, promissit. Ex suppositione autem existentis præmotionis, tollitur consequenter indifferentia præparationis Divinæ, quæ antecederet manet eadem semper. Sed quis somniavit, lædi libertatem ex consequentibus suppositionibus? Ex quibus manifesta est primæ

mæ confirmationis solutio. Ad secundam neg. maj. Sed sufficit, quod prout à Deo non sit inconjungibilis cum malitiæ carentia, est non sit cum illa positivè conjungibilis. Nam ex Deo non habet positivam inconjungibilitatem cum malitiæ carentia; Sed nec conjungibilitatem positivam cum illa: permittit enim, prout à Deo, cum malitiâ conjungi; cæterum ex alio capite, scilicet, prout à voluntate, petit cum malitiâ conjungi.

33. Ad illud, quod in confirmationem tertiæ probationis principalis argumenti supra num. 20. adducebatur, id ipsum quod hucusque reposuimus, denuò dicimus. Omissio enim antecedenti, & consequenti, quid contra nos, si doctrinæ datæ ratio habeatur, non invenio. Ubinam enim illa necessitas ad actum, qui non potest fieri sine malitiâ? Non in Deo; quia necessitatem non imposuit, qui juxta Creaturæ exigentiam, jure primæ causæ illam præmovit. Non in Creatura, quia liberè hæc se inclinando in malum, & non orando ad bonum, exegit concursum. Manet ergo necessitas ex suppositione: quia nempe supposito, quod Deus juxta exigentiam Creaturæ illam determinavit, nequit simul, vel in sensu composito non determinare. Hoc nè est contra libertatem? Immo ejusmodi sunt apud omnes omnia libertatis exercitia. Exemplum claudicantis nihil juvat contrarios, quin potius nocet: quia sicut defectus claudicantis omnem necessitatem importat, non ex causa prima, sed ex vitio secundæ, ita defectus in actionibus liberis. Claudicantis verò defectus necessitatem importat aliundè, & non ex concursu, scilicet, quia irrectitudo tibiæ non provenit à libertate creatæ, sicut irrectitudo exigentiæ in actum malum; sed à necessario principio. Dicere, quod defectus tibiæ cadit positivè (ut innuitur) intra Sphæram Omnipotentiae, error phylosophicus est. Nam irrectitudo non pertinet ad esse, sed ad non esse. Idem dicimus de defectu morali. Antecedens omnisim; quia confundit necessitates Logicam, & Metaphysicam; quarum hæc ad causarum ordinem, illa ad illationem pertinet, ex qua ad Metaphysicam necessitatem non est consequentia: alioquin intentio Prædestinationis Christi Redemptoris, & intentio poenitentiae nostræ essent causæ peccatorum.

34. Secundò objicies, quod Deus prædeterminans ad entitatem peccati, non vult, hanc existere sine malitiâ: tum, quia non determinat, ipsam existere modo chimærico, & impossibili: tum, quia modus possibilis efficiendi actum peccati est efficere deficiendo, cum efficere peccatum non deficiendo chimæra sit: tum, quia determinat entitatem in circumstantiis, in quibus scit, non posse à malitiâ separari; sed entitatem existere cum malitiâ est entitatem existere, & existere malitiam, quia unum existere cum alio est unum existere, & aliud: Ergo Deus prædeterminans ad entitatem peccati, prædeterminat ad malitiam.

35. Ad quod respondetur, quod licet Deus prædeterminans ad entitatem peccati, determinet, entitatem existere cum malitiâ, permittit, cum oppositum sit chimæra, ut rectè dicitur in argumento; at non determinat, entitatem existere cum malitiâ determinata ab ipso, sed permittit ab ipso, & determinata à Creatura: at determinare unum existere cum alio permittit, non est determinare unum, & aliud, sed determinare unum, & permittit aliud. Instantia est in concursu Dei: dum Deus determinat conferre auxilium prævium inefficax, non determinat tale auxilium existere sine peccato, sed existere cum peccato, non determinato, sed permittit à Deo. Et similiter, dum determinat voluntatem, ut efficiat entitatem, solum determinat ipsam, ut illam efficiat modo possibili effectivo, non defectivo. Et dum determinat Christum Redemptorem, vel poenitentiam, non determinat, sed permittit peccatum essentialitè requisitum: sicut & voluntas creatæ, quæ intendit directè, existere actum peccati, non intendit directè, existere malitiam essentialitè requisitam, ut existat actus; alia enim inter requisita ad existentiam actus ut determinata requiruntur, alia ut solum à determinante permittit: quare cum malitiâ sit purè permittit, Deus determinans entitatem, non determinat, sed purè malitiam permittit.

36. Tertio objicies ex P. Marin disp. 5. sect. 3. n. 55. non potest Deus efficaciter velle, quod prohibet, cum objectum prohibitum non possit licitè poni; sed Deus prohibet materiale peccati, quod licitè non potest poni à Creatura sub conditione prohibitionis; cum sit inseparabile à malitiâ, & periculum vehemens, quod nequit à malitiâ dividi: Ergo nec entitas peccati est amabilis à Deo, nec prædeterminabilis, & consequenter sicut rectæ rationi dissonat hic actus: *Volo malitiam*, ita nec est intra Sphæram objecti amabilis periculum, & dissonat rationi rectæ hic actus: *Volo periculum inseparabile à malitiâ*.

37. Hoc majorem vim accipit ex eo, quod Deus nequit prædeterminare faciendum, quod factum punit. Unde S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum relatus à D. Thoma q. 3. de malo art. 1. ait: *Deus non est auctor illius, cujus est auctor, & quia aliàs puniret ad impletionem voluntatis suæ: Sed punit actionem physicam odii Dei liberè positam à voluntate; cum prohibeat actionem illam physicam sic existentem, præcipiens homini, ne ponat actionem physicam odii Dei contaminatam malitiâ formali: sed hominem illam, ut sic, non ponere, vel est, eam non ponere in circumstantiis libertatis, vel tam in iis circumstantiis ponere separatam à malitiâ, quod implicat: Ergo Deus prohibet actionem physicam odii Dei liberè exercitam à voluntate.*

38. Præterea: Deus vult hanc veritatem, *si homo elicit odium, ponet cum malitiâ formali: quia vult, quod homo sit plenè liber ad odium,*

odium, & illius carentiam, & simul, quòd habeat notitiam repræsentantem malitiam odii, quæ sunt fundamenta hujus veritatis, *si homo elicit odium, ponet odium cum malitia*: Sed Deus prædeterminans ad actum, vult hanc veritatem, quòd extet odium: Ergo & vult quòd malitia ponatur à voluntate. Patet consequentia, quia qui vult veritatem præmissarum, ex quibus evidentè inferitur aliqua conclusio, vult veritatem conclusionis illatæ; sed ex his duabus præmissis: *Si voluntas ponit odium, ponit malitiam; sed voluntas ponit odium*, evidentè inferitur hæc conclusio: *Voluntas ponit malitiam*: quia arguitur à veritate conditionalis, & positione conditionis ad positionem conditionatæ: Ergo si Deus positivè amat veritatem præmissarum, & debet amor terminari ad malitiam peccati.

39. Hoc argumentum, ubi dictorum à nobis ratio habeatur, difficultate caret. Observandum est, quòd si Deus prædefiniret actum peccati, citra omnem creatæ voluntatis exigentiam, amaret peccati malitiam, & esset specialis auctor ejus; sicut de primis actionibus dixi. Cum verò prædefinitio actus supponat, ut materiale, deordinatam inclinationem voluntatis exigentis hunc concursum, nulla ratione fieri potest, ut malitiam amet; licet necessarium sit, ut amet concursum; aliter se primam omnium entium causam non amaret. Deinde observandum, quòd perperam ab arguente appellatur *periculum* actus physicus peccati, periculum enim præcedit actum, non solam malitiam. Quare abigenda est hæc denominatio, nè omnia confundamus. Ad argumentum ergo respondeo, Deum quidem velle non posse efficaciter, & absolute quòd prohibet; quòd esset velle, ut specialis auctor: posse tamen velle ex suppositione exigentiæ creatæ, quòd est velle generaliter, & ut auctor est naturæ; quo jure fieri non prohibet. Prohibitio, legislatoris est; prædefinitio absoluta, benefactoris: prædefinitio tandem ex suppositione exigentiæ, primæ causæ est. Deus, quia infinitus, hæc omnia simul munera obit, cuius est, & causare, & providere, & privilegiis donare. Creaturæ autem est vitare id, quòd ex suppositione proprii vitii potest Deus velle. Neque hoc est captu difficile; cum gubernator Reipublicæ nequeat velle hominis mortem absolute; quam ex suppositione delicti velle tenetur. Deo igitur necessarius est, attento causarum ordine, iste actus: *Volo actum inseparabilem à malitia Creaturæ; sicut Gubernatori iste: Volo capitis damnationem consequentem culpam.*

40. Ad secundum respondetur, Deum non punire actionem physicam odii ea ratione, qua prædeterminata est, sed ea ratione, qua ponitur à Creatura, quæ non ponit illam, ut est præcisè bona physicè, sub qua ratione prædeterminatur à Deo, sed ponit liberè illam actionem physicam contra legem prohibentem, ut modo diximus de fundamento mali-

tiæ. Non ergo Deus prohibet, nec punit, quòd determinat; Nam in eo, quòd determinat, id amat, quòd jure causæ primæ efficere solus debet, & potest; in eo verò, quòd ponit, id odio habet, quòd vitio suo Creatura deordinatè exegit, & prout exegit, fecit: sicut in physicis, Deus non amat claudicationem, sed gressum claudi: unde si claudicatio esset de genere moris, esset in claudi gressu, quòd Deus amaret, & quòd odio haberet, & puniret. Sic bonitas physica determinatur, sed non prohibetur à Deo: aliàs omnes actus physicè boni prohiberentur à Deo. Malitia ergo moralis est, quæ formalitèr prohibetur; cum præceptum prohibens actum, non tollat bonitatem physicam, actus, nec ipsum extrahat à determinatione physica Dei: unde solum bonitati physicæ adjungitur malitia moralis: quare voluntatem non adimplere præceptum, dicit efficere, & deficere: efficere ex Deo, deficere ex se ipsa: & Deus non prohibet, nec punit, quòd efficiat, sed quòd efficiat deficiendo. Hoc est, quòd punit, & prohibet, at non quòd determinat. Et mirum sanè, D. Thomam loco citato, & in sententiariis dist. 37. adduxisse auctoritatem S. Fulgentii, ut probaret, Deum non esse causam peccati, & illam penitus omisisse in sequentibus articulis, ubi expressè docet, & probat, Deum esse causam entitatis peccati; hac sanè ratione, quia creditur, sophysma fore argumentum ex illa formatum.

41. Ad tertium, quòd sophysma, & non argumentum est (committitur enim fallacia accidentis) concedenda est major: omnem enim veritatem diligit Deus. Sed quis adeò cœcus est, ut non videat, aliud esse, Deum velle veritatem propositionis, & aliud velle existere, enuntiata per veram propositionem? Distinguenda insuper est minor: Vult, quòd existat odium absolute à se prædeterminatum, nego: prædeterminatum ex suppositione humanæ exigentiæ, conc. min., & neg. consequentiam. Quæ ut esset recta, debebat poni odium ex absoluta prædeterminatione Dei. Considera hunc syllogismum, & omnis abibit æquivocatio. *Si voluntas secundum ejus exigentiam à me præmota ponat odium, ponet cum malitia formali, sibi, & non mihi imputabili; sed secundum ejus exigentiam à me præmota, ponit odium: ergo illud ponit cum malitia formali sibi, & non mihi imputabili.* Qui Syllogismus rectè concludit: non autem ille argumenti, in quo accipitur subjectum deformitatis pro deformitate aliunde proveniente.

42. Sed instabis primò: actiones prohibitiæ, quia malæ, quale est odium Dei, malæ sunt independentèr ab omni lege prohibente; quare malæ essent, & si prohibitiæ non essent: Ergo Deus illas prædeterminare nequit. Patet consequentia; nam ideo Deum præmovere, diximus, quia Deus ex nulla lege tenetur abstinere à prædeterminatione talis entitatis, & actionis: Undè entitas illa est purè effectus respectu Dei, & nullo modo defectus: Ergo si inde-

independentèr à lege actio illa est mala, & defectuosa, etiam si nulla sit lex respectu Dei, Deus illam non poterit prædeterminare. Secundò: nequit esse aliquid in aliquo objecto à Deo prædeterminabile, quòd non sit amabile ab ipso: Sed cum objectum est prohibitum, quia moralitèr malum, nihil est in ipso, quòd sit amabile à Deo; cum nihil sit, quòd non sit à Deo prohibitum: tendit enim prohibitio non solum ad malitiam, sed ad ipsam actum: esset enim ridicula hujusmodi tendentia; non sit *ablatio rei alienæ sine malitia*: Sicut inutile esset præceptum, quo præciperetur elicentia actus supernaturalis intrinsicè boni sub conditione positionis rectitudinis. Sicut ergo hoc præceptum tendit ad bonitatem actus, & ad entitatem inseparabilem ab ipsa; & præceptum prohibens actum intrinsicè malum primariò, & directè tendit ad entitatem, & malitiam: talis actus: ergo si entitas talis actus est prohibita, nec est amabilis, nec à Deo prædeterminabilis.

43. Ad primum constat solutio ex dictis: illudque solum ex superioribus est repetendum, quòd ex D. Thoma diximus, quòd in actione intrinsicè mala, datur entitas intrinsicè bona bonitate physica, quæ sufficit, ut terminet causalitatem divinam. Hoc enim habent actiones prohibitiæ, quia malæ, quòd & si malæ sint independentèr à lege actuali, at non sunt malæ formalitèr, sed fundamentalitèr; non sunt malæ formalitèr, quia ubi non est lex, nec prævaricatio, teste Apostolo, quòd de malitia, & prævaricatione formali ad minus debet intelligi. Sunt tamen fundamentalitèr malæ, quia ex intrinsicis prædicatis exigunt prohiberi, ac proinde radicalem, seu fundamentalem malitiam non habent secluso omni respectu, saltem fundamentali, ad legem. Quapropter comparativè ad voluntatem creatam non possunt malitiam, ex omni capite exuere, saltèr fundamentalem, seu illam, quam radicalem appellamus, quia à voluntate creatâ absque omni respectu ad legem elici non possunt, ac proinde nec taliter quòd penitus censeantur exclusæ à linea moris, regulisque moralitatis. Voluntas autem divina est ab omni lege positiva libera; immò ipsi repugnat talis lex; est enim lex ipsa: & cum ex alia parte actiones illæ bonæ sint bonitate physica, & naturali, sunt conformes Divinæ naturali legi, & respectu Dei se habent, ut purè effectus, & nullo modo ut defectus; quare determinari possunt.

44. In secundi solutione animadvertendum discrimen, quòd reperitur in præceptis particularibus negativis prohibentibus actum, & in præceptis negativis universalibus peccatum prohibentibus: quòd in præceptis particularibus negativis prohibentibus actum, vel qui sit de se, & ab intrinsicè indifferens, vel qui sit intrinsicè malus, malitia non est primariò, & directè prohibita: nam objectum primariò, & directè prohibi-

tum debet præsupponi ad ipsam prohibitionem, & malitia non præsupponitur ad legem prohibentem, sed consequitur; licet ex malitia consecuta reddantur actus objectivè mali moralitèr. Quòd cum certissimum sit in rebus malis, quia prohibitis, etiam currit in rebus prohibitis quia malis, teste D. Thoma 1.2. q. 71. art. 6. ad 4. dicente: *Ad quartum dicendum, quòd cum dicitur, quòd non omne peccatum ideo est malum, quia est prohibitum, intelligitur de prohibitione facta per sui positivum. Si autem referatur ad jus naturale, quòd continetur primò quidem in lege aeterna, secundariò verò in naturali judicatorio rationis humanæ, tunc omne peccatum est malum, quia prohibitum: ex hoc enim ipso, quòd est inordinatum, juri naturali repugnat.* Quibus docet, quòd cum omnis actus sit malus moralitèr malitia actu tali, quia prohibetur à lege aeterna, ut participata à nobis medio dictamine rationis naturalis, talis malitia proinde se habet posteriori ad prohibitionem legis aeternæ; & cum sit posterior ad prohibitionem, nequit proponi, ut efficiens actus pro priori ad illam. At loquendo de præceptis negativis universalissimis, quibus prohibetur homini, injustè, & pravè operari, objectum primariò, & directè prohibitum est peccatum, ut hoc nomine significatur: nam licet malitia sit terminus formalis quo prohibitionis, terminus tamen qui completus, & per se inspectus est totum concretum constans ex entitate, & malitia, quo nobis expressè, & signatè intimatur non peccare, malum esse fugiendum. Ex quibus respondetur ad argumentum, disting. min. nequit esse aliquid amabile, quòd est prohibitum, ea ratione qua est prohibitum per legem universalem Conc. min. per legem particularem subdistinguo: secundum id, quòd prohibetur per illam tam signatè, quam exercitè Conc. min. signatè præcisè neg. min. & consequent. Sicut enim in peccato adunantur illa duo, bonitas physica, & malitia moralis, ita & in Deo amor, & odium, causalitas per se, & permissio; efficientia, & prohibitio per ordinem ad diversa in peccato repta.

45. Dices: voluntati creatæ, quòd prohibetur directè, est actio, & non ut fundans: nam quòd fundet sequitur ex eo, quòd sit prohibita, & prohibetur id, quòd præexistit prohibitioni: ergo prohibetur actio physicè sumpta. Præterea: ad minus negari non potest, posse actionem physicè sumptam prohiberi: ergo saltem tunc nequit Deus ad illam prædeterminare. Respondetur, quòd licet non prohibeatur actio, ut fundat malitiam, tamen ex eo ipso, quòd prohibetur, est actio, quatenus fundat: quia id prohibetur, quòd debet non fieri, quòd autem debet non fieri, est actio ab agente, qui tenetur illam omittere, & hæc est actio, ut fundat malitiam. Ad id, quòd superadditur, conceditur antecedens, sed quia prohibetur, inficitur malitia

tiâ in exercitio actus physici. Et instatur argumentum in principis Adversariorum, in quibus concursus Dei est actio ipsa peccati, quæ existit, non ex determinatione Dei, sed ex determinatione creaturæ; & Deus prohibens actionem, prohibet etiam existentiam sui concursus, atque concursum suum identificatum cum malitia: vel ergo Deus prohibens suum concursum, prohibet aliquid bonum, vel aliquid malum. Si hoc secundum concursus Dei erit malus, & inhonestus etiam pro priori ad prohibitionem, cum tamen ante, & post prohibitionem bonus sit: si primum; redit contra ipsos argumentum, & quod ipsi dixerint, nobis sufficit.

46. Objicies quartò: si Deus prædeterminaret materiale peccati, non intenderet serió observantiam suorum præceptorum, quam serió præcipit; sed hoc est apertè falsum: ergo & quòd prædeterminet ad materiale peccati. Probat maj. qui liberè ponit impedimentum infallibiliter excludens consecutionem finis, non serió illum intendit. Sic non intenderet serió vitam æternam, qui poneret impedimentum infallibiliter excludens ipsam; aut si quis diceret, volo peccare, etiam si sciam, vitam æternam per peccatum impediri: sed prædeterminatio ad materiale peccati est impedimentum infallibiliter excludens observantiam, cum actus amoris sit impossibilis cum prædeterminatione ad actum odii Dei: ergo non intenderet Deus serió observantiam præceptorum prædeterminans ad materiale peccati. Quòd rursus explicatur: de ratione procurandi serió consecutionem finis est, ut pensatis omnibus, promoveatur finis consecutio, sed inspectis omnibus, quæ Deus liberè præstat, nempe conferre homini libertatem ad ponendum, & non ponendum actum, prohibere positionem odii, & prædeterminare ad materiale odii, longè sunt efficaciora, quæ removeant amorem, quàm quæ illum præmovent: ergo Deus prædeterminans ad materiale peccati, non intendit serió positionem amoris.

47. Respondetur distinguendo min. si sit causa particularis, Conc. min. si sit causa universalis, neg. min. quia ad provisoriam universalem pertinet, quòd aliqua non assequantur finem, ad quem illa sincerè, ac serió ordinavit, ne sequantur majora inconvenientia, & ut ea, quæ à fine possunt juxta suam naturam deficere, aliquando deficient. Undè etsi omnes ordinaverit Deus ad benè operandum, ut tamen splendeat pulchritudo scientiæ, & suavitas divinæ Providentiæ circa naturam ex se defectibilem, oportuit velle permissionem malorum, ut aliqua non attingerent finem rectæ operationis. Et claritatis gratia primi Syllogismi distinguatur major. Non intenderet serió, idest efficaciter observantiam suorum præceptorum Conc. maj. non intenderet serió voluntate antecedenti, & inefficaci, neg. maj. & concessa min. juxta

distinctionem, negatur consequentia; nam illa voluntas antecedens, & inefficax seria est.

48. Et argumentum multipliciter instatur. Primò: quia Deus volens, & eligens circumstantias, in quibus homo peccabit, illum juxta Adversarios moraliter determinat ad peccatum, cum quo non fiat procuratio seria evitacionis peccati. Et si dicas: Deus ponit illas circumstantias, non obligatus ad non ponendum illas, etsi videat, futurum esse peccatum; undè permissivè se habet ad illud, & serió procurat evitacionem peccati. Contra: ergo Deus ponens sine obligatione non ponendi entitatem, quæ impedit observacionem præcepti (non prout est à Deo, sed quatenus est à creatura) serió intendit observacionem præcepti, & vitacionem peccati. Probo consequentiam: nam Deus ponens hominem sine obligatione non ponendi in circumstantiis, in quibus homo peccabit, ideo non determinat ad peccatum, & serió procurat vitacionem peccati, quia ponit sine obligatione non ponendi circumstantias, & insuper quia ex circumstantiis non sequitur per se peccatum, sed ex malitia voluntatis: sed Deus non est obligatus ad non ponendum entitatem peccati; immò, ut naturalis Author debet prædeterminationem non negare: & ex illa, prout à Deo, non sequitur per se peccatum: ergo non determinat ad peccatum, & procurat serió vitacionem peccati.

49. Instatur secundò in sententia Adversariorum: qui supposita una parte complexi, illi conjungit alteram ejusdem complexi partem, censetur apud contrarios ponere totum complexum: sed Deus supposita præscientia de peccato futuro sub aliqua conditione, ponit talem conditionem: ergo censetur ponere complexum ex præscientia, & ex illa. At complexum hoc malitiam infert infallibiliter: ergo Deus determinat ad malitiam peccati; & tamen serió intendit illam vitare: ergo ex eo, quòd Deus determinet ad entitatem peccati, ex qua determinatione per accidens sequitur peccatum, non sequitur, quòd non intendat serió vitacionem peccati. Si dicas: qui supposita una parte complexi, ponit aliam physicè, vel moraliter, censetur ponere complexum: Deus autem nec physicè, nec moraliter ponit alteram partem complexi: non physicè, quia non ponit illam per actionem, quæ de se est determinatio, ut totum complexum existat collectivè: non etiam moraliter, quia non tenetur Deus se avertere per præscientiam illius veritatis à positione illius conditionis, ac proindè in ordine ad imputationem peccati non se gerit, ac si positivè determinaret ad malitiam ponendo physicè illud complexum. Contra tamen obstat: illud complexum eo modo, quo existit hic, & nunc, infert infallibiliter peccatum: sed supposita præscientia, illud comple-

plexum existit sive physicè, sive moraliter ex vi positionis conditionis: ergo Deus illum conditionem ponens determinat ad peccatum. Contra secundò: quidquid sit de positione complexi, tamen negari non potest, quòd, qui, posita una parte complexi inaufertibili, ponit aliam, facit, juxta contrariorum principia, quòd existat complexum: ergo Deus ponens conditionem, supposita præscientia, facit, quòd existat complexum: at illud determinat ad peccatum: ergo. Contra tertio: nam saltem facit conjunctionem unius partis cum alia; sed hæc conjunctio infert peccatum: ergo. Quartò: positus duabus partibus complexi, datur in re determinatio absoluta ad peccatum, quia datur aliquid inconjunctibile cum carentia peccati; & hoc ex sola voluntate Dei: ergo potest esse à Deo determinatio, ex qua inferatur infallibiliter malitia peccati. Quintò: ideo Deus faciens aliquid, ex quo sequitur infallibiliter peccatum, non determinat moraliter ad illud, quia non tenetur vitare illud: ergo Deus ponens entitatem, ex qua infallibiliter sequitur malitia, non determinabit ad peccatum, nec ei malitia imputabitur, quia non tenetur vitare malitiam peccati.

50. Dices tamen: Deus in nostra sententia decernit entitatem peccati non præciscens, sed sciens, quòd prædeterminatio infert malitiam odii, sive odium: sed in sententia contraria pro signo, quo Deus decernit auxilium sufficiens ex intentione vitacionis odii præciscit à scientia de odio sub eo auxilio, si detur: undè in hac sententia potest Deus serió intendere vitacionem odii, non verò in nostra.

51. Contra tamen primò: nam qui potest scire, & explorare; utrum auxilium conjungendum sit cum odio, & non explorat, perindè se habet ad imputabilitatem, ac si exploraret: sed pro signo, in quo Deus decernit auxilium sufficiens, explorare potuit, utrum auxilium conjungendum esset cum odio: ergo perindè se habet ad imputabilitatem, ac si exploraret. Patet min. quia Deus, cui nota erat auxilii natura, sciebat pro signo decreti, auxilium fore conjungendum cum odio, aut cum odii carentia, & quòd determinatio ad alteram partem ipsi occultari non poterat, si expectaret voluntatis determinationem: ergo potuit suspendere decretum usque ad signum sequens, in quo eventum agnosceret, ac subindè explorare potuit, utrum auxilium conjungendum esset cum odio. Contra secundò: non solum est contra seriam intentionem vitandi peccatum, disponere res, ut peccatum non vitetur, sed etiam non disponere res, ut vitetur, cum possit sic illas disponere, ut vitetur: sed decretum dandi auxilium ex intentione vitandi peccatum ante præscientiam de eo, quòd auxilium sit conjungendum cum odio, si detur, infert, Deum non disponere, cum possit,

res ita, ut vitetur; sicut decretum dandi auxilium ex prædicta intentione post scientiam de conjunctione auxilii cum odio infert, Deum disponere res ita, ut non vitetur: ergo sicut hoc non obest serię intentioni vitandi peccatum, ita nec illud debet obviare.

52. Ad confirmationem, seu explicacionem argumenti disting. maj. de ratione procurandi serió finem respectu agentis particularis conc. maj. respectu agentis universalis neg. maj. & instatur in reprobis, quibus Deus serió vult gloriam; & tamen, consideratis omnibus, mediis, quæ illam removeant, sunt efficaciora mediis, quæ illam promovent: nam illam promovent auxilia sufficiens; illam verò removeant decretum negandi statum, vel circumstantias, in quibus auxilia hæc præsciuntur conjungenda cum salutari consensu excludente peccatum.

53. Objicies quintò ex P. Marin loco citato n. 5. malitia formalis, si in privativo consistit, consistit in eo, quòd actus non contrahatur per differentiam amoris; sed si Deus prædeterminaret ad materiale odii, Deo tribueretur, quòd actus non contraheretur per differentiam amoris: ergo Deo tribueretur malitia. Prob. min. cui tribuitur, quòd actus contrahatur per differentiam essentialiter incomponibilem cum differentia amoris, tribuitur, quòd actus non contrahatur per differentiam amoris: sed si Deus prædeterminaret ad materiale odii, Deo tribueretur, quòd actus contraheretur per differentiam amoris: ergo. Min videtur vera, quia Deo tribuitur, quòd actus contrahatur per differentiam odii secundum positivum, quod dicit hæc differentia; sed differentia odii secundum positivum, quod dicit, est essentialiter incomponibilis cum differentia amoris: quia amor, & odium ejusdem objecti, non solum moraliter, sed etiam physicè opponuntur; & præcipue opponuntur, quia nempe nequit idem actus, adhuc physicus, esse amor, & odium ejusdem objecti: Ergo.

54. Respondetur distinguendo maj. cui tribuitur, quòd actus contrahatur per differentiam essentialiter incomponibilem cum differentia amoris, ea ratione, qua talis differentia pugnat essentialiter, & est impedimentum amoris conc. maj., qua non est incomponibilis cum differentia amoris, neg. maj. & distincta eodem modo min. nego consequentiam. Verum quippe est, quòd in omnibus essentialiter oppositis, cui debetur, quòd actus contrahatur per differentiam; qua formaliter est incomponibilis cum alia, tribuitur, quòd actus non contrahatur per istam: sic videre est in animali, quod cum contrahatur per rationale, tribuitur ei, quòd non contrahatur per irrationale: & cui debetur, quòd actus sit formaliter dissensus, tribuitur, quòd non contrahatur per differentiam assensus.


fus. At Deus prædeterminans ad materiale peccati causat talem differentiam, quatenus entitas, & actualitas est; qua ratione non est proximè, & immediatè incomponibilis cum differentia amoris: hæc enim entitas, prout à Deo, nec habet, quòd jungatur cum malitia, nec habet, quòd jungatur cum carentia malitiæ: non cum malitiâ, quia hæc provenit à deordinatâ voluntate; non cum carentia malitiæ, propter connexionem logicam inter illum conceptum entitatis, & malitiæ; quia nimirum entitas illa non componitur cum entitate necessaria ad carentiam malitiæ. Solùm ergo differentia illa specifica odii est proximè incomponibilis cum rectitudine charitatis, quâ deformitatem dicit, vel dum intelligitur esse defectivè à voluntate, quia efficitur cum defectu attentionis, & subjectionis ad regulam rationis, & legis divinæ. Quòd ergo Deus sit causa hujus, quod est rationem communem actus humani contrahi per differentiam specificam odii, quatenus entitas, & actualitas est, non est causa differentie odii ea ratione, qua est incomponibilis cum differentia amoris.

55. Sextò arguitur ex P. Vincentio Ramirez: repugnat Deum velle, & prædeterminare materiale peccati, quin velit malum moraliter, & inseparabiliter tale; sed repugnat Deum velle malum moraliter inseparabiliter tale: ergo & quòd velit, & prædeterminet materiale peccati. Probatur min. velle malum moraliter inseparabiliter tale, est velle malè moraliter; sed Deus prædeterminans ad materiale peccati, nequit velle malè moraliter: ergo ipsi repugnat velle malum moraliter inseparabiliter tale. Probatur maj. velle malè moraliter, est velle id, quod cognoscitur non posse existere, quin dissonet rationi: sed velle malum moraliter inseparabiliter tale, est velle, quod non potest existere, quin dissonet, & repugnet rationi, & legi: ergo. Secundò: Deum velle materiale peccati, est velle illud, prout possibile, & prout excludens suum contradictorium: sed Deum velle materiale peccati, est velle materiale peccati, prout connexum cum malitia morali: ergo Deus in tali casu prædeterminationis ad materiale peccati, vellet illud, prout connexum cum malitia; sed prout connexum cum malitia est impotens metaphysicè non conjungi cum malitia morali: ergo Deus illud vellet, prout impotens non conjungi cum malitia morali: sed impotentia ad non conjunctionem cum malitia morali est necessitas, & determinatio ad conjunctionem cum illa: ergo Deus non prædeterminaret ad materiale peccati specificativè, sed quâ reduplicativè est connexum cum malitia morali.

56. Ad primum respondetur, distinguendo maj. velle malè moraliter, est velle id, quod cognoscitur, non posse existere absque dissonantia ad legem, & rationem, ponenda ab ipso, conc. maj. ponenda ab alio subdift.

ponenda ab alio ex absolutâ determinatione sic volentis, conc. ex suppositione, nego maj. & distincta eodem modo min. negatur consequentia. Ut enim toties diximus hic distingui debet, quod est à voluntate tanquam ab efficiente, & quod est ab ipsa tanquam à deficiente. Materiale, quod cognoscitur, non posse existere absque dissonantia ad legem, & rationem ponenda à voluntate, involvit defectum voluntatis, quem Deus non vult, & ad quem non prædeterminat, sed solùm ad actionem peccati secundum id, quod dicit actualitatis, & non defectus, & imperfectionis. Hinc fit, quòd cum entitas physica peccati non connectatur inseparabiliter cum malitia, nisi quatenus egreditur à voluntate cum defectu subjectionis ad regulam rationis, cum sub isto conceptu non terminet causalitatem Dei, Deus volens actionem, quæ connectitur cum malitia, non vult malè moraliter; cum volens entitatem, defectum non velit, nec sit causa ipsius. Eset quidem causa, si primò, & absolutè, seu nullâ exigente naturâ, ita vellet actum à creaturâ poni; cum verò ponit juxta creaturæ exigentiam id, quod ab illâ sine dissonantiâ poni non potest, non vult malè moraliter, sed vult sanctissimè causæ primæ munus exple. Ad secundum respondetur, distinguendo maj. Deus volens materiale peccati vult illud, prout possibile à voluntate creata, quatenus potentia activa est, Conc. maj. quatenus potentia activa, & defectiva neg. maj. Et similiter ad aliam probationem, quòd Deus vult entitatem, prout excludentem suum contradictorium, distingui debet, & contradictorium entitatis, quæ formaliter est à Deo volita, & contradictorium malitiæ moralis. Entitas, quâ formaliter volita à Deo, respicit pro contradictorio carentiam actualitatis, & perfectionis repertæ in actu peccaminoso. Contradictorium malitiæ est ipsa carentia malitiæ, vel rectitudo, quæ excluditur ex vi conceptus expliciti deformitatis, qui non componitur cum sui ipsius carentia. Quare Deus volens existentiam entitatis, vult ipsam prout excludentem suum contradictorium: at non conjunctionem cum malitia morali; nec ex vi talis volitionis datur in Deo necessitas, & determinatio ad conjunctionem entitatis cum malitia. Debet enim maximè distingui id, quod dicit in recto connexio ab eo, quod dicit de connotato: quoad rectum solùm dicit actualitatem, & entitatem physicam actionis, quoad obliquum includit malitiam. Et Deus rectè potest velle, quod importatur in recto, quin velit, quod importatur in obliquo. Et hæc de præfenti disputatione, in cujus gravissima explicanda difficultate si plus justo immorati sumus, levioris culpæ existimavimus, tam multa fusè dixisse, quàm ipsam inexplicatam relinquere.

DI-



DISPUTATIO VI.

De Concordia libertatis cum gratia
ab intrinseco efficaci.

ERDUXIT nos ordo doctrinæ ad maximam illam difficultatem veneratione dignissimam, quam non solùm maximam, sed insuperabilem pronuntiavit Augustinus lib. 1. de gratia Christi cap. 47. dicens: *Ista questio, ubi de arbitrii libertate, & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Quæ quidem verba, cum in sensu assertivo malitiosè intelligeret Julianus hæreticus, sic S. Doctor eum alloquitur lib. 4. contra Julianum cap. 8. *Asseris, me dixisse, negari liberum arbitrium, si gratia commendetur, & iterum negari gratiam, si liberum commendetur arbitrium. Calumniaris. Non hoc à me dictum est; sed propter ipsius questionis difficultatem, videri hoc potest dictum esse, & putari.* Hanc eandem calumniam ipsi de libertatis eversione objectam à Mafsilienfibus testatur D. Prosper Epist. ad Rufinum ibi: *Scripta Augustini, quibus error Pelagianorum impugnat, infamant, dicentes, eum liberum arbitrium penitus dimovere.* Et rursus ibi: *nimum in expertè, nimum inconsideratè ab Adversariis dicitur, quòd per hanc Dei gratiam libero nihil relinquatur arbitrio.* Hoc & affirmat Divus Thomas in Proemio ad 1. opusc. dicens: *quod autem aliqua in dictis Græcorum antiquorum Sanctorum inveniantur, quæ modernis esse dubia videntur, ex duobus asumo provenire. Primò quidem, quia errores circa fidem exorti occasione dederunt Sanctis Ecclesie Doctoribus, ut ea, quæ sunt fidei majori circumspectione traderent ad eliminandos exortos errores; sicut patet, quòd Sancti Doctores, qui fuerunt ante errorem Arii, non ita expressè loquuti sunt de unitate divinæ essentia, sicut Doctores sequentes: & simile de aliis contingit erroribus, quòd non solùm in diversis Doctoribus, sed in uno Doctorum egregio Augustino expressè apparet. Nam in suis libris, quos post exortam Pelagia-*

norum hæresim edidit, cautius loquutus est de potestate liberi arbitrii, quàm in libris, quos edidit ante prædictæ hæresis ortum, in quibus libertatem arbitrii contra Manichæos defendens, aliqua protulit, quæ in sui defensionem erroris assumpserunt Pelagiani, divina gratia adversantes. Et ideo non est mirum, si moderni fidei Doctores post varios errores exortos, cautius, & quasi elimatius loquantur circa doctrinam fidei ad omnem hæresim evitandam.

Verendum sanè omnibus, qui Divina tractamus, ne disputare aggredientes, aliquid de nobis ipsis præsumentes, mens ipsa suscepti negotii mole oppressa, repentè destituat. Hoc enim est illud sublime mysterium, ita à mortalium cogitationibus elevatum, ut quò humana mens aliquid curiosius investigare nititur, eò tantæ ipsius majestatis deterrita magnitudine turpius hallucinetur. At robur, viresque evocat ipsa gratiæ efficacia, & necessitas. Dicam, non de meo quidquam, nec à me, sed quod nobis Deus clara, & jucundissima Augustini luce de hoc indeficientissimo sapientiæ, & potestatis suæ thesauro patefecit; tantus enim fuit Augustinus, ut non dubitaverit Volutianus dicere in hujus S. Doctoris laudem: *Credendum est legi Dei deesse quidquid Augustinum contigerit ignorare.* Et S. Isidorus 4. Ethimol: *quòd Magistrorum omnium studia Augustinus ingenio, & scientia vicit.* Hoc ergo Duce disputationem istam aggredior. In hoc scientiæ speculo contemplans, pro præfenti disputationis resolutione, quidquid ad gratiæ Dei reflectitur Sacramentum, ex ipso exponere in publicum, ac legentibus erogare concupisco, tum rationes conducentes ad ipsius credibilitatem adducendo, tum argumenta, seu fuerint sophismata, adversariorum solvendo; ut, & hujus concordie existentia, majori, qua licet, auctoritate statuat. & ne infirmis sint argumenta opposita occasio scandali, aut recessus à doctrina illius mirabili; cujus lumine mens erudita, difficulta penetrat, obscura pervadit, ardua transcendit, & intricata clarissimè evoluit.

T t 2

DU-

DUBIUM I.

An, & qualis sit potestas, seu dominium arbitrii super suos actus?

1. **C**um dominium actus, & libertas in operando fere sint idem; nec voluntatis libertas dignosci potest, dominio actus ignoto; nec dominium actus quale, & quantum sit, cognosci valet, quin libertas agentis fiat manifesta; priusquam ad concordiam libertatis creata cum efficacia concursus divini physice prædeterminantis accedamus, quæstionem istam præmittere operæ pretium duximus. Tota enim difficultas consistit in consonantia potestatis, & dominii creati cum potestate, & dominio divino. Quare examinandum duximus, primò quænam sit, vel in quo consistat Gratia sufficiens dans posse operari in ordine supernaturali? Secundò, an sit in Deo voluntas antecedens ex quâ omnibus profluant auxilia sufficientia? Tertio, in quo consistat percelebris illa distinctio sensus compositi, & divisi, & qualis sit potestas antecedens, & in sensu divisio?

S. I.

In quo consistat Gratia sufficiens ab efficaci distincta, & qualis sit propria hujus nominis notio?

2. **P**ro ea igitur explicanda quæstione, illud statim ponendum est, Gratiam theologicam adjuvantem dividi in sufficientem, & efficacem: illa constituit potestatem completam, & expeditam, perfectam, & absolutam ad eliciendos actus supernaturales, ac salutare; ista actus supernaturales donat, & causat: præstat illa, ut possimus completè, & expeditè, absolutè, & integrè velle, & agere, & perseverare; hæc, ut velimus, & agamus, & perseverantes simus. Quam Gratiæ divisionem tradidit S. Augustinus lib. de corrept. & Grat. cap. 12. *Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adiutorium perseverantia, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in Regnum Dei prædestinatis non tantum tale adiutorium perseverantia datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur, non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint: verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.*

3. Hæc Gratia Dei sufficiens distincta, ac separabilis est à Gratia efficaci, ut communis tenet Theologorum sententia contra Bajum,

& Janfenium, ut demonstrant M. Gonet 1. p. q. 19. disp. 4. de volunt. art. 5. à num. 133. Doctissimi PP. Salmanticenses 10. 3. in 1. 2. tract. 14. disp. 6. dub. 1. P. Ripalda de ente supernaturali tom. 1. disp. 23. sect. 1. Immo Gratiam istam sufficientem sic credimus ab efficaci distinctam, ut idem auxilium, & si sub diversa formalitate, non possit esse efficax, & sufficiens. Et præcipuè quia gratia sufficiens sibi identificans efficacem essentialiter cum illa connectitur, & cum aliâ hæc essentialiter cum actu secundo connectatur, de primo ad ultimum actus primus essentialiter esset connexus cum actu secundo; proindeque essentialiter redderetur impossibilis ommissio actus, quod est penitus destruere libertatem, de cuius essentiali conceptu est possibilitas omissionis. Ita sentio, quamvis me non lateat probabilitas sensus aliorum aliter rem explicantium; quatenus putant identitatem materiam nihil officere formali potentia indifferentis constitutioni. Rursus ad libertatem, exigitur, quòd re ipsa sit possibile utrumque libertatis extremum; nec sufficit, quòd aliquod ex aliquo capite non repugnet, sed exigitur, quòd re ipsa ex nullo prædicato repugnet; debet namque sic elicere actum, ut possit non elicere, vera utique potentia, non autem chymærica, aut fictitia. Et sanè potestas hæc fictitia, & chymærica esset, dum ex aliquo prædicato potentia identificato cum ipsa esset talis repugnantia: Sicut leo chymæricè diceretur homo, quia licet esse hominem non repugnet ex conceptu animalis, repugnat tamen ex conceptu rationalis summè cum animali identificato: ergo ad libertatem, quæ vera potestas est, non sufficit, quòd possibilitas utriusque extremi non concipiatur ut repugnans ex omni prædicato actus primi; sed requiritur, quòd ex aliquo prædicato identificato cum actu primo non sit repugnans: hoc enim prædicatum cum actu secundo essentialiter connexum, & identificatum cum actu primo, reddit essentialiter impossibile re ipsa aliquod extremum libertatis, nempe omissionem actus.

4. Separabile ergo est auxilium sufficiens ab efficaci: illud dat vires, & sufficientiam voluntati, ut salutariter operetur, non tamen consensum salutarem efficit; nec Deus per ipsum donat nobis consensum salutarem: quare nec in Juda operata est Gratia sufficiens poenitentiam, nec in Adamo in statu innocentia perseverantiam. At licet sit inefficax respectu consensus salutaris, ipsa tamen non remanet absque effectu, cum non excitet volun-

luntatem, quin voluntas excitata maneat, ut communiter docent nostri Thomistæ, qui auxilium hoc, quod sufficiens est comparatione unius actus, semper affirmant efficax in ordine ad alium actum, ad quem efficiendum per absolutum divinæ providentiæ decretum ordinatur. Id asserunt M. Lemos lib. 4. p. 2. tract. 3. cap. 7. Alvarez de auxiliis disp. 80. n. 2. Nazarius 1. p. q. 23. art. 3. conclus. 2. Medina 1. 2. q. 100. Sylvius 1. 2. art. 3. non enim redit ad Deum vacuum: vel ut inquit M. Joannes à S. Thoma 1. 2. q. 111. art. 1. dub. 24. *Si collatio auxilii sufficientis nullum relinqueret effectum, non esset collatio auxilii, sed suspensio agendi, vel ut illud explicat M. Gonzalez contrav. 5. art. 7. Auxilium sufficiens est idem, quòd Gratia excitans . . . impossibile est, quòd Deus excitet, & moveat animam active per gratiam excitantem, & quòd ipsa formaliter in se ipsa non moveatur: Ergo per aliquem vitalem actum à se ipsa elicitum movetur, seu excitatur; anima enim nunquam movetur, vel excitatur actualiter, nisi eliciendo aliquem actum.* Ulterius, quia si supernaturalis vocatio nihil penitus efficeret, se haberet sicut habitus, qui in voluntate permanenter existens nihil efficit: sed auxilium sufficiens est auxilium actuale fluens sicut operatio: Ergo semper habet conjunctam operationem, cum qua transit.

5. Illud etiam secundò ponendum est, quòd virtus, & sufficientia causæ eodem modo est dividenda, eisdemque divisionibus, quibus causæ, & agentia dividuntur. Cujus ratio est, quia causa constituitur in actu primo, sive potens proximè causare, sicut & agens proximè potens agere, per virtutem, & sufficientiam ad agendum, & causandum: Ex quo fit, quòd sicut alia est causa prima, & infinita, sive agens primum, & omnibus modis infinitum; ita quoque aliud est agens secundum, & limitatum, cuius virtus est finita, & limitata. Illudque inter utramque sufficientiam videtur interesse discrimen, quòd virtus, & sufficientia infinita nullo egere potest, quod in sua non sit positum voluntatis facultate: è contra verò virtus, & sufficientia finita pluribus eget, quæ præter non sunt sibi pro nutu voluntatis. Discrimen hoc, quod ex ipsis terminorum apprehensionibus patentissimum esse videtur, demonstratur ex effectibus formalibus, quos prædicte virtutes, & sufficientia suis præstant propriis, & connaturalibus subjectis. Virtus namque infinita ex sua propria ratione formali constituit, & constituere habet proprium, & connaturale subjectum potens causare, ac producere quidquid non implicat contradictionem; sive quod ex terminis produci non repugnat: quare non potest aliquo egere ad productionem non implicantis, quod in sua non sit positum potestate. Illud enim requisitum non potest esse impossibile: nam ad productionem alicujus possibilis nullum requiritur impossibile: ergo cum hoc possibile sit, virtus illa, & sufficientia infini-

ta, quæ subjectum suum constituit potens omne possibile, etiam in manu, & potestate proprii subjecti ponit id, quod requiritur ad productionem cujuscumque possibilis. Id ipsum eodem discursu ostenditur respectu virtutis, & sufficientiæ finitæ. Debet enim ut certissimum præsupponi, quòd in causis secundis datur vera sufficientia, finita tamen, & limitata cum indigentia, & carentia alicujus prærequisiti necessariò ad operationem. Sic calor in igne, est virtus verè sufficiens ad calefaciendum, cum sit virtus, quæ per omnia assimilat effectum suo principio, nimirum ignem genitum igni generanti: & quidquid sit de calore ad productionem formæ substantialis ignis, calorem esse virtutem sufficientem ad producendum alium calorem sibi per omnia similem, constantissimum est apud Philosophos, quia calor productus est ejusdem speciei, & ejusdem, vel forte minoris intensiois, & perfectionis; sed ad effectum non excedentem virtutem causæ, dummodo effectus sit intra sphaeram, & activitatem causæ, est in causa vera sufficientia, & talis effectus vera contentia: Ergo dubitabile non est apud Philosophos, quòd calor ut sex sit virtus verè sufficiens ad producendum calorem ut quatuor, & tamen ad illum producendum eget concursu Dei, quem pro suo nutu non habet causam secundam, licet sit vera causa, sed pro ordinatione voluntatis divinæ: ergo stat vera virtus, veraque sufficientia subjectum constituens proximè, & expeditè, integrè, & formaliter potens ad propriam operationem eliciendam cum indigentia alterius requisiti.

6. Hoc quod certissimè est in causis secundis necessariis, probat etiam in causis liberis. Etenim sufficientia creata, quantumvis completa, & perfecta agentis liberi subordinari Deo debet in operando. Quid enim magis repugnans, quam quòd agens creatum non sit Deo in agendo subordinatum, & quòd contra voluntatem efficacem Dei, à quo est collata omnis sufficientia, velle, & operari aliquid possit? Vel quòd Deus ab operando cohibere, non possit voluntatem, nisi per hoc quòd auferat sufficientiam? Quæ si minimè auferatur, creatura facere poterit contra id, quod Deus efficaciter decreverit; de quo aliàs egimus: ergo cum ratione concursus Dei in ipso agendi exercitio subordinetur Deo agentis creati liberi sufficientia; vel neganda est hæc subordinatio, & dependentia à Deo, & consequenter ratio primæ causæ; vel existentia concursus extrahenda est à potestate agentis creati. Secundò: quia in hoc differt sufficientia constitutiva primi, & infiniti agentis, à sufficientia finiti & secundi agentis liberi constitutiva, quòd virtus illius ad omnia possibilia potens, nullo potest egere; omnia namque sunt possibilia primo, & infinito agenti ex natura ipsa virtutis, ac sufficientiæ, qua constituitur Omnipotens: agentis verò liberi creati, vel secundi sufficientia pluribus ad operandum eget, quæ in

in sui potestate nec habet, nec habere potest ex se ipso.

7. Ex quibus inferes falsitatem illius asserti: impossibile est me habere in mea potestate effectum, nisi habeam actum, vel in mea potestate quiddam est necessarium, ut effectus fiat. Falsitas enim pluribus ostenditur exemplis. Et primò, quia sicut non potest esse actus sine auxilio, ita nec sine voluntate Dei; sed juxta ipsos stat potestas, & sufficientia ad actum, quin in manu voluntatis creatæ sit existentia voluntatis Divinæ: cur ergo poterit esse sufficientia completa, & proxima ad actum sine potestate, ut existat quiddam est necessarium, ut effectus fiat. Secundò, in decreto efficaci consensus nostri liberi, quod licet ut existat, sit à scientia media independens, est tamen ab illa dependens in operando, quippe licet talis scientia non sit necessaria, ut Deus concipiat illud decretum, exigitur tamen, ut Deus cognoscat, quæ auxilia sunt efficacia, quæ inefficacia. Cujus decreti possibilitatem propugnant Recentiores Societatis, ut videre est apud P. Avendaño disp. 22. cap. 1. & P. Ribadeneira de prædest. disp. 22. cap. 3. n. 23. Quo decreto supposito falsitas illius principii manifestè convincitur. Carentia decreti efficacis consensus requiritur, ut non existat consensus, ut enim detur ejus omisio, necessariò deficere debet suppositio essentialiter connexa cum consensu; & tamen hoc decreto efficaci consensus supposito, datur in voluntate posse proximum ad carentiam consensus, aliàs non esset libera, quin sit in ejus potestate carentia illius decreti; cum non possit impedire decretum, vel libertatem divinam, quæ in suis decretis à nulla libertate creata dependet: Ergo stat vera sufficientia creata, quin voluntas possit sibi comparare omnia requisita ad existentiam actus. Tertio idem ostenditur in prædefinitione efficaci consensus liberi, quam communiter defendunt Auctores Societatis. Hæc enim prædefinitio efficax intentiva consensus, non solum est connexa cum consensu, sed ex ipsa est, quod auxilium A. ita sit connexum cum existentia consensus: quare essentialiter præcedit in Deo scientia consensus sub tali auxilio; implicat enim contradictionem, quod intendat efficaciter consensum sub tali auxilio, nisi sciat, consensum extitum esse sub illo; & tamen datur sufficientia completè, & absolutè expedita ad consensum, aliàs liberè non dissentiret, quin acquirere possit prædefinitionem efficacem consensus, cum sit exercitium immediatè Deo liberum: Ergo stat vera sufficientia actus, licet voluntas non habeat in sua potestate quiddam ad ejus existentiam requiritur. Et tandem hoc ipsum videre est in scientia media consensus sub auxilio; hæc enim requiritur in Deo, ut voluntas consentiat sub auxilio, cum non possit dari consensus sub tali auxilio, quin prius sit à Deo cognoscibilis; & tamen hæc scientia est inimpedibilis à voluntate, ut af-

firmant plurimi Auctores Societatis: Ergo & poterit dari vera sufficientia proxima, & expedita potestas ad actum, licet auxilium efficax non sit in potestate voluntatis.

8. Aequissimo ergo jure auxilium constituens voluntatem proximè, integrè, absolutè, & completè potentem in ordine supernaturali operari, sufficiens dicitur, cum nihil potentia in sui ordine deficiat, ut semel instructa auxiliis sufficientibus possit agere. Hoc est quod D. Thomas nomine sufficientis intelligit 2. 2. q. 188. art. 8. dum dixit, quod sufficiens est, cui nihil deest. Et q. 3. de potent. art. 2. ubi sibi primò objicit: natura nec deficit in necessariis, nec abundat in superfluis: sed ad actionem naturalem sufficit virtus activa ex parte agentis, & passiva ex parte recipientis: ergo non requiritur virtus divina in rebus operans. Ac si diceret virtus sufficiens, & completa non potest egere ad productionem sui effectus operatione, sive concurrat Dei; sed virtus causæ secundæ est sufficiens, & completa ad productionem sui effectus, & ad propriam operationem eliciendam: ergo non eget ad illam concursu divinæ virtutis. Cui argumento sic respondet: ad primum dicendum, quod virtus activa, & passiva rei naturalis sufficiunt ad agendum in ordine suo, requiritur tamen virtus divina ratione jam dicta. Ubi nec minorem negat sui argumenti, nec majorem nostri, sed diligenter aserit, virtutem causæ secundæ esse quidem sufficientem, at non in omni linea, sed in linea causæ secundæ, quæ non excludit indigentiam alterius, seu concursus divini. Hoc eodem titulo dicitur homo voluntate sufficiens ad amandum, quamvis indigeat cognitione, cum nihil sit volitum, quin præcognitum. Sic & lapis gravitate sufficiens constituitur ad descensum, quamvis indigeat motione, & impulsu. Et 3. p. q. 61. art. 1. passionem Christi sufficientem causam nostræ salutis affirmat D. Thomas, quamvis & necessaria sint Sacramenta, dicens: Passio Christi est sufficiens causa salutis humanæ, nec propter hoc sequitur, quod Sacramenta non sint necessaria ad humanam salutem; quia passio Christi quodammodo applicatur hominibus per Sacramenta. Ergo & sufficiens erit illud auxilium, cui nihil deest, ut re ipsa possit, & in ratione principii proximi completi, integri, & absoluti constituatur voluntas in ordine supernaturali, quamvis requiratur aliud auxilium, ut posse illud internum applicetur ad actum.

9. Contra quod non obstat grammaticalis significatio hujus termini causa sufficiens, cui maxime fidunt Adversarii, & quæ nominat potestatem plenam, perfectam, & proximam, ut actu operetur, quin ad actualiter operari, juxta ipsos indigeat ulteriori gratia Dei adjuvante. Non inquam obstat, cum gratia sufficiens non accipiatur, ut nomen grammaticaliter sonat, sed dicatur theologice, ut notant nostri Thomistæ. M. Lemos lib. 4. p. 2. tract. 3. cap. 2. Aliqui ex Discipulis S. Thomæ in ista materia

satis

fatis periti arbitrantur, minus congruè auxilium illud, quod dividitur contra efficacem, vocari sufficientem. . . . Cum potissimè S. Thomas auxilium sufficientem accipiat pro efficaci. . . . At postquam tot antiquiores Scholastici, inter quos sunt Cajetanus, Ferrariensis, & complures alii, illa voce, auxilium sufficiens, utuntur, videtur loquendum esse cum pluribus, & ita illam vocem explicandam, fundandam, & defendendam, ut congruè rem significatam importat: potest enim hoc sine violentia fieri. . . . Nec enim in hac parte attendendum est ad puram grammaticalem vocabuli significationem, sed ad Theologorum, & Catholicorum usum: purus enim Grammaticus illud dicit sufficientem, ultra quod aliud non requiritur. Et M. Zumel tom. 3. disp. 15. sect. 1. concl. 4. Quod auxilium sanè non dicitur sufficiens, ut nomen grammaticaliter sonat, quasi se ipso, & omni alio repulso, non solum habeat vim agendi, & operandi, sed eam exerceat; nam id videtur terminus ille sufficiens importare grammaticaliter: sed solum sufficiens theologice, quia dat homini ut possit agere, tribuitque ei vim ad volendum, sed non completè omnino, quia est necessaria gratia efficax. Ipsemet Angelicus Magister sufficientem gratiam probat, atque confirmat 1. 2. q. 106. art. 2. ad 2. Dicendum, quod gratia novi testamenti, etsi adjuvet hominem ad non peccandum, non tamen ita confirmat in bono, ut homo peccare non possit: hoc enim pertinet ad statum gloria, & ided si quis post acceptam gratiam novi testamenti peccaverit, majori pœna est dignus, tanquam majoribus beneficiis ingratus, & auxilio sibi dato non utens. Nec propter hoc dicitur, quod lex nova iram operatur, quia quantum est de se, sufficiens auxilium dat ad non peccandum. Quod sufficiens auxilium est ab efficaci distinctum, cui liberum arbitrium minimè refragatur. Et q. 109. art. 10. ad tertium. Dicendum, quod sicut Augustinus dicit in lib. de natur. & Grat. homo in primo statu accepit donum, per quod perseverare posset, non autem accepit, ut perseveraret: nunc autem per gratiam Christi multi accipiunt, & donum gratiæ, quo perseverare possunt, & ulterius ei datur, quod perseverent: & sic donum Christi est majus, quàm delictum Adæ: En ubi contradistinguit auxilium, quo perseverare homo potest, ab auxilio, quo homo de facto perseverat, quod apud omnes est efficax.

10. Igitur, ut gratiæ sufficientis notionem certis terminis pro humano captu concludamus, dicimus, eam esse supernaturalem agendi virtutem, erigentem potentias animæ, constituentemque potentiam proximè, completè, & formaliter potentem implendi præcepta Dei, operandique supernaturaliter, licet, ut actu operetur, requiratur Dei auxilium efficaciter adjuvans; quod adjuvatorium non deficiet, nisi voluntas ab excitationibus Dei sufficienter vocantis se avertat. Unde definitum est in Tridentino sess. 6. cap. 13. In Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent; Deus enim, nisi ipsi illius gratia

defecerint, sicut cepit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere. Ecce cepit opus bonum per gratiam sufficientem; perficiet autem per efficacem, nempe, operans velle, & perficere; nisi homines excitanti Deo, & sufficienter moventi desint. Hæc potentia proxima, & expedita, absoluta, & integra in ratione potentia per sufficientem gratiam constituta, non est æqualis in omnibus ad omnia, sed secundum quod magis, aut minus est expedita voluntatis dispositio, renitentis magis, aut minus, aut nullo modo excitationibus Dei; aut secundum quod major, aut minor est respectivè arduitas operis. Semper autem est proxima, formalis, & completa potestas faciendi, quod possumus, aut orandi quod non possumus; orantes autem omnia possumus, juxta promissum Domini: Amen dico vobis: quidquid orantes petitis, fiet vobis. Itaque securiores sumus; quia necessaria ad actum adjutoria sunt in manu Dei promittentis, quàm si essent in nostra. Unde semper nobis adest ex Dei misericordia potestas proxima, plena, ultimòque expedita in ratione potentia ad assequendam salutem, licet novum Dei requiratur efficax auxilium realiter a sufficienti distinctum ad benè operandum, & erga ejus executionem quia semper est ejusmodi potestas, aut faciendi, aut orandi. Nam hoc excitante Deo per primas motiones, à quibus incipit justificatio, potest: & qui cepit opus, ipse perficiet; est enim promptum gratiæ suæ beneficium, si per nos non steterit; solem enim oriri facit super bonos, & malos. Quo exemplo aptissimè utitur D. Thomas à nobis laudatus superiori disputat. 4. & dub. 4. n. 51. Relege autem ibi dicta num. 47. & 48.

11. Nec putet aliquis, nos inconsequentia arguere, quia modò dicimus, esse per gratiam sufficientem completam, & expeditam potestatem; cum tamen plenissimam reddi, actuique proximam per gratiam efficacem, diximus, ubi supra n. 50. Hæc enim contraria non sunt; quia alia est completio potentia in esse potentia ad agendum; alia completio potentia agentis, seu in actu. Completio prior habetur per sufficientiam proximam, & expeditam constitutam per gratiam sufficientem; quam potentiam proximam, & expeditam dicimus habere omnes; quia quantumvis remotiores sint à summo illo virium vigore, quo actu vincitur concupiscentia carnis; habent sufficientiam proximæ potestatis ad Deum orandum, & se disponendum ad victoriam, quam talibus dabit Deus per Dominum nostrum Jesum Christum. Quare adjuvatorium hoc non constituit potentiam, nec ipsam integrat, perficit, aut expedit, ut potentia est; sed reducendo potentiam ad actum compescit rebellem concupiscentiam, vincit difficultates, roborat, & perficit potentiam, ut est potentia in actu; unde intransitivè pro eodem instanti auxilium applicans, & reducens potentiam ad actum ipsam perficit, roborat,

expc-

expedit in ratione potentiae actualis, seu ut est potentia in actu, quae tamen applicatio ad actum est perfectio potentiae realiter distincta à perfectione illa, quae constituit posse proximum, expeditum, completum de linea actus primi. Libuit his immorari ad aperiendam intelligentiam eorum, quibus hanc impugnandi sententiam, major quam intelligendi, solet esse facilitas.

12. At demus Adversariis, quod accipiantur terminus iste secundum Ethymologiam grammaticalem, & ordinariam significationem, ut dicatur sufficiens auxilium illud, cuius exercitium ita ponendum est ex voluntatis arbitrio, ut sine alterius ope, operetur voluntas. Et quis non videt, maximè Adversariis officere hujus grammaticalis significationis argumentum? Rogo enim de homine, in actu primo proxime, & expeditè potente elicere consensum, vel medio auxilio indifferenti, aut gratia congrua, congruitate desumpta ex habitudine ad dispositionem subiecti, seu ad alias circumstantias loci, & temporis, vel indiget ulteriori gratia ad obtinendum consensum, vel non? Si primum: ergo auxilium illud indifferens non est auxilium sufficiens ad consensum; cum praequiratur aliud auxilium, quod destruit, (ut argumentantur ipsi contra nos) naturam auxilii sufficientis. Si primum; hic Adversarios appello; quid enim ab exploratissima SS. PP. Hieronymi, & Augustini doctrina remotius? Qui disputantes contra Pelagium aliam exigebant gratiam, tantopere pro illa decertantes, minimè percipientes naturam humanam sibi ad iustitiam suam sufficientem, & non ex illo, qui operatur in cordibus fidelium & velle, & perficere pro bona voluntate. Et quidem primò D. Augustinus agnoscit adiutorium largiens sufficientissimam facultatem, quod non semper fortitur effectum lib. 3. de liber. arbitr. cap. 16. dicens: *Ex eo igitur, quod non accepit, nullus reus est. Ex eo verò quod non facit, quod debet, iustus reus est. Debet autem, si accepit, & voluntatem liberam, & sufficientissimam voluntatem.* Non ergo reus est, nisi & accepit voluntatem liberam, & sufficientissimam facultatem, id est valde sufficientem. Eandem docet lib. 83. Quæst. q. 68. lib. 1. ad Simplicianum Quæst. 2.

13. Audiatur ulterius de corrept. & grat. cap. 11. n. 31. *Ad bonum autem parum est, nisi adjuvetur ab omnipotente bono.* Et de grat. & liber. arbitr. cap. 18. *Unde est in hominibus charitas Dei, & proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani: si autem ex Deo, vicimus Pelagianos. Sedeat ergo inter nos iudex Apostolus Joannes... Cur dictum est, diligamus invicem: quia dilectio ex Deo est, nisi quia præcepto admonicum est liberum arbitrium, ut quæreretur Dei donum? Quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur; nisi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quæreretur, undè quod jubebatur, impleveret: ergo*

credebat Augustinus, salvari potestatem voluntatis, & sufficientiam ad operationem liberam cum indigentia ulterioris auxilii, quod non est in nostra potestate. Si namque hæc non esset mens Augustini, argueret debuisse Pelagium, eò quod poneret, nos habere potestatem à Deo, sine illo auxilio, à quo nostra pendet potestas; vel ex eo, quod nostram poneret non acceptam à Deo potestatem, quo argumento minimè usus est, ut ex superius dictis constat, ex cap. 47. de grat. Christi, & ex cap. 41. Uno verbo, gratia sufficiens ita frequenter, & perlucidè constituta legitur in libris S. Augustini, ut super hoc graviter conquererentur plerique, aut etiam exprobrarent, teste D. Hilario in Epist. ad S. Augustinum: *Deinde moleste ferunt, ita dividi gratiam, quæ tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, ut ille accepit perseverantiam, non quæ fieret, aut perseveraret; sed sine quâ per liberum arbitrium perseverare non posset: nunc verò Sanctis in Regnum per gratiam prædestinatis, non tale adiutorium perseverantiae datur; sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur: non solum, ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam, ut per hoc donum, non nisi perseverantes sint. His verbis sanctitatis tuæ ita moventur, ut dicant, quamdam desperationem hominibus exhiberi. S. Augustini locutionem, & mentem secutus est D. Thomas in cap. 3. ad Ephesios sect. 2. quod testimonium modò sufficiat, nam plura ponere longum esset: asserit ergo S. Doctor. *Auxilium Dei duplex est: unum quidem ipsa facultas exequendi aliud ipsa operatio, seu actualitas. Facultatem dat Deus infundendo virtutem, & gratiam, per quas efficitur homo potens, & aptus ad operandum (ecce gratia sufficiens) sed ipsam operationem confert, in quantum operatur in nobis interiorè movendo, & instigando ad bonum... In quantum virtus ejus operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* En gratia efficax, quæ Deus operatur in nobis velle, & perficere. Vide ulterius S. Hieronymum Epist. ad Ctesiphontem, quem nobis non vacat expendere; sed legenti obvia erit ad hæc illius doctrina, quæ gratiam sufficientem firmat, docens ulterius necessitatem efficacis.*

14. At cum gratiam sufficientem, quæ suum semper non obtineat effectum, velut novum figmentum rejiciant Janenistæ, ipsam mendacem, & ridiculam exhibentes, contra ipsos meritò hic observandum credimus, quod gratia sufficiens est gratia divina interior à Deo nobis per merita Christi collata, semper proficua, benefica, & utilis, nunquam noxia, perniciofa, & obfutura. Est vera Dei gratia, etsi non donet ipsam salutariter velle. Non enim per hoc, quod relatè ad efficacem minor sit, desinit esse vera gratia. Numquid argentum non erit argentum, si aurum pretiosius est? Aut arboris, & fegetis contumelia est, si radici, & foliis, culmo, & ar-

istis

illis poma præferantur, & fructus? Dicit Divus Hieronymus Apolog. ad Pammachium Epist. 56. Magna sunt duo luminaria illa, quæ fecit Deus, licet unum majus, & alterum minus, ut illuminarent Orbem, & dividerent lucem, & tenebras, ut dicitur Genes. 1. *Magna utique sunt, exponit D. Thomas, ambo in se considerata, licet unum ad aliud relatam sit minus illo, ut Luna quàm Sol. Sicut mons aliquis dicitur magnus absolute, & minor respectu majoris montis: ergo & hæc duo Dei adiutoria, quibus homo divinitus adjuvatur in se considerata magna sunt, licet gratia efficax à sufficienti adæquatè distincta sit perfectius Dei donum. Est gratia sufficiens à Deo nobis per merita Christi collata, cum hæc potestas, & sufficientia ordinis supernaturalis non sit in nobis per arbitrium, & legis doctrinam, sed per divinam per Jesum Christum gratiam, ut definit Concilium Tridentinum sess. 6. de justifi. Can. 1. dicens: *Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ, vel per humanam naturam vires, vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Christum Jesum gratia posse justificari coram Deo, anathema sit.* Quare Augustinus gratiam sufficientem verum munus redemptionis nostræ vocat serm. 67. de temp. Cur, ingratus, redemptionis tuæ munera renuisti? Ergo cum omnis gratia, quæ est in nobis, sit per merita Christi collata, dicente Apostolo ad Ephes. 4. *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in Christo, hæc gratia sufficiens est verum Dei donum nobis ex meritis Christi collatum. Est insuper gratia sufficiens semper proficua, benefica, & utilis, cum constituat sufficientiam, & potestatem ad salutariter velle. Quid enim magis proficuum, & beneficium, quàm habere libertatem, & sufficientiam salutariter operandi, & vitam æternam promerendi? Quid felicitius gratia sufficiente? Etenim dum adest hæc divina gratia, etsi minima, non est moralis peccandi necessitas; nam cum minimâ gratiâ potest homo resistere cuiuslibet concupiscentiæ (nempe divisivæ) ut dixit D. Thomas 3. p. q. 62. art. 6. ad 3. Et D. Augustinus lib. de natur. & grat. cap. 66. *In hujusmodi oratione certamen est adversus tentatorem de ipsâ contra nos necessitate pugnantem; ac per hoc opitulante, gratia per Jesum Christum Dominum Nostrum, & mala necessitas removebitur, & libertas plena tribuetur.* Quanta ergo illorum arrogantia, quanta temeritas, qui sic gratiam sufficientem arguunt, irrident, dilacerant, ac si esset perniciofa, noxia, & obfutura?**

15. Erravit turpiter David Paræus, dum lib. 1. de grat. & liber. arbitr. cap. 2. dixit: *Gratia sufficiens est callidum Pelagianismi operculum.* Erravit Robertus Sarisburiensis, dum lib. de grat. Christi pag. 81. scripsit: *Illud gratiæ adiutorium, quod dat posse, est Pelagianum.* Erravit Petrus Moulin Eucleat. pag. 320. & 337. dum dixit: *An potest gratia sufficiens vocari, quæ nunquam producit effe-*

ctum, ad quem data est... Nemo potest dari in toto Orbe, qui per gratiam illam servatus sit. Erravit & Jansenius lib. 3. de grat. Christi cap. 3. scribens: *jam verò quid monstruosius proferri potest, quàm quoddam distinctum à cæteris adiutoriis genus, quod nunquam ab initio lapsus humani usque ad judicii diem, ullum in humana voluntate effectum habuit, aut habiturum est. Defendit quippè aliquando S. Augustinus illud adiutorium partim in Angelis, & hominibus primis ante peccatum... Sed nunquam eò absurditatis, ut illud, vel semper effectum suo careret, propter quem datur, vel id auxilium, quod re ipsa influeret cum voluntate, ab eo, quod non influeret, ita separandum esse decerneret, ut illud efficax, hoc sufficiens vocaretur... Itaque à Recentioribus prolatum gratiæ sufficientis genus, quo adjuvante nullum unquam opus factum, aut fiet unquam, si est verum, distinctumque à gratia efficaci membrum, videtur monstrum quoddam singulare gratiæ, solummodo peccatis faciendis, majorique damnationi accersenda serviens; ideòque lapsis hominibus citra Dei invidiam dammandis excogitatum.*

16. Erravit Jansenius denuo gratiam sufficientem increpans, objurgans, & accusans. *Non tantum hominibus inutilis est, ait dicto lib. 3. de grat. Christi cap. 2. sed & perniciofa. Et verò, quid homini misero perniciosius, quàm illa gratia abundare, qua nemo unquam, futentibus etiam Scholasticis, nisi majorem damnationem assecutus est? Et supra cap. 1. dicens: gratia sufficiens non est formaliter, sed in esse gratiæ distincta à gratiâ legis, & doctrinæ, neque eam verè in sensu Theologico excedit.*

17. Sic gratiam sufficientem erroneam, inutilem, perniciosam, monstrum quoddam singulare gratiæ, non differentem à lege, & doctrina pronunciat; cum tamen gratia sufficiens catholicè inter duos extremos errores Calvinii, & Pelagii incedat. Legem obligare ad impossibilia, est Calvinii hæresis: per legem fieri nobis possibilia opera salutaria est hæresis Pelagii. Orthodoxa veritas docet cum Concilio Tridentino sess. 6. cap. 11. *Deum impossibilia non jubere; & quod jubendo monet, & facere quod possumus, & petere quod non possumus, & adjuvat, ut possumus; non per legem jubendo monentem, sed per gratiam Christi, sine qua nihil facere possumus, ut oportet.* Quare hanc gratiam sufficientem constantissimè propugnant omnes Thomistæ. Eminentiss. Cajetanus 1. ad Cor. cap. 10. exponens verba Apostoli. *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sic habet: dixit Apostolus, ut possitis suffere; & non dixit, ut sufferatis: satis enim est fidelitati divine, ut tribuat posse sufferre. Velle autem sufferre, & ipsum sufferre, alterius gratiæ est, quæ electis confertur, & non omnibus communis.* Quod sanè consonat doctrinæ Angelici Præceptoris loco citato dicentis: *Non videretur fidelis Deus, si nos vocaret ad societatem*

V v

tatem

tatem filii Dei, & nobis denegaret, quantum in ipso est, ea per quam ad eum pervenire possumus. M. Bañez 1. p. q. 23. art. 3. nemo, inquit, peccat propterea quod non facit, quod facere non potest. Homo, cui nihil aliud datum est, quam quod ad naturam humanam pertinet, non habet unde possit cognoscere, vel operari supra naturam: ergo non peccat non operando aliquid supernaturale. . . . Neesse est, ut de facto recipiat aliquam divinam inspirationem illuminantis Dei, aut vocantis. Cabrera 3. p. q. 18. art. 4. dub. 3. Divinum auxilium actuale convenienter dividitur in auxilium sufficiens tantum, quo scilicet possit operari homo, & in auxilium efficax, quo de facto operetur. Medina 1. 2. q. 109. art. 10. homo viator potest ad Deum converti, ex quo evidenter sequitur, quod in hac vita habet auxilium gratiae necessarium, & sufficiens ad salutem consequendam. Cabezudo 3. p. ad q. 86. omnis homo, dum est in via, potest simpliciter loquendo poenitentiam agere de peccatis, atque adeo omnibus dantur auxilia sufficientia. Laudari poterant & alii Scholae Thomisticae Theologi. Alvarez lib. 8. de auxiliis disp. 71. n. 12. Zumel 1. 2. q. 109. art. 8. & latissime tom. 3. variar. disp. ad 1. & 1. 2. tota disp. 4. Ledesma tract. de auxiliis q. unic. art. 5. & 16. Ferre 1. p. tom. 2. de volunt. Dei q. 6. Illustris. Godoy 1. p. disp. 52. & disp. 50. M. Bolivar tom. 2. de grat. Christi, cap. 8. Et sexcenti alii, qui in propriis locis videri possunt. Quarè ut rectè observat M. Gonet tom. 4. de grat. disp. 3. art. 3. n. 31. *Utramque semper Schola Thomistica constanter docuit, & prædicavit, ac indefesso labore ab ortu suo per quatuor secula non minus fortiter, ac generosè pro sufficienti, quam pro efficaci gratia decertavit. Hac est doctrina, quam sumpsit in suis cunabulis ab uberibus Angelici Doctoris, cum qua adolevit, & crevit: & cum qua semper gloriosè vivet, & vincet, palmaeque instar altius inclinata resurget, nec portæ inferi prevalebunt adversus eam.* Etenim quò magis Hæretici erroris sui machinas contra ipsam admovent, fortior, & constans erit Thomistica Schola in ipsa consistenda, cum contemptu, ac risu sit dignior illorum contradicção, quàm longiori refutatione. Quarè ad alterum resolutionis nostræ caput deveniamus.

§. II.

An ex voluntate antecedente, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, detur omnibus gratia sufficiens ad salutem?

18. **U**T ad propositum applicemus, illud constantissimum apud omnes est, quod in Deo alia dicitur voluntas efficax, alia inefficax. Voluntas efficax est actus, quo Deus vult existere creaturam, ex vi cujus

manet omninò determinatus ad illius existentiam, ad quem proinde infallibiliter effectus sequitur, ut constat ex Sacra Scriptura dicente Isaiæ 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Et 14. *Dominus exercituum decrevit, & quis poterit infirmare?* Esther. 13. *non est qui possit tua resistere voluntati.* Et Psal. 113. *omnia, quaecumque voluit, fecit.* Ecclesiast. 8. *omne, quod voluerit, faciet.* Daniel. 4. *juxta voluntatem suam facit, tam in virtutibus Cæli, quam in habitatoribus terra, & non est, qui resistat manui ejus, & dicat ei, quare fecisti?* Rom. 9. *voluntati enim ejus quis resistit?* Alia dicitur voluntas inefficax, qua Deus vult existentiam creaturæ, ex vi cujus licet aequaliter determinetur ad illius productionem, potest tamen conjungi cum non existentia creaturæ; unde non semper impletur, ut dicitur Ezech. 24. *Volui te mundare, & non es mundata.* Quæ divisio voluntatis divinæ incidit cum aliâ ex Chryostomo Homil. in Epist. ad Ephes. Et ex Damasceno in lib. 2. de fide cap. 29. nempe in voluntatem antecedentem, & consequentem; quæ tamen distinctio, ut inquit D. Thomas 1. p. q. 19. art. 6. ad 1. non accipitur ex parte ipsius voluntatis divinæ, in qua nihil est prius, vel posterius, sed ex parte volitorum, quæ considerari possunt secundum se absolute, vel consideratis circumstantiis, ut ibi explicat D. Thomas, dicens: *Ad cujus intellectum considerandum est, quod unumquodque secundum quod bonum est, sic est volitum à Deo. Aliquid autem potest esse in prima sui consideratione, secundum quod absolute consideratur, bonum, vel malum, quod tamen prout cum aliquo adjuncto consideratur, quod est consequens consideratio ejus, è contrario se habet: & quia hæc consideratio rei est prior ipsa, idè appetitus rei illo modo considerata, dicitur voluntas prima, seu antecedens; & dum consideratur sub omnibus circumstantiis, appetitus illius dicitur voluntas consequens, quæ voluntas consequens semper impletur, ut docet idem D. Thomas in 1. dist. 47. art. 1. & 2. quidquid Deus vult voluntate consequente, totum fit.* Et cap. ultimo Compend. Theolog. *Divinum beneplacitum est efficax ad implendum omne, quod disponit. Quod & docet D. Hieronymus lib. 5. & 6. super illud cap. 14. Isaiæ: Hoc consilium, quod cogitavi, &c. Sola perfecta virtus in nullo impeditur, quominus quod velit, & faciat dicit Hilarius in Psal. 134. Et D. Augustinus in Enchir. cap. 96. Neque veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quidquid vult, potest, neque voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.*

19. Secundò, ut certum de fide debet supponi, dari in Deo voluntatem antecedentem salvandi omnes homines, ut constat ex Sacris Scripturis, Ezech. 18. *Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus, & non ut convertatur à viis suis, & vivat?* Et vers. 32. *Quare moriemini Domus Israel? Quia nolo mor-*

sem

tem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini, & vivite. Et Isaiæ 5. *Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei?* Et Matth. 11. vers. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Et cap. 18. *Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in Cælis est, ut pereat unus de pusillis istis.* Et 2. Petri 3. *Patienter agit propter vos, volens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.* Et 2. ad Thessal. 2. vers. 11. *quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. Idè mittet illis Deus operationem erroris.* Et tandem celebris locus Pauli 1. ad Timoth. 2. *Qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: ex quibus clarissimè inferitur, Deum velle omnium hominum salutem, etiam reproborum, quæ tamen nunquam erit.*

20. Hoc apertè pronuntiat D. Augustinus, quidquid in oppositum reclamet Jansenius lib. 3. de grat. Christi Salv. cap. 20. dicens, *Augustinus in scriptis suis anversis, talem voluntatem, qua velit Deus omnes homines salvos fieri, nunquam ab initio conversionis usque ad viam terminum agnovit, sed semper constanter impugnavit.* Et iterum ibi: *hinc etiam fluit . . . Quod nunquam (Augustinus) locum illum Apostolicum, Deus vult omnes salvos fieri, extendi passus fuerit; sed semper . . . ita intelligendum esse contenderit, ut in solis prædestinatis effectum suum voluntas illa fortiretur.* Sed expressius eodem cap. 21. nullo modo principit ejus (Augustini) consentaneum est, ut Christus Dominus, vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium, aeternâ salute mortuum esse sanguinem fuisse, semetipsum redemptionem dedisse, Patrem orasse, sentiat. Et ulterius ibidem: *Sicut ergo, ait Jansenius, non voluit (Augustinus) voluntatem Dei ad salutem omnium omninò hominum extendi, sed illorum dumtaxat qui ex omni genere, & lingua, & omni hominum genere prædestinati sunt; ita nec voluit, effectus illius voluntatis, hoc est, mortem, sanguinem, redemptionem, propitiationem, orationem Christi ad omnes homines dilatari, sed ad illos solos, qui prædestinati sunt, quatenus pro aeterna, & totali ipsorum salute offeruntur.* Hæc Jansenius. Sed Jansenio non solum opponimus Augustinum, sed D. Prosperum, quem ipse ut fidelissimum Augustini Discipulum veneratur, & colit lib. de grat. Christi cap. 13. dum affirmat; *Prosperum esse accuratissimum doctrinæ Augustini defensorum, nec ab ejus tramite, quantum ad gratiam, vel liberum arbitrium attinet, vel latum unguem discessisse.* Et quidem primò Augustinus lib. de Catechiz. Rudib. num. 52. dicit: *à quo interitu, hoc est, poenis aeternis, Deus misericors volens, homines liberari, si ipsi non sint inimici, & non resistant misericordiam Creatoris sui, misit Unigenitum filium.* Et clarius lib. de Spirit., & litt. cap. 33. *Vult autem Deus, omnes homines salvos fieri, & in cognitionem veritatis venire: non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, qua*

vel benè, vel malè utentes justissimè judicentur, quod cum sit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum ejus Evangelium non credunt, nec idèd tamen eam vincunt, verum se ipsos fraudant magno, & summo bono, malisque poenalibus implicant, expeturi in suppliciis poenitentiam ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt. En ubi clarissimè elucet voluntas antecedens, fatente ipso Jansenio, qui hoc testimonio convictus lib. 2. de grat. Christi cap. 3. affirmat: *quod ita manifestum est, ut mihi prodigii loco sit, quomodo in mentem alicui erudito venire possit, verba illa Augustini sensum continere.* Sed à luce testimonii oculos avertens reponit, non ibi Augustinum ex propria mente, sed ex aliorum loquutione fuisse, sequentibus verbis: *non tradere doctrinam suam, sed adversariam; non docere, sed disputare; non asserere, sed refellere: adeoque mirabili hallucinatione Recentiores nostros objectionem pro solutione, Pelagianam responsionem pro Augustini doctrina, errorem pro veritate accepisse.* Quis hic non miretur egregiam Jansenii deceptionem Augustino injuriam, & contumeliam istam imponentis? Et unde adeo conspicuam sibi excusationem habuit Jansenius? Car Pelagii, non Augustini vult verba esse, aut quâ auctoritate, illa ad proprium errorem detorquet? Immo nulla causa est, ut ab Augustino sententia illa removeatur; cum clarissima luce demonstrari possit, antecedentem voluntatem expressè propugnari à S. Doctore, & Deum non solos illos velle salvos fieri, qui re vera salvantur; cum simili ratione, & sensu penitus eodem id toties repetat Augustinus. Audiendus S. Doctor lib. 1. retract. cap. 20. *Quod dixi illud lumen . . . pasceis pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum, & temporalium se ad ejus præcepta implenda convertunt; si velint, non existiment novi Hæretici Pelagiani, secundum eos esse dictum. Verum est enim, omnes homines hoc posse, si velint; sed præparatur voluntas à Domino, & tantum augetur munere charitatis.* Et lib. 1. ad Simplicianum q. 2. *Noluit Esau, & non cucurrit; sed etsi voluisset, & cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui etiam velle, & currere vocando præstaret, nisi, vocatione contempta, reprobus fieret.* Et Enchiridii cap. 93. Super illud Matth. 11. *Va tibi Corozaim, sic scribit Augustinus: Deus non injustè noluit salvos fieri, cum possent salvi esse, si velint.* En in productis testimoniis expressa voluntas salvandi omnes homines innixa conditioni, si & ipsi velint. Hujus etiam voluntatis antecedentis meminit in Enchir. cap. 100., & 12. de Civit. Dei cap. 13., & lib. contra Adimantum, & serm. 26. de diver. Quid ergo certius in littera D. Augustini, quàm dari voluntatem antecedentem?

21. Sed ne id in dubium revocetur, hoc efficacissimè constituitur, cum tam evidenter asserat Augustinus, Christum pro omnibus esse mortuum, & quod velit omnes homines salvos fieri; quod non obscurè exprimitur ver-

ba illius super Psal. 95. *Judicabit Orbem terrarum in aequitate: non partem, quia non partem emit, totum judicare habet, quia pro toto premium dedit.* Et dum lib. 2. de Symbolo ad Catechum. cap. 8. Christum loquentem Judæis, & Crucifixoribus introducit: *Videtur vulnera, quæ inflixistis, agnoscitis hoc latus, quod pupugistis, quoniam & per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.* Et iterum ferm. 4. de Sanct. nunc 382. Christum orantem pro inimicis nobis proponit, dicens: *quando Christus in cruce pendens orabat, & prævidebat omnes inimicos; sed multos ex illis amicos futuros prævidebat, & ideo omnibus veniam postulabat. Illi se videbant, & ille orabat. Illi dicebant Pilato: Crucifige; ille clamabat: Pater ignosce illis.* Et Psal. 56. *ille (Christus) sic voluit mori, ut sanguine suo effusores ejusdem sanguinis redimeret.* Sed magis firmatur, & mihi ineluctabiliter, dum exponens illud Apostoli; *Christus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt, sic habet: ex hoc probavit (Apostolus) omnes mortuos esse; quia pro omnibus mortuus est unus. Inculco, infercio recusanti, accipe, salubre est, nolo moriaris; unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt. Vide, quia consequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est.* Quæ omnia apertissime includunt voluntatem antecedentem salvandi omnes homines; quam amplius negare, esse de mente Augustini, maximæ cæcitatæ argumentum erit.

22. Scio, quod Magnus iste gratiæ defensor testimonium Apostoli de voluntate consequente aliquando intellexit tres exhibens explicationes, ex quibus duas citat, & approbat D. Thomas in hac 1. p. q. 19. art. 6. ad 1. quæ maxime displicent P. Molinae, qui hanc Augustini doctrinam, quantum ad explicationem loci prædicti ad Timoth. in fine, vel ultimo membro suæ concordiæ, erroris, scandali, & periculi sequentibus verbis insinuat: *Credens autem S. Augustinus cum his, quæ rectissime docuerat contra Pelagium, prædestinationem non fuisse secundum merita, qualitatēque usus liberi arbitrii (secundum sensum à nobis explicatum) restrinxit illud 1. ad Timoth. 2. ut non de omnibus universim hominibus, sed de solis prædestinatis intelligeretur (ecce modò ubi errorem. huic explicationi impingit) quæ doctrina plurimos ex fidelibus, præsertim ex his, qui in Gallia morabantur non solum indoctos, sed etiam doctissimos viros, atque in Episcopali dignitate constitutos mirum in modum turbavit.* (En quomodò eidem doctrinæ scandalum attribuit) *ne dicam illius occasione salutem eorum fuisse periclitatam.* Et quam ille doctrinam taxat tanquam periculofam, fatetur ad finem illius S. credens fuisse traditam à S. Thoma, & post eum à plebrisque Scholasticis. Quis æquo animo pati, & dissimulare hoc poterit? Non sanè mentem Augustini P. Molina, pace ipsius dixerim, intellexit: quam sanè egregiè affectus est M. Bolivar tract. 4. de voluntate Dei dub. 5. S. 2.

dicens: *Ibi supponebat Augustinus, Apostolum loqui de voluntate simpliciter tali, qualis est illa, quam habet Deus erga prædestinatos, quam volebant extendere Hæretici ex Pelagio ad cunctos homines, etiam reprobos, ut discretio in ordine ad salutem, non ex omnipotentissima voluntate Dei, ut volebat Augustinus, sed ex libero arbitrio esset, ut ipsi contendebant: quibus se opponens, & cum ipsis supponens, sermonem esse de voluntate simpliciter tali, optimè interpretatus est locum Pauli de voluntate Prædestinatorum propria, ut in illam contra Hæreticos distinctionem Prædestinatorum à reprobis reduceret; quod non tollit, quominus locus Pauli universaliter acceptus de voluntate inefficaci intelligatur, dummodo alia specialior, & quæ simpliciter sit talis, & omnino invincibilis erga prædestinatos non negetur.* Quod firmat ex Augustino lib. ad articulos sibi falso impositos, art. 2. ibi: *Remota tamen hac discretione, quam divina scientia intra secretum justitiæ suæ continet, sincerissime credendum est, atque profitendum, Deum velle, ut omnes homines salvi fiant, siquidem Apostolus, cujus ista est sententia sollicitè præcepit, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur.* Ex quibus, quod multi pereunt, pereuntium est meritum; quod multi salvantur, salvantis est donum; ut enim reus damnatur, inculpabilis est Dei justitia, ut autem reus justificetur, ineffabilis Dei gratia est. En cur S. Augustinus contra Pelagianos agens, minimè distinguens inter voluntatem antecedentem, & consequentem; quia nempè aserebant, Deum absolute velle, omnes homines salvos fieri, ut non magis, hos quam illos, prædestinatos, quam reprobos, prædestinationem negantes, & totum negotium salutis, voluntati dimittentes, ideo Augustinus insignem hunc Pauli locum exponit de voluntate consequente; non quod negaverit ipse voluntatem antecedentem. Sed hanc esse mentem D. Augustini citra controversiam est, nec est cur in hoc prolixiori confirmatione immoremur.

23. Audito Magistro, audiamus discipulos ejus, & Doctores nostros. Et primò D. Prosperum in his Augustini doctrinis versatissimum, qui ex divinis auxiliis voluntatem generalem salvandi omnes homines, tanquam ex effectibus causam concludit lib. 2. de vocat. Gent. cap. 25. dicens: *Sive igitur novissima contemplerur secula, seu prima, seu media, rationabiliter, & pie creditur, omnes homines salvos fieri, velle Deum, semperque voluisse: & hoc non aliunde monstratur, quam de his beneficiis, atque providentia Dei, quam universis generationibus communiter, atque indifferenter impendit.* Quam doctrinam signanter in hoc libro repetit cap. 28. *Igitur sicut qui crediderunt, juvantur, ut in fide manent; sic & qui nondum crediderunt, juvantur, ut credant. Et quemadmodum illi in sua habent potestate, ut exeant; ita & isti in sua habent potestate, ut veniant. Fitque manifestum, quod diversis, atque innumeris modis, omnes homines vult Deus salvos fieri, & in agnitionem veri-*

veritatis venire, sed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur, qui non veniunt, sua pertinacia relictantur. Quod non minus sapienter repetit cap. 31. *Elaboratum est enim, quantum Dominus adjuvit, ut non solum in novissimis diebus, sed etiam in cunctis retrò sæculis probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse providentia quidem pari, & bonitate generali, sed multimodo opere, diversaque mensura. Quoniam sive occultè, sive manifestè ipse est (ut Apostolus ait) Salvator omnium hominum, maxime fidelium. Quæ sententia subtilissima brevitas, & validissimi roboris, si tranquillo consideretur intuitu, totam banc (de qua egimus) controversiam dirimit. Dicendo enim: qui est Salvator omnium hominum confirmavit bonitatem Dei super universos homines esse generalem, adjiciendo autem, maxime fidelium, ostendit esse partem generis humani, quæ merito fidei divinitus inspirata, ad summam, atque æternam salutem, specialibus beneficiis provehatur. Quibus apertissime veram, sinceramque Dei voluntatem salvandi omnes homines concludit. Sed clariori calamo hoc ipsum scribit idem S. Prosper, novum hujus veritatis, & dilucidum præbens testimonium.*

24. Nam cum Pelagiani in Galliis D. Augustini doctrinam, velut plures errores continentem denunciare auderent, teste eodem D. Prospero præfatione in respons. ad capitula Gallorum dicentem: *in prædicti viri (Augustini) libris damnabilia reperisse jactabant; si singulis capitulis, quæ obijcienda prænotarunt, brevi, & absoluta solutione respondens; in nullo recedens à tramite earum definitionum, quæ in SS. Viri disputationibus continentur, ut facile, vel tenui diligentia adverteret inspector, quam injustis opprobriis Catholici Prædicatoris memoria carperetur art. 8. quod non omnes homines velit Deus salvos fieri; sed certum numerum prædestinatorum, respondet: qui dicit, quod non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum numerum prædestinatorum durius loquitur, quàm loquendum est de altitudine inscrutabilis gratiæ Dei, qui & omnes vult salvos fieri, atque in agnitionem veritatis venire, & voluntatis suæ propositum in eis implet quos præscitis prædestinavit, prædestinatos vocavit. . . . Ut & qui salvantur, ideo salvi sint, quia illos voluit Deus salvos fieri, & qui pereunt, ideo pereant, quia perire meruerunt.* Sic Augustinum vindicat, & omnem Gallorum calumniantium notam, & suspicionem eluit. Et eadem doctrina art. 9. ab ipsis objecto: *quod non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus, non ad Sacramenti virtutem, sed ad infidelium respicit partem: Cum sanguis nostri Jesu Christi pretium totius mundi sit. A quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captivitate redimi noluerunt: aut post redemptionem, ad eandem sunt servitutem reversi. Non enim cecidit Verbum Domini, neque*

evacuata est mundi redemptio. Sic ad dissipandas Gallorum calumniantium versutias pro vera D. Augustini intelligentia respondet. Sed mentem suam clarius aperit in responsione ad objectionum Vincentianarum capitula object. 2. *Sincerissime credendum, atque profitendum est, Deum velle, ut omnes homines salvi fiant: Cujus rationem assignat: Si quidem Apostolus, cujus ista sententia est, sollicitissime præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissime custoditur, ut Deo pro omnibus supplicetur, ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est meritum, quod multi salvantur, salvantis est donum: Ut enim reus damnatur, inculpabilis est Dei justitia; ut autem reus justificetur, ineffabilis Dei gratia est. Hec D. Prosper, cui verè adhærendum, cum fuerit S. Augustini interpres, & quasi alter Augustinus habitus sit, ut dixit Hincmarus de prædest. cap. 3. Huic addimus S. Fulgentium, qui ejusdem est sententiæ lib. de incarnat. & grat. cap. 17. *Homo, inquit, tanti medicaminis beneficio caret, cujus gratiam contumax, atque ingratus oppugnat.**

25. Hic etiam revocanda Angelici Doctoris loca, in quibus veritatem istam docet. Deus, inquit ille 3. p. q. 19. art. 6. ad 1. antecedenter vult, omnem hominem salvari, sed consequenter vult, quosdam damnari secundum exigentiam suæ justitiæ. Cujus rationem assignat in Epist. 1. ad Timoth. 2. lect. 1. dicens: *In Deo salus omnium hominum in se considerata habet rationem, ut sit volibilis, & sic ejus voluntas est antecedens: sed si consideretur bonum justitiæ, & quod peccata puniantur, sic non vult, & hæc est voluntas consequens.* Quod & repetit q. 23. de verit. art. 2. dicens, quia ergo Deus omnes homines propter Beatitudinem fecit, dicitur voluntate antecedente omnium salutem velle. Et in responsione ad 2. *Vult Deus (Reprobum) salvari voluntate antecedente, ratione humana nature, quam ad salutem fecit; sed vult, eum damnare voluntate consequente, propter peccata, quæ in eo inveniuntur.* Et 3. contra Gent. cap. 159. *Deus quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare; vult enim omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ut dicitur 1. Timoth. 2. Et in hac Epistola lect. 1. Christus Jesus est mediator Dei, & hominum, non quorundam, sed inter Deum, & omnes homines, & hoc non esset, nisi vellet, omnes salvare.* Et iterum ibi: *Christus est propitiatio pro peccatis nostris, pro aliquibus efficaciter; sed pro omnibus sufficienter; quia pretium sanguinis ejus est sufficiens. Cujus rationem explicat ibi, dicens: alio vero modo secundum Damascenum, ut intelligatur de voluntate antecedente, non consequente: quæ voluntas dupliciter potest considerari: in universali, vel absolute: & secundum aliquas circumstantias, & in particulari. Voluntas absoluta est quasi antecedens: voluntas alicujus rei in particulari est quasi consequens. Exemplum de Mercatore, qui vult omnes merces suas salvare absolute, & hoc voluntate antecedente. Sic in Deo salus omnium hominum secundum se consi-*

derata habet rationem, ut sit volibilis, & Apostolus hic ita loquitur: *Et sic ejus voluntas est antecedens, sed si consideretur bonum justitiae, sic non vult, & haec est voluntas consequens.* Et in Epist. ad Hebr. cap. 22. *Deus vult, omnes homines salvos fieri, & ideo nulli gratia deest; sed omnibus, quantum in se est, se communicat.* Ex quibus clarissimis testimoniis legitime deducitur voluntas illa generalis salvandi omnes homines.

26. Hoc idem evincit SS. PP. traditio. S. Cyprianus Epist. 52. affirmat de Deo loquendo: *qui neminem vult perire, cupit peccatores poenitentiam agere, & per poenitentiam de novo ad vitam redire.* S. Ambrosius lib. de Paradis. cap. 18. *Nec proditorem debuit (Christus) praeterire. Quod in Deo fuit, ostendit omnibus, quod omnes voluit liberare.* S. Ignatius Martyr Epist. 6. ad Philadel. *amatorem hominum esse Deum nostrum, & velle omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, propter quod & solem oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos.* Id ipsum divino spiritu edocui docuere S. Basilius in Psal. 29. S. Joann. Chryf. Homil. 2. ad Hebr. Origenes lib. 4. contra Celsum. D. Anselmus lib. 6. de volunt. Dei. S. Paulinus Epist. 1. ad Aprum. D. Laurentius Justinianus lib. de contemptu mundi cap. 8.

27. Haec sane probant tam ex Sacris Scripturis, quam ex SS. PP. dari in Deo voluntatem antecedentem, qua absque ulla restrictione vult omnes homines salvos fieri, quatenus auxilia sufficientia omnibus confert, quibus possunt ad salutem perducere. Talia sunt creatio hominis ad Beatitudinem, Evangelii praedicatio, ad hoc propagandum Apostolorum in Universum Orbem missio, premium Sanguinis Christi sufficientissime pro omnibus effusi, Sacramenta per Christum instituta, & tandem lux illa, qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ut dicitur Joann. 1. quae illuminatio praestita à luce quadam supernaturali extenditur, tam ad infideles, quam ad obduratos, & excæcatos. Infidelibus enim datur gratia sufficiens, ut inquit Apostolus ad Rom. 1. v. 20. *Invisibilia Dei à Creatura mundi, per ea, quae facta sunt intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque virtus, & divinitas: ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Ex quibus deducitur, quod si inexcusabiles sunt, necessaria fuit in ipsis aliqua gratia, non exterior; exterior enim gratia, sine interiori non sufficit, ut credere possint, sed interior, quae credere potuissent. Quo sensu egregie dixit S. Augustinus Enarrat. in Psal. 18. ad illa verba: *non est, qui se abscondat à calore ejus. Non permisit, inquit, ullum mortalium excusare se de umbra mortis, & ipsam enim penetravit verbi calor.* Cui consonat Auctor libri de vocat. Gentium cap. 5: *Adbibita enim semper est universis hominibus quadam superna mensura doctrina, quae etsi parcioris, occultio-*

risque gratia fuit, sufficit tamen, sicut Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus testimonium. Et cap. 14. *Neque ob hoc excusabiles sunt nationes, quae alienata à conversione Israel spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo ignorantia tenebris perierunt, quia haec abundantia gratia, quae nunc universum mundum rigat, pari antea largitate non fluxit.* Et cap. 2 *Universitati hominum (quod abunde probavimus ita multiplex, atque ineffabilis bonitas Dei consuluit semper, & consulit, ut neque ulli pereuntium excusatio suppetat de abnegato sibi lumine veritatis, neque cuiquam sit liberum de sua justitia gloriari: cum & illos propria nequitia demergat ad poenam, & istos Dei gratia perducat ad gloriam.* Quod sane efficacissime convincitur: nam quomodo inexcusabiles erunt, ipsis nulla sit contributa gratia? cum non peccet homo in eo, quod cavere nullo modo potest: nam est fidelis, & indubitata sententia quod Deus impossibilia non jubet. Illi ergo et invincibiliter ignorent mysteria fidei, possunt illuminari luce supernaturali, qua possunt disponi remotè ad fidem: cum haec illuminatio sit compossibilis cum eo, quod simul invincibiliter ignorent mysteria fidei; aliud quippe est mysteriorum notitia, aliud auxilium super naturale, & cognitio, quae elici potest ratione illius. Quod totum explicat D. Thomas q. 14 de verit. art. 11. ad 1. dicens: *Si aliquis nutritus in sylvis, vel inter bruta animalia ductum rationis naturalis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei Praedicatorum ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium.* Act. 10.

28. Haec eadem voluntas salvandi omnes homines, ex qua defluunt in omnes sufficientes gratiae, comprehendit etiam obduratos, & excæcatos, adhuc pro statu suae obdurationis. Haec est mens D. Augustini Enarrat. in Psal. 6. *Dedit illos in reprobum sensum. Ea est, inquit, cecitas mentis. In eam quisquis datus fuerit, ab interiori Dei luce secluditur, sed nondum penitus cum in hac vita est. Sunt enim tenebra exteriores, quae magis ad diem iudicii pertinere intelliguntur, ut penitus extra Deum sit, quisquis, dum tempus est, corrigi noluerit. Penitus autem esse extra Deum quid est, nisi esse in summa cecitate? . . . Hujus irae, pergit idem S. Doctor, inchoatio est, quam in hac vita patitur quisque peccator: quibus negat Augustinus perfectam, seu consummatam dari excæcationem, cum non omnis interioris auxilii influxum denegetur. Cui consonat S. Prosper lib. 1. de vocat. gent. cap. 21. *Credimus, nullis hominibus opem gratiae in totum fuisse subtractam. Etenim cum ad vitiationem peccati non sufficiat naturalis virtus, Dei requiritur gratia, ut ipsis peccatum merito imputetur: Deus ergo confert ipsis auxilia supernaturalia, quibus stimulantur, & secreto conscientiae motu punguntur, & quibus expe-**

expedita est potestas ad actum oppositum rectum, quae expedita esse non potest, nisi ex beneficio divinae gratiae: quin obstat impotentia moralis ad conversionem; cum haec impotentia sit compossibilis cum hujusmodi auxiliis; nam non est impotentia absoluta, sed impotentia ad conversionem facilem: est enim haec ipsis summè difficilis propter maximam difficultatem ortam ex vehementi adhaesione ad malum, quam expressit Divus Thomas 3. p. q. 86. art. 1. ad 2. *Dicendum est: tanta est labes illius peccati, ut deprecandi humilitatem subire non possit, scilicet de facili, secundum quod dicitur, illum non posse sanari, qui non potest de facili sanari: potest tamen hoc fieri per divinae gratiae virtutem, quae etiam interdum in profundum maris convertit, ut dicitur in Psal. 67.* Et expressius q. 24. de verit. art. 11. in corp. *Induratum esse eum, qui non de facili possit cooperari ad hoc, quod exeat de peccato. Et haec est obstinatio imperfecta, quia aliquis potest esse obstinatus in statu viae, dum scilicet habet ita firmatam voluntatem in peccato, quod non surgunt motus ad bonum, nisi debiles: quibus motibus, & si debilibus distinguuntur maximè obdurati à non obduratis: quia nempe isti, vel plura, vel saltem frequentiora consequuntur auxilia; nec omnia frustrant. Non ergo ad eum excæcationis, & indurationis cumulum deveniunt, ut ne tenui quidem coelestis gratiae rore aspergantur unquam. Ita docent gravissimi Thomistae Angelicum Magistrum sequentes. M. Bañez 1. p. q. 23. art. 3. M. Zumel dict. 1. p. q. 23. art. 3. & 1. 2. q. 109. art. 8. Alvarez lib. 1. 1. de auxiliis disp. 112. & lib. 8. disp. 71. n. 12. Medina 1. 2. q. 109. art. 10. Ledesma tract. de auxiliis q. unic. art. 16. M. Nuñez 3. p. q. 86. Cabrera 3. p. q. 18. art. 4. dub. 5.*

29. Ad parvulos etiam se extendit voluntas illa antecedens salvandi omnes homines, non solum ad Infantes, quibus Baptismus Parentum, vel aliorum cura procuratur; & ad illos, qui in lucem editi Baptismus percipere possunt; quibus sufficienter de remedio salutis à Deo provisum est, licet adulatorum culpa illis applicari non possit; sed se extendit ad Infantes, sive in lucem editos, sive in utero materno absque ulla Parentum culpa morientes, quibus nulla humana industria, & diligentia Baptismus conferri, & applicari possit; hoc affirmantibus gravissimis Theologis, super quo videndus Noster Eñus & Rñus S. R. E. Cardin. Fr. Vincencius Ludovicus Gotti de volunt. q. 2. dub. 2. §. 6. à num. 72. quidquid in oppositum sentiat P. Vasquez 1. p. disp. 96. cap. 2. & cap. 3. propugnans, illa Scripturae verba, *Deus vult omnes homines salvos fieri* de adultis dicta esse. Sed verissima, ac certissima doctrina est, quod ab illa generali, ac communi voluntate Dei pro salute omnium nullibi excluduntur Infantes, cum Christus mortuus sit pro iis omni-

bus, qui in Adamo mortui sunt, ut re vera illi omnes mortui sunt. Nam voluntate generali, & antecedente cum sufficienter providerit de remedio, & de ipsius applicatione; non est ex defectu divinae misericordiae, inquit D. Thomas in 4. dist. 6. art. 1. ad 1. *Quod in matris uteribus existentibus remedium non exhibetur, sed quia non sunt capaces illius remedii. . . quia non possunt subjici operationi Ministrorum Ecclesiae.* Quis enim affirmet, providentiae Dei maximè convenire, ut pericula omnia, quae moriturorum regenerationem impedire, aut prohibere possunt, Deus removeat, & ordinem, & cursum rerum perturbet? Dicente D. Thoma 1. p. q. 22. art. 2. ad 2. *Provisor universalis permittit, aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediat bonum totius. Unde corruptiones, & defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contra naturam particularem, sed tamen sunt de intentione naturae universalis, in quantum defectus unius cedit in bonum alterius, vel etiam totius universi.* Si ergo Deus omnibus parvulis simili providentia non consulit; si in eo rerum ordine, & cursu constituuntur infantes, in quo necesse sit, ipsos vi sola naturae mori; non ad defectum voluntatis antecedentis, sed ad voluntatem consequentem referendum est, quae nempe vult eum causam secundarum cursum mortem Infantium exigentium. Debet ergo, ut certum supponi, quod in Deo datur voluntas antecedens salvandi omnes homines, quod tot Sacrarum Scripturarum, Conciliorum, & SS. PP. oracula absolute pronunciant: in quibus omnibus definitionibus nemo excipitur, omnibus offertur gratia, qua reparari valeant, & ad Beatitudinem pervenire, ita ut nullus dubitandi sit locus de serietà Dei benevolentiae, & voluntate, ut omnes convertantur de impietate, ac injustitiâ; & quod non vult mortem peccatoris, sed ut omnes, qui laborant, & onerati sunt, veniant ad ipsum, & resurgere possint.

30. His positis docent primò Thomistae, sincerissime credendum, atque confitendum esse, dari in Deo voluntatem antecedentem conferentem omnibus auxiliis sufficientia ad salutem: quae voluntas antecedens est vera, & sincera voluntas salvandi omnes homines; nempe voluntas beneplaciti, ut expressè docet D. Thomas q. 23. de verit. art. 3. dicens: *Voluntas de Deo proprie dicitur, & haec est voluntas beneplaciti, quae per antecedentem, & consequentem distinguitur.* Et in primo dist. 47. q. 1. art. 2. *Possimus loqui de voluntate beneplaciti, vel signi, & de voluntate beneplaciti, vel consequente, vel antecedente.* Quae tamen voluntas antecedens non est efficax, etiam affectivè, & quantum est ex parte Dei; ita ut omni conatu affectivo intendat omnium salutem, & eam non consequatur. Haec enim voluntas sic affectivè efficax solum chymericè fingi potest in Deo. Tum, quia si esset af-

affectivè efficax, imperaret, vel posset imperare omnia media efficacia pro consecutione salutis: ergo ex vi hujus voluntatis maneret homo efficaciter determinatus ad ponenda illa media pro finis consecutione efficaciter affectivè voliti; quod est penitus impossibile: sic enim ex vi talis voluntatis esset homo efficaciter determinatus ad ponenda media illa, quæ aliundè prævidet Deus non ponenda; cum detur in Deo cognitio certa non futuritionis salutis respectu reprobatorum: ergo conciperet Deus determinationem inutilem, & frustrandam; quod sanè absurdissimum est, ut rectè ait S. Prosper in respons. ad 4. object. Vincentianam: *Insanum omnino, & contra rationem est dicere, voluntatem Dei ex Dei voluntate non fieri.*

31. Secundò: nihil magis in ore habent Thomistæ, quàm quòd locus Pauli universaliter acceptus de voluntate inefficaci, non tollit, quòd in Deo sit alia specialior voluntas, quæ simpliciter sit talis, & omnino invincibilis erga Prædestinatos, sicut & positiva voluntas excludendi aliquos à gloria. Quod probat præclarissimum illud D. Pauli testimonium ad Rom. cap. 9. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Ubi loquitur Apostolus de prædestinatione Sanctorum sub nomine Jacob, & de reprobatione aliorum sub typo Esau, ut exponit M. P. Augustinus lib. 1. ad Simplicianum q. 2. & lib. 2. ad Bonifac. cap. 7. Et D. Thomas 1. p. q. 23. art. 5. ad 3. Componitur ergo cum voluntate illa generali salvandi omnes homines voluntas specialis salvandi, quos ipse velit, & quorum electio sit ex mero beneplacito voluntatis divinæ, ut inquit M. P. Augustinus prædicta verba Apostoli intelligens cum universalitate non absoluta, sed accommodata, ut refert D. Thomas hic art. 6. ad 1. *Dicendum, quòd illud verbum Apostoli, quòd Deus vult omnes homines salvos fieri, potest dupliciter intelligi; uno modo, ut sit accommodata distributio secundum hunc sensum, Deus vult salvos fieri omnes homines, qui salvantur: non quia nullus homo sit, quem salvum fieri non velit: sed quia nullus salvus fit, quem non velit salvum fieri.* Componitur insuper specialis voluntas reprobativa, vel exclusio reprobatorum à gloria, tanquam à beneficio indebito, vel ex motivo justitiæ, vel ex supremo Dei dominio, vel ex boni excellentia, teste eodem Augustino Epist. 107. *Quomodo, inquit, dicitur, omnes homines fuisse gratiam accepturos, si non illi, quibus non datur, sua voluntate respuerent, quoniam Deus vult omnes homines salvos fieri: cum multis non detur parvulis, & sine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus, festinantibusque Parentibus, Ministris quoque volentibus, ac paratis,*

Deo nolente, non detur; cum repente antequam detur, expirent, pro quo, ut acciperent, currebatur. Undè manifestum est, eos, qui huic resistunt tam perspicua veritati, non intelligere omnino, qua locutione sit dictum, quòd omnes homines vult Deus salvos fieri, cum tamen multi salvum non fiant, non quia ipsi, sed quia Deus non vult. Brevis sanè, sed profundissima responsio, quia non vult. Deus enim est Supremus Dominus gloriæ, quæ nulli creaturæ est debita; cum sit finis supernaturalis cujuscumque creaturæ intellectualis, & suprema gratia, ut dicitur ad Rom. 6. *Gratia Dei vita aterna, ut probat D. Thomas in 1. ad Anni q. 41. art. 3. in corp. Voluntati divinæ de salute hominis duplex voluntas opponi videtur, scilicet voluntas de contradictorio, secundum quod vult aliquem non salvare; & voluntas de contrario, secundum quod vult damnare aliquem.* Prima quidem voluntas non requirit aliquam rationem ex parte voliti, cum status gloriæ non sit debitus humanæ naturæ; non enim requiritur ratio, quare non dem alicui, cui dare non debeo. Hæc D. Thomas: ex quibus apertissimè concluditur, cum voluntate antecedente salvandi omnes homines dari speciale aliam providentiam erga Prædestinatos, sicut & voluntatem consequentem non dandi gloriam reprobis, quin detur aliqua imperfectio ex parte voluntatis antecedentis. Favet, & consonat huic doctrinæ Eminentiss. Card. Bellarminus utramque voluntatem antecedentem, & consequentem distinguens lib. 2. de grat. & liber. arbitr. cap. 3. explicans illud 1. ad Timoth. 2. *Vult omnes homines salvos fieri.* Et illud 1. Petri 3. *Neminem vult perire, sed omnes ad agnitionem veritatis venire,* respondet: *hæc loca parum ad rem faciunt. Solum enim significant, Deum non impedire quemquam à salute. Immo remedia, & auxilia pro omnibus in communi instituisse, prædicationem Evangelii, & Sacramenta voluisse omnibus esse communia, &c. sed ex his nemo rectè colliget Deum expectare, ut homines suis viribus velint salvum fieri: sed, inquirunt, si Deus vult, omnes salvos fieri, cur non fiant omnes salvum, nisi quia ipsi nolunt? Respondeo, verissimum est, non fieri omnes salvos, quia ipsi nolunt, nam si vellet, Deus eis utique non desset. Cæterum nemo vult salvum fieri, nisi Deus præveniendo, ac præparando voluntatem faciat eum velle; cur autem Deus non faciat omnes velle, quis novit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit? Itaque sicut verum est, non omnes salvos fieri, quia Deus non vult voluntate illa beneplaciti, de qua scriptum est in Psal. 113. *omnia quaecumque voluit, fecit in Cælo, & in Terra.* Et tandem simul etiam verum est, Deum velle omnes salvos fieri voluntate illa, quam rectè Theologi antecedentem vocant. Nihil sanè clarius, nihil efficacius, nihil ad propositum convenientius.*

32. En qualis in Schola Thomistica est tota gratiæ æconomia; en duplex sincera, & vera salvandi voluntas: prima, quæ præ-

pa-

parat, & offert omnibus auxilia sufficientia, quibus salutis effectum consequi possint; & secunda consequens, ad quam infallibiliter effectus sequitur. Illa est, qua Dei bonitas in omnes diffunditur; ista sic cum effectu est infallibiliter connexa, quòd ab eo, quòd Deus semel voluit, & decrevit, nec ipse Deus potest recedere, nec diverti, teste S. Augustino asserente: *Abst, ut impediatur ab homine, omnipotentia, & cuncta præscientis intentio. Parum de re tanta cogitant, vel ei excogitanda non sufficiunt, qui putant, Deum omnipotentem aliquid velle, & homine infirmo impediante non posse.* Sed de hoc plura infra dub. 3. dicturi sumus.

33. Quis ergo nisi fortè aut malignus, aut imperitus audeat dicere, hanc Thomistarum doctrinam sapere mentem Jansenii, habereque cum illa minimum commercium? Ille novum hoc, & absurdissimum dogma induxit, quòd solum ante primi Parentis peccati prævisionem erat in Deo voluntas vera, & sincera salvandi omnes homines, ipso sic fatente lib. 3. cap. 20. de grat. Christi Salv. sequentibus verbis, innixus cuidam D. Damasceni testimonio: *Significat ergo Damascenus, voluntatem, quam Deus ex se concepit, quando humanum genus instituit, quaque omnia peccata hominis antecessit, fuisse bonitatis, ut homo gratia, salutis, felicitatisque particeps fieret. . . . talis antecedens voluntas quamdiu res sine accessoriis circumstantiis consideratur, aliquid ad causandam gratiam sufficientem, aliæque media necessaria procuranda saluti, facit, ut potè ex qua gratia primorum hominum sufficiens fluxit.* En quomodo voluntatem antecedentem in Deo dumtaxat ante peccatum Adami agnoscit. At post primorum Parentum peccatum voluntatem antecedentem, qua velit omnes homines salvos fieri, removet à Deo; adeoque negat, ullam ex vi talis voluntatis antecedentis in præsentis statu dari sufficientem gratiam, ita in eodem capite dicens: *Postquam peccata jam ab hominibus inducuntur, considerantur, antecedens voluntas in sola prævisione mentis, adeoque nuda quadam velleitate, nihil omnino gratiæ causante, consistere potest, quòd ex eo manifestissimè patet, quia talem voluntatem antecedentem etiam erga damnatas creaturas, sive hominum, sive Angelorum Deus habet.* Quinimò supposita illa voluntate antecedente, redarguit Theologos, quòd doctrinâ istâ reviviscit Semipelagianorum hæresis, ut in eodem capite affirmat: *Non posse statui, quòd Recentiores plerumque solent, voluntatem quamdam generalem, qua Deus velit omnes homines, in damnatione primi peccati positos, salvos fieri, ex qua voluntate non solum generalia redemptionis remedia, sed etiam sufficientia adjutoria omnibus etiam reprobis præparaverit. Sicut enim talia sufficientia adjutoria non dantur omnibus, immò nulla omnino post lapsam sunt, ita nec voluntas illa generalis, ex qua promanare dicuntur.* Undè cum cap. 21. se-

quenti objectionem ex communi Theologorum doctrina petitam, nempe dari gratias sufficientes ad salutem comparandam, quia pro omnibus Christus mortuus est, sibi proposuisset sub his terminis: *Aliud argumentum pro gratia sufficienti omnium proferri solet, quia Christus est Redemptor omnium, juxta illud 1. ad Timoth. 2. Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Nec enim redemptio omnium ullo modo videtur esse posse, nisi gratiam saltem sufficientem omnibus præparaverit. Ad hoc argumentum respondet, dicendo: *Respondetur, & hoc argumentum, sicut omnia præcedentia jam olim ad nauseam usque à Pelagianis, præsertimque Massiliensibus inculcatum fuit, ut mirum sit, Recentiores tanto studio trita Hæreticorum arma colligere, & obsoleta recudere. Nec enim, pergit ille, juxta doctrinam Antiquorum, pro omnibus Christus passus, aut mortuus est; aut pro omnibus omnino tam generaliter sanguinem fudit; cum hoc potius tanquam errorem à fide Catholica abhorrentem doceant esse respiciendum. Illa extensio, inquit ulterius ad eisdem capitis finem, tam vaga modernorum Scripturam non alio ex capite, quàm ex ista generali, & indifferenti voluntate Dei erga salutem omnium, & ex illa sufficientis gratiæ omnibus conferenda præparatione fluxit, quorum utrumque Augustinus, Prosper, Fulgentius, & antiqua Ecclesia velut machinam à Semipelagianis introductam repudiavit.* Sed ex dictis jam fatis attrita est à nobis hæc Jansenii nova cavillatio.

34. Si dixeris, quòd non potest statui voluntas generalis, qua Deus omnes homines, in damnatione primi parentis positos, velit salvos fieri, cum ex tali voluntate generalia remedia non sint omnibus præparata; magisque debeat dici quædam velleitas, quæ in sterili, & otiosa hæreat complacentiâ, quàm vera voluntas; ut illam dicit D. Thomas 1. p. q. 19. art. 6. ad 1. *Undè magis potest dici velleitas, quàm absoluta voluntas.* Quod & repetit 3. p. q. 21. art. 4. ubi contraponit voluntatem absolutam Christi Domini voluntati generali, qua vult omnium salutem, dicens: *Illud autem, quòd volumus secundum motum voluntatis simplicis, qua consideratur, ut natura, non simpliciter volumus; sed secundum quid, scilicet, si nihil obstat, quòd per deliberationem rationis invenitur. Undè talis voluntas magis dicenda est velleitas, quàm absoluta voluntas, quia scilicet homo hoc vellet, si aliud non obfisteret.* Cujus dicti rationem assignat dicto art. 6. dicens, *quòd quidquid Deus simpliciter vult, fit, licet non illud, quòd antecedenter vult: ergo cum non omnes re ipsa salventur, voluntas illa Dei omnes salvare volens, non est vera voluntas, sed nuda velleitas, nihil virium subministrans, aut unquam subministratura.*

35. Secundò: nequit ferri velle aliquid objectum, qui ex se habet voluntatem incompossibilem cum ejus consecutione; sicut non

potest homo velle ferri, ut amicus adipiscatur beneficium, si ex se habet voluntatem incompossibilem cum ejus consecutione; sed in Deo datur in ordine ad reprobos vera, & absoluta voluntas incompossibilis cum consecutione salutis: ergo voluntas illa, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, non est vera voluntas formaliter existens in Deo, sed nuda velleitas.

36. Aequo animo sustinere non possum, quod nobis objiciant D. Thomam, qui non potuit melius, & verius hanc docere veritatem. Pro quo maxime observandum, quod agens ex professo D. Thomas de Dei voluntate 1. p. q. 19. illam primam divisionem dividit in voluntatem beneplaciti, & in voluntatem signi. Hæc voluntas, cum non sit actualissimum velle Dei, sed effectus ejus, signans, & indicans sui causam, nempe Dei voluntatem, sicuti metaphoricè, & improprie dicitur voluntas Dei, ita metaphoricè, & improprie reperitur in Deo. Non sic voluntas beneplaciti, quæ cum sit ipsum velle actualissimum Dei, in Deo formaliter, & propriissimè reperitur, quod sequentibus aureis verbis concludit D. Thomas de verit. q. 23. art. 3. ad 6. *Distinguitur voluntas signi à voluntate beneplaciti; quia unum est ipse Deus, aliud est, ut effectus ejus.* Hanc voluntatem beneplaciti dividit iterum D. Thomas art. 6. citat. q. 19. in resp. ad 1. in voluntatem antecedentem, & consequentem, attenda objectorum diversitate, ita quod hæc fertur in objectum vestitum suis circumstantiis, altera verò in bonum secundum se consideratum. At tam voluntas antecedens, quam consequens formaliter reperitur in Deo, ut ibi docet D. Thomas, dicens: *Invenitur in Deo proprie ratio voluntatis, ut supra dictum est, & hæc est voluntas beneplaciti, quæ per antecedentem, & consequentem distinguitur.* Ecce quam mira, & Angelica claritate exprimit Angelicus Doctor veram, & sinceram voluntatem in Deo formaliter repertam de omnium hominum æterna salute; cujus voluntatis sinceritatem, & veritatem exponit cap. 19. Joann. lect. 3. comparando ipsam vehementi desiderio: *Per hoc, inquit S. Doctor, quod dicitur sitio, ostenditur ejus vehemens desiderium de salute generis humani 1. ad Timoth. 2. vult omnes homines salvos fieri, Luc. 19. venit Filius hominis querere, & salvum facere, quod perierat. Vehemens autem desiderium conjuvimus exprimere per sitim.* Quæ eadem Phrasi usus est S. Augustinus in Psal. 68. Conc. 1. *Sitis ipse erat, quando dixit mulieribus sitio, da mihi bibere; fidem ipsius sitiebat: & de cruce, cum diceret, sitio, fidem illorum querebat, pro quibus dixerat: Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt, quod vehemens desiderium, & sitis sumuntur late pro voluntate salutis; quia nempe ex ista oritur tot beneficiorum, & mediorum preparatio, quod in hominibus esset indicium vehementis deside-*

rii. In quod redit, quod alibi dicit S. Doctor super Psal. 18. *Spiritus Sanctus calefacit, Cantic. 8. Lampades ejus Lampades ignis. Sed numquid multi non recipiunt calorem ejus? Dicendum, quod sicut est de sole materiali, ita contingit de Spiritu Sancto. Multi autem possunt se abscondere, & non recipere calorem Solis. Sed Sol ex parte sua se exhibet omnibus: sic Spiritus Sanctus effunditur ubique, & petit ab omnibus recipi, nisi aliquis se per malitiam abscondat.*

37. En sincerissimus Dei amor omnibus, nemine dempto, bonitatis divitias effundens, omnes movens, & excitans; non unius, vel alterius, sed omnium, & singulorum corda movens; cum omnes interioris gratiæ auxilio illustrentur. Si ergo Deus propter salutem hominum tot, & tanta operatur, si ex ista voluntate salvandi omnes homines decrevit Deus ineffabile Incarnationis Mysterium, teste D. Augustino lib. de Catechizand. rudib. 26. dicente: *A quo interitu, hoc est, penitus sempiternis, Deus misericors volens homines liberare, si ipsi non sint inimici, & non resistant misericordie Creatoris sui, misit unigenitum filium;* quomodo voluntas ista dici potest pura velleitas, & metaphorica voluntas? Hoc sanè penitus inintelligibile est. Primò: quia ex voluntate salvandi omnes homines Deus preparavit illis auxilia sufficientia. Etenim per illam voluntatem ordinantur homines ad finem supernaturalem; ex qua ordinatione oritur in Deo voluntas conferendi auxilia sufficientia, quæ sanè voluntas ex se ipsa non oritur, nec ortum ducere potest; sed pura velleitas, & metaphorica voluntas nullum ponit medium, nihilque ad finem atsequendum operatur: ergo illa voluntas est formaliter existens in Deo, & non quædam velleitas. Hoc sanè clarissimè probat verissimam, & sinceram Dei voluntatem. Quomodo namque verificari potest, Deum ordinasse hominem ad vitam æternam, & ipsum, ut hanc consequeretur, condidisse, absque voluntate finis? Implet enim, quod amenatur media, ut talia, & quod dentur, ut consequatur finis, absque voluntate finis; cum in omni ordinatè, & ferri agente vera voluntas mediorum supponat veram voluntatem finis, ut luculenter docet D. Thomas de verit. q. 6. art. 1. distinguens inter providentiam, & prædestinationem, dicens: *Providentia ordinem in finem respicit tantum; unde per Dei providentiam omnes homines ad Beatitude ordinantur. Sed prædestinatio respicit etiam exitum, vel eventum ordinis; unde non est nisi eorum, qui gloriam consequuntur.* Secundò: quia hominem peccantem facere contra voluntatem Dei, & Spiritui Sancto resistere clamat aperte Scriptura; sicut & hominem contra illam operantem, effectuique hujus voluntatis resistentem, experturum esse in suppliciis potestatem Dei; quæ etiam veritate plenæ sunt paginæ sacræ: sufficiat mo-

do

do quod suis contemptoribus sapientia loquitur Proverb. 1. dicens: *Vocavi, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret; despectistis omne consilium meum, & increpationes neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, cum, quod timebatis, advenierit; cum irruerit super vos repentina calamitas, & interitus velut tempestas ingruerit.* Sed mera velleitas non infert reatum poenæ æternæ, cum non secum afferat consilium, & præceptum: ergo damnatio sic operantis supponit in Deo veram, & sinceram voluntatem, quæ cum omni proprietate accepta sit formaliter in ipso existens, qua velit omnes homines salvos fieri. Tertio, quia hæc voluntas generalis, & antecedens salvandi omnes homines non est ex illis quinque divinæ voluntatis signis, quæ assignantur à Theologis, maximeque à D. Thoma art. 12. sæpè citat. q. 19. quæ sunt, *præceptum, prohibitio, consilium, permissio, operatio;* ex quibus solum in Deo dicitur voluntas metaphorica, ut testatur idem S. Doctor ibi art. 11. in corp. per hæc verba: *In Deo distinguitur voluntas proprie, & metaphoricè dicta. Voluntas enim proprie dicta vocatur voluntas beneplaciti: voluntas autem metaphoricè dicta est voluntas signi, eò quod ipsum signum voluntatis voluntas dicitur, ut reperit in 1. tententiar. dist. 45. art. 4. Deus potest dici velle aliquid dupliciter, vel proprie; & sic dicitur velle illud, cujus voluntas verè in eo est, & quod sibi complacet: & hæc est voluntas beneplaciti. Dicitur etiam aliquid velle metaphoricè, quod ad modum volentis se habet, ut dum præcipit, vel consulit: ergo est voluntas formaliter, & proprie existens in Deo, non metaphorica, sed vera declaratio amoris, & affectus divini erga genus humanum. Quarto: velleitas dicit actum incompletum, non plenum, videturque importare impotentiam quamdam, non potentis efficere, quod vult. Connotat etiam desiderium habendi, aut faciendi id, quod vult; videturque includere carentiam boni desiderati: quæ sanè non possunt commodè intelligi de voluntate antecedenti salvandi omnes homines: quæ ex parte Dei semper impletur quantum ad proprium effectum, qui est ordinare ad salutem, & dare media sufficientia ad illius consecutionem: quam si non in omnibus implet, hoc non est ex impotentia Dei, & defectu activitatis; sed ex libera ordinatione ipsius volentis, seu resistissimam voluntate, quæ illam in omnibus non impleri decernit: nam actu consequi salutem, est proprius effectus voluntatis consequentis, quæ necesse est, ut semper impleatur.*

38. Hæc sanè efficaciter probant veram, & sinceram Dei voluntatem salvandi omnes homines. At si ipsa in sui universalitate considerata, ut inquit D. Thomas, potius velleitas dici debet, hoc solum debet intelligi secundum modum intelligendi, qui intelligendi modus non est sine fundamento in re. Ete-

nim, cum hæc distinctio voluntatis antecedentis, & consequentis non accipiatur ex parte ipsius voluntatis divinæ, in qua nihil est prius, vel posterius, sed ex parte volitorum; hinc aliquomodo à nobis secundum nostrum modum intelligendi concipitur illa voluntas antecedens, ac si esset velleitas quædam; cum modus tendendi ad objectum, non sit modus ille perfectus, & completus correspondens actui voluntatis; cum feratur in salutem, non ut ponendam in re, & cum suis circumstantiis: cum tamen perfectio actus voluntatis attendatur, secundum quod voluntas fertur in objectum, ut agendum, & consequendum in particulari, consideratis omnibus suis particularibus circumstantiis. Quarè etsi non sit velleitas, à nobis, ut talis, & ut voluntas secundum quid consideratur. In eodem sensu intelligi debet D. Thomas loco citato 3. p. q. 24. art. 1. Etenim cum voluntas Christi fuit omnino conformis voluntati divinæ, ut testatur ipse Joan. 6. *Quia descendi, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me:* sicut in Deo datur voluntas antecedens, & consequens, ita in Christo datur utraque voluntas, quarum distinctionem notat D. Thomas 1. ad Timoth. cap. 2. lect. 1. dicens: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: pro aliquibus efficaciter, pro omnibus sufficienter; quia pretium sanguinis ejus est sufficiens ad salutem omnium, sed non habet efficaciam, nisi in electis, propter impedimentum.* At cum ex vi hujus voluntatis antecedentis non omnes ad salutem pertingant, ideo dicitur voluntas secundum quid, seu velleitas in sensu superioris dicto. Dicitur autem ita, quantum ad rationis nostræ captum, velleitas, sumpto nomine à tempore imperfecto *vellem*, ut habeatur distinctio significandi ab altera deductione ex tempore præsentis, perfectoque *volo*: ex quo deducitur significatio voluntatis absolute, quæ semper impletur; quia apud nos nullus est alius modus significandi utramque voluntatem, quam per has expressiones: *absolute volo*: atque, *Si expediret, absolute vellem*. Itaque non est velleitas excludens ferriam voluntatem, sed dumtaxat absolutam. Quod ultimo loco dicitur insubsistens omnino detegitur, cum ibi hæc duo componat D. Thomas, quod omnis voluntas consequens impletur, licet non sub reduplicatione & quatenus antecedens: cujus rationem proponit in corp. articuli dicens: *Ad cujus evidentiam considerandum est, quod cum effectus conformetur agenti secundum suam formam, eadem ratio est in causis agentibus, quæ est in causis formalibus. In formis autem sic est, quod licet aliquid possit deficere ab aliqua forma particulari, non tamen à forma universalis deficere potest. Potest enim esse aliquid, quod non est homo, vel vivum, non autem potest esse aliquid, quod non sit ens. Unde hoc idem in causis agentibus contrarium oportet: potest enim aliquid fieri extra ordinem alicujus cause particularis agentis, non*

X x 2

au-

autem extra ordinem alicujus causæ universalis, sub qua omnes causæ particulares comprehenduntur: quod si aliqua causa particularis deficiat à suo effectu, hoc est propter aliquam aliam causam particularem impediendam, quæ continetur sub ordine causæ universalis. Unde effectus ordinem causæ universalis nullo modo potest exire. Et hoc etiam patet in corporalibus. Potest enim impediri, quod aliqua stella non inducat suum effectum, sed tamen quicumque effectus ex causa corporea impediens in rebus corporalibus consequatur, oportet, quod reducat per aliquas causas medias in universalem virtutem primi Cæli. Cum igitur voluntas Dei sit universalis causa omnium rerum, impossibile est, quod divina voluntas suum effectum non consequatur. Unde, quod recedere videtur à divina voluntate secundum unum ordinem, relabitur in ipsam secundum alium. Sicut peccator, qui quantum est in se, recedit à Divina voluntate peccando, incidit in ordinem Divinae voluntatis, dum per ejus justitiam puniatur. Nihil clarius, aut luculentius inveniri potest hac apertissima D. Thomæ auctoritate, & doctrina, quam repetit q. 25. de verit. art. 2.

39. Quod secundo loco dicitur, minimo negotio refutabitur, si consideretur duplex ratio discriminis assignata à M. Bolivar tract. 4. de volunt. Dei dub. 5. §. 5. Prima est, quod in hominibus non fiat relinquere consecutionem beneficii in amici libertate, & simul habere voluntatem impossibilem cum ejus consecutione, secus: verò in Deo: cujus ratio est; nam voluntas, seu dispositio divina utpotè primi Provisoris, non aufert, sed infert libertatem creaturæ, quæ in hominibus non currit. Secunda discriminis ratio, & præcedentis confirmatio est, quod ad Deum non solum spectat velle salutem consequendam ab homine dependenter ab ejus libertate, sed etiam providere de determinatione, liberâ creaturæ; atque aded bene fiat, quod Deus vellet inefficaciter salutem, quam homo consequetur, si per ipsum non fiet, quod ad seriam voluntatem sufficit, & simul quod postea ob alios fines sibi notos permittat defectum in creatura impediendam consecutionem salutis: quod in uno homine respectu alterius non contingit. Hæc doctrina verissima est, si D. Thomæ credimus 1. par. q. 22. art. 2. ad 2. dicenti: *Quod aliter de eo est, qui habet curam alicujus particularis, & de Provisore universali: quia Provisor particularis excludit defectum ab eo, quod ejus curæ subditur, quantum potest; sed Provisor universalis permittit, aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius. Unde, corruptiones, & defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contra naturam particularem; sed tamen sunt de intentione naturæ universalis, in quantum defectus unius cedit in bonum alterius, vel etiam totius universi; nam corruptio unius est generatio alterius, per quem species conservatur. Cum igitur Deus sit universalis Provisor*

totius entis, ad ipsius providentiam pertinet, ut permittat quosdam defectus esse in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum universi perfectum: si enim omnia mala impedirentur, multa bona deessent universo. Non enim esset vita leonis, si non esset occisio animalium: nec esset patientia Martyrum, si non esset persecutio Tyrannorum. Unde dicit Augustinus (in Enchir.) Deus Omnipotens nullo modo sineret malum aliquod esse in operibus suis, nisi usque aded esset Omnipotens, & bonus, ut bene faceret etiam de malo: quibus satis explorata, perspecta, & cognita est argumenti solutio. Et argumentum manifestè instatur in Adversariorum doctrina: Deus enim volens serio conversionem, & salutem omnium hominum, scit, esse necessarium, ut convertatur homo, & fiat salvus, ipsi conferre auxilium, cum quo prævidit perseveraturum, & convertendum: & juxta alios cognoscit, esse necessarium, conferre auxilium ex motivo efficacitæ, & directum ex scientia media, saltem juxta hanc providentiam; & tamen cum voluntate ista antecedenti, fiat voluntas consequens de non conferendo reprobis tali auxilio: ergo cum voluntate illa antecedenti, qua Deus ex sua bonitate, & misericordia vult, omnes homines salvos fieri, compositibilis est voluntas consequens de denegatione salutis. Sed hæc satis sint: vereor enim ne de his nimium multa dixerim.

§. III.

Distinctio sensus compositi, & divisi explicatur.

40 **T**raçtat ita perlucidè distinctionem istam M. Lemos tom. 1. tract. 4. ut nihil novi posteris reliquerit dicendum. Hujus distinctionis probat necessitatem ex Sacra Scriptura, Conciliis, & PP. quæ sine hac distinctione congruam nequeunt habere intelligentiam. Nam Genes. 24. Laban, & Bathuel dicunt: *A Domino egressus est sermo, non possumus extra placitum ejus quidquam aliud loqui tecum.* Et lib. Numer. cap. 22. ait Balaam: *Numquid loqui potero aliud, nisi quod Deus posuerit in ore meo?* Cum autem omnes isti liberè loquerentur, ut constat, potestas, quam sibi negant ad loquendum, est potestas consequens; sive in sensu composito. Rursus Joann. 12. de Judæis dicitur: *Non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: excæcavit oculos eorum,* quo in loco non negatur Judæis potestas antecedens, seu in sensu diviso ad credendum, alioquin, peccatum non commississent infidelitatis, quod est falsum; sed negatur potestas consequens, sive in sensu composito: quia videlicet potestatem non habebant Judæi ad conjungendam fidem cum excæcatione, quam de illis Isaias pronuntiaverat. Simile est illud: *Pater si possibile est,*

est, transeat à me calix iste. Et iterum: *Si non potest calix iste transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua;* ubi verbum potest accipitur in sensu composito; nec enim Pater decernens passionem Christi à se potestatem abiecit absolutam illam amovendi à Christo, sed tamen potestate illa retenta, erat amotio impossibilis in sensu composito decreti. Idem sensus compositus colligitur ex illo Psal. 75. *Tu terribilis es, & quis resistet tibi?* Et ex illo Isaïæ 47. *Non resistet mihi homo.* Et ex illo Rom. 9. *Voluntati ejus quis resistit?* Et ex illo Isaïæ 46. *Consilium meum stabit, & voluntas mea fiet.* Et ex illo Isaïæ 13. *Dominus exercituum decrevit, & quis poterit infirmare?* Quæ omnes locutiones sensum compositum videntur apertissime denotare, quia videlicet non stant, nec stare possunt ista duo, quod Deus absolutam suam voluntate velit aliquid fieri, & quod illud non fiat.

41. Ex Sacro Concilio Tridentino eadem constat claritate istius distinctionis necessitas. Nam Sess. 6. de justificatione. Can. 22. ita definit: *Si quis dixerit, justificationem, vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse; anathema sit.* Nec est dubium, quod verbum posse accipitur in sensu composito; nam certè loquendo de potestate in sensu diviso, perseverare potest justificatus, cui tale deficit auxilium. Nam justus, qui non perseverat, liberè omittit perseverantiam, nec enim peccaret non perseverando, si liberè perseverantiam non omitteret: & tamen illud speciale auxilium, cujus Canon meminit non habuit; quia cum illo speciali auxilio, in quo consistit munus perseverantiæ, perseverantiæ carentiam conjungere non valeret: nam qui illud habet, ut docet S. Augustinus, infallibiliter perseverat: ergo in sensu composito carentiæ illius auxilii specialis, habuit per gratiam, qua justus erat, & per auxilia communia potestatem antecedentem ad perseverandum, sive in sensu diviso, non consequentem, sive in sensu composito, quia scilicet perseverantia cum illius auxilii carentia compositibilis non est.

42. Constat tertio necessitas hujus distinctionis ex SS. PP. Nam D. Augustinus in Joann. tract. 26. explicans illa verba Christi: *Erunt omnes docibiles Dei;* ait: *quare hoc dixit, & Judæi? Pater vos non docuit, quomodo me potestis agnoscere?* Et serm. 17. de Nativitate dicit de Isaac: *Apprehendi meruit, vinciri meruit; non tamen aliquid Mundo contulisset, si potuisset occidi:* ac tandem lib. 3. contra Cresconium Grammaticum ait cap. 33. *In his Cypriani verbis non intelligimus lucem non capere divisionem nisi Sanctis in Regno Dei prædestinatis, qui dividi ab Ecclesia nullo modo possunt:* quibus in locis non negatur potestas antecedens, sive in sensu diviso: sic enim poterant Judæi Christum agnoscere, Isaac occidi, Prædestinati damnari: sed negatur potestas consequens, sive in sensu composito.

Hæc necessitas communi aliorum SS. PP. consensu firmatur; Athanasii, Hieronymi, Chrysostomi, Gregorii, Prosperii, Fulgentii, Bernardi, Anselmi, Leonis I., & Celestini I. quorum verba non adducimus, quia minime necessaria.

43. Constat ultimò ex D. Thoma Opusc. 39. cap. 5. ubi explicans, quomodo fallaciæ compositionis, & divisionis cavendæ sint, ita dicit: *Formatur sic paralogismus: quemcumque possibile est esse album, possibile est, quod ipse sit albus: sed nigrum possibile est esse album: ergo possibile est, quod niger sit albus. Non valet, quia illud dictum, nigrum esse album, potest supponere ei, quod dicitur possibile, vel ratione subjecti, & tunc possibilitas attribuitur subjecto dicti, & est modalis de re, & tunc est divisa, & vera. Est enim sensus, quod ille, qui est niger, potentiam habet, quod sit albus. Vel potest idem supponere in ratione totius dicti, & sic est modalis de dicto, & est composita, & falsa, & est sensus, quod hoc dictum, album esse nigrum, est possibile. Unde est fallacia compositionis. Et potest etiam formari sic paralogismus: quodcumque esse nigrum est impossibile, ipsum non potest esse nigrum: sed album esse nigrum, est impossibile: igitur album non potest esse nigrum. Non valet, quia minor est duplex, sicut supra dictum est; & in sensu composito est vera, & in diviso est falsa. Unde est fallacia divisionis.* Hæc tanta D. Thomæ diligentia in detegendis his fallaciis satis ostendit, quàm necessaria sit illius distinctionis cognitio, quæ cum re vera perfectam totius disputationis intelligentiam comprehendat, duplici conclusione ipsam explanare conabor.

Rejicitur quorundam falsa sensus compositi, & divisi intelligentia.

44. Recipiunt omnes Scholastici, etiam Jesuitæ, distinctionem istam, sed non omnibus communis est intelligentia. Tria sibi Doctores Societatis, ut certissima statuunt fundamenta, quæ refert, & impugnat loco citato piissimus, & sapientissimus M. Lemos. Sensus compositus, ajunt, importat compositionem alicujus actus, vel alicujus formæ cum subjecto; ita sanè, ut quoties ex parte subjecti ponitur vel forma, vel actus in propositione, sit sensus compositus. Unde aliqui asserunt, hanc esse compositam: *homo albus potest esse niger*, quia ex parte subjecti ponitur albedo quam significat vox *albus*: & similiter ista est composita apud ipsos, *liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum potest dissentire*; unde asserunt, per illam importari compositibilitatem dissensus cum motione, & excitatione arbitrii à Deo facta. Illam verò appellant divisam, in qua ex parte subjecti non importatur forma aliqua, sed remotio illius. Unde illa propositio *liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum potest dissentire*, ut sit divisa, ita debet accipi, *liberum arbitrium à Deo*

à Deo motum, & excitatum, ablata ab ipso motione, & excitatione Dei, potest dissentire, non tamen illa retenta. Et ita existimabant olim, à nostris sensum compositum, & divisum intelligi, & acceptari.

45. Ut ergo Recentiores hac utantur distinctione, asserunt, illam habere locum in propositionibus, quæ ex parte subjecti important aliquid consequens exercitium aliquod nostræ libertatis: v. g. ista est vera in sensu diviso, *Petrus amans potest odisse*; est tamen falsa in sensu composito; in sensu diviso est vera, quia denotatur in illa, quod Petrus, dum est sub exercitio libero amandi, retinet potentiam ad odium ponendum, sed amore abjecto, quem voluntas pro libito abjicere potest; est tamen falsa in sensu composito, quia in illa denotatur potestas ad conjungendum odium cum amore, quæ potestas non datur in arbitrio Petri. Hæc intelligentia vera est, quantum ad id, quod affirmat: sed nolunt, eam extendi ad suppositionem aliquam connexam, & antecedentem usum, & exercitium libertatis, ut rectè animadvertit M. Ledesma disp. unica de auxiliis art. 12. *Autores hi in aliis materiis Theologicis hanc distinctionem admittentes, rejiciunt eam in præfenti Disputatione, quia eorum argumenta, admissa hæc distinctione, ut admitti debet, evidenter solvantur à Thomistis.* Quapropter sibi persuaserunt, libertatem non destrui per necessitatem, quæ inducitur ex usu, & exercitio libertatis; destrui tamen asserunt, si necessitas orta sit ex suppositione antecedenti. Et hoc est secundum illorum fundamentum.

46. Unde tertio sibi persuadent, idem omnino esse, liberum arbitrium posse dissentire, posita motione, & excitatione Divina, ac posse cum tali motione, & excitatione conjungere dissentium. Quocirca indubitanter asserunt, quod omnis suppositio antecedens usum libertatis, quæ necessaria illatione consensum infert, libertatem adimit. Ex quo rursus inferunt, infallibilitatem scientiæ prævidentis aliquod futurum liberum, efficaciam voluntatis Divinæ, prædestinationis, gratiæ, sive auxilii inferentem consensum liberos, esse suppositionem ortam, & consecutam nostræ libertatis usum, & exercitium. Ideo quippe, asserunt, *Deus videt, consensum esse futurum, quia consensus futurus est*, non tamen è contra. Ac tandem, ideò auxilium hoc consensum infert liberum, quia Petrus vult cum illo auxilio consentire, non quia auxilium determinat Petrum ad consensum.

47. At cum nulla falsa doctrina, teste D. Augustino lib. 2. qq. Evangel. cap. 4. *Ita sit falsa, ut non aliqua vera intermisceretur*, hoc in relata evenit explicatione. Nam in primis compositionem aliquam importari in illis propositionibus, *homo albus potest esse niger: liberum arbitrium à Deo motum potest dissentire*, nullus valet negare, nam in prima albedo componitur cum homine, in secunda motio

cum libero arbitrio. At iste non est sensus compositus, de quo Dialectici, de quo Philosophi, & de quo Theologi tractant. Quod patet, tum quia sensus compositus, & divisus, de quo prædicti tanta diligentia disputant, ille est, quem reddunt propositiones modales, quæque aliquo ex illis quatuor conficiuntur modis, *possibile, contingens, impossibile, necesse*, quibus non enunciatur possibilitas, contingencia, impossibilitas, aut necessitas subjecti ad formam, qua signanter ponitur subjectum propositionis affectum; sed disquiritur possibilitas, contingencia, impossibilitas, aut necessitas, qua subjectum tali affectum formam respicit, vel prædicatum propositionis, vel actum, quem importat verbum ejusdem propositionis. Unde in illa enunciatione, *homo albus potest esse niger*, non enunciatur, sed supponitur habitudo albedinis ad hominem; explicatur verò, & dicitur habitudo hominis albi, vel quia supponitur albus, ad nigredinem, quam significat prædicatum: similiter in illa, *liberum arbitrium à Deo motum potest dissentire*, supponitur ex parte subjecti motio Divina efficiens liberum arbitrium, & cum illo composita; enunciatur verò liberi arbitrii moti à Deo habitudo ad dissentium, significata per verbum potest.

48. Rursus, intelligentia sensus divisi, quem fingunt, falsissima est; & magis falsum, quod eam aliquando Thomistæ docuerunt; sed verissimum est eo in sensu, traditam fuisse à Calvino, homine nimirum, non modo hæretico, sed & scholastici acuminis omnino inficio. Primum constat, quia illa propositio, *homo albus potest esse niger*, quæ ex forma sua divisa est, juxta regulam Dialecticorum, eò quod mediat verbum inter subjectum, & prædicatum, non facit hunc sensum, *homo ablata albedine potest esse niger*, sed istum, *homo, dum est sub albedine, habet potentiam, ut sit niger*, ubi cum albedine actu habitâ, componitur potentia hominis ad habendam nigredinem; quæ ab aliquibus dicitur *simultas potentia*, etsi potentia non sit in homine ad conjungendam nigredinem cum albedine, quæ in ipso supponitur, & hæc ab iisdem dicitur *potentia simultatis*. Unde illa propositio in sensu composito modali dialectico, philosophico, & theologico est falsa, quia dicit, albedinem posse in homine componi cum nigredine pro eodem instanti. Vera tamen est in sensu diviso, quia affirmat, in homine albo potentiam dari ad nigredinem absolute habendam. Quod Thomistæ illo in sensu distinctionem istam nunquam explicaverint, videri potest eruditissimus Gonet tom. 2. in 1. part. disp. 6. de concord. cum prædestinat. art. 4. in quo tamen sensu illam propugnant Hæretici asserentes, tantum sublatâ motione Divina posse arbitrium dissentire. Sic Lutherus lib. de sermo arbitrio: *Donec durat spiritus, & gratia Dei in homine*: cui accinit Vincentius Lenis Episc. ad Petavium Janfentanæ doctrinæ

in studio ardens, *excusâ prædeterminatione, non retentâ*: quæ sensus, & intelligentia distinctionis Calvinistæ etiam est, & à Thomistis semper ut hæretica impugnata, & reprobata.

49. Quod verò pro secundo statuunt fundamento, diximus esse verum, quoad primam partem; nec enim arbitrium suam destruit potestatem ad dissentium per hoc, quod se determinat ad consensum. Quoad secundam verò falsum esse, statim patebit ex dicendis contra tertium. Et ratio est, quia Deus operans fortiter, & suaviter eo modo liberum movet arbitrium, quo ipsum moveri petit: at liberum arbitrium petit sibi non auferri potestatem ad dissentium per motionem divinam: ergo motio divina talis est, quæ arbitrium determinet ad consensum fortiter, illas omni ex parte potestate ad dissentium. Unde ad tertium deveniens, fundamentum esse omnino falsum, constat ex omnibus hucusque dictis. Etenim ut possit voluntas componere dissentium cum omnibus, quæ ex parte Dei concurrunt ad consensum, requiritur, quod omnia illa dominio voluntatis sint subjecta, & à voluntate in malum vertibilia. Nam quid est aliud principium actionis esse ad actionem applicabile à voluntate pro libito, & pro placito ad agendum, aut concurrendum determinabile, quam principium tale esse subjectum voluntati? Nec enim alio ex capite probamus voluntatem, & appetitum, intellectum, cæterasque potentias nobis esse subjectas, nisi quia illas pro libito applicamus; & ad operationes suas determinamus. Quod cum ita sit, nimis evidenter apparet absurdum: etenim si voluntas potest vertere in malum omnia, quibus Deus concurrat ad consensum: ergo nostrum est, & non Dei, quod bene volumus, quod loquimur, quod sanctè cogitamus; quod dicere piaculum est: hæc enim erat Pelagii mens, consequentiam istam ex simili, immò ex eodem antecedenti inferentis; & quam non negavit, legitimam esse S. Augustinus, ut constabit legenti accuratè totum librum de gratia Christi, quin potius, ut negaret consequens, quod videbat legitime inferri, negavit antecedens. Refert illud Pelagii assertum D. Augustinus lib. citato cap. 4. & cum illud toto illo libro impugnet, nunquam invenitur, negasse consequentiam; quæ ipsius Pelagii ratione probari potest.

50. Conjungere cum actu bono principia de se conjungibilia cum actu malo, illi dumtaxat debet, ac potest tribui, qui ita conjungit unum cum alio, ut in omni sensu composito, & diviso expeditus sit ad non faciendam prædictam conjunctionem; sed solum expeditus est ad non faciendam prædictam conjunctionem, qui se ad istam unice determinat, & non determinari valet ab alio: ergo illi soli potest, ac debet conjunctio illa, & actus bonus ex ea secutus tribui, qui se ad conjunctionem unice determinat, nec ab

alio valet determinari, ut illam faciat. Hoc uno verbo dixit Pelagius: *Illius est illa conjunctio, & actus, qui omnia potest vertere in malum*: sed homo juxta doctrinam argumenti ita conjungit, ut in omni sensu diviso, & composito expeditus sit ad non faciendam prædictam conjunctionem, potens omnia principia cum actu malo conjungere, ad quod se unice determinat, nec ab alio ad talem conjunctionem valet determinari; quin potius pro suo dominio potest illa omnia vertere in malum: ergo solius hominis, & non Dei esset illa conjunctio, quod ab orthodoxa Ecclesiæ doctrina mirum in modum distat.

§. I V.

Vera sensus compositi, & divisi intelligentia.

51. **P**receptis dialecticæ, & modo arguendi studemus modo, ut expressius, distinctius, & enucleatius doctrinam istam consignemus. Et primò supponendum est, propositionem modalem, de qua sermo nobis est in præfenti, illam esse, quæ afficitur aliquo ex his quatuor modis: *Possibile, contingens, impossibile, necesse*. Modi autem isti possunt tripliciter in propositionibus collocari: potest enim modus toti propositioni postponi, ut si dicas: *Prædestinatum damnari est impossibile*; vel potest præponi toti dicto, ut si dicas: *Impossibile est prædestinatum damnari*; vel tandem potest modus inter partes dicti locari, ut si dicas: *Prædestinatum impossibile est damnari: liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum potest dissentire*. Prima ex illis propositionibus dicitur apud Dialecticos composita, quando scilicet modus toti postponitur dicto, quia ex modo concipiendi significatur impossibilitas conjungendi prædicatum cum subjecto, ut in prima formata propositione; vel talis conjunctionis necessitas, ut in ista, *prædestinatum salvari est necesse*. Tertia propositionem, quando scilicet modus inter partes dicti collocatur, dicunt Dialectici, esse divisam, & in illa importari simultatem potentiæ ad actus, vel formas divisivè habendas. De secunda propositione, quando scilicet modus præponitur dicto, regulam fixam non constituunt. Quæ regulæ antiquitate ipsa maximam habent auctoritatem; & cum in Sacris Canonibus hujuscemodi inveniuntur propositiones, ideo diligenter attendendæ: mentes enim definitum divinam arte gubernantur, ut à communi modo loquendi non recedant. Cæterum propter innumera, & implicatissima Sophismata, quæ solent multiplicari à Sophistis in modalibus, tutius propositiones illas distinguimus, quam absolute concedimus, vel negamus, ut obsecuritas vitetur, & respondentis sensus clarior dignoscatur.

52. Porro, ut in exercitio disputationis facilis sit respondentibus hujusmodi sensus compositi, & divisi applicatio; nota, quod dicitur propositio *officians* illa, quam de *inesse* vocamus, sive categoricam, quæ remanet sublato modo: v. g. hujus modalis, *album esse nigrum est possibile*, propositio officians est ista, *album est nigrum*: & hujus, *liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum potest dissentire*; propositio officians est hæc, *liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum dissentit*. Si enim propositio modalis fuerit composita, est immediatè reducibilis ad suam officiantem: quod si ad illam non fuerit immediatè reducibilis, est divisa. Cujus ratio est, quia à modali composita ad suam officiantem est bona consequentia, nec in illa potest dari antecedens verum, & consequens falsum. A modalii verò divisa ad suam officiantem non est bona, sed mala consequentia, ac proinde dabitur in illa antecedens verum, & consequens falsum. Exemplo res sint, quia bene valet immediatè, & absque alia interveniente reductione, *Prædestinatum damnari est impossibile*: ergo hæc est impossibilis, *Prædestinatus damnatur*, inferimus evidenter esse compositam. Et quia non valet immediatè: *Libera arbitrium à Deo efficaciter motum, & excitatum, potest dissentire*: ergo hæc est possibilis, *liberum arbitrium à Deo efficaciter motum, & excitatum dissentit*, inferimus quoque evidenter juxta eandem regulam non esse compositam, sed divisam illam propositionem Concilii, quæ procedit de motione efficaci.

53. Ex officiante quoque diligenter inspecta facile assequimur veritatem, vel falsitatem modalis, non quidem divisa, sed composita, quia hæc sola reducibilis est immediatè ad suam officiantem. Nam si officians vera est, modalis quoque composita est vera: v. g. quia ista est vera possibiliter, *homo est albus*, hæc modalis est vera, *hominem esse album est possibile*, & quia ista est tam possibiliter, quam absolutè falsa, *stans sedet*, ista modalis est falsa, *stantem sedere est possibile*: valet quippe à negatione consequentis, sive à falsitate ad negationem, & falsitatem antecedentis, eò quod in bona consequentia consequens non potest esse falsum, & antecedens verum. Et quamvis ab affirmatione, aut veritate consequentis, argui non possit ad veritatem antecedentis, quia in bona consequentia potest esse consequens verum, & antecedens falsum, valet tamen in modalibus à veritate officiantis ad suam modalem compositam, propter materiæ necessitatem.

54. Pro quo iterum adverte, quod modalis non importat solam convenientiam, prædicati ad subjectum, sed importat explicitè modum convenientiæ, quod scilicet conveniat subjecto prædicatum, vel possibiliter, vel necessariò, vel contingenter, vel impossibiliter. Ex quo ortum habuit Philosophorum firma, & certa sententia, quod scilicet

omnis modalis, sive composita fuerit, sive divisa, est necessaria, aut impossibilis; quia non enunciat convenientiam in actu secundo, sed potentiam, vel repugnantiam convenientiæ, quæ non accidit, sed necessariò adest subjecto, quare valet à veritate officiantis ad veritatem modalis compositæ, et si videamur arguere ab affirmatione consequentis ad affirmationem antecedentis, quæ in materia contingente non est bona consequentia. Primum autem, quod de modalii diximus, constat ex differentia omnibus conspicua inter propositionem, quam vocant de *inesse*, & propositionem modalem. Nam profectò qui sic enunciat: *Petrum esse album est possibile*, aliud dicit ab eo, qui enunciat ita, *Petrus est albus*: nam hæc posterior enunciatio, ut sit vera, requirit, & quod existat Petrus, & quod albedinem actu habeat; illa verò prior non requirit, quod existat Petrus, et si permittat, nec exigit actualem albedinis inhærentiam, quia non enunciat convenientiam, sed convenientiæ possibilitatem: hæc autem possibilitas non est prædicatum contingens, sed necessarium; capacitas enim ad albedinem non accidit Petro, sed illi ab intrinseco convenit, eò quod est ab intrinseco corpus mixtum. Ex quo patet hujus Philosophici principii firmitas, & infallibilitas: quoties enim in propositione enunciat prædicatum ab intrinseco subjecto conveniens, propositio est necessaria: est verò impossibilis, quoties de subjecto dicitur prædicatum illi ab intrinseco repugnans. Cum ergo in modalibus enuncietur modus convenientiæ quantum ad possibilitatem, vel repugnantiam, nulla est contingens, sed necessaria, vel impossibilis.

55. Ulterius diligenter observa, quod possibilitas ad aliquam formam, actum, vel prædicatum significata per modum non destruitur per adventum formæ, actus, vel prædicati oppositi actui qui sit exercitium talis possibilitatis, v. g. in hac propositione: *Petrum esse album est possibile*, significatur potentia, Petri, ut albedinem habeat: hæc potentia non destruitur per hoc, quod Petro nigredo adveniat, & niger fiat, sed unà cum nigredine actu, & formaliter habita, atque actu inhærente conservatur, & componitur in Petro potentia, ut albedinem habeat: non enim prædicata necessaria subjecti destrui possunt ab accidenti prædicato subjectum non corumpente; sicut enim priora in suo esse non pendent à posterioribus, ita nec necessaria per contingentia destruantur. Cum ergo Petro pro priori ad albedinem, & nigredinem conveniat potentia ad albedinem, & necessariò conveniat, nigredo superveniens potentiam ad albedinem à Petro non removet. Undè hæc propositio: *Petrus niger potest esse albus*, in sensu diviso, ut ipsa ex forma sua præfert, non solum est vera, sed necessaria.

56. Consistit ergo distinctio modalis compositæ,

positæ, à modali divisa in ea, quod modalis composita enunciat, possibilem esse conjunctionem prædicati cum iis omnibus, quæ ponuntur ex parte subjecti: v. g. in hac propositione: *Petrum prædestinatum damnari est possibile*, quæ falsa est, dicitur possibilis conjunctione damnationis, quæ in dicto se tenet ex parte subjecti, quæ conjunctio impossibilis est, atque adeo propositio est impossibilis. At in modalii divisa res aliter se habet: nam et si importetur compositio aequalis ex parte subjecti cum uno extremo, & potestate ad alterum contrarium, quæ compositio non dicit possibilitatem illius extremi, sed actualem convenientiam, non tamen importatur possibilitas conjungendi utrumque extremum. Sit exemplum, ut rem ponamus ob oculos, in hac propositione *liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum potest dissentire*, sumpta in sensu diviso, supponitur ex parte subjecti duplex compositio, altera arbitrii liberi cum motione, & excitatione Dei actualiter sufficiente liberum arbitrium; altera totius subjecti, id est liberi arbitrii moti à Deo, & excitati cum potestate dissentendi; sed nullo modo importatur potestas conjungendi sensum cum motione, & excitatione divina, nec id requirit veritas illius propositionis prolata absolutè, quæ in sensu diviso est à Concilio definita, ut ex ipsa propositionis forma constat, in qua modus ponitur inter partes dicti; quæ Dialecticorum regula Concilium Spiritu Sancto directum minimè latuit. Ut ergo utriusque modalis sensum legitimum aperiatur, modalis composita illa est, in qua denotatur potestas conjungendi prædicatum cum subjecto, & cum omnibus subjecti affectionibus, sive determinationibus, quæ proinde, si inconjunctibiles sunt, propositio evadit falsa, ut constabit ex sua officiante. Modalis verò divisa importat actualem conjunctionem modi, scilicet possibilitatis, contingentiæ, impossibilitatis, aut necessitatis cum omnibus, quæ subjectum propositionis determinant; potestatem verò conjungendi prædicatum cum subjecto sic affecto non significat: undè illa ipsissima propositio, quæ in sensu composito est falsa, & impossibilis, in sensu diviso est vera, ac necessaria. Ex quo tandem fit, argumentum esse nullum à divisa ad compositam, sicut non valet: *album potest esse nigrum; sive album possibile est esse nigrum*: ergo *album esse nigrum est possibile*, quia, ut ajunt Dialectici, arguere à divisa ad compositam perinde est, ac arguere à disjunctiva ad partem. A composita verò ad divisam valet argumentum, quia perinde est, atque arguere à parte disjunctivæ ad totum. Undè bene valet: *Album esse nigrum est possibile; ergo album potest esse nigrum*. Verum hujusmodi sophismata deprehendere, ut caveantur, docuit abundè S. Thomas Opusc. citato de fallaciis.

57. Hæc est ergo vera, & legitima sensus

divisi, & compositi intelligentia, pro qua tota florentissimorum sæculorum pugnat antiquitas. Constat primò ex Philosopho lib. 1. de Cælo text. 119. circa finem lect. 26. apud D. Thomam, ubi juxta primam ex translationibus, quibus utitur S. Thomas, ait Aristoteles: *Sedendi itaque quippiam, standique simul potentiam habet, quia quando habet illam, & alteram habet, at non simul stat, atque sedet, sed in alio tempore*. Juxta aliam verò translationem sic dicit: *Hoc quidem igitur sedere, & stare simul habet virtutem, quia quando habet illam, & alteram habet, sed non ut simul sedeat, & stet, sed alio tempore*. Quæ verba explicans D. Thomas ait: *Et quia dictum est, quod simul stare, & sedere est impossibile, concludit, quod licet aliquid simul habeat virtutem ad oppositum, puta ad sedere, & stare tali ratione, quia quandoque una potentia reducitur ad actum, quandoque altera; nil tamen hanc habet potentiam, ut simul habeat opposita, puta, ut simul sedeat, & stet, sed oportet, hoc in alio, & alio tempore esse*.

58. Et ut præteream M. Sententiarum, qui distinctionem istam hoc semper modo intellexit, uti constat in 1. dist. 38. §. *Ad hoc autem*; Doctorem subtilem Scotum in 4. dist. 49. q. 6. §. *Respondeo*; Boetium de Consolat. Prosa 5.; Venerabilem Bedam in axiomatibus philosophicis litt. O. dicentem: *Omnia futura de necessitate evenient, (1. periberm.) verum est in sensu composito; non autem in sensu diviso: vel verum est ex hypothesi, non autem simpliciter*; qui sensum compositum, & divinum eo, quo nos pacto acceperunt. Audiendus D. Thomas ut omnibus constet, quod nihil aliud Thomistæ dicimus, quam quod ex nostro Magistro Angelico transcripsimus. Etenim 1. p. q. 23. art. 6. cum sibi tertium hoc proposuisset argumentum: *Quidquid Deus potuit, potest; sed potuit non prædestinare, quem prædestinavit: ergo nunc potest non prædestinare*: ergo *prædestinatio non est certa*, respondet: *Dicendum, quod cum prædestinatio includat divinam voluntatem, sicuti supradictum est, quod Deum velle aliquid creatum, est necessarium ex suppositione propter immutabilitatem divinæ voluntatis, non tamen absolutè, ita dicendum est hic de prædestinatione, undè non oportet dicere, quod Deus possit non prædestinare, quem prædestinavit, in sensu composito accipiendo, licet absolutè considerando, Deus possit prædestinare, vel non prædestinare: sed ex hoc non tollitur prædestinationis certitudo*. Et q. 1. de potent. art. 5. in corp. *Sed quia ipse non potest facere, quod contradictoria sint simul vera, ex suppositione potest dici, quod Deus non potest alia facere, quam qua fecit, supposito enim, quod ipse non velit alia facere, vel quod præciverit se non alia facturum, non potest alia facere, ut intelligatur composita, non divisim*. Et ibi ad primum: *quod hæc locutio, Deus non potest facere, nisi quod præcivit, se facturum, est duplex: quia exceptio potest referri ad potentiam, quæ importatur per ly potest, vel*

ad actum, qui importatur per ly facere: si primo modo, tunc locutio est falsa; plura enim potest facere, quam praeferat, se facturum: & in hoc sensu ratio procedebat. Si autem secundo modo, sic locutio est vera, & est sensus, quod non potest esse, quod aliquid fiat à Deo, & non sit à Deo praeferat. Sed hic sensus non est ad propositum. Et q.6. de verit. art.4. ubi sic proponit 8. argumentum. Sicut factio rerum est ex voluntate divina, ita, & hominum praedestinatio: sed Deus potest facere plura, quam fecit; subest enim ei, cum voluerit, posse, ut dicitur Sapient. 12. ergo similiter non tot praedestinat, quin possit plures praedestinare. Cui argumento occurrit D. Thomas dicens, quod quamvis de quolibet absolute concedi possit, quod Deus potest eum praedestinare; tamen supposito, quod praedestinaverit, non potest non praedestinare, vel è converso, quia non potest esse mutabilis. Et ideo dicitur communiter, quod haec, Deus potest non praedestinatum praedestinare, vel praedestinatum non praedestinare, in sensu composito est falsa. Ecce in sensu composito praedestinationis, quae immobiliter afficit mentem divinam, stat, atque conservatur illa absoluta potestas non praedestinandi illum, quem Deus supponitur praedestinasse, & si nulla stet potestas ad conjungendam carentiam praedestinationis Petri cum ipsa Petri praedestinatione; immo nec ad praedestinationem ipsam retractandam propter immutabilitatem decreti. Et q.23. art.5. simile argumentum sibi objiciens, quod nobis à Contrariis objicitur, sic inquit: Ad tertium dicendum, quod quamvis non esse effectus divinae voluntatis non possit simul stare cum divina voluntate; tamen potentia deficiendi effectum simul stat cum divina voluntate: non enim sunt ista impossibilia, Deus vult istum salvari, & iste potest damnari, sed ista sunt impossibilia, Deus vult istum salvari, & iste damnatur. Et in 1. ad Annib. dist. 47. q. unic. art.4. inquit: Quamvis contrarium ejus, quod est volitum à Deo, non possit stare cum voluntate divina; possibilitas tamen ad contrarium potest stare cum ea propter contingentiam causae mediae. Et hoc sufficit, ut effectus sit contingens, & non necessarius: quo nihil clarius excogitari potest.

59. Haec est ergo doctrina prioribus saeculis accepta, praesentibus jucunda, Thomistis omnibus commendata, & commendabilis, quam & nobis majores nostri, & illis SS. PP. tradidere: etsi aliqui & imbuti sint, & aliorum animos imbuant illa falsa, & spuria Thomistis supposita intelligentia, ut videre est, dum nostris temporibus anno 1725. Duaci in Collegio Societatis propugnata fuit sequens Thesis: Praedeterminatio physica ex mente suorum auctorum antecedit causalitate, & naturam actionem creaturam, & cum actu, ad quem datur, tam infallibilem ab intrinseco habet connexionem, ut talis actus illa stante non possit omitti, sequente assertore P. Suarez lib. 3. de concurs. Dei cap. 9. n.4. qui sic

illos pro suo libito loquentes inducit: At fortasse dicent, potentiam physice praedeterminatam ad consentiendum, ideo posse dissentire, quia potest carere excitatione determinante ipsum, & tunc non consentiet. Ita enim in re ipsa respondent, quia ajunt: cum Concilium docet, posse dissentire, intelligendum esse in sensu diviso. Et in tom. de auxiliis lib.5. cap.18 n.19 impugnat volens sensum hujus distinctionis, ait: Potentia in sensu diviso non est potentia proprie activa, sed magis passiva, quatenus potest auferre illam praedeterminationem, & relinquere voluntatem in sua naturali potestate. Et tom. 2. de gratia lib.5. c. 38. n.2. Calvinus non negaret potestatem dissentendi in sensu diviso, etiam si motionem necessitantem poneret: frustra ergo ad faciendum vim definitioni imponitur Calvino, quod negaverit potestatem dissentendi in sensu diviso; cum haec nihil aliud sit, quam potestas habendi contrarium actum, si motio auferatur. Lessius in opusc. de grat. efficaci cap.3. n.19. Sensus compositus, ait, nihil aliud est, quam si decretum divinum, & motio divina componatur cum voluntate, id est, si voluntati adsit: & sensus divisus, si absit, & tollatur. At quid mirum, si motio illa sublata, voluntas possit non velle. Eodem modo P. Valquez 1. p. q.14. art. 13. disp.68. cap.3. affirmat, quod sensus illius distinctionis est, quod voluntas, dum actu subest divinae Praedeterminationi efficaci ad amorem, non potest non elicere amorem, seu non potest elicere odium, bene verò si Deus talem praedeterminationem auferat à voluntate. Idem asserunt communiter alii Propugnatores scientiae mediae; quibus omnibus accommodare possumus, quod Doctissimi PP. Salmanticenses de gratia tom.2. disp.7. dub.4. §.10. contra P. Suarez insigni notione dignum observant. Quare, inquit illi, à perdocto hoc Authore possit inquiri, utrum legerit Thomistas, quos citat, vel non: & cum hoc ultimum praesumi non debeat, rursus inquirimus, an in illis repererit intelligentiam illam sensus compositi, & divisi, quam ipse, & qui eum imitantur comminiscantur; an verò illam, quam Alvarez docuit? Primum nullatenus dici potest; nam ipsa pagina, & verba oppositum clamant, & mentem Scriptorum palam explicant, quin contraria intelligentia queat ipsis, nisi injustissime attribui. Sed contra omnes P. Franciscum Annatum adduco, qui non juratus Thomista, sed concursus indifferentis acerrimus defensor in lib. de libertate incoacta Romae edito cap.2. §.4. dum Bajanos, & Jansenistas insectatur, sic pro vera illius distinctionis intelligentia declamat. Inde processit error Jansenii, quod putaverit, se eodem modo philosophare posse, quo Thomista, cum tamen diversissima sint eorum principia. Nam Thomista cum vitricæ concupiscentia v. g. ponunt sufficientem gratiam ad resistendum, nec putant, quidquam requiri in alterutro casu, quod habeat rationem principii, & virtutis activae: & ideo dicere possunt, simulta-

tatem esse potentiae ad utrumlibet oppositorum immediatè, & proximè. Neque unquam sensum compositum, & divisum sic explicaverunt, ut dicerent, voluntatem posse unum in sensu composito, & in sensu diviso, hoc est successivè, atque ex hypothesi, quod fiat mutatio in praerequisitis ad agendum. Nunquam Thomista ita sensum compositum, & divisum explicaverunt. Haec ille. Et §.1. sic Jansenistas impugnat. Quem invenient Janseniani inter Thomistas, qui concedat, ita necessarium consensum, quem voluntas praebet motui gratiae, quandiu illa inhaeret, quomodo necessarius est amor beatificus quandiu durat visio? Quem invenient, qui dixerit, voluntatem divina gratia praedeterminatam carere proxima ad dissentiendum potentia? Quem dabunt, qui distinctionem sensus compositi, & divisi interpretetur, ut sensus sit, voluntatem à Deo motam posse dissentire, quando illa motio abierit, & advenit alia? Hucusque P. Annatus. Non distimili voce loquuntur P. Deschamps de Haeresi Pelagianâ disp.6. cap.9. Martinonus in Ante Jansenio pag.708. Stubrochius in notis in primam Pauli Irenaei disquisitionem. Martinez de Ripalda adversus Articulos Baii lib.2. disp.15. sect.15. Thomista, inquit Theologus iste, constantissimè tueritur, libertatem non posse cum necessitate antecedente componi, & vindicare indifferentiam potestatis ad utrumque, demptaque potestate ad utrumque indifferenti adimi libertatem. Bajani verò libertatem cum necessitate antecedenti conjungunt . . . à quibus Thomista procul recedunt. At si tot certos concursus indifferentis amicos, fideles veritatis testes agnoscere nolint, ipsis P. Suarez opponimus, qui se convictum, non silentio, sed verbis, de vera Thomistarum intelligentia demonstrat lib.3. de attributis divinis cap.9. §. de actionibus, sic loquens: Unde in illo puncto certam existimo D. Thomae sententiam in 1. dist. 25. art.4. asserentis, fieri non posse, ut factum sit infectum in sensu composito, ita enim ibi loquitur, & 2. contra gent. cap.15. Idem Bonaventura in 1. dist. 42. q.2. Et Thomista omnes, estque aperta sententia Hieronymi Epist.22. ad Eustochium. Augustinus 26. contra Faustum cap.5. Anselmus in Prologo. cap.6. Et lib. de concor. praesc. & praesc. cap.4. immo & Aristoteles idem tradit ex Agarhono 6. Ethicor. cap.2. Ratio verò est, quia praeteritum dicitur, quod in aliqua differentia temporis habuit esse, impossibile autem est, ut quod semel ponitur habens esse in aliqua differentia temporis, in illa eadem non habeat, vel non habuerit esse: quia esset, & non esset pro eodem tempore, quod repugnat in se, & consequenter ipsi etiam potentiae Dei, quia ad ejus potentiam spectat, ut quod vult esse, pro aliquo tempore sit. Unde si pro eodem tempore non esset, esset extra potentiam Dei. Sicut ergo Deus non potest facere, ut res sit, & non sit simul, quia hoc esset se ipsum negare, & sibi repugnare; ita nec potest facere, ut praeteritum non fuerit. Haec P. Suarez, quibus concinnam sententiam divisi, & compositi tradit explicationem, quam testatur

ipse se accepisse à D. Thoma, esseque eammet, quam tradiderunt Thomistae ante ipsum, immo & communem PP. quos citat. At quo sensu vir iste eximiae pietatis, & vitae innocentia clarus, locis superius citatis contradicat Thomistis, ipsi confiderent. Hoc solum scire velim, an certum habeant, ipsique exploratum omnino sit, convenire Thomistas cum Haereticis, ita sensum compositum, & divisum exponentibus, vel non? Si primum, repugnant ipsi tot doctissimis ejusdem Societatis viris oppositum asserentibus, quibus aperte mendacium exprobrant. Si hoc non ita esse credunt, graviter justitia, & charitas Scholae D. Thomae debita violatur, maxime à Lectoribus Collegii S. J. Duacensis in suis dictatis sequentia propugnantis. Primo, nullus Haereticus fuit adeo amens, ut non admitteret, posse stare actum, aut non actum in sensu diviso, sed sublata motione Dei. Quid enim facilius Luthero, Calvino, & Jansenistis, quam convenire cum Thomistis? . . . Secundo, Tridentinum damnat praedeterminationem implicitè, & indirectè. Tertio, petes, an Thomista bene se expendant ab hac prima propositione Jansenii damnata: aliqua Dei praecepta, &c. Respondeo negativè. Quarto: gratia quas Thomista vocant sufficientes, non sunt verè tales, cum effectus obtineri nequeat, nisi superveniat praedeterminatio; sunt igitur sufficientes nomine. Quinto: praedeterminatio est directè eversiva libertatis. Non immoror in his Thesisibus: solum ex adverso oppono Theoremata, ac Problemata propugnata in Collegio Romano S. J. anno 1589. ex Sacra Theologia deprompta, in quorum Theorematum fasciculo sequentia leguntur: ex quibus facile prospiciet studiosus quisque, quam nulla sit cum istis, Thesisium Lovaniensium sententio.

60. Hic ergo legitur n.81. Voluntas Dei, quae necessariò futura sunt, & liberè vult, & necessariò esse vult. Quae verò liberè futura sunt, & liberè vult, & liberè esse vult. Unde imponit necessitatem tantum quibus vult. Et 88. ex eo quod Deus ab aeterno praevidit, & voluit omnia, non sequitur, & necessariò ita esse necessitate absolutà, sed tantum necessitate conditionatà. Et 89. effectus contingentes, & liberi, si ad divinam scientiam comparentur, sunt necessarii secundum quid necessitate consequentiae, non consequentis: quare non sunt contingentia respectu proximarum causarum. Et 90. Humanæ actiones liberae, quatenus liberae sunt, formaliter referuntur, non solum ad immediatam causam, scilicet ad facultatem liberi arbitrii creati, sed etiam ad primam causam liberam. Et 91. Omnis effectus bonus contingens, & liber principaliter refertur ad divinam voluntatem tanquam causam primam, & efficientem suae libertatis. Et 92. Etiam si voluntas Dei necessaria sit in se, tamen prima radix contingentiae rerum est Dei voluntas. Et 125. Si dare sumatur pro proponere, vel invitare, Deus omnibus hominibus usu rationis praeditis, nemine prorsus exce-

pro, dat auxilium sufficiens ad eorum salutem. Et 127. Si dare accipitur pro eo, cuius correlativum est accipere, ita ut sine hoc stare non possit, Deus non dedit omnibus hominibus etiam venientibus ad usum rationis auxilium supernaturale gratiæ preparantis, vel ad credendum, vel ad poenitentiam agendam. Et 128. Cum tamen Deus dicatur paratus dare omnibus hominibus, quandiū sunt in hac vita, auxilium, quo fiant potentes converti, & convertantur, si velint. Et 129. Deus ab aeterno statuit voluntate absolutā, seu consequente non dare omnibus supernaturalia auxilia, videlicet eis, qui ea recepturi non sunt. Et 130. Causa primaria, & radicalis, cur aliquis convertatur, est divinum beneplacitum movens illum efficaciter, & suaviter. Causa autem proxima, cur aliquis non convertatur, est sua ipsius pertinacia. Et 131. Stante efficaci gratiæ auxilio in aliquo, is potest dissentire, si velit, non in sensu composito, sed diviso, libertate antecedenti, non consequenti. Et 162. Tantū abest, ut divina prædestinatio tollat in prædestinatis arbitrii libertatem, ut potius ipsum perficiat per gratiam, natura non destruat, sed perfectivam. Hoc ab ipsis verissimè dictum, hæc certissima Thomistarum doctrina: sed ab illis temporibus, tanta est inter ipsos in sentiendo, atque loquendo dissonantia. At nobis sufficiat explanatissimam sensus compositi, & divisi intelligentiam commonstrasse.

61. Quis ergo erit jam tam hebes, tam rudis, tam obtusus, qui hanc sensus compositi, & divisi explicationem non capiat? Quod liberum arbitrium motum efficaciter à Deo, simul habet potestatem ad utrumque libertatis extremum, quamvis non ad utrumque simul habendum: sicut in materia prima simul est potestas ad omnes formas habendas, sed non ad omnes formas simul habendas; & in homine simul est potestas, seu potentia ad sedendum, & ambulandum; sed non ad utrumque simul habendum: & homo, dum actu sedet, simul habet potentiam ad currendum, non ad currendum in sensu composito sessionis, quia hoc est impossibile, nam duo actus oppositi non possunt esse simul, sed ad currendum absolutè, & præcisivè à sessione. Etiam ipsa voluntas, ut subest decreto efficaci prædeterminanti ad amorem, est potens in sensu diviso, seu potentia antecedenti, seu similitate potentiæ non elicere amorem, non tamen in sensu composito, nec potentia consequenti, nec potentia simultatis, quia non est potens elicere amorem conjunctum cum prædeterminatione, quod ad libertatem sufficit, ut constat in Christo Domino: omnes enim communiter fatentur, Christum Dominum, supposito præcepto moriendi, non habuisse potestatem consequentem, nec in sensu composito ad non moriendum, aliàs posset conjungere negationem mortis cum præcepto moriendi, possetque proinde peccare: & nihilominus oblatus est, quia ipse voluit, &

liberrimè mortuus est, quia habuit potestatem antecedentem, & in sensu diviso ad non moriendum. Hæc ergo potestas ad opposita sufficit, & illa non requiritur ad plenam, & perfectam libertatem salvandam. Quare distinctiones plures, quibus frequenter Auctores utuntur, sunt æquivalentes: nam qui hanc propositionem *Petrus prædeterminatus ad consensum, potest dissentire*, sic distinguit: potest antecedenter, concedo, potest consequenter, nego; perinde se habet, ac si diceret, potest in sensu diviso, concedo; potest in sensu composito, nego; nam potentia antecedens est potentia ad dissensum in sensu diviso: potentia verò consequens est potentia in sensu composito. Similiter cum illa propositio: *Prædeterminatus ad consensum est necessitatus ad illum*, sic distinguitur, est necessitatus antecedenter, nego; est necessitatus consequenter, concedo, perinde distinguitur, ac si diceretur; est necessitatus absolutè, & simpliciter, sive necessitate absoluta, & simpliciter tali, nego: est necessitatus secundum quid, ex suppositione, aut necessitate conditionali, concedo. Aliis quoque terminis solet hæc propositio hoc modo distingui: est necessitatus necessitate consequentis, nego; necessitate consequentiæ, concedo, qui termini in re præsentī synonymi sunt, & per omnia æquivalent terminis prioris distinctionis.

62. At hic obiter cavenda, simulque notanda maxima æquivocatio, quod dum dicimus, dari in voluntate prædeterminata ad consensum potestatem ad dissensum in sensu diviso, loquimur de sensu positivè diviso à prædeterminatione, cum sit potestas ad dissensum compositum cum prædeterminationis ad consensum carentiā. Est namque talis libertas vera potestas conjungendi terminum cum omni eo, cum quo connectitur; & necessariò existentia dissensus connectitur cum carentiā prædeterminationis ad consensum. Tūc; quia hæc vera potestas respicit dissensum re vera possibilem; & non solum ut est merè possibilis, sed prout est à parte rei ponibilis; sed dissensus in re ponibilis pugnat cum prædeterminatione consensu: ergo potestas est ad dissensum ut positivè divisum à prædeterminatione consensu. Quare dum aliqui ex nostris affirmant, quod voluntas physicè prædeterminata habet potestatem ad ponendam liberè libertate contradictionis carentiam consensu præcisivè à physica prædeterminatione, non applicant ly *præcisivè* ad consensu carentiam, sed ad voluntatem, ut sit sensus: voluntas physicè prædeterminata ad consensum liberum, habet præcisivè à physica prædeterminatione posse componere carentiam actus physicè prædeterminati; quod certissimum est; accidit namque voluntati jam constitutæ in actu primo libero respectu actus, & omissionis ipsius prædeterminatio ad actum: quare cum physica prædeterminatione voluntas remanet potens ad actum,

actum, & ad actus carentiam, nec ab ipsa accipit potestatem. Ex quo patet, nullum esse inter Thomistas disidium, cum nullus ex eis dubitet, esse repugnantem carentiam actus physicè prædeterminati non coexistentem carentiæ physicæ prædeterminationis ad prædictum actum, solumque hanc potestatem voluntatis ad carentiam liberam consensu ab aliquibus explicatam fuisse per potestatem ad carentiam consensu præcisam à physica prædeterminatione ad consensum, ut constaret, voluntatem non constitui in actu primo liberam ad consensum, & ad consensu carentiam per physicam prædeterminationem ad consensum, vel per talis prædeterminationis carentiam, ideò ly *præcisivè* à prædeterminatione applicabant, non tam ad carentiam consensu, quam ad ipsam voluntatem potentem se exercere per talem carentiam.

S. V.

Qualis sit potestas antecedens, & consequens liberi arbitrii?

63. UT nullus terminus maneat incognitus, & maximè potestas voluntatis, quam dum ipsam consideramus in signo actus primi, dicimus habere potestatem antecedentem ad utrumlibet extremum, non tamen consequentem, quia ista non spectat ad actum primum, sed illum & ejus indifferentiam supponit; estque potestas determinati actus, libertati non officiens; sed illam per actum liberum perficiens; tūc casualiter in vi Divinæ motionis, tūc formaliter per actum ipsum voluntatis. Hinc frequentissimè occurrit æquivocatio in usu istarum vocum *potestas antecedens, potestas consequens*, quæ propter suam obscuritatem explicatione egent, cum ex ipsis conficiantur propositiones sophismatibus, & fallaciis ita irretitas, & illaqueatas, ut penè intelligibiles videantur: quare brevem illarum notionem dare in præsentī conamur.

64. Significatio istarum vocum eo quaerenda est modo, quo i. p. q. 19. art. 6. investigatur significatio illarum, *voluntas antecedens, voluntas consequens*: nam etsi non sit in omnibus paritas, tenet tamen ad intentum, quia ad istarum modum illis utuntur Theologi. Respicit voluntas antecedens, quæ est voluntas beneplaciti, objectum secundum se consideratum, id est nudum ab accidentibus extrinsecis, quæ hic, & nunc illud circumstant: v. g. Vult Deus salutem omnium hominum præcindendo à circumstantiis extraneis, quia salus hominum ita considerata bona est, & voluntatem Divinam decet eam sic consideratam amare. Voluntas hæc dicitur antecedens, non quia ex parte voluntatis Divinæ sit prius, aut posterius, sed quia objectum secundum se in-

actum, hoc est, secundum propria, & sibi intrinseca, est quodammodo prius se ipso accepto, aut vestito, ut ita dicam extraneis, quæ sibi accidunt. Unde in cognitione nostra prior est consideratio hominis secundum se, id est secundum sibi propria, & intrinseca, quam consideratio hominis albi, aut nigri. Rursus, voluntas Divina vult, damnari Judam Proditorem, quia illum non respicit præcisè ut hominem, cujus salutem, ut sic, amat, sed ut infectum proditoris scelere, cujus salus ordini repugnat justitiæ; & hæc voluntas dicitur consequens, quia Judam respicit illa extrinseca circumstantia vestitum, quæ est posterior illius hominis consideratio. Inter has autem voluntates hoc iterum intercedit discrimen, quod prima est inefficax, & cum existentia sui objecti inconnexa, eò quod in objecto non attingit omnia, cum quibus in re poni debet illius existentia: secunda autem voluntas dicitur efficax, & cum existentia sui objecti connexa, eò quod illud amat cum omnibus illis, cum quibus juxta dispositionem Dei poni debet sub existentia.

65. Nec tamen voluntates istæ, quod maximè est advertendum, in eo differunt, quod voluntas consequens respicit objectum, & illius existentiam, voluntas verò antecedens non respicit existentiam objecti: & similiter potestas consequens respiciat existentiam actus, potestas verò antecedens non, item: hæc enim est falsa vocum intelligentia. Nam & voluntas antecedens, & antecedens potestas existentiam respiciunt, hæc nimirum existentiam actus, illa objecti: sed differunt, quia voluntas, & potestas consequens ab accidentibus non præcindunt, cum quibus juxta circumstantias hic, & nunc occurrentes, quæ tam actui, quam objecto plerumque sunt extrinsecæ, debent sub existentia poni. Voluntas, & potestas antecedens non ita, sed licet respiciant objectum, & actum in ordine ad existentiam, ab illis præcindunt accidentibus, à quibus illorum non pendent existentia. Ratio autem, quare voluntas antecedens non præcindat ab existentia objecti, duplex est: prima, quia Deus non amat merè possiblem: secunda, quia voluntas antecedens, qua Deus amat salutem omnium hominum non est necessaria, sed libera, ac proinde terminari debet ad objectum contingens. De potestate verò, ac potentia antecedente voluntatis ad actum, quod non præcindat ab existentia actus, ratio est perspicua: nam etsi existentia accidat actui, quippe qui potuit non existere, non tamen accidit actui, ut determinatè & exercitè causaliter, sed qua ratione inspicitur à potentia illa, si vera est potentia, quia actus non alio modo est causaliter, nisi per hoc, quod à potentia ponatur sub existentia.

66. Pari ergo modo, proportionem tamen servata, dicendum est, ac sentiendum de potestate antecedente voluntatis ad actum, & con-

& consequente; quas potestates dupliciter in voluntate distinguimus, quia voluntatem in duplici statu consideramus; nempe in actu primo proximè expedito ad operandum; & illam sic expeditam consideramus, quasi secundam se pro priori ad omnem determinationem, propriam scilicet, & illam, quæ ipsi provenit ex motione efficaci Dei. Secundò in signo determinationis propriæ ex motione illa provenientis. Si voluntas accipiatur in primo signo, dicimus esse in voluntate potestatem antecedentem ad aliquod exercitium vagè, cum, ut supra diximus, motio Dei efficax non sit huiusmodi potestatis completæ, expeditæ, integræ, & absolutæ constitutiva. At verò considerando voluntatem in signo determinationis suæ à motione Dei incipientis; non amittit illam antecedentis potestatis indifferentiam; sed addit ad illam determinationem propriam huius posterioris signi. Quæ determinatio est propterea consequens illam antecedentem potestatem, non successione, sed natura & origine, & ideo utraque est simul. In illâ ergo, utroque in statu considerata, hæc duplex rectè distinguitur potestas: At nos voluntati prædeterminatæ ad consensum salutarem concedimus potestatem consequentem ad consensum, id est, vires illas additas potestati, juxta dicta dub. antecedenti, quibus insuperabiliter, & indeclinabiliter juxta S. Augustinum conjungitur cum consensu; quas vires ex se voluntas in actu primo constituta non habet, neque illis opus habet: non enim sunt ad posse, sed ad agere, sed eas ab illo accipit, qui juxta eundem Augustinum, ne deficiat inter tantas sæculi tentationes, illi præbet vires efficacissimas. Rursus voluntati sic prædeterminatæ negamus potestatem consequentem ad dissensum duplici titulo: primò, quia determinata est ad consensum; quæ prædeterminatio impedit prædeterminationem dissensus: Secundò, quia caret prædeterminatione dissensus, sine qua illum non potest habere, etiamsi voluntatem ad consensum non prædeterminasset, quod clarum est, si omisio pura non admittatur possibilis. Sed tamen ratio formalis quare non datur tunc potestas consequens ad dissensum, non est prædeterminatio, nec negatio prædeterminationis ad consensum; sed ipse actus consensus, qui in sensu composito sui excludit potentiam ad sui non esse, sive ad componendum cum suo esse suum non esse. Tandem voluntati prædeterminatæ ad consensum concedimus potestatem antecedentem ad dissensum, quam prædeterminatio nec abstulit, nec auferre potuit; nec magis illam auferre potest ipse consensus.

67. At cum res obscura, implexa, & implicatissima sit, iterum diligenter notandum, quòd potestates istæ antecedens, & consequens, quas in voluntate distinguimus, non differunt ex parte subjecti, est enim facultas una, & eadem identificata cum voluntate in actu

primo completo constituta: sed differunt ex parte objecti, seu termini per se inspecti. Potestas consequens secuta ex prædeterminatione respicit consensum ut hic, & nunc ponendum cum omnibus sive intrinsicis, sive extrinsicis circumstantiis. Potestas consequens denegata ad dissensum respicit dissensum, non quidem secundum se, quia ut sic non est impossibilis, sed attentis circumstantiis, quæ accidunt voluntati, nimirum prædeterminatione consensus, & carentia prædeterminationis dissensus, quæ accidentia sunt respectu voluntatis in actu primo consideratæ, & sine quibus voluntas in illo statu subsistit. Potestas antecedens concessa voluntati ad consensum efficaciter motæ, ac prædeterminatæ, dissensum respicit, ut à se sub existentia ponibilem, at non in circumstantiis istis, quibus voluntas hic, & nunc invenitur affecta. Quia tamen potestas constitutiva libertatis, cum essentialis sit voluntati, non constituitur per respectum, ut à se exercendum his, vel illis circumstantiis affecta; sed per respectum ad actum, ut absolutè ponendum cum subordinatione ad Deum; quod hic, & nunc per accidens, & ab accidentibus impediatur, sufficit quidem, ut actus infallibiliter non existat; at nullatenus officiet potestati, quæ à quolibet istorum determinatè accepto præscindit, & nunquam fuit ad ponendum actum, sive dissensum, ut conjunctum cum prædeterminatione consensus, sive à prædeterminatione dissensus positivè divisum. Exemplum adest in sententia Contrariorum, qui voluntati actu amanti Deum, negare non possunt potestatem consequentem ad amorem, & impotentiam consequentem ad odium unà cum potestate antecedente ad odium. Et si ab eis requiras, quomodò potestas antecedens voluntatis actu amanti respiciat odium, quod est consequenter impossibile? Responso in promptu est, quia hæc impotentia consequens nihil minuit de potestate absoluta ad odium: tum quia existentia amoris est per accidens respectu voluntatis liberæ, quæ salva sua libertate potest odio, & amore disjunctim carere: tum quia potestas ad odium est ad illud absolutè inspectum, non ad illud conjungendum cum amore, cum hæc potestas sit penitus implicatoria.

68. His positis dicendum primò: Potestas antecedens ad dissensum manens in voluntate cum prædeterminatione ad consensum, est potestas ad ponendum dissensum cum subordinatione ad Deum: & est potestas dupliciter subordinata, scilicet negativè, & positivè, quia, ut ponat dissensum, requiritur, & quòd Deus auferat prædeterminationem consensus, & quòd tribuat prædeterminationem dissensus. Primum fundamentum est, quia existentia dissensus duo ex parte potentia requirit, & quòd potentia sit expedita à prædeterminatione consensus, & quòd sit determinata ad dissensum juxta qualita-

tem

tem dissensus, pro materiali, si dissensus malus sit, & tam pro materiali, quam pro formali, si bonus sit. Nam sicut est immediata repugnantia in eo, quòd dissensus coexistat consensui, eò quòd immediatè, & formaliter dissensus contrariè, & virtualiter contradictonè opponitur consensui, ita mediatè, ac indirectè opponitur dissensus prædeterminationi consensus: quod enim directè, & formaliter opponitur effectui, indirectè, ac mediatè opponitur causæ infallibiliter cum effectu connexæ. Ulterius virtus operativa causæ creatæ indiget præmotione divina, qua effectivè reducatur ad actum, & quia est virtus potentialis, quæ cum seipsam reducere non possit, indiget reduci à virtute per se in actu, quæ non potest esse alia, quam divina, ut luculenter ostendit D. Thomas 2. contra Gent. cap. 15. num. 5. ubi sic discurret: *Omne, quod est possibile esse, & non esse, habet aliquam causam, quia in se consideratum ad utrumlibet se habet: & sic oportet esse aliquid aliud, quod ipsum ad unum determinet. Unde cum in infinitum procedi non possit, oportet, quòd sit aliquid necessarium, quòd sit causa omnium possibilium esse, & non esse. Necessarium autem quoddam est habens causam suæ necessitatis; in quo etiam in infinitum procedi non potest; & sic est deventire ad aliquid, quod est per se necesse esse. Hoc autem esse non potest, nisi unum, ut in 1. lib. cap. 13. ostensum est, & hoc est Deus; oportet igitur, omne aliud ab ipso reduci in ipsum, sicut in causam essendi: atqui contingens est, & possibile, quòd potestas antecedens ad dissensum, manens in voluntate prædeterminata ad consensum expeditur, & conjungatur cum dissensu: ergo utrumque debet habere à Deo, ac subinde in utraque Deo subordinari.*

69. Secundum fundamentum, quo & solvitur potissimum argumentum contrariorum, desumitur ex eo, quòd potestas antecedens ad dissensum manens in voluntate reducitur ad actum consentiendi, verè est domina talis actus, quamvis sit Deo subordinata. Non enim ad verum dominium exigitur, quòd Dominus possit se expedire ab omni impedimento retardante exercitium, & omnia illa per se acquirere, quæ ex parte actus secundi ad exercitium domini sunt necessaria. Constat ex ipsa domini creati definitione: in illa enim duplex statuta subjectio potestatis creatæ ad Deum præcontinetur. Etenim dominium est, juxta suam unanimiter receptam definitionem, *facultas utendi re in usus à lege permisos*; quæ domini notio illam duplicem subjectioem importat. Nam ad actualem usum rei duo requiruntur, scilicet carentia legis prohibentis, quæ carentia nullatenus existit in potestate hujus, vel illius particularis domini; & voluntas permissiva Legislatoris, quæ unice pendet, & pro libito Principis existit. Ergo non est ita certum, firmum, & inconcussum illud contrariorum principium, quòd ad verum dominium requiritur,

quòd excludat illam duplicem subordinationem, quam dominium creatum in nostris principiis constitutivè includit. Quare nihil apud Theologos, & Juristas firmiter, & constantius, quam quòd homines plurium rerum habent dominium verum, ac proinde proprietate, qui tamen prohibentur plures inire contractus, plures donationes facere, ita sanè, ut contractus celebrati, & donationes factæ ex ipsismet rebus, quarum homo habet dominium verum, ac proprietate tale, irritæ sint, ac nullæ, quia nempe obstat lex prohibens, & deficit Principis voluntas. Quòd si ab ipsis inquiras; ubi ergo illarum rerum dominium? Dominium, quod ab alio impediri potest, dominium non est. Respondebunt profectò negando assumptum: vel distinguunt; non est dominium supremum, quale habet Deus Legislator Supremus, aut Princeps, qui nulli superiori in suis dispositionibus subordinatur, concedo: non est dominium subordinatum, quale decet subditos Dei, aut Reipublicæ, nego: ergo evidens est, non pugnare subordinationem cum omni vero dominio, & dominium subordinatum esse verum dominium, ut ipsa creati domini definitio protestatur, & clamat.

70. At dices forsan: & si contractus illi, locationes, venditiones, donationesque irritentur, ad plures alios rerum usus remanet domini facultas expedita: ergo non est paritas. Sed negatur consequentia. Primò, quia illa facultas, quæ in rerum Dominiis manet, est etiam subordinata vel Deo, vel Principi permittenti, cum possint illam impedire; & voluntas illa permissiva Principis non est in manu, & potestate Domini inferioris; quod etiam accidit in homine respectu Dei in ordine ad peccata, & reliquos actus liberos. Secundò, quia etiam homini proximè potenti, & expedito ad operandum remanet liber usus suæ voluntatis ad alium actum, sive ad aliud suæ liberatis exercitium. Si namque est possibilis pura omisio libera, implicat contradictionem, hominem esse in actu primo proximè expedito suæ libertatis, & carere omni exercitio libero, ut est constans in hac sententia, alioquin duæ contradictoriæ essent simul falsæ, quia homo esset sub negatione duplicis exercitii contradictorii. Si verò pura omisio libera sit impossibilis, & voluntas in actu primo sit completè constituta, non potest connaturaliter omni exercitio libero carere, ut Auctores hujus sententiæ frequenter afferunt; quia dicunt, quòd causæ proximè expeditæ ad operandum concursus est debitus, & connaturaliter datur, & quòd possit à Deo de sua potentia absoluta concursus ille denegari, tantum convincit dominium voluntatis non esse supremum, sed Domino dominantium subordinatum, quod non inconveniens credimus, sed ut veritatem, sanamque doctrinam tuemur.

71. Non ergo est ista contemnenda paritas;

tas; & sicut dominium nostrum verè est subordinatum quoad res exteriores, ita & subordinatum dicimus quoad actus interiores, & electiones voluntatis. Hoc explicat D. Thomas 3. contra Gent. cap. 89. num. 1. ubi relata Origenis opinione, quòd scilicet Deus per hoc causet nostræ voluntatis motus, quòd illi tribuit virtutem, relinquendo ipsi determinationem actus; ex illa, ait, inferri doctrinam, quam exhibet solutio. Verba D. Thomæ hæc sunt: *Quidam verò non intelligentes, qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit absque præiudicio libertatis voluntatis, conati sunt has auctoritates malè exponere, ut scilicet dicerent, quòd Deus causat in nobis velle, & perficere, in quantum dat nobis virtutem volendi, non autem sic, quòd faciat nos velle hoc, vel illud: sicut Origenes exponit in 3. Periarchon liberum arbitrium defendens contra auctoritates prædictas: & ex hoc processisse videtur opinio quorundam, qui dicebant, quòd providentia non est de his, quæ subjunt libero arbitrio, scilicet de electionibus: sed providentia refertur ad exteriores eventus. Non enim qui eligit aliquid consequi, vel perficere, puta, edificare, vel ditari, semper poterit ad hoc pervenire: & sic eventus actionum nostrarum non subjacent libero arbitrio, sed providentia disponuntur. Quibus quidem auctoritatibus Sacra Scriptura resistitur evidenter. Dicitur enim Isaiæ 26. Omnia opera operatus es in nobis Domine. Unde non solum virtutem volendi à Deo habemus, sed operationem.* Sic D. Thomas, quibus evidenter ostendit, eandem esse subjectionem voluntatis ad Deum in ordine ad actus interiores, ac in ordine ad actus exteriores; & in voluntate subiecta eodem modo salvari dominium, subiectum scilicet, ac subordinatum, quod clarissime dixit Apostolus ad Rom. asserens, *velle non esse volentis, neque currentis currere*, appposito exemplo in actu exteriori, quale est currere, & in actu interiori, quale est velle.

72. Hujus rei tertium fundamentum desumitur ex eo, quòd potestas, quæ manet in voluntate composita cum consensu undecumque proveniat illi hæc compositio, in nulla sententia est reducibilis ad dissensum, nisi per hoc, quòd ab ea auferatur concursus Dei ad consensum, & illi detur concursus ad dissensum. Hoc in nostra sententia probari non debet, sed ut certum præsupponi. At clarius est in sententia Contrariorum, in qua concursus Dei ad consensum est ipse consensus, cum quo non potest componi dissensus. Et cum dissensus existere non possit sine concursu, fit consequens, requiri ad existentiam dissensus, & quòd à voluntate auferatur concursus ad consensum, & quòd illi detur concursus ad dissensum. Hoc certissimum est, præsertim apud illos, qui admittunt contra Durandum necessitatem concursus divini immediati ad omnes operationes causarum secundarum: ergo vel per hoc, quòd Deus pro suo dominio auferat à voluntate concursum ad con-

sensum, ac pro suo dominio det concursum ad dissensum, vel per hoc, quòd voluntas ipsa concursum ad consensum pro suo dominio abiciat, ac pro dominio suo concursum faciat existere requisitum ad dissensum. Hoc consequens sub illa distinctione evidenter inferitur, eò quia tam carentia concursus ad consensum, quam positio concursus ad dissensum debent existere ex alicujus dominio, & dispositione immediata; cum non existant à casu respectu omnium agentium, & provisorum, creati scilicet, & increati; ac subindè vel ex immediato dominio Dei, vel ex immediato dominio creaturæ.

73. Quo supposito, si dicatur primum, habemus planè id, quod intendimus: nam carentia concursus ad consensum existet tunc ex dominio immediato Dei, & voluntas ad illam se habebit purè passivè, & verè subiecta: similiter concursus ad dissensum existet ex immediato dominio Dei, & ad illum voluntas se habebit purè passivè, ac per illum Deo subijcitur immediatè. Si autem secundum dederint, Deus erit duplici titulo creatæ subiectus voluntati. Nam tunc, quòd Deus non concurrat, ex dominio immediato provenit voluntatis creatæ: ergo Deus in non concurrando voluntati creatæ erit subiectus: & sicuti in sententia Thomistarum, quia voluntas ad consensum concurrere non potest nisi Deo pro suo immediato dominio concurrente, omnes Thomistæ consequenter asserunt, voluntatem creatam in concurrando esse dominio Dei immediatè subiectam; & hæc est immediata, & vera causalis, *ideo voluntas concurrat, quia Deus vult illam concurrere*, qua explicatur tum dominium Dei supra voluntatem, tum subiectio immediata voluntatis ad Deum in concurrando: in contrariorum sententia causalis hæc vera esset: *ideo Deus concurrat, quia voluntas creata vult Deum concurrere*, in qua evidenter dicitur tum subiectio Dei ad voluntatem, & dominium voluntatis supra Deum explicatur. Atque eodem modo formari debet causalis in ordine ad non existentiam concursus requisiti ad existentiam dissensus. Si namque concursus iste non existit ex dominio immediato creatæ voluntatis, ista est vera: *ideo non concurrat Deus, quia voluntas creata non vult Deum concurrere*, in qua evidenter dicitur tum subiectio Dei ad voluntatem creatam, tum dominium voluntatis in Deum; sicuti in Thomistarum sententia, quia concursus, & actus existunt ex immediato dominio Dei, hæc est vera; *ideo Deus & voluntas concurrunt, quia Deus vult & suum, & voluntatis concursum*; in quo explicatur dominium Dei in suum, & voluntatis creatæ concursum.

74. Dicendum est secundò: potestas voluntatis in actu primo proximè expedito constitutæ pro priori ad omnem determinationem, est potestas Deo immediatè subordinata, & irreducibilis ad actum, nisi medio concursu

curfu determinante, ac proindè est potestas antecedens, & quæ non fit consequens nisi Deo præmovente. Conclusio hæc, quæ totam sententiam continet, atque explicat Thomistarum, convincitur tum ex dictis conclusionibus antecedenti, tum ex omnibus, quæ in toto hoc tractatu diximus. Per illam Thomistæ Pelagio opponuntur directè, qui negavit, arbitrium liberum indigere ope, auxilioque divino, ut constat ex verbis Pelagii apud S. Hieronymum: *Dedit mihi arbitrium, quid rursus te ingeris de mea libertate?* Et apud Augustinum de gratia Christi cap. 4. ubi fatetur Pelagius, *potestatem benè agendi habere nos ex Deo; quod verò benè volumus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est, qui omnia vertere possumus in malum.* Opponuntur insuper per hanc sententiam Thomistæ P. Molinæ sententiæ, contra quam ex iisdem locis possumus argumenta deduci.

75. At nihilominus iterum repetenda sunt verba Concilii Tridentini sess. 6. de Justificatione, cap. 5. docentis: *Neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit.* Ex quibus manifestissimè conficitur conclusionis probatio. Homo præditus libera voluntate, ut se moveat ad justitiam coram Deo, est homo constitutus in actu primo proximè expedito ad se movendum ad justitiam coram Deo. Hoc est evidens apud omnes, præsertim apud contrarios, qui libertatem non agnoscunt, deficiente quovis requisito ad operandum; quare asserunt, quòd, quia prædeterminatio requiritur à Thomistis, ut necessaria, illà deficiente, deficit libertas, & non adest actus primus proximè expeditus: sed homo ex sua libera voluntate non potest sine gratia Dei se ad justitiam coram Deo movere, ut habetur ex verbis Concilii expressè docentis, hominem libera sua voluntate se movere non posse ad justitiam sine gratia Dei: ergo ultra id, quo homo integrè in actu primo constituitur, ulterioris gratiæ auxilio indiget; aliàs sine gratia post libertatem habitam posset se ad justitiam movere: ergo potestas, quam habet constitutus sic in actu primo, subordinata est Deo, ita ut conjungi non possit cum consensu, nisi in virtute illius gratiæ superadditæ. Patet hæc consequentia; quia potestas, quæ, ut conjungatur cum suo actu, eget gratia Dei, Deo in illa conjunctione facienda subordinatur: sed potestas illa, ut conjungatur cum suo actu, videlicet cum motu ad justitiam, eget gratia Dei: ergo Deo in hac facienda conjunctione subordinatur.

76. Vim, & efficaciam hujus argumenti explico. Nihil apud contrarios firmitus, aut planius, quam loqui Concilium illo in capite de gratia efficaci: undè quoniam ibi dicit, posse hominem abjicere inspirationem, asserunt, omnem efficaciam gratiæ ex consensu nostro desumi; quod licet nos falsum putemus, tamen certissimum est, ibi Concilio

sermonem esse de gratia efficaci, quam docet contra Pelagium, Lutherum, & Calvinum benè cohærere cum libertate: nec est illi sermo de gratia sufficiente, ut ab efficaci distincta, quia de illa, an libertati officeret, non erat cum Hæreticis controversia. Et maxime quia Canon 4. loquens in omnium sententia de gratia efficaci, sumptus, & constructus fuit ex doctrina capituli 5. Modò argumentum instauro: homo in actu primo suæ libertatis per auxilia sufficientia constitutus non potest exercitè, & in actu secundo sine gratia efficaci movere se coram Deo ad justitiam: ergo potestas illa proximè expedita non est tanta, quæ in suo motu, & ut cum illo jungatur, gratiæ Dei non subijcitur ulteriori.

77. Nec dicas, ultra gratiam sufficientem definire Concilium, esse necessarium concursum gratiæ simultaneum. Nam sequitur ex solutione definiri à Concilio, ut homo se moveat ad justitiam, requiri motum hominis ad justitiam, cum in ipsorum principiis, ut diximus, concursus simultaneus sit motus hominis ad justitiam. Præterea apud ipsos eadem ipsissima potestate, quæ homo habet pro libito actum, seu motum ad justitiam, habet in manu concursum simultaneum: ergo Concilium doceret, quòd ut homo se moveat ad justitiam, eget concursu, quem Deus, supposita libertate, non potest impedire, quominus existat. Ad hæc: doctrina Concilii eò tendit, & infallibiliter assequitur, nimirum, & efficaciam gratiæ non obstare libertati, & nostram libertatem pendere à gratia efficaci, ut se moveat ad justitiam: sed in habendo concursu simultaneo homo non pendet à Deo, supposita libertate; nam concursus iste existit in ipsorum doctrina pro dominio, & placito voluntatis, & non pro dominio immediato Dei: ergo non agit de tali concursu.

78. Novum hujus rei argumentum sumitur ex Canone 22. ejusdem sessionis ubi sic definit Concilium: *Si quis dixerit, justificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.* Fit inquam novum, vel idem argumentum, inquirendo, de quo auxilio asserat Concilium, esse requisitum ad posse perseverare? Et rursus, quale sit hoc posse, quod præstat illud speciale auxilium? An scilicet sit posse per modum actus primi proximi, & expediti, quo constituitur potestas proxima ad perseverandum, quam potestatem nos dicimus antecedentem? An verò sit posse consequens, sive connexum cum ipsa perseverantia actuali? Constat autem ex cap. 13. ejusdem sessionis loqui Concilium de perseverantia finali, de qua scriptum est Matthæi 10. & 24. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

79. Forrò de auxilio isto duo nobis ad præsens necessaria docet S. Augustinus lib. de Dono perseverantiæ. Primum est, auxilium istud, in quo donum perseverantiæ consistit,

seu à quo est ipsa nobis perseverantia, non esse in nostra potestate, ut illud pro libito habeamus, quia illud petimus, ut probat ibi cap. 2. his verbis: *Cur autem perseverantia ista petitur à Deo, si non datur à Deo? An & ista irrisoria petitio est, cum id ab eo petitur, quod scitur, ipsum non dare, sed ipso non donante esse in hominis potestate?* Deinde asserit, tantam esse hujus auxilii efficaciam, ut non solum illud non possumus respuere, verum nec in sensu composito illius possumus amittere dona ex se amissibilia, quia arbitrio nostro subiecta: ita ibi cap. 6. dicens: *Quomodo enim potest amitti, per quod fit, ut non amittatur etiam, quod posset amitti?*

80. De justificato autem certissimum est habere omnia ex parte actus primi requisita ad perseverandum. Constat primo, quia justificatus in justitia accepta jubetur perseverare: obligatio autem perseverandi supponit potestatem proximè, absolutè, & integrè ad perseverandum expeditam. Secundo: quia ut docet Tridentinum cap. 11. *Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur: at desereret profectò justificatum, si ei denegaret auxilia verè sufficientia, quibus constituitur potestas proxima expedita ad perseverandum in gratia, qua justificatus est: ergo. Tertio: quia non est minor providentia communis ordinis gratiæ, qua Deus justificatum gubernat, quam providentia communis naturalis; nam ut dicit Tridentinum cap. 16. *Ille ipse Christus Jesus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influit; sed Author naturæ sua communi providentia administrat omnia principia necessaria, & virtutes requisitas ad opera debita naturæ, nisi fortè propter corruptionem alicujus principii, quæ corruptio in justificato non datur, quia ut dicit Apostolus: nil damnationis est in his, qui sunt in hoc statu, uti sunt omnes justificati: ergo & in ipsis est vera potestas proxima, & integra ad perseverandum.**

81. Quibus omnibus præcedens argumentum efficacissimè urgetur. Potestas proximè expedita per modum actus primi proximè completi ad perseverandum egens auxilio, quo infallibiliter connectatur cum actuali perseverantia, est potestas verè proxima, & tamen Deo subordinata in perseverando: sed potestas justificati mediis auxiliis sufficientibus est proximè expedita per modum actus primi proximè completi ad perseverandum, & indiget auxilio, quo à Deo connectatur cum actuali perseverantia: ergo potestas hominis justificati ad perseverandum hæc duo habet, & quòd sit potestas expedita proximè, & absolutè ad suum actum; & tamen quòd in illius elicientia sit Deo subordinata. Cum ergo eadem sit ratio de quacumque alia potestate constitutiva libertatis, extra dubium debet esse, omnem potestatem consti-

tutivam libertatis, ultra auxilia sufficientia egere auxilio divino, ut reducatur ad suum actum, ac proinde esse immediatè Deo subiectam.

82. Hoc amplius confirmari potest ex ipso Concilio Tridentino cap. 11. de munere perseverantiæ asserente: *Quod quidem aliundè haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est, cum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet, & cum, qui cadit, restituere.* Ex quibus argumentum instituo. Qui indiget auxilio Dei, ut possit perseverare, & sine quo perseverare non potest, quantumvis habeat potestatem expeditam expeditam actus primi, potestatem habet Deo subordinatam in ipso perseverandi exercitio: sed omnis justus habens potestatem expeditam ad perseverandum expeditam actus primi mediis auxiliis sufficientibus, indiget auxilio Dei ad perseverandum: tum quia auxilium donans perseverantiam, ut Concilium docet verbis relatis, est in foliis Dei potestate, ac proinde non est in potestate alicujus hominis quantumvis potentis: tum, quia auxilium illud donans perseverantiam petunt Sancti, & illud habent media oratione, quæ est maximum indigentiam argumentum: ergo quantumvis potentiam habeat expeditam actus primi proximè, completè, & integrè expeditam ad perseverandum; ipsa potestas est Deo subiecta in ipso exercitio perseverandi. At ne præsens controversia per diversas exceptiones hujus termini non potest perturbetur, & confundatur; & ne vertatur vox ista crimini, cum distinctione est loquendum. Aliquando enim potentiam antecedentem, aliquando consequentem exprimit, ut supra notavimus dub. 4. dub. 2. num. 12. maximè ex illo Sap. 8. 21. *Et cum scirem, quia nemo potest esse continens, nisi Deus det: & hoc ipsum erat sapientiæ scire, cujus esset donum: quem textum intelligit D. Augustinus Confess. lib. 10. de continentia actuali cap. 29. Et tota spes mea non nisi in magna valde misericordia tua. Da quod jubes, & jube quod vis. Imperas nobis continentiam.* Et supra lib. 6. cap. 12. *Et propriarum virium credebam esse continentiam, quarum mihi non eram conscius, cum tam stultus essem, ut nescirem, sicut scriptum est Sap. 8. 21. neminem posse esse continentem, nisi tu dederis. Vtique dares, si gemitu interno pulsarem aures tuas, & fide solidè in te jactarem curam meam: quibus sanè constat, verba illa, nemo potest esse continens, intelligenda esse de potestate consequenti; undè melius erit uti semper distinctione potestatis antecedentis, & consequentis, ut omnis eliminetur confusio. Longiorem me fuisse video in terminis istis, gratia sufficiens, potestas antecedens, & consequens, sensus divisus, & compositus, librandis, & explicandis; sed indè non parum lucis emerfurus spero, ad concordiam liberi arbitrii, & gratiæ ab intrinseco efficacis penitus cognoscendam.*

DU-

TUBIUM II.

Utrum auxilium ab intrinseco efficax componatur cum libertate creata?

S. I.

Pars affirmativa probatur ex eo, quòd gratis ab intrinseco efficax est maxima liberi arbitrii perfectio.

1. **C**UM ardua, & difficillima sit liberi arbitrii concordia cum efficaciam divinæ gratiæ, ut ingenue, ac candidè fatetur Augustinus lib. de grat. Christi cap. 47. n. 52. dicens: *Ista quæstio, ubi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferrì, ut melius comprobetur ipsa, & quàm liberrimè divino Spiritu moveatur voluntas, non solum, non lædi divina motione libertatem, sed potius maximè perfici, demonstrandum nobis est. Et sanè per divinæ voluntatis in nostros actus liberos efficaciam, quam tot gravissimis fundamentis superius probatam dedimus, libertatem nostram confirmari potius, ac stabiliri, quàm destrui, fuit semper constans Augustini sententia. Audiendus lib. de Spir. & litt. cap. 30. *Liberum ergo arbitrium evacuanus per gratiam? Absit: sed magis liberum arbitrium statuimus. Sicut enim lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non evacuat, sed stabilitur. Rationem dedit inferius: quia nempe gratia sanat voluntatem, qua justitia liberè diligitur.* Et cap. seq. objectionem præoccupans, ne cavillis ullus esset locus, ait: *Cum potestas datur, non necessitas utique imponitur.* Et lib. 4. ad Bonifacium cap. 3. *Non potest captiva voluntas, nisi Dei gratia respirare in salubrem libertatem, quod probat ex illo Joann. cap. 8. Si vos filius liberaverit, verè liberi estis.* Ex quo etiam Joannis testimonio, lib. 1. oper. ultim. contra Julianum deducit, veram, perfectamque libertatem ex Divina gratia oriri, neque laudabiliter esse liberum, nisi quod fuerit Divina gratia liberatum. Rursus idem in Hypognoctic. contra Pelagianos lib. 3. cap. 10. *In omni itaque opere sancto, prior est voluntas Dei, posterior liberi arbitrii, id est, operatur Deus, cooperatur homo; quod contradicis, ut dicere consuevisti, quia ego prior volui, Deus voluit; jam meritis facis, ut gratia ex operibus jam non sit gratia, sed merces: quibus omnibus ita invictissimam, & blandissimam vim, atque efficaciam gratiæ in liberam voluntatem expinxit, ut expref-**

fus non potuerit delineari ejus perfectio.

2. Sed longè copiosior est D. Augustinus in hujus efficacissimi elucidatione auxilii, ut probet, nullam humanæ voluntatis sub motione gratiæ efficacis imponi necessitatem, sed illæsam, & integram semper remanere. Ita resolvit Epist. 106. *Verum etiam ad non peccandum, rectèque vivendum... Ut nisi adjuvet, nihil pietatis, atque justitiæ, sive in opere, sive in ipsa voluntate habere possimus.* Et Epist. 108. *Quomodo dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium, qui consentunt, hominem, quisquis suo corde credit in Deum, non nisi sua libera credere voluntate; cum potius ipsi oppugnent liberum arbitrium, qui oppugnant gratiam Dei, qua verè ad bona eligenda, & agenda fit liberum.* Et Epist. 170. *Et omnipotentissima facilitate convertit.* Sed aliquantò disertius lib. 3. de gestis Pelagii probans contra ipsum, à Deo regi hominis liberum arbitrium, suis verbis: *Nam proculdubio plus est agi, quàm regi; qui enim regitur, aliquid agit, & à Deo regitur, ut rectè agat. Qui autem agitur vix ipse intelligitur; & tamen tantum præstat voluntatibus nostris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere: quotquot Spiritu Dei aguntur, filii Dei sunt; neque enim aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quàm ut illi se agendam commendat, qui malè agere non potest. Et hoc cum fecerit, ab illo, ut faceret, adjutum non dubitet, cui dicitur in Psal. Deus meus misericordia ejus præveniet me.* Idem exprimit & asseverantissimè declarat lib. de corrept. & grat. respondens Adrumetinis Monachis instantiùs objicientibus ipsi illud, quod lib. de grat. & liber. arbitri. dixerat cap. 15. *Deum dare quod jubet.* Et cap. 14. *Contrarias voluntates omnipotentem Deum posse convertere.* Et cap. 16. *Quòd Deus facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Et cap. 21. *Ut quid nobis predicatur, atque præcipitur, ut declinemus à malo, & faciamus bonum, si hoc nos non agimus, sed id velle, & operari Deus operetur in nobis.* Ipsi sic respondentibus S. Augustinus respondet: *Sed contra potius intelligant, si filii Dei sunt, Spiritu Dei agi, ut quòd agendum est, agant, non ut ipsi nihil voluntis, aut nolentis est potestate, ut Divinam voluntatem non impediant, nec superet potestatem.* Et iterum ibi: *Numquid ille posset adversari voluntati Dei, & non potius ejus facere voluntatem, qui in ejus corde operatus est per Spiritum suum, quo indutus est, ut hoc vellet facere, & dicere? Et explicans ibi magis electione David in Regem, quomodo operatur Deus*

L 2 2

in

in cordibus hominum, ait: *Et quomodo adduxit, ut cum Regem constituerent? Inius egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit. Si ergo, cum voluerit Reges in terra constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas, quis alius facit, ut salubris sit correptio; & fiat in correpti corde correptio, ut celesti constituatur in Regno? Id ipsum luculenter denuo exponit lib. de grat. & liber. arbitr. cap. 5. dicens: *Ut autem de Cælo vocaretur (Paulus) & tam magna, & efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola.* Et cap. 16. *Certum est, nos servare mandata, si volumus; sed preparatur voluntas à Domino: ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus: Certum est, nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus bonum. . . Certum est, nos facere, cum facimus; sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit Ezech. 36. faciam, ut in justificationibus meis ambuletis; & iudicia mea observetis, & faciatis. Cum dicit: faciam, ut faciatis, quid aliud dicit, nisi auseram à vobis cor lapideum, unde non faciebatis, & dabo vobis cor carneum, unde faciatis.* Hoc ipsum inculcat de gratia Christi cap. 14. dicens: *Legant, & intelligant, intueantur, atque fateantur, non lege, atque doctrina insonante forissecus, sed interna, atque occulta, mirabili, atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.* Et de prædest. Sancto. cap. 20. *Agit quippe Dominus, quod vult in cordibus hominum, vel adjuvando, vel inclinando, ut etiam per eas impleatur, quod manus ejus, & consilium prædestinavit fieri; dixerat namque superius cap. 8. Hec itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus Divina largitate tribuitur, à nullo corde duro respuitur. Et tandem lib. 1. ad Bonifacium: *Oramus non solum pro nolentibus, verum etiam pro repugnantibus, & oppugnantibus. Quid ergo petimus, nisi, ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes? A quo, nisi ab illo, de quo scriptum est: preparatur voluntas à Domino? Et cap. 20. Qui cor Regis antequam mulieris sermonem poscentis audisset, occultissima, & efficacissima potestate, convertit. Ita explanatum, ac certum est in littera S. Augustini, nullam humanæ voluntati sub motione gratiæ imponi necessitatem, sed libertatem confirmari potius, ac stabiliri, quam destrui. Agit namque Deus potenti, secreta, & efficacissima gratiâ, quâ in nobis operari efficitur, quæ tamen nostræ libertati, nihil officit; quoniam non aguntur homines, ut servi, sed potius liberè agunt, ut Domini; moventur, ut se moveant; in quo stat liberi arbitrii maxima perfectio.***

3. Quis enim neget, esse summam perfectionem potentiæ activæ agere, solvique ipsius indifferentiam suspensivam, seu potentialem? Quæ ultima cujuscumque agentis, &

potentiæ per se, non nequit solius potentiæ, aut agentis creati, sed virtutis comparari, sed obtineri solum potest virtute causæ superioris, teste D. Thoma 3. cont. Gent. cap. 66. *Ultimum in bonitate, & perfectione inter ea, in qua potest agens secundum, est illud, quod potest ex virtute primi agentis.* Quæ eadem ratio est, quam habet sapius D. Augustinus, impossibile judicans, quod agens quodlibet ab alio habeat, ut melius sit, quam ab eo, à quo habet, ut sit. Si ergo ipsa voluntas non minus, quam universa natura, comparatur ad Deum, & quælibet natura, vel forma, vel potentia perficitur per hoc, quod est actus; & comparatur ad esse in actu, sicut potentia ad actum ipsum; nec quantumvis natura aliqua sive corporea, sive spiritualis ponatur perfecta, potest in suum actum procedere, nisi moveatur à Deo, ut probat D. Thomas 1. 2. q. 119. art. 1. evidenti collectione deducitur, voluntatem perfici Divina motione; dum hæc ipsam efficacissimè movet: cum non sit excipienda libertas ab illa universalissima regula, quod omnis creatura à Deo accipit omnem suam perfectionem. Quod sanè profiteamur, dum ad Deum exclamamus, *adjutor meus esto Domine: quod explicans August. serm. 13. de verbis Apostoli: Ipsam enim, inquit, nomen adjutoris prescribit tibi, quia & tu aliquid agis. Agnosce quid possas, agnosce quid confitearis, quando dicis, adjutor meus esto, ne derelinquas me. Adjutorem utique invocas Deum, nemo adjuvatur, si ab illo nihil agatur.* Talis est arbitrii potestas, tanta est gratiæ efficacis necessitas.

4. Hinc est, quod D. August. lib. 12. de Civit. Dei cap. 9. dixit: *Bonam voluntatem, qua meliores essent Angeli, nisi operante adjutorio Creatoris, habere non possunt.* Et postea: *Voluntatem quamlibet bonam inopem fuisse in suo desiderio remansuram, nisi ille, qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex se ipso faceret implendo, meliorem; prius faciens excitando, avidiorem.* Nec minus præclare S. Cælestinus Epist. ad Episcopos Galliæ cap. 8. dicens: *Ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium. Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt: ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humana, singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium: ubi Pontifex non esse dubitandum asserit, quod auxilium Dei magis valeat, quia nempe gratia in productione boni operis, major dicitur esse, quam valor voluntatis, quoniam gratia non tantum operatur velle, quod facit voluntas, sed etiam operatur, ut voluntas velit. Tantum quippe spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ait Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 12. *Ut ided possint, quia sic volunt: ided sic velint, quia Deus operatur, ut velint.* Ad cujus confirmationem validissima sunt supra posita ejusdem S. Doctoris testimonia; si enim Deus facit, ut faciamus, ut in ju-*

justificationibus suis ambulemus, præbendo vires efficacissimas voluntati, hæc Divina motio expedit, complet, ac perficit voluntatem, jam integrè, proximè, completè, & adæquatè in esse potentiæ constitutam, dans illi perfectionem ultimam, cujus est capax, quam expressit S. Cælestinus in citat. Epist. dicens: *Divino auxilio non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur: ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sit sanum.*

5. Hoc suadet spiritualis illa dulcedo, quæ à devotis mentibus sentitur, quam Divina motio immittit in animam, vi cujus longè excellentiora, dulciora, ac præstantiora esse noscuntur illa, quæ latebant, & sunt manifesta per gratiam, quæ in cordibus hominum per dilectionem operatur. *Si namque, ut inquit August. in cap. 5. Epist. ad Galat. quod amplius nos delectat, secundum illud operemur necesse est: tunc quippe vehementius volumus, quantum certius, quam bonum sit, novimus, eoque delectamur ardentius: cum nihil vehementius attrahat animam delectatione, & voluptate, ut dixit D. Thomas 1. 2. q. 33. art. 3. *Illud attentius operamur, in quo delectamur. Attentio autem adjuvat operationem, quod ibi variis argumentis efficacissimè probat; hinc est, quod suaviter, & efficaciter trahentem gratiam sequitur voluntas, quæ talem ingenerat dilectionem, & voluptatem, qua perfunditur, ac vincitur anima, ut omnem pervincat, & expugnet contumaciam voluntatis. Idem apertissimè tradit D. Augustinus explicans illud Apostoli ad Rom. Condelector legi Dei secundum interiorem hominem; etenim de nupt., & concup. lib. 1. cap. 30. ait: *Ista condelectatio legi Dei secundum interiorem hominem, de magna nobis venit gratia Dei.* Et lib. 2. de peccator. merit. cap. 19. *Ejus gratia dileximus, dum antea non delectaveret.* Et iterum: *Ut enim condelecteris legi Dei secundum interiorem hominem, unde haberes, nisi Spiritus vitæ (id est, donum Spiritus Sancti) liberaret te à lege peccati, & mortis? Cum ipsa delectatio boni &c. non nisi gratiæ deputanda sit. Ac demum addit: *veniet gratia Dei, ut delecteris te justitia. Gustemus saltem, ait in Psal. 130, quam suavis est Dominus, qui dedit nobis pignus Spiritus, in quo sentiamus ejus dulcedinem.* Et in serm. 6. de verbis Apostoli cap. 9. *Condelector legi Dei, non de me, sed de gratia Dei.* Et contra Pelagium lib. 2. de peccator. merit. cap. 17. *Ut suave fiat, quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates.* Et lib. 2. cap. 17. dicit: *Divini muneris esse, quod delectatur homo.* Et contra Julianum lib. 2. oper. imperfect. agens de gratia, dicit, quod ipsa donat, ut delectatio peccati justitiæ delectatione vincatur. Ex quibus liquet, quod liberè, & invicè trahitur homo, cum tractio hæc non sit violentiæ, nec necessitatis, sed voluntatis, & desiderii: trahitur liberè volens, sed gratiâ Dei efficaciter movente, & adjuvante.***

6. Hæc est ergo illa perfectissima opera-

tio gratiæ, cœlestem suavitatem, & delectationem infundens, qua ad se animam pertrahit, qua facit, ut liberius agat voluntas. *Præceptum liberè facit, qui libens facit, dixit Augustinus. Ibi sumus veraciter liberi, ubi non delectamur invitè, ait ipse lib. 1. de nupt. *Delectatio est, quæ perficit operationem, nos docuit D. Thomas 1. 2. q. 33. art. 4. Ergo est maxima libertatis perfectio, dum sic delectatione, & suavitate pertrahitur ad consensum. Hoc, ut maximum libertatis beneficium, & privilegium gratiæ commendat Augustinus tract. 26. in Joann., quod dum trahitur voluntas, nulla vis infertur ipsi, sed manet sub ea motione perfectiori modo libera: *Quid hic dicemus fratres, si trahimur ad Christum? Ergo invitè credimus? Ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur? Enim verò, qui trahitur, tanquam invitè cogi videtur: igitur quomodo istam solvemus questionem? Respondet: *Nolite cogitare, invitum trahi: trahitur animus & amore. Et deinde. *Porrò si Poeta dicere licuit, trahit sua quemque voluptas; non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delectatio: quantum fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est. An verò habent corporis sensus voluptates suas, & animus deseritur à voluptatibus suis? Et post pauca, cum quædam ex Scriptura Sacra retulisset: *Da, inquit, amantem, & sentit, quod dico, da desiderantem, da esurientem, da in ista solitudine peregrinantem, atque sitientem, & fontem æternæ Patriæ suspirantem, da talem, & scit, quid dicam; semper namque à Devotis mentibus illa spiritualis dulcedo concupiscitur, ut maneat, augeatur, & perficiatur. Quarè lib. 2. contra litteras Petilianæ cap. 84. *Si tibi (Petilianum alloquitur) proponam questionem, quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimisit arbitrio, fortassis eam difficile soluturus es. Quomodo enim attrahit; si dimittit, ut quis, quod voluerit, eligat? Et tamen utrumque verum est: sed intellectu hoc percipere pauci valent.*******

7. Luculentissimè etiam hanc verissimam hujus Divinæ efficacis motionis incomprehensibilem efficaciam describit D. Laurentius Justinianus opusc. de contempt. Mundi cap. 9. sequentibus verbis: *Nemo venit ad me, ecce obedientia, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum, ecce gratia. Verum ille per obedientiam venit, quem gratia Dei prævenit, sicut Propheta de se commemorans ait: misericordia ejus præveniet me. Prævenit utique, & liberum arbitrium ad obtemperandum trahit, non invitè, sed spontè, quia liberum est. Quomodo autem trahit Pater, & spontè trahit? Nempe insinuando dilectionem filii, qua se pro hominibus morti dedit, propalando per fidem Divinitatem illius, in qua æqualis, & coæternus est sibi, innotescendoque sublimitatem præmii, quod id Filius repromissit famulantibus sibi: ista, dum mens per-*

percipit, dum spe se obtinere confidit, alacri affectu non solum servare præcepta, verum etiam, contempto sæculo, consiliorum perfectionem conatur apprehendere: ecce libera voluntas: ecce voluntaria servitus: ecce violentus cursus: ecce gratuita attractio, per quam à Patre ad Filium trahitur anima.

8. Sic trahitur homo miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari; undè isti sic, illi aliter, atque alii aliter diversis, & innumerabilibus modis vocantur, ut reformentur: Dum, asserente D. Augustino lib. de corrept. & grat. cap. 5. *Subitò commutatione mirabili; quæ clausa eis fuerant, sunt aperta, quæ onerosa, sunt levia; quæ amara, sunt dulcia; quæ obscura, sunt lucida.* Hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus dividens singulis, prout vult; non solum delectatione victricis, sed & aliis innumerabilibus, & miris modis, dum timore iudicii, horrore peccati &c., aliisque affectibus visitatio Dei animum ducit humanum, ut quæ fugiebat, sequatur; quæ odebat, diligit; quæ fastidiebat, esuriat: dum multis aliis modis aversum vocat, docet credentem, consolatur sperantem, diligentem adhortatur, conantem adjuvat, exaudit deprecantem: uno verbo: omnibus oculis aperit, ut Sapientiæ lumen accipiant. Sed hæc sufficiant, ut cognoscatur, quæ arte ineffabilis Dei sapientia operatur in nobis: quàm dulciter, illæsa libertate, allicit: quàm suaviter blanditur: quàm rectè capit, quàm fortiter tenet: & tandem, quomodo cuncta suo ordinat, & disponit beneplacito, ne plus iusto Divinam velimus scrutari voluntatem. *Aliquando enim, ut inquit S. Augustinus in Enchir. cap. 95. in clarissima luce Sapientiæ videbitur, quod nunc piorum fides habet, antequàm manifesta cognitione videatur, quàm certa, & immutabilis, & efficacissima sit voluntas Dei, quàm multa possit, & non velit; nihil autem velit, quod non possit. . . . Quod utique non esset verum, si aliqua voluit, & non fecit; & quod est indignius, idè non fecit, quoniam nè fieret, quod voluit Omnipotens, hominis voluntas impediit.* Undè. & cum eodem Augustino lib. de don. persever. confiteri tenemur: nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle; nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit credere, & dicere, hoc est pium, hoc est verum, ut sit humilis, & submissa confessio, & detur totum Deo. Ex quibus omnibus pronum est intelligere, quantum ex mente Augustini consentiat efficacia victricis gratiæ cum libertate nostra.

S. II.

Secunda probatio ex modo mirabili, quo Deus voluntatem ad actus liberos movet.

9. Mentem Angelici Præceptoris apertissimè dedimus disp. 4. dub. 2. §. 5. sed hic iterum operæ pretium duximus, vocem tanti Magistri agnoscere, ipsum præsentem, intueri, & differentem audire: nam impressa ab Augustino vestigia secutus est D. Thomas. Et quidem robur & efficaciam intrinsicam gratiæ, huiusque cum libertate concordiam expressit 1. p. q. 19. art. 8. *Cum voluntas Divina sit efficacissima, non solum sequitur, quòd fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quòd eo modo fiant, quo Deus vult fieri. Vult autem Deus quædam fieri necessariò, quædam contingenter, ut sit ordo in rebus ad complementum universi. Et idè quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt: quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniunt: Non igitur propterea effectus voliti à Deo eveniunt contingenter, quia causæ proxima sunt contingentes, sed propterea, quia Deus vult eos contingenter evenire, contingentes causas ad eos præparavit.* En ubi S. Doctor contingentiam nostrorum actuum non ad nostræ voluntatis potestatem, sed ad efficaciam Divinæ voluntatis reducit: quod verum non esset, si Deus concurreret ad nostros actus concursu solum indifferenti, non verò efficaci, & prædeterminante.

10. Hanc eandem vim efficacissimam, & invictissimam Divinæ gratiæ moventis repetit 1. p. q. 105. art. 5. dicens: *Primum agens movet secundum ad agendum, & secundum hoc omnia agunt in virtute ipsius Dei, & ita est causa omnis actionis agentium.* Et q. 111. art. 2. *Solus Deus efficaciter potest movere voluntatem.* Prodit ipse suam mentem, hancque intrinsicam gratiæ moventis efficaciam strenuè asserit, 1. 2. qu. 10. art. 4. Et 2. 2. q. 22. art. 4. Et q. 23. art. 6. Et q. 116. art. 1. Et q. 115. art. 1. Et lib. 1. Periherm. lect. 14. Et opusc. 2. cap. 140. Hanc iterum firmat q. 6. de malo art. unic. ad 3. dicens: *Deum movere immutabiliter voluntatem propter efficaciam voluntatis moventis.* Et qu. 3. de verit. art. 7. *Nos ponimus Deum immediatam causam uniuscujusque rei, secundum quòd in omnibus causis secundis operatur, & omnes effectus ex ejus prædeterminatione proveniunt.* Hæc admirabilis & præstans dominatio Divinæ voluntatis in creatas voluntates est insigne illæsa liberi arbitrii libertatis, & indifferentiæ documentum. Hanc quippè liberi arbitrii libertatem, & indifferentiam boni, & mali dedit Deus creatis à se naturis intellectualibus: ergo illæsa, & integra manet libertas, dum Deus in cordibus hominum operatur efficaciter; aliàs, quod

in-

incredibile est, dum propter efficaciam Divinæ voluntatis immutabilem voluntatem movet, concessum revocaret libertatis privilegium.

11. Ingentis etiam momenti ad rem nostram est, quod scribit S. Doctor in 1. ad Annibaldum dist. 47. q. unic. art. 4. *Voluntate Dei non solum res in esse producuntur, sed etiam rebus producendis, modum, quo producuntur, prædeterminavit.* Quid clarius, quid expeditius dici potuit, ut suas quoque partes libero arbitrio vindicet. An prædeterminare modum, quo actus liber producitur, non est prædeterminare libertatem? Ergo si hunc modum prædeterminat, & libertatem efficaciter præmovet. Et rursus 3. contra Gentes cap. 89. Contrariorum sententiam per hæc impugnat verba: *Quidam verò non intelligentes, qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit absque præiudicio libertatis, conati sunt &c.* His postea subiungit: *quibus quidem auctoritatibus Sacra Scriptura resistitur violentè; dicitur enim Isaiæ 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine.* Et concludit: *Non solum virtutem volendi habere homines à Deo, sed etiam operationem.* Et in q. 3. de potent. art. 7. ait: *Sic ergo Deus est causa actionis cuiuslibet, in quantum dat virtutem agendi, & in quantum conservat eam, & in quantum applicat virtutem ad actionem.* Et paulò antea in corpore articuli probans, Deum multipliciter operari in causis secundis operantibus, sic ait: *Primo quidem, quia dedit rebus naturalibus virtutes, per quas agere possunt: secundò in quantum conservat virtutem naturalem in esse; tertio in quantum movet eas ad agendum, in quo non intelligitur collatio, aut conservatio virtutis activæ, sed applicatio virtutis ad actionem.*

12. Nec minus pellucidè de efficacissima gratiâ, quâ Deus agit, & circumagat voluntatem, ut liberè assentiat, S. Doctor loquitur q. 22. de verit. art. 9. in corp. *Respondeo dicendum, quòd voluntas potest intelligi immutari ab aliquo dupliciter: uno modo scilicet ab objecto, sicut voluntas immutatur ab appetibili: alio verò modo potest intelligi voluntas moveri ab aliquo per modum causæ efficientis.* Et postquam docuit, solum Deum posse hoc modo movere voluntatem, primo verò modo posse quemlibet, subiungit rationem sic: *Cujus ratio est, quia cum actus voluntatis sit quasi medium inter potentiam, & objectum; immutatio actus voluntatis potest considerari, vel ex parte ipsius voluntatis, vel ex parte objecti. Ex parte quidem voluntatis mutare actum voluntatis non potest, nisi quod operatur intra voluntatem, & hoc est ipsa voluntas, & quod est causa esse voluntatis; quòd secundum fidem, solus est Deus. Undè solus Deus potest inclinationem voluntatis, quam ei dedit, transferre de uno in aliud, secundum quòd vult.* Et in hac eadem quæstione art. 8., urgentius pro nostra sententia profertur, dicens: *Undè sicuti omnis actio naturalis est à Deo; ita omnis actio voluntatis in quan-*

tum est actio, non solum est à voluntate, ut immediatè agente, sed à Deo, ut primo agente, qui vehementius imprimit; undè sicut voluntas potest immutare actum suum in aliud, ita & multò amplius Deus. Quid clarius? Nihil enim aliud nos contendimus, dum dicimus, Deum physicè movere voluntatem. Hoc unanimiter sentiunt, hoc concorditer affirmant Thomistæ omnes.

13. Etenim Deum esse causam libertatis nostrorum actuum in quantum voluntatem liberam produxit, solum est esse causam mediatam nostrorum actuum, non verò immediatam; sed D. Thomas in 3. contra Gentes cap. 89. citato expressè damnat istam sententiam, tanquam evidentè resistentem auctoritatibus Sacra Scripturæ: ergo ne intelligatur D. Thomas juxta reprobum sensum ab ipso damnatum; sic reducit contingentiam, & libertas nostrorum actuum ad efficaciam Divinæ voluntatis, quòd causas contingentes, & liberas prædeterminet ad suos effectus.

14. Non absimiliter loquitur D. Thomas exponens illud Apostoli ad Hebr. 13. *Deus autem pacis aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem &c.* his verbis: *dupliciter autem homo adaptatur ad bene faciendum. Uno modo exteriori operando, & sic unus homo aptat alium persuadendo, vel comminando. Alio verò modo aliquid interiori exhibendo: & sic solus Deus aptat voluntatem, qui solus potest illam immutare.* En quomodo Deum aptare, & præparare causas contingentes, non solum est illas producere, conferendo eis virtutem operandi; sed est illas immutare, aliquid interiori exhibendo: at per concursum indifferentem voluntati oblatum, seu attemperatum, ut ajunt, non immutatur interiori voluntas, cum maneat ita indifferens ac antea; immutatur tamen per concursum prædeterminantem: ergo isto, & non illo aptat Deus voluntatem ad benefaciendum, juxta mentem Divi Thomæ,

15. Extant & alia apud D. Thomam apertissima testimonia ad hujus rei approbationem, quibus agnoscit voluntatem Dei efficacem infallibiliter conjunctam cum effectu. Sic q. 23. de verit. art. 5. de voluntate Dei efficaci scribit, illi resisti non posse. Et quodlib. 12. art. 3. eam non posse deficere. Et q. 6. de malo art. unic. ad 3. non posse impediri. Et in 2. dist. 47. q. 1. art. 1. cum illa non posse stare negationem effectus, quem vult. Quæ omnia, & alia similia ab ipso passim edocta, salvari non possunt, nisi Deo efficaciter voluntatem prædeterminante.

16. At RR. P. Thyrsus tom. 1. select. disp. 17. sect. 10. his non obstantibus, probare intendit, Deum ex mente D. Thomæ solum moraliter trahere ad se voluntatem, & consequenter ait, quòd D. Thomas tantum agnoscit motionem moralem, qua voluntas creata trahitur. Ad cujus probationem quædam

dam

dam adducit verba Angelici Doctoris super illud Joann. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*: Ubi (ipso referente) sic ait Angelicus Doctor: *Hominem multipliciter trahit Deus, revelatione veritatis internæ, persuasione, operatione miraculorum, blanditiis, admirabili delectatione, & amore veritatis*: in quibus verbis assignantur à D. Thoma modi omnes trahendi voluntatem creatam; sed omnes isti contenti in prædictis verbis continent motionem moralem: ergo D. Thomas tantum agnovit motionem moralem, seu imperium morale.

17. Hæc audiens, & legens Theologus, judicabit sanè, nullum alium modum trahendi voluntatem creatam docuisse ibi Angelicum Magistrum: sed audiant textum, integrè relatum: *Sed quia (prosequitur immediate Angel. Magister) non solum revelatio exterior, vel objectum virtutem attrahendi habet, sed etiam interior instinctus impellens, & movens ad credendum, ideo trahit multos Pater ad Filium, per instructum divinæ operationis moventis interius cor hominis ad credendum, ut dicitur ad Philippens. 2. Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere, & Osee 11. in funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis. Et Proverb. 11. cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud. Hunc etiam modum trahendi habet super illud Pauli ad Rom. 8. quos prædestinavit, hos & vocavit. Ubi D. Thomas docet, quod alia est vocatio interior, quæ nihil aliud est, quam quidam mentis instinctus, quo cor hominis movetur à Deo ad assentiendum his, quæ sunt fidei, vel virtutis, juxta illud Isaïæ 41. *Quis suscitavit ab oriente justum, & vocavit eum, ut sequeretur se?* Et hæc vocatio necessaria est, quia cor nostrum non se converteret ad Deum, nisi ipse Deus nos ad se traheret, juxta illud Joann. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Et Threnor. 5. *converte nos Domine ad te, & convertemur, & etiam hæc vocatio est efficax.* Ecce ubi Divus Thomas, præter omnes modos relatos ab arguente, ulterius addit alium efficaciorum, quem appellat *per instinctum divinæ operationis moventis, & impellens ad credendum, moventis, inquam, interius cor hominis, hoc est, inherens intra ipsam voluntatem: qui quidem instinctus est ipsissima physica prædeterminatio, à decreto efficaci prædeterminativo ortum ducens.* Immo contra P. Thyrsium retorqueo ejus argumentum in hunc modum: per te D. Thomas numeravit in prædicta expositione omnes modos trahendi voluntatem; sed præter modos à te recitatos, alium superaddit D. Thomas, nimiram, per instinctum divinæ operationis moventis interius cor hominis ad credendum ergo præter modos trahendi moraliter voluntatem, quos tu fateris, teneris admittere, alium, qui non sit modus trahendi moraliter, sed per physicam interiorem motionem,*

feu præmotionem. Hæc est mirabilis illa doctrina, qua collaudatur Christus Rex gloriæ qui per Thomam lumen Ecclesiæ Mundum, reple. doctrina gratiæ; ut Ecclesia canit in officio S. Doctoris.

S. III.

Idem assertum probatur ex conceptu essentiali libertatis creatæ.

18. **E**fficacia intrinseca gratiæ, qua Deus cor adversarium, & rebelle auferit quæ facit, ut in justificationibus Dei ambulamus, nequaquam liberum lædit arbitrium. Non pugnant ista gratia ab intrinseco efficax & libertas. Quamvislibet invictum sit robur gratiæ, nihil tamen infligit necessitatis, seu consentire, vel dissentire semper est liberum. Etenim necessarium est juxta principia fide consentanea, & veræ Philosophiæ, quod voluntas creata taliter se determinet ad amorem, ut non sit primum determinans, nec prima domina suæ determinationis. Quæ enim magis adversum Philosophiæ, & Fidei, quam duo prima principia determinantia? Ergo impossibile non est, sed potius necesse, quod voluntas creata taliter exigat, se ad amorem determinare, ut etiam exigat determinari à Deo. Hoc enim est formaliter esse primum determinans, quod se determinet excludendo determinationem ab alio: sicut ratio primi entis sic habet esse à se, quod excludit esse ab alio; & agere à se, excludendo agere ab alio, est formaliter esse primum agens. Quare D. Thomas q. 3. de malo art. 2. ad 4. inquit: *Cum aliquid movet se ipsum, non excluditur, quin ab alio moveatur, à quo habet hoc ipsum, quod se ipsum moveat: & sic non repugnat libertati, quod Deus est causa liberi arbitrii.* Et in 2. dist. 25. q. 1. art. 2. ad 1. quod Deus operatur in voluntate nostra, & in libero arbitrio secundum ejus exigentiam. Unde etiam si voluntatem hominis in aliud mutet, nihilominus tamen hoc sua omnipotentia facit, ut illud in quod mutatur voluntas, voluntariè velit. Et in 1. p. q. 83. art. 1. ad 3. dixit, quod Deus movendo causas voluntarias, non auferit, quin actiones earum sint voluntariæ, sed potius hoc in eis facit: quare statuit 1. 2. q. 10. art. 4. quod repugnat divinæ motioni movere voluntatem ex necessitate, & non liberè prout convenit suæ naturæ. Hic radiat primò dependentia essentialis secundi liberi ab alio primo determinante. Radiat secundò, Deum sic movere voluntatem, quod sit causa liberi arbitrii. Radiat tertio, quod utrumque effici existimat D. Thomas, ut invicta Dei gratia moveatur voluntas, & quod liberè consentiat. Radiat quartò, ita nos gratia Dei præveniri, & efficaciter adjuvari illasà libertate, esseque talem libertatis cum gratiâ conjugationem, quod repugnat divinæ motioni movere volun-

luntatem ex necessitate, & non liberè.

19. Hoc penitus ostendit, quod supra ex Augustino diximus, gratiam Dei nos ducere, & trahere, operando intus in corda hominum, ita ut nullo modo intelligatur nostra voluntas prior: trahit ergo Deus prius operando in voluntate, ut illa velit; prius determinans voluntatem, ut ex nolente fiat volens. Quod uterque S. Doctor sub nomine *motionis, & tractionis* docent, hoc & nos sub nomine *determinationis* affirmamus. Nunc rogo: habet ne voluntas creata à Deo hoc, quod est actu se determinare? Si negativè respondeas: ergo jam voluntas creata est primum determinans ad amorem; cum non habeat ab alio, ut se determinet, & existentia actionis liberæ, non in concursum Dei, sed in determinationem nostræ voluntatis sistit, & resolvitur ultimò: cum non possit ultra resolvi in voluntatem divinam. Si affirmativè, ut par est: ergo quod voluntas creata se determinet ad amorem, non excludit, quod etiam determinetur à Deo, quin potius id essentialiter imbibit: siquidem à Deo habet hoc ipsum, quod se ipsam determinet: ergo cum eo, quod ipsa se liberè exerceat circa existentiam actus liberi, rectè componitur, quod & Deus sit primum agens liberum respectu ejusdem actus liberi.

20. Dices cum P. Avendaño disp. 7. cap. 1. §. 11. n. 5. & §. 14. n. 4. Deum quidem causare determinationem liberam voluntatis creatæ, quamvis non determinet voluntatem, sed sola voluntas creata se determinet ad actum; quia aliud est, inquit, liberè determinare, & aliud causare immediate liberam determinationem: sicut aliud est causare vitalitatem actus, & aliud vivere, dum sit actus vitalis: sola enim voluntas vivit per actum vitalem supernaturalem, & non gratia; & tamen non sola voluntas, sed etiam gratia causat vitalitatem actus: ergo ut Deus sit primum determinans nostram voluntatem, & primus Dominus nostræ determinationis liberæ, sufficit, quod determinationem, & non requiritur, quod determinet.

21. Sed contra est primò, quia nequit Deus esse causa determinationis nostræ voluntatis ad amorem, & non determinare illam efficienter ad amandum: idem quippe formalissimè est, esse causam efficientem determinationis voluntatis, ac illam efficienter determinare: sicut idem est formalissimè esse causam efficientem albedinis in pariete, ac dealbare efficienter parietem: esse causam efficientem caloris, ac efficienter calefacere: & in sententia contrariorum, efficere in extremis unionem, qua formaliter uniuntur, est formalissimè illa extrema efficienter unire: & efficere lucem in diaphano, qua formaliter illuminatur, est illud efficienter illuminare; quia evidens est, eandem denominationem, quam præstat formaliter aliqua

forma, præstari efficienter à causa efficiente talem formam: sed juxta solutionem Deus immediate efficit physicè determinationem voluntatis in voluntate recipienti à Deo ipsam determinationem, ut verificetur illud Pauli, *quid habes, quod non accepisti?* Ergo & Deus debet dici primum determinans efficienter nostram voluntatem, quod nihil aliud intendimus. Secundò, quia, ut in solutione conceditur, Deus causat efficienter, & immediate talem determinationem; sed non causat illam necessariò: ergo liberè causat illam: ergo & talis determinatio existit sub Dei dominio formaliter, & immediate; nequit enim aliquid immediate, & formaliter existere sub libertate Dei, quin immediate, & formaliter existat sub illius dominio. Ex quo iterum evidenter infertur, quod, ut talis determinatio ponatur, requiritur ex parte Dei nova, & distincta libertas.

22. Rursus: nam vel Deus est causa determinationis liberæ nostræ voluntatis ad amorem per concursum determinatum, vel per concursum indifferentem ad amorem? Si primum; cum concursus divinus determinatus præveniens voluntatis prædeterminationem tanquam causa illius, sit concursus prædeterminans, supponens efficax decretum Thomistarum, jam apertè conceditur ipsorum prædeterminatio. Si secundum: ergo sicut Deus ratione concursus indifferentis causat determinationem voluntatis ad amorem, ita ratione illius concursus determinabit voluntatem ad amandum, & qua facilitate, vel difficultate salvatur primum, potest salvari secundum: ergo inconsequenter etiam in principiis Adversariorum conceditur, Deum causare determinationem nostræ voluntatis, & negatur, Deum determinare nostram voluntatem.

23. Nec exemplum solutionis urget: fatemur enim, non esse idem causare vitalitatem actus, ac vivere per illum: quia esse causam vitalitatis solum nominat principium activum: vivere autem, cum sit se movere, nominat principium activum, & passivum. Unde Deus concurrens cum voluntate ad actum vitalem, & similiter gratia, verè dicuntur causæ vitalitatis actus, quia verè influunt in illum activè: sola tamen voluntas vivit per actum, quia in illum activè influit, & illum passivè recipit: undè sola voluntas se movet per illum. Hac eadem ratione fatemur, non esse idem causare determinationem voluntatis, ac se determinare: quare Deus causans determinationem voluntatis non se determinat per illam, quia non recipit illam in se, bene verò voluntas, quæ & causat, & recipit. Cæterum causare determinationem voluntatis est omninò idem, ac illam determinare; quia determinare nihil passivum nominat, sed purè activum, sicut causare. Quare idem omninò est causare vitalitatem actus, ac vivificare efficienter.

24. Ulterius sic inſto: nam juxta ſolutionem eatenus Deus concurrat elicitivè, & non determinativè ad determinationem liberam creaturæ, quatenus Deus determinatus à creatura concurrat efficienter ad ipſam determinationem: ergo prius eſt prioritate naturæ, quòd creatura determinet Deum, five divinum concurſum, quàm quòd Deus efficienter concurrat ad determinationem creaturæ. Tenet conſequentia: nam determinans aliud eſt ſaltem natura prius illo: ergo ſi Deus non concurrat efficienter ad determinationem creaturæ, niſi quatenus determinatus à creatura, prius erit, quòd creatura determinet Deum, quàm quòd Deus concurrat efficienter ad determinationem creaturæ: ergo prior eſt determinatio creaturæ, quàm divinus concurſus effectivus in talem determinationem; cum creatura non determinet divinum concurſum, niſi per ſuam determinationem: ergo implicatorius eſt iſte divinus concurſus. Probatur hæc conſequentia: nam implicatorius eſt concurſus effectivus ſubſecutus ad ejus effectum; cum cauſa efficiens eſſentialiter petat præcedere ſuum effectum; ſed iſte Dei concurſus ſubſequitur ad ejus effectum; ejus enim effectus eſt determinatio creaturæ, quæ, ut vidimus, prior eſt ipſo concurſu: ergo implicatorius eſt hujusmodi concurſus.

25. Si dicas, in voluntate creata eſſe duplicem determinationem, aliam, qua determinat concurſum divinum, ut cum illa concurrat ad amorem, v. g., & hæc præcedit divinum concurſum, nec eſt effectus illius: aliam, qua ſe ipſam determinat ad amandum, & hæc ſubſequitur ad divinum concurſum, cauſaturque efficienter per illum; unde nulla eſt implicatio.

26. Contra eſt, nec minus efficaciter; nam vel illa prima determinatio voluntatis, qua determinat divinum concurſum, cauſatur à Deo, vel non? Si non cauſatur: ergo jam voluntas creata eſt prima cauſa, primum determinans, & prima domina reſpectu illius determinationis. Si cauſatur à Deo: ergo vel per illummet concurſum, quem ipſa determinat, vel per alium priorem, & diſtinctum? Si per illum: ergo jam illa prima determinatio eſt effectus talis concurſus, quod ſolutio negat. Si per alium priorem, rurfus rogo: vel ille prior concurſus eſt determinatus, vel indifferens? Si determinatus, habemus intentum conſtituendi in Deo concurſum determinatum, quo Deus cauſet primam determinationem liberam noſtræ voluntatis. Si eſt indifferens: ergo etiam iſte concurſus, juxta principia oppoſita, determinabitur per noſtram voluntatem: ergo dabitur proceſſus in infinitum in concurſibus divinis, & in determinationibus voluntatis: ſiquidem quacumque assignata determinatione voluntatis, debet dari aliquis concurſus divinus prior illa, & cauſans illam: &

quocumque assignato concurſu indifferenti, debet dari aliqua determinatio voluntatis prior illo, & illum determinans.

27. Hiſ omnibus addimus, quòd illa prima determinatio, qua voluntas creata ſe determinat ad amandum eſt immediatè, & formaliter aliquis effectus creatus bonus in rerum natura exiſtens: ergo debet produci de facto ab aliqua cauſa prima, quæ non poteſt eſſe alia præter Deum bonorum omnium largitorem; aliàs daretur duplex primum principium boni, quod evidenter pejus eſt, quàm hæreſis Manichæorum: ergo illa determinatio ſubſiſtit ſub dominio Dei formaliter; quia dominium Dei ita univerſale eſt, ſicut cauſalitas ejus, & ratio primi principii; & Deus per illam cauſalitatem, qua producit creaturas, & illas conſervat in eſſe, per eandem dominatur in illis.

28. Secundò probatur conſuſio. Actus, qui ab agente creato procedunt, liberè ab illo, ut à ſecundo libero, & primo ſubordinato, derivantur; aliàs non ſecundum, ſed primum liberum eſſet: ſed actum procedere ab agente libero creato, ut à ſecundo libero à primo determinato, non poteſt auferre illius libertatem: ergo ſtat vera libertas cum determinatione agentis creati, quæ ſit ex determinatione primi agentis. Minor multipliciter probatur, & primò auctoritate Divi Thomæ, cujus ſexcenta poſſemus referre teſtimonia. At quia multa hinc indè multis in locis jam ſparſimus, audiendus ſolum in 2. diſt. 25. q. 1. art. 1. ubi inquit: *Utrum in Deo ſit liberum arbitrium?* Cum tertio ſibi opponeret, dicens: *Videtur, quòd nec in aliquibus creaturis ſit (ſcilicet liberum arbitrium) ad libertatem enim liberi arbitrii pertinet, ut aliquis ſit Dominus ſui actus. Cum igitur cujuſlibet creaturæ actus in cauſam priorem reducat, que eſt ipſe Deus, qui omnia opera noſtra in nobis operatur, ut Iſaie 26. dicitur, videtur, quòd liberum arbitrium in creatura nulla reperitur.* Sic reſpondet: *reſpondeo, quòd Deus operatur in omnibus, ita tamen, quòd in unoquoque ſecundum ejus conditionem. Undè in rebus naturalibus operatur ſicut miniſtrans virtutem agendi, & ſicut determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi ſibi miniſtret, & ipſo operante, liberum arbitrium agat: ſed tamen determinatio actionis, & ſinis in poteſtate liberi arbitrii conſtituitur. Undè remanet ſibi dominium ſui actus, licet non ita, ſicut primo agenti.* Et Opufc. 3. cap. 129. unde patet, quòd non eſt contra libertatem arbitrii, ſi Deus voluntatem hominis movet. Ergo à libertate voluntatis creatæ minimè excludi poteſt divina cauſalitas, divinæque gratiæ efficaci motio.

29. Secundò, quia libertas creata nequit imitari libertatem divinam in eo, quòd eſt ſingulare, & privativum excellentiæ libertatis divinæ, prout extollitur ſupra creatam:

tam: ſed hujusmodi eſt ſe ipſam determinare omnino independentem ab alio prius determinante; hoc enim eſt, libertatem eſſe ab omni alio independentem: ergo de ratione formali agentis creati liberi non eſt ex ſe ita ſe determinare, quòd per prius non determinetur à Deo. Ut vis hujus argumenti percipiatur, negligenda non eſt doctrina Angelici Præceptoris q. 3. de potent. art. 7. ad 12. ubi inquit: *Dicendum, quòd creatura habet aliquam Dei ſimilitudinem, participando bonitatem ipſius, in quantum eſt, & agit, non tamen ita quòd per ſimilitudinis perfectionem, ad æqualitatem perveniat: & ideo ſicut imperfectum indiget perfectione, ita virtus naturæ in agendo indiget operatione divina.* Quod argumentum procedebat ex eo, quòd creatura Dei ſimilitudinem habet in quantum actu eſt, & actu agit, & ſecundum hoc eſt divinæ bonitatis particeps; hoc autem non eſſet, ſi virtus ſua ad agendum non ſufficeret: ſufficit ergo creatura ad agendum ſine hoc, quòd in ea Deus operetur utique ipſam movendo. En ubi D. Thomas negat expreſſè, poſſe voluntatem creatam aſſimilari voluntati divinæ in hoc, quòd eſt ſe ipſam determinare, quòd intendebat argumentum: & quòd ſi in hoc aſſimilaretur voluntati divinæ, ad ejus æqualitatem perveniret, quòd eſt omnino falſum.

30. Tertio, quia ſi determinatio Dei non præcederet determinationem creaturæ, prius eligeret creatura, quàm eſſet à Deo electa; ſed electio noſtra nequit eſſe prævia electioni divinæ: ergo determinationem creaturæ præcedit. Minor probatur teſtimonio D. Thomæ ſuper illud Joannis 15. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Ubi dicit S. Doctor, quòd eſt duplex electio, una æterna, qua prædeſtinamur juxta illud ad Ephes. 1. *elegit nos in ipſo.* Alia temporalis, qua ab ipſo vocamur. Et de hac vocatione proſequitur dicens: *Non ergo dicendum, quòd aliquod bonum totaliter præcedat electionem Dei, eò quòd univerſaliter nihil poteſt eſſe cauſa, & præcedere divinam electionem, quia omnia bona ſunt nobis à Deo: aliàs electio noſtra prævia eſſet electioni divinæ, quòd eſt contra ſententiam Domini.* Ex quibus ſequens conſicitur argumentum: determinare unum præ alio eſt illud eligere: ſed creatura per prius ad determinationem divinam ſe determinaret: ergo per prius eligeret, quòd, inquit D. Thomas, eſt contra ſententiam Domini.

31. Ab abſurdo etiam egregiè probari poteſt quartò minor illa. Si voluntas creata ex determinatione, & electione Dei eliciens conſenſum, liberè non eliceret, nec voluntas divina ex privativa determinatione, & electione voluntatis creatæ, ut contrarii affirmant, conſenſum potiùs, quàm diſſenſum producens, liberè influeret in conſenſum: ſed Deum influere, ut agens liberum in actus noſtros liberos, eſt fide certum: ergo & quòd determinatio, & electio arbitrii creati de-

pendeat à Deo, non impedit, quòd liberè non influat in actus liberos. Ulterius: omnipotentia, ut applicata per decretum ſolum indifferens, nequit concurrere cum voluntate ad actus ejus liberos, niſi ab ipſa voluntate ad id determinetur: ſed non determinatur moraliter; cum nec determinetur per ſuaſionem, conſilium, vel præceptum, nec etiam per meritum, vel orationem: ergo determinatur phyſicè; ſed potentiam aliquam executivam phyſicè determinari, ut operetur, eſt ipſam phyſicè prædeterminari; cum talis prædeterminatio debeat neceſſariò præcedere operationem, ad quam determinat: ergo ſi cum phyſica prædeterminatione omnipotentia ſtat libertas Dei, & cum phyſica prædeterminatione Dei erit integra, & illæſa libertas voluntatis creatæ. Vel clariùs: nequit eſſe contra dominium, & poteſtatem arbitrii creati, quòd non eſt contra perfectionem libertatis, & domini divini: ſed omnipotentiam divinam phyſicè prædeterminari à voluntate creata non eſt contra perfectionem Domini divini: ergo nec voluntatem phyſicè prædeterminari à Deo eſt contra perfectionem libertatis creatæ.

32. Quid ergo eſt, quòd ita percellit animos? Quid in hujusmodi concordia conturbat? Quid enervat? Quæ verior, & magis opportuna fidei explicandæ credi poteſt? Operum noſtrorum merita ex gratia Dei, liberoque arbitrio procreari, SS. PP. probat auctoritas; ſicut & gratiam liberum arbitrium adjuvando perficere, ut Beatiffimo Innocentio Papæ ſcribit Concilium Carthaginense anno 416. dicens: *Id enim agunt iſti damnabilibus diſputationibus ſuis, ut, non defendendo, ſed potiùs, in ſacrilegam ſuperbiam extollendo liberum arbitrium, nullum relinquunt locum gratia Dei, quæ Chriſtiani ſumus, quæ & id ipſum noſtræ voluntatis arbitrium verè ſit liberum, dum à carnalium concupiſcentiarum dominatione liberatur, dicente Domino: ſi vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eſtis: quòd auxilium fides impetrat, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Quæ ergo magis commendabilis virtus, & amplectenda libertatis poteſtas, quàm Deum cooperatorem in bonis actibus habere? Hinc benè operandi excellentia, hinc liberi arbitrii dignitas commendatur. Tunc enim liberum arbitrium primam, & perfectiſſimam imitatur libertatem, cum benè operatur: & tunc benè operatur, cum operatur Deus in eo. *Ipſe eſt*, inquit Apoſtolus, *qui operatur in nobis velle & perficere.* Hæc eſt Thomiſtarum doctrina, hæc Apoſtoli ſententia, quæ & ſe ſola ſufficit, ut noſtra circa concordiam gratiæ ab intrinſeco efficaci cum libero arbitrio firmetur ſententia.

33. Unum tamen eſt hic minimè prætermittendum, quòd licet inſuperabilis ſit difficultas, & inter difficilia, quæ humanæ menti noſcuntur, quomodò Deo mirabili, atque

ineffabili potestate, operante in cordibus nostris, non solum veram excitationem, sed etiam bonas voluntates, & non solum adjuvando, cum agimus, sed adjuvando, ut agamus, salvetur libertas. Non per hoc deprimi debet efficacia gratiæ, vel ipsa libertas à Deo essentialiter independens constitui, ut rectè notat M. Bolivar Primarius Salmanticensis, vir ille supra imitationem eximius, & supra omnem invidiam admirandus tract. 5. de provident. dub. 3. §. 8. n. 96. *Si quis negaret, Deum immediatè efficienter influere in effectum cujuscumque creaturæ, & in actionem ipsam creaturæ, seu in actum vitalem, falsitatis convinceretur ex eo, quòd Deus est primum efficiens, atque adeo debet influere in quancumque entitatem. Nec satisfaceret asserendo, Deum quidem influere in omne eius creatum distinctum ab actione creaturæ, seu actu vitali; non tamen in ipsam actionem, & illius effectum, seu in actum vitalem, ed quòd cum creatura illum efficienter causet, & actus vitalis sit ab intrinseco, Deus in illum influere non potest immediatè, sed solum mediatè; si enim Deus illum produceret, creatura nihil ageret, quod est contra fidem: & actus vitalis ab intrinseco non esset, quod est absurdum. Non, inquam, satisfaceret, & rejiciendus esset argumentis factis: tum quia influxus necessarius ad salvandum conceptum primi efficientis non potest efficientiam creaturæ destruere, neque Deum facere actum vitalem, impedit, sed facit, ut ab intrinseco potentiæ vitalis procedat: tum etiam, quia efficientia creaturæ; utpotè ens limitatum à primo ente debet efficienter derivari, atque adeo dependentia ab illo, illam non potest destruere: tum denique, quia creatura non dependens efficienter immediatè à Deo implicatoria est: ergo vel creatura non operatur, vel ejus efficientia, & actio à primo efficiente dependet immediatè. His argumentis convinceretur falsitatis, quantumvis conaretur, incompossibilitatem utriusque influxus aliunde ostendere; sed eandem efficaciam habent hæc argumenta facta pro supremo dominio Dei: ergo & debent convincere. Quod explicari potest aliis exemplis. Si quis ad componendam libertatem Divinam cum ejus simplicitate, assereret, actum liberum constitui modo superaddito realiter ab actu necessario distincto, omnino esset rejiciendus, quamvis sint argumenta valde difficilia ad probandum non posse aliter intelligi actum liberum Dei. Non, inquam, esset audiendus, sed rejiciendus, ed quòd utrumque debet componi, & summa simplicitas, & Divina libertas: neque iterum audiendus esset, si assereret, compositionem illam, utpote necessariam in Deo ad salvandam perfectionem liberi arbitrii, non esse imperfectionem, sed potiùs perfectionem. Non, inquam, esset audiendus, ed quòd compositio in quocumque genere dicit imperfectionem: quapropter à Deo etiam in actu libero releganda, & consequenter aliter salvanda est libertas. Pariter ergo insufficienter solvitur argumentum nostrum per hoc, quòd aliter salvari non potest li-*

bertas creata; sed fatendum supremum Dei dominium erga omnem creaturam, tam liberam, quàm necessariam; quia eadem est in omnibus ratio subjectionis, & postea cum illo componere libertatem. Hæc ille: at quomodò conciliantur ista, ac fieri possit, & quòd Deus operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate sua, & quòd nos liberè velimus, & operemur; si quis curiosus scrutari inquirat? Netas est hic aliud, quàm incomprehensibilem Dei sapientiam admirari, nec hujus causam aliam assignari sinit Augustinus. Ita Epist. 105. Cur autem illum potius, quàm illum liberet, aut non liberet, scrutetur, qui potest judiciorum ejus tam magnum profundum; verumtamen caveat precipitium. Et Epist. 120. cap. 26. Illud ex ligno quod fixum occultatur, profunditatem significat gratiæ gratiæ, in quo multorum ingenia coneruntur, id vestigare conantia; ut extremum eis dicatur: O homo, quis es, qui respondeas Deo? Hoc frequenter inculcat de verb. Apostoli Ierm. 6. Quare ergo illi datum est, & illi non est datum? Non me piget dicere, hoc est profundum Crucis. De profundo nescio, quo judiciorum Dei, quæ perscrutari, contemplarique non possumus, procedit omne, quod possumus. De profunditate, inquam, nescio, qua judiciorum Dei, quæ inscrutabilia contemplari non possumus, perscrutari non valeamus, procedit omne, quod possumus. Quod possum video, undè possum non video, nisi quia & hoc hætenus video, quod novi esse à Deo. Quare autem illum, & non illum, multum est ad me, abyssus est, profundum Crucis est. Admiratione exclamare possum, disputatione demonstrare non possum. Quid possum exclamare de ista profunditate? Quàm magnificata sunt opera tua Domine? Gentes illuminantur, Judæi excæcantur, quidam parvuli Sacramento Baptismatis abluuntur, quidam verò parvuli in morte primi hominis relinquantur. Quàm magnificata sunt opera tua Domine, nimis profunda facta sunt cogitationes tuæ &c. Multi de isto profundo quærentes reddere rationem, in fabulas vanitatis abierunt. Et quibusdam interjectis: Ecce primus homo totam massam damnabilem fecit. Veniat secundus homo &c. Mortuos ad vitam transferat, &c. Quare illum, & quare illum? Quare non illum, atque illum? Nolo à me quæras: homo sum; profundum Crucis adverte, non penetro; expavescio, non scrutor; inscrutabilia sunt judicia ejus. Homo sum, homo es, homo erat, qui dicebat: O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Hoc Divinæ operationis arcanum tam perspicuis verbis descripsit Augustinus, ut referri tantum egeant, non elucidari. Unum addo, quòd si gratia hæc, qua Deus operatur in nobis velle, & perficere non esset ineluctabilis, & physicè prædeterminans, sed purè versatilis, nostro subjecta libero arbitrio, expedita esset quæstionis solutio; nec ad inscrutabilem judiciorum caliginem confugiendum esset; cum evanesceret tota illa admirandi, & exclamandi causa, ut dixit Augustinus in Enchir. cap. 98.

cap. 98. *Qua in re si futura opera, vel bona hujus, vel mala illius, quæ Deus utique præsciebat, vellet intelligi &c. Nullam, quam solvi opus esset, faceret quæstionem. Et in opere ultimo contra Julianum lib. 1. n. 124. Nam si inscrutabilis quæstionis hujus illa esset solutio, quam tu sapias, secundum merita voluntatum; manifesta esset, ut nulla ejus difficultate compelleretur Apostolus dicere: O homo tu quis es, qui respondeas Deo? De nondum natis enim agebatur, quorum non ex operibus, sed secundum pro-*

positum suum Deus unum dilexit, alterum odio habuit: undè ad hæc verba perventum est, ut de eadem massa, & diversis vasibus, & de potestate figuli loqueretur. Quod centies replicavit Augustinus, ut nulli dubium esse possit, apertissimè huic nostræ patrocinarî sententiæ. Hæc modò sufficiant; cum ad ea, quæ objecta sunt, vel in contra possunt objici, dubio 4. fusè, ac diligenter, & fortè tempestivius respondebimus.

DUBIUM III.

Utrum Gratia physicè prædeterminans sit à nostra voluntate resistibilis, & impossibilitas ei resistendi pugnet cum libertate?

QUONIAM latius dicturi eramus de irresistibilitate gratiæ ab intrinseco efficacis, etsi non leviter plura attigimus disp. 1. dub. 3. §. 4. non ibi Provinciam suscepimus examinandi omnia, quæ ad hanc gravissimam difficultatem pertinent, contenti his, quæ ad intelligentiam Concilii Tridentini stabilendam erant necessaria; sicut & disp. 4. dub. 3. §. 5. ad probandam repugnantiam creaturæ inconvertibilis. At cum potissimum dubii præsentis resolutio tractatus hujus doctrinæ summam comprehendat; sitque hujusmodi irresistibilitas primum, & præcipuum fundamentum, quod contra nos urgent Adversarii molestissimis arguendi formis; multosque non sine maxima animi admiratione audiverimus, notâ Theologicâ tam insigniter doctrinam istam per tot sæcula traditam, deturbare audentes, si non subdolè, seu malitiosè, saltèm zelo minus vero, sapienti, & oculato; hinc amore veritatis, & justitiæ accensî, dubium hoc castigatè fati tradere religioni duximus; ne inter fallaces ignorantiæ tenebras sint nobis cæca, & errabunda vestigia, multitudinique detrahentium, ante judicium Ecclesiæ, credant alii minus docti.

2. Hoc itaque primum asserimus, hoc certissima fide tenemus, tanquam expressis Sacræ Scripturæ, SS. PP. & Conciliorum testimoniis comprobatum, & toties ab Ecclesiâ definitum, dari in statu naturæ lapsæ interiorè gratiam à voluntate resistibilem, & quæ non semper suum obtineat effectum, quæ testimonia superius dedimus, & ita vulgatiore sunt in sacrâ pagina, quàm ut sit opus tantâ nos hucusque prolixitate molestos esse. Quod ergo contendimus, & explicare cupimus, est, an detur gratia ab intrinseco efficax, & physicè prædeterminans irresistibilis à voluntate creata?

3. Ut quæstionis hujus obscuritas utcumque illustretur, & ne quid durum, & asperum in termini hujus significatione irresistibi-

lis reperiatur, maximè advertendum; primo, quòd resistere in præsentî minimè sumitur pro pugna, seu conatu in oppositum, qualiter Jansenistæ sumunt resistere, ut captiosè constitutiones Apostolicas eludant. Est quippe certum, quòd concupiscentia semper oppugnat gratiam, quantumcumque ab intrinseco efficacem, quòd semper resistit ipsi ad consensum salutarem invincibiliter. & indeclinabiliter inclinanti. Quod expressit D. Augustinus lib. 2. de nuptiis, & concup. cap. 2. *Habitat enim in nobis (lex membrorum) & mentem resistentem, repugnantemque sollicitat, ut ipse conflictus etiam si non sit damnabilis, quia non perficit iniquitatem, sit tamen miserabilis, quia non habet pacem. Unde exclamabat Apostolus: infelix ego homo? Quis me liberabit à corpore mortis hujus? Neque hoc sensu negavit unquam Jansenius, quòd gratiæ reluctetur, cum luctam inter gratiam, & delectationem terrenam expressè doceat lib. 4. de grat. Christi cap. 4. his verbis: Quamdiu in hac vita mortali vivimus, esse in homine luctam quamdam duarum delectationum noxiæ, & beneficiæ, terrenæ; atque cælestis, quarum utralibet vicerit, animum secum consentientem, ac primum trahit, Quod & repetit ibi cap. 5.*

4. Non accipitur similiter resistere in ampla illa significatione, quatenus nempe dicit, & idem est, ac posse liberè aliud velle. Est quippe fide certum, quòd compossibilis est cum Dei motione efficaci vera possibilitas proxima, absoluta, completa, & integra ad dissentium, ut egregiè dixit D. Prosper lib. 2. de vocat. Gentium cap. 27. & 28. *Quod Deus voluit eos velle, voluerunt, qui ad obediendum sibi ipsum velle, sic donat, ut etiam à perseverantibus, illam mutabilitatem, qua possunt nolle, non auferat. Cum enim hæc potestas sit pertinet ad libertatem arbitrii, non auferitur per Dei voluntatem, vel efficacem motionem, quæ solum efficaciter movens, facit, ut in sensu composito arbitrium non conjugat de facto dissentium cum Deo excitante. Undè*

nec est in homine potentia ad dissentiendum, vel resistendum Deo efficaciter aliquid volenti, & efficaciter ad id moventi; nec in tali potentia, quæ nulla est, hominis consistit, aut consistere potest libertas, ut dicit M. Lemos tract. 4. cap. 21. quem toties in rebus gratiæ miraculum, & oraculum diximus. Etenim si vis gratiæ prædeterminantis physicè invicta, & insuperabilis est, & voluntas nostra invictissimè adducitur ad consentiendum; si hoc auxilium infallibile est, quo voluntas nostra versatilis, flexibilisque tam in bonum, quam in malum, etiam sub gratia sufficiente constituta, constantissimè, & indivulsè bono affigitur, quomodò frustrari poterit, per contumacem libertatis humanæ dissesum? Sumitur ergo in præsentî resistere propriè, ut superius loco citato diximus, secundum quòd dicit componere cum prædeterminatione, resistantiam, vel ipsam frustrare; an nempe detur potestas in libero arbitrio, ut existente gratia ab intrinseco efficaci, careat effectu, cum quo essentialiter ipsa est ab intrinseco connexa? Ita in præsentî accipiendum invictosum istud irresistibilitatis nomen, quod destructæ libertatis idæam generat, ut clarissimè intelligatur, quòd licet detur impossibilitas resistendi gratiæ efficaci, adhuc tamen sub illa remanet voluntas proximè, integrè, & completè expedita, & libera, ut possit, & resistere Deo vocanti, & contrarium actum, ponere. Quare irresistibilitatem prædeterminationis appellare irresistibilitatem consentus, manifesta videtur illusio, ac nominis abusus, ad veritatem occultandam, & involvendam artificiosè compositus; cum nullæ sint occultiores insidiæ, quàm quæ latent in simulatione vocis. Sit ergo certum, ut verus, sincerus, & candidus sit sermo nostro; sincerè enim, atque infucate scribere animus est, quòd irresistibilitas, quæ datur respectu prædeterminationis physicæ, non est irresistibilitas respectu actus. Hoc quippè argumenti genus ex uno ad alterum meritò Dialecticis reprehensibile videri debet; non enim valet, gratia ab intrinseco efficaci irresistibilis est: ergo actus irresistibilis est; cum arguatur, ut diximus ex M. Lemos à composita ad divisam. Quæ satis accurata, ac nitida, reique præsentî accommodata intelligentia hujus vocis irresistibilis, iterum supposita pro vera Thomistarum intelligentia, & ne quis liquidissimam hujus vocis significationem tergiversari contra nos possit, ut certius & ordinatius rem præstemus, resolutionem tribus sequentibus considerationibus aperiam. In prima probabitur irresistibilitas gratiæ ab intrinseco efficaci, ut nihil sit illa evidentius. In secunda quantum doctrinam ista maximè à Janseniana hæresi, ejusque reliquis abhorreat. Et in tertia modum, quo irresistibilitas ista concilietur cum libertate nostra; non difficiliter diluendo, & cavillationes, & argumenta in oppositum adducta;

quorum omnium veritate perspecta, facilis evadet Dubii resolutio, quantum argumentum patitur, quod sanè arduum, ac difficile est, & quod invitat nos ad adoranda propensius excelsa, & magnifica Sapientiæ, & Potentiæ Dei arcana.

§. I.

Gratia ab intrinseco efficaci non est resistibilis à voluntate creata.

5. Hujus quidem mihi prima ratio effulget ex conceptu essentiali, & intrinseco gratiæ physicæ prædeterminantis. Hæc enim est illa occulta, & non percepta efficacissima motio; hæc est ignota Divinæ voluntatis applicatio, & voluntatis nostræ mirifica inflexio, sub qua voluntas libera libertatem retinens statum infallibilitatis, sive impedibilitatis efficaciæ Dei voluntatis, ingreditur. Hæc est illa invictissima clavis David, quæ aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit; cum Spiritus Sanctus charitatis suæ lumen effundendo, vincit tandem, subjicitque voluntatem, quando vult, omnipotentis gratiæ suæ. Et tandem hæc est illud præsentissimum speciale Dei munus, & auxilium, quo invictissimè fit, ut voluntas invictissimè velit, & perseveret in bono, & vi cujus voluntas cum infallibili, & insuperabili connexione est cum operatione conjuncta: quare arguendo à passiva ad activam, si voluntas sub tali gratia vult, & perseverat in bono, & ipsa gratia efficaciter facit in ipsam velle perseverare in bono. Quomodò ergo intelligi potest gratia ista resistibilis à voluntate, quam non potest homo deserere? Dum ipsa met facit, ut homo nolit ipsam deserere, quatenus facit ipsum velle, & actu, quo formaliter vult objectum, virtualiter, & indirectè vult se velle: cum & auxilium hoc Dei physicè moventis sit infallibiliter conjunctum cum actu libero ipsius hominis, ita ut in eodem momento sit actus ille liber, in quo est ipsum auxilium: ergo chimæra est, quòd consensu in actu posito, & infallibiliter cum gratia connexo, compossibilis sit huic gratiæ resistantia. Immò irrisoria planè, & fictitia est talis resistantia. Non enim gratiæ resistitur, nisi quando privatur suo effectu. Sed chimæra est, quòd gratia ab intrinseco efficaci suo possit effectu privari, cum ipse consensus sit infallibiliter consequens, & necessariò conjunctus intrinseco, & efficacissimæ gratiæ efficaciæ: ergo & quòd resistibilis sit gratia ab intrinseco efficaci.

6. Hanc hujus gratiæ irresistibilitatem, docent nos apertissimè Sacræ Scripturæ loca, quæ videri possunt hujus Disputationis dub. 1. §. 2. Constat & maximè ex illo Proverb. 1. Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini, quocumque voluerit, immutabit illud.

En

En ubi voluntas humana misericordiæ prævenientis auxilio suffulta, & interiori quodam efficacissimo, & occulto secretioris inspirationis afflatu contacta, minime potens resistere Dei gratiæ efficaci exprimitur. Etenim sicut rivi aquarum cum impetu feruntur, nec facillè cursus eorum ab homine reprimi potest, ita & cor Regis, & si non facillè reprimi possit, ita in manu Dei est, ut quocumque voluerit Dominus ex se, & pro propria potentia, & libertate, non ex Regis voluntate (sed neque sine Regis voluntate, seu libertate) vertet illud. Sunt namque homines in manu Dei, sicut lutum in manu figuli, ut dicitur Hierem. 18. Figulus fingit, formatque ut libet, & ad libitum flectit, ita & Omnipotens Dei gratia mirabili efficaci suaviter, & fortiter voluntates hominum, in quam Deus voluerit partem, salva libertate inclinat. Quare dixit Psalmista, qui tangit montes, & fumigant: & iterum, tange montes, & fumigabunt; quos enim Deus sua gratia efficaci tangit, fumigant illicò, non secus ac fulmine montes; agit namque ipsa Deus, quod vult, quod intendit: cum hæc efficacissima gratiæ potestas, & vis prædeterminativa, proficiatur ab insuperabili potestate primi motoris, & supremæ causarum omnium causæ: quare dixit Deus cap. 55. per Isaiam: Quomodo descendit imber, & nix de Cælo, & illuc non revertitur... sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum: Ergo dum gratia efficaci à Deo immittitur, quatenus procedit à Deo volente, habet vim efficaciter movendi ad actus supernaturales, nec facere potest voluntas, quòd ipsa vacua ad Deum revertatur. Hinc ergo conjicies, quanta sit ipsius Dei potestas in voluntates hominum, cum & illas in manu sua habeat, & effectus earum. Pervadit in nostras voluntates, & in eis immediatè operatur quidquid vult; vim gratiæ suæ, & efficaciam explicans in voluntates hominum quantumvis rebelles.

7. Clarissimam hujus argumenti confirmationem suppeditant alia sacræ Scripturæ testimonia, quæ efficaciam Divinæ voluntatis commendant: dicitur enim ad Rom. 9. Voluntati ejus quis resistet? Genes. 50. Num Dei possumus resistere voluntati? Paralipom. 20. Nec quisquam tibi potest resistere. Job. 41. Quis enim resistere potest vultui tuo? Et Esther 13. Domine Rex omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita, non est, qui resistere possit voluntati tuæ, si decreveris salvare Israel. Ezech. 36. Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiat. Et Job. 9. Deus, cujus ira nemo resistere potest. Et 12. Si destruxerit, nemo est, qui adificet: si concluserit hominem, nullus est, qui aperiat. Et 41. Quis enim resistere potest vultui tuo? Isaiæ 14. Dominus exercituum

decrevit, & quis poterit infirmare? Et manus ejus extenta, & quis avertet illam? Quid est non posse resistere Dei efficaci voluntati, quàm quòd ejus motioni efficaci non possit resisti? Quia si resisti potest efficaci Dei motioni, cum illa instrumentum sit, & actualis ratio, qua divina voluntas efficax operatur in nobis, consequens omnino est, quòd voluntati Dei potest resisti. Id enim, quod Deus intendit, operatur gratia, quatenus est instrumentum, quo Deus suam voluntatem exequitur; Dei voluntas tanquam causa principalis, & gratiâ, ut virtute instrumentali utitur ad effectum per se intentum: ita ut, sicut motio instrumentalis à principali agente impressa instrumento, habet in se ipsa, quatenus ab ipso dimanat, virtutem ad producendum effectum in actu exercito; sic motio, qua Deus nostram vult efficaciter movere voluntatem, quatenus procedit à Deo efficaciter volente, habet vim efficaciter movendi ad actus supernaturales: ergo ut certum haberi debet, quòd hoc resistere Dei efficaci motioni, est resistere efficaci Dei voluntati: & cum auxilium existat ex vi decreti cum actu connexi, cum decretum irresistibile sit, & irresistibile est Dei efficaci auxilium. Hoc ut certissimum agnovit eruditus P. Mendoza in expositione tex. ex 1. Regum cap. 10. dicens: Et abiit cum eo pars exercitus, quorum Deus tetigerat corda, ubi ad litteram dicit: Hi pauci, qui cum Saule abierunt, divinitus impelluntur, Deo eorum corda per auxilium gratiæ efficaciæ tangente: quos enim Deus efficaciter tangit, in quam partem volet, facillè impellit. Undè D. Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 14. notat, Deum non traxisse inviros ad sequendum Saul, sed tamen efficaciter promovisse. Hoc, inquit, non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates, habens humanorum cordium, quòd placeret, inclinandum omnipotentissimam potestatem. Et post relatum aliud exemplum de Davide ex D. Augustino: Non aliter Paulo, & Barnaba ad Gentes evangelizantibus, crediderunt, inquit textus, quotquot erant præordinati ad vitam æternam, Actuum 13. v. 48. Horum enim corda Deus efficaci auxilio impulerat. Sic & Mulier illa purpuraria, Lydia nomine, audiebat quidem Paulum, sed tum demum credidit, cum Dominus aperuit cor ejus intendere his, quæ dicebantur à Paulo Act. 16. Neque enim sine hoc divino auxilio potest quis fidem recipere, neque cum illo rejicere. Quæ postrema verba sunt attentè consideranda.

8. At dices, quòd in gratia efficaci duplex considerari debet formalitas, & quæ convenit illi secundum suam entitatem, qua formaliter est motio divina, & formalitas alia ipsi conveniens, secundum quòd est instrumentum efficax divinæ voluntatis, quem duplicem conceptum distinguit D. Thomas q. 24. de verit. art. 8. ad 6. Dicendum, quòd ejus, quod recipitur in aliquo, potest considerari & esse, & ratio. Hoc est quodlibet accidens potest

test considerari, vel secundum suam entitatem, vel ut est agendi vis: ita & gratia, prosequitur S. Doctor, secundum esse suum est in libero arbitrio per modum ejus, sicut accidens in subiecto; sed tamen ad rationem suam immutabilitatis liberum arbitrium pertrahit, ipsum conjungens Deo. Licet ergo ipsa secundum quod est instrumentum Dei non sit resistibilis; absolute tamen ex sua entitate irresistibilis non est.

9. Sed solutio ista vana, & inutilis est: aliud quippe est, quod gratia ab intrinseco efficax non sit irresistibilis ex formalissimo conceptu motionis creatæ in voluntate receptæ; & aliud, quod sit motio quoad suam entitatem resistibilis. Primum verum est, quia sub conceptu motionis, non explicat irresistibilitatem; cum gratia sufficiens sit vera motio, & resistibilis sit. At secundum est penitus falsum, cum ipsi absolute non possit convenire prædicatum, quod repugnat conceptui differentiali illius. Sicut falsò quis diceret, irrationalitatem posse conjungi cum animali hominis, quia animali non repugnat irrationale. Ita & in præsentibus dicimus, quod cum gratia ab intrinseco efficax sit intrinsece connexa cum sua efficacia, ita ut entitas minimè separabilis sit ab efficacia, ipsa absolute irresistibilis est; cum chimericum sit, quod coexistat dissensus cum motione essentialiter connexa cum consensu, cum consensus sit consequens, & infallibiliter conjunctus intrinsecæ, & invictissimæ gratiæ efficaciam.

10. Sed jam Sapientiam D. Augustini de his nos erudientem audiamus. Prolixius foret omnia D. Augustini loca, in quibus hanc irresistibilitatem gratiæ ab intrinseco efficacis describit, ad longum recensere: quædam tamen non sunt omittenda, ut aperte irresistibilitas asserta confirmetur, & ne sensus nostri, vel Thomistarum ista putetur doctrina. Præsertim est celeberrimus Augustini locus de corpore. & grat. cap. 5. *Deus potest, quem velit, etiam nullo homine corripiente, corrigere, & ad dolorem salubrem penitentiam occultissima, & potentissima medicina suæ potestate perducere: habens humanorum cordium, quod placuerit, inclinandum omnipotentissimam potestatem.* Et cap. 14. *non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in Cælo, & in Terra omnia quæcumque voluit, fecit, & qui etiam illa, quæ futura sunt, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse, quod vult: quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit. Nisi forte, ut ex multis aliqua commemorem, quando Deus voluit Sauli Regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum subdere se memorato viro, sive non subdere, quod utique in eorum erat positum voluntate, ut etiam Deo valerent resistere; qui tamen hoc non fecit, nisi per ipsorum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium, quod placeret, inclinandum omnipotentissimam potestatem.* Et aliud

exemplum proferens ex lib. 1. Paralip. cap. 12. de David ad illa verba: *Spiritus Domini induit Abisai, subdit: nunquid iste posset adversari voluntati Dei, & non potius ejus facere voluntatem, qui in ejus corde operatus est per Spiritum suum, quo indutus est, ut hoc vellet, faceret, diceret?* Et mox loquens de illis, qui ipsum statuerunt Regem: *Sua utique voluntate isti constituerunt David Regem. Quis non videat? Quis hoc neget? Non enim hoc, non ex animo, aut non ex bona voluntate fecerunt, quod fecerunt corde pacifico, & tamen hoc in eis egit, qui in cordibus hominum, quod voluerit operatur... ac per hoc Deus omnipotens, qui erat cum illo adduxit istos, ut eum Regem constituerent. Et quomodo adduxit? Nunquid corporalibus ullis vinculis alligavit? Intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit; in quibus omnibus explicat vim, quæ in divino residet adjutorio, quæ pertinacem contradictionem, & audacem rebellionem internam efficacissimam aspiratione coercent.*

11. Accedit alter non minus efficax Augustini locus ad probandum, quod sumptimus, & quo eandem divinæ gratiæ efficaciam describit. Etenim in Enchir. cap. 95. illud Psal. 113. expendens: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit: quod utique, inquit, non est verum, si aliqua Deus voluit facere, & non fecit. Et (quod est indignius) ideo non fecit, quoniam ne fieret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit.* Et cap. seq. *neque enim ob aliud veraciter Deus vocatur omnipotens, nisi quia quicquid vult, potest, neque voluntate cujuscumque creature, voluntatis impeditur omnipotentis effectus.* Et cap. 98. *quis porro tam impie desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere: en ubi Augustinus incomprehensibilem gratiæ efficaciam luculenter exponit, verè irresistibilem, cum & effectus divinæ voluntatis sit impedibilis à voluntate creatâ.*

12. Tertius occurrit locus, in quo certissimus, & omnino infallibilis, & à voluntate irresistibilis exprimitur gratiæ efficacis effectus ex lib. de prædest. Sanctior. cap. 8. ad illud Joann. 6. *Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me. Quid est, inquit, omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me, nisi, nullus est, qui audiat à Patre, & discat, & non veniat ad me? Si enim omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit, professò omnis, qui non venit, non audivit à Patre, nec didicit: nam si audisset, & didicisset, veniret: sed omnis, ut ait veritas, qui audivit à Patre, & didicit, venit.* Et ne in dubio relinquatur, Augustinum loqui de gratia per se ipsam efficaci, subjungit: *Valde, inquam, remota est à sensibus carnis hæc Schola, in qua Deus auditur, & docet. Multos venire videmus ad Filium, quia multos credere videmus in Christum: sed ubi, & quomodo à Patre audierint hoc, &*

di-

*didicerint, non videmus. Nimirum gratia ista secreta est: gratiam verò esse, quis ambigat? Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. Quod unicum Augustini testimonium causæ, quam agimus, conficiendæ satis est. Quartus depromitur ex lib. de Spiritu & littera ubi cap. 33. ita scribit Sanctus Doctor: *Infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum ejus Evangelio non credunt, nec ideo tamen eam vincunt... Ita voluntas Dei semper invicta est: vinceretur autem, si non inveniret, quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo possent evadere, quod de illis constituit.**

13. Sunt & alia S. Doctoris testimonia, quæ omnipotentissimam divinæ gratiæ potestatem prædicant. Etenim lib. de grat. Christi cap. 14. sic ait: *Legent igitur, & intelligant, intueantur, atque fateantur, non lege, atque doctrina sonante forinsecus, sed interna, atque occulta, mirabili, atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.* Et lib. de grat. & liber. arbitr. cap. 21. *Agit omnipotens Deus in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quidquid agere ipse voluerit.* Et lib. de novo Caotico cap. 9. *Deo volenti salvum facere nullum humanum resistit arbitrium: ita quippe velle, & nolle in volentis, & volentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediatur, nec superet potestatem.*

14. Hæc Augustinus; in quibus omnibus supponit veritatem assertam. Quis enim credet resistibilem à voluntate gratiam illam, qua Deus supremo, quo pollet imperio, ipsam, quod vult, quando vult, & quomodo vult, inflectit, cum in hoc explicetur illa omnipotentissima potestas, qua Deus cor hominis, quod vult, inclinat, ac perducit, non vinculis alligans, sed intus agens, corda tenens, corda movens, hominemque voluntate sua, quam Deus in ipso operatur, invictissimè trahens? Quis irresistibilem non dicat gratiam, quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, ut duritia cordis primitus auferatur, & qua Deus auferat à nobis cor lapideum, undè non faciebamus, dans nobis cor obediens, undè faciamus? Etenim si Deus dat nobis cor obediens: ergo ex Deo est hujusmodi obedientia; cum nihil aliud sit liberè obedire Deo, quam accipere ex Deo obedientiam. Si Deus auferat à nobis cor lapideum: ergo contradictionem implicat, quod in sensu composito nos nec velimus, nec faciamus; aliàs hæc duo starent simul: Deus abstulit à nobis cor lapideum, & durum, & adhuc remanet in nobis cor lapideum, & durum. An resistibilis, vacua, & sine suo effectu potest esse gratia illa, qua infirmitas voluntatis humanæ indeclinabiliter, insuperabiliter, & invictissimè agitur? Cum

voluntatem indeclinabiliter, & insuperabiliter agi, non dicat præcisè actu non vincere, actu non superare gratiam, sed necessario importet absolutam ipsi resistendi impossibilitatem. An resistibilis erit gratia illa Pauli, quam magnam, & efficacissimam vocat Augustinus; quæ operatur in cordibus hominum, ut idem S. Doctor loquitur, *occultissimam, & potentissimam potestate, ineffabili potestate, efficacissimam, & omnipotentissimam facilitate, indeclinabiliter, insuperabiliter, invictissimè, præbens voluntati insuperabilem fortitudinem?* Cum omnes termini isti sint synonymi dicentes sensum compositum cum divina motione. Quid namque magis dicit auxilium irresistibile, ac auxilium insuperabile, & indeclinabile, quo nempe Deus indeclinabiliter, & insuperabiliter voluntatem applicat ad volendum? Si namque huic auxilio est vis summa, & potestas indeclinabilis, insuperabilis, invictissima præbens voluntati insuperabilem fortitudinem: ergo est vis irresistibilis à voluntate; cum resistere dicat sensum compositum. Et tandem superabilis ne, & impedibilis erit à voluntate gratia illa, ex qua fit ex nolente volens? Cum efficaciter operari, ut fiat ex nolente volens, non sit gratiam determinari à voluntate consentiente, ac volente, sed potius voluntatem determinari, & immutari à gratia, ut fiat volens, quæ prius erat nolens: quia nempe hi, qui vocantur secundum propositum, indeclinabiliter, & insuperabiliter vocationem Dei sequuntur: ergo cum clariùs, & distinctius exprimi non potuerit, nec possit hæc efficax, & irresistibilis gratia, hanc esse de mente D. Augustini inficias ire, nec possumus, nec debemus.

15. Hanc eandem doctrinam firmo, & non indubio animo suscipimus ex D. Thoma 1. p. q. 19. art. 8. ad 1. Hic S. Doctor exponens illud D. Augustini: *rogandus est Deus, ut velit, quia necesse est fieri, si voluerit, eleganti, ac sublimi compendio exponit, ac prosequitur: Dicendum, quod per illud verbum Augustini, intelligenda est necessitas in rebus volitis à Deo, non absoluta, sed conditionalis; necesse est enim, hanc conditionalem esse veram, si Deus hoc vult, necesse est, hoc esse, & 1. 2. q. 10. art. 4. ad 3. ubi inquit: Dicendum, quod si Deus movere voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quod voluntas ad illud non moveatur; non tamen est impossibile simpliciter. Quod signanter iterum docet 2. 2. q. 24. art. 11. dicens: Tripliciter ergo possumus considerare charitatem: uno modo ex parte Spiritus Sancti moventis animam ad diligendum Deum; & ex hac parte charitas impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus Sancti, qui infallibiliter operatur quodcumque voluerit: undè impossibile est, hæc duo simul esse vera; quod Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quod ipse charitatem amittat peccando. In quibus expressè affirmat, quod impossibile est, (& si non simpliciter,*

B b b

sed

fed ex fuppoſitione motionis) quòd arbitrium à Deo fit motum efficaciter ad aliquid, & ad id non moveatur: ergo impoſſibile eſt ex eadem ſuppoſitione, quòd liberum arbitrium ſit à Deo motum ad conſentiendum ipſi Deo vocanti, & quòd diſſentiat, & prædeterminationi reſiſtat. Quæ conſequentia, teſte M. Lemos tract. 4. cap. 14. tenet ab æquivalentibus: *Nam hæc propoſitio: impoſſibile eſt, non ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione, liberum arbitrium eſſe à Deo motum ad eſſentiendum Deo vocanti, & quòd diſſentiat, æquivaleret huic: liberum arbitrium à Deo motum ad eſſentiendum Deo vocanti non poteſt diſſentire in ſenſu compoſito.* Cujus rationem deſignat in ſecundo teſtimonio; quia nempe motio Spiritus Sancti ab intrinſeco efficaci infallibiliter operatur quocumque vult, & quia impeccabilitatem habet charitas ex virtute Spiritus Sancti. Quare cum ea, ſeu in ſenſu compoſito illius, voluntas peccare non poteſt, nec illi reſiſtere: cum illud plenum, abſolutum, efficaciffimumque auxilium ab aliquo mortalium ſuperari, impediri, aut inverti minimè poſſit, niſi & ſuperetur viſ, & efficacia Divinæ voluntatis, & quòd ipſa ſiſti, mutarive poſſit.

16. Id amplius ſapientiffimè docet Angelicus Doctor aliis locis non abſre ſcribendis. Quodlib. 12. art. 3. ubi agens de certitudine prædeſtinationis docet: *Prædeſtinatio habet certitudinem ex parte ſcientiæ Dei, quæ non poteſt falli, & ex parte voluntatis Divinæ, cui non poteſt aliquid reſiſtere:* ergo media quibus Deus Prædeſtinatos promovet in vitam æternam, non ſolum habent infallibilitatem ex præſcientia Dei, ſed ex Divina, potentiffima, & efficaciffima voluntate: atqui media, quibus promovet Deus in vitam æternam, ſunt auxilia efficaciæ; ergo auxilia efficaciæ ſunt talia ex habitu ad voluntatem Dei, & ita efficaciæ, ut voluntas illis nequeat reſiſtere, ſicut nec reſiſtere valet voluntati Divinæ.

17. Non abſimile exprimit S. Doctor argumentum cap. 5. Canticor. ad illa verba: *Dilectus meus miſit manum per foramen, & venter meus intervenit ad tactum ejus, ubi poſtquam lect. 2. quid nomine foraminis in hac metaphora eſſet intelligendum dixerat, nempe, eſſe intellectum, & voluntatem quædam foramina, quibus ad nos Chriſtus ingreditur.* Undè Ezech. 28. de Lucifero loquente Scriptura: *& foramina tua in die, qua conditus es præparata ſunt, ſic addit: tanta fuit virtus Chriſti, quòd non ſolum fortiores partes animæ fuerunt paratæ ad obediendum Chriſto, ſed etiam debiliores . . . tanta fuit virtus Chriſti, quòd totam ſponſam convertit ad ſuam voluntatem. . . Ita ſponſus attraxit me, undè non volens, vel valens reſiſtere ei, surrexi.* En quomodo ſponſa jam copioſiori gratiâ ſufficiente præventa, modò validiori hoc efficaciffimo adjuta auxilio, convertitur, atque innixa illi ſpeciali Dei auxilio, & efficaciter adjuta ſurgit, non volens, vel valens reſiſtere ei. Quis hic non vi-

det efficaciam gratiæ? Quis inficiabitur irrefiſibilitatem in ſponſâ hujus efficaciæ auxiliij? An poteſt quiſquam potentia conſequenti gratiæ non aſſentiri, ſi ineluctabilis gratiæ viſ ineſt ad conſenſum obtinendum? Si viſ hæc gratiæ inſuperabilis eſt, & profectò irrefiſibilis eſt. At cur in re non dubia utimur argumentis non neceſſariis, cum vel neganda ſit intrinſeca efficaciæ gratiæ, vel irrefiſibilitas gratiæ efficaciæ conſtitenda, cum voluntatis Dei efficaciam infallibiliter cum effectu conjunctam agnoſcat D. Thomas, ut toties diximus, quia hoc indeclinabili auxilio ipſam indeclinabiliter applicat ad volendum & agendum. Sic q. 23. de verit. art. 5. de voluntate Dei efficaci ſcribit: *Illi reſiſti non poſſe.* Et quodlib. 12. art. 3. *Eam non poſſe deſicere.* Et q. 6. de malo art. unic. ad 3. *Non poſſe impediri.* Et in 2. diſt. 47. q. 1. art. 1. *Cum illa non poſſe ſtare negationem effectus, quam vult.* Et q. 24. de verit. art. 8. *Gratia ſecundum eſſe ſuum eſt in libero arbitrio per modum ejus, ſicut accidens in ſubjecto: ſed tamen ad rationem ſua immutabilitatis liberum arbitrium pertrahit ipſum Deo conjungens.* Quæ omnia, & alia ſimilia ab ipſo paſſim edocta ſalvari non poſſunt, niſi Deo efficaci voluntatem prædeterminante; quo nempe pervadat in noſtras voluntates, & in eis operetur quidquid vult.

S. II.

Vindicatur doctrina Thomiſtarum ab hæreſi ſecundæ Janſenii propoſitionis: interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.

18. **N**ulla fermè controverſia his noſtris temporibus eſt, quæ vel ſuſcipiatur jucundius, vel exagitetur frequentius, quàm de Janſeniano Syſtemate, quo noviſſime excitantur tumultus, ac recrudescit diſcordia. Cuilibet Sapientum conſtat fatiſ, quibus malis artibus utantur Janſeniſtæ, ut inter Thomiſtas errorum ſuorum ſemina committant. Quæ non ab ipſis excogitatæ aſtutiæ, fraudes, vitilitigationes, fallaciæ? Quibus non fædis mendaciorum fucis, tetrivè malitiæ coloribus, pigmentis, ſivè ſigmentis hanc obſcurare intendunt? At quod magis dolendum, quæ non operoſè congerunt alij, (ſed moderni dumtaxat; antiquiores enim etſi nobis opinione contrarii, nunquam putarunt, injuriam aliquid contra nos poſſe proferri) ſemper hujus Scholæ doctrinam oppugnantes, ut omnes contra ipſam convertant machinæ, Janſeniſmi fumum, vel putidum hoc commentum, quod gratum hiſce diebus evadit, dubio rumore jaçtantes, ut ſimplicium perſtringant oculos? Livorem iſti Religionem mentientes, exploratiſſimum ſupponunt, & imponunt

er-

errorem ſecundæ propoſitionis, ut efficaciam gratiæ, quam nos irrefiſibilem diximus, deprimere, ac maligno dente arrodere poſſint. At nec artiſcia ſua dolo, & malitiâ compoſita ipſis profutura, nec noſtris unquam obtutura conſidimus; nos enim (liceat uti verbis Concilii Conſtantinopolitani ſub Menna Conſtantinopolitano Patriarcha) nos enim Apoſtolicam Sedem loquimur, & obedimus, & ipſius communicatores habemus, & condemnatos ab ipſa nos condemnamus.

19. Pro intelligentia ergo hujus controverſiæ ab ipſo Janſenii Syſtemate exordium. Duplicem diſtinguit ille delectationem, unam cœleſtem, quæ ad bonum, alteram terrenam, quæ ad malum inclinatur. Utraque ab ipſo victrix, & ſuperior dicitur; victrix, quia voluntatis conſenſum inferit; ſuperior, quia majores exprimit vires, comparativè ad minorem oppoſitam delectationem. Hæc eſt præcipuum, & capitale hujus Syſtematis dogma, cum quo cætera nexu indiffolubili conneſcuntur. Audiatur ipſe ſib. 8. de gratia Chriſti cap. 2. *Delectatio victrix, quæ Auguſtino eſt efficaciæ adjutorium, relativa eſt; tunc enim victrix quando alteram ſuperat. Quod ſi contingat, alteram ardentiorẽ eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet, quod volendum eſt.*

20. Si naturam hujus delectationis inquiras? Nihil aliud eſt apud Janſenium, quàm vitalis animi motus indeliberatus, quo voluntas fertur in aliquod objectum tanquam ſibi jucundum, & conveniens. Sic ille lib. 4. de grat. Chriſti cap. 11. *Quid eſt delectari hominem juſtitia, vel mendacio, niſi actu aliquo in juſtitiam, vel mendacium tanquam ſibi convenientia, & jucunda moveri? Motus autem ejusmodi voluntatis, non fit niſi actu quodam vitali. . . . delectatio iſta quam ad omnia opera bona S. Auguſtinus exercenda poſtulat, non eſt aliud, quàm actus quidam indeliberatus cœleſtis immiſſus in voluntatem, per quem ei bonum propoſitum ſuaviter placet. . . . Dicimus igitur, delectationem iſtam, ſeu ſuavitatem in Auguſtino celebrem, eſſe partim primum illum, & indeliberatum affectum animæ, qui actualis complacentia eſt; partim etiam & crebrò ſecundum quòd deſiderium deliberatum dicitur, quibus anima ita ſuaviter, ac delectabiliter in bonum appetendum rapitur, ut voluntas ei actu libero conſentiat, ac bonum diligat, tantò vehementius, quanto fortius illis actibus rapitur. Nec aliud ab ipſo intelligitur concupiſcentiæ delectationem, dicente ibi: *Delectationem, quæ conſenſum in peccata præcedit, & ſuggeſtionem ſequitur, non aliud eſt, niſi deſiderium illicitum, indeliberatum, quo animus etiam repugnans in peccatum inhiat, vel certè primum, ipſum concupiſcentiæ motum, tanquam amorem quemdam indeliberatum, per quem homini etiam invito peccare lubet, quamvis conſenſo non ſequatur.**

21. Ex motibus iſtis indeliberatis rationis advertentiam, & voluntatis conſenſum antevertentibus, oriuntur actus deliberati: ita ille diſto cap. 11. *Ut ſanè meritò S. Auguſtinus actus illos indeliberatos amoris, ac deſiderii, quibus anima ſuaviter in Deum deliberato actu diligendum ſuſcitur, invitatur, trahitur, rapitur, nomine dulcedinis, ſuavitatis, ac delectationis deſignaverit.* Neceſſitatem hujus delectationis cœleſtis ad benè operandum agnoſcit, & probat d. lib. 4. cap. 9. *cujus hic titulus eſt: neceſſitas delectationis cœleſtis ad benè volendum, & operandum non ex natura voluntatis, ſed ex ejus pœna proficiſcitur.* Probat hoc, tum ex peccato primi hominis, quod ſine delectatione præcedente perpetratum eſt: tum ex delectatione ejuſdem, quæ in delectatione ex ſe victrici non conſiſtebat. *Non enim, inquit, dominabatur voluntati, ſed ei potiùs dominanti ſubjacebat, ut cum ipſa voluntas ageret, aut non ageret, prout ipſi videretur.* Et cap. 10. *Deerat dominatus ille delectationis, quæ conſenſum libertatis in alterutram partem ſteſſeret.* Quare veram, & propriiſſimam neceſſitatem hujus delectationis agnoscens, ſic inquit cap. 9. *Vera itaque ratio, cur cœleſtis delectatio ad actus bonos neceſſaria ſit, ex natura medicinæ, ſeu medicinalis adjutorii petenda eſt. Voluntas enim per peccatum primi hominis in libidinum imperium præcipitata eſt, ex quibus fit, ut in omnibus actionibus autem gratiam, delectationem quadam libidinoſa præeunte, ac titillante provocetur, cui conſentiendo peccat. Etenim hæc ſe habet, ut pondus, quo voluntas primi Parentis peccato leſa ad agendum neceſſariò applicatur, cum ſecundum id neceſſe ſit, ut operemur, quòd amplius nos delectat. Si enim viſ gratiæ major fuerit, quàm concupiſcentiæ, neceſſe erit voluntatem rectè operari, è contra malè, ſi majores ſunt concupiſcentiæ vires. Non enim æqualis delectatio ab alia æquali ſuperari poteſt. Quare tunc caſus in ſuſpenſo manebit alternante delectationum fluctu, ut loquitur ille cap. 10. Et expreſſius cap. 7. dicens: *Cœleſtis illa ſuavitas mollit viam, ut voluntas ex carnalium rerum viſco emergere poſſit, & ſe ipſam in juſtitiam diligendam ſigere. . . Ex quo fit, ut, ſi illa deſit, voluntas veluti torpens, ac mortua nihil omnino boni amplecti poſſit.* Et cap. 9. *Quandò in hac vita poſt acceptam gratiam militat Deo, alternante creaturæ, & Creatoris delectatione, nunc rectè, nunc perperam facit, prout Cœli, aut Terræ delectatio conſenſum ejus abripuerit.**

22. Debet ergo, ut certum, & innegabile præſupponi, quòd non aliam agnoſcerit Janſenius gratiam, quàm delectationem victricem, ut expreſſè ipſe concedit cap. 10. dicens: *Cum nulla ſit gratia operandi præter iſtam ſuavitatem Dei, niſi iſta tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creaturarum ceſſerint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur.* Conſentiant omnes ejus defenſores. Antonius Arnaldus diſert. de

grat. efficaci p.4. art.6. *Nihil, inquit, aliud est efficax gratia, quam victrix delectatio, seu amor Dei, quo fit, ut plus delectet quod præcipit Deus, quam delectat quod impedit.* Dionysius Raymundus 1.p. cap.3. art.1. pag.105. asserit, *quamlibet gratiam non sufficere ad omnem effectum producendum, sed ejus vim, & actionem relativam esse ad resistantiam subjecti: ubi effectus nomine non intelligit operationes superioris virtutis in ordine gratiæ absolute, sed resistantiam concupiscentiæ ad vitandum peccatum. Quod cum sit apud ipsos certum, & constans, nihil est, quod in hoc immoremur.*

23. Ita sanè est, quod Jansenius agnoscit perfectissimam peccandi potestatem, quæ non solum adest, inestque voluntati, quando gratiæ delectatione caret, sed etiam quando intima ejus suavitate efficaciter trahitur; & quod sicut ille, qui sub gratia ad opus bonum determinante, operatur, simul etiam peccare potest; ita quoque è contrario qui ista gratia destituitur, sive fidelis, sive infidelis, & peccandi tentationibus quatitur, potest benè facere. Sic loquitur ille lib.8. cap.20. Attamen ille, omnesque ejus defensores tantum agnoscunt potestatem absolutam ad bonum inspectâ naturâ talis delectationis, non tamen veram potestatem relativam ad actualem superiorem concupiscentiam, ut eam superare possit; in quo est maximus illorum error, qui, ut supra vidimus, perfectè consonat pessimis Calvinii erroribus. Quare meritò damnata fuit prima Jansenii propositio: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentem, quas habent, vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiunt.* Quæ totidem verbis expressâ legitur apud ipsum lib.3. de grat. Christi cap.13. *Hæc igitur omnia plenissimè, planissimèque demonstrant, nihil esse in S. Augustini doctrinâ certius, ac fundatius, quam esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantum infidelibus, excæcatis, obduratis, sed fidelibus quoque, & justis, volentibus, conantibus, secundum præsentem, quas habent, vires, sunt impossibilia; deesse quoque gratiam, qua fiunt possibilia. Non enim minor delectatio cælestis est potens in sensu composito majoris terrestris illam superare. Vigente enim delectatione carnali, ait ille lib.4. cap.9. impossibile est, ut virtutis, & honestatis consideratio prævaleat.* Quare Hallerius Jansenium exponens in Diario pag.284. colum.2. sic habet: *Sensus est, mandata Dei hominibus justis, qui præcepta transgrediuntur esse impossibilia defectu auxilii sufficientis, quo possint ea adimplere, vel necessariam gratiam petere.* Et rursus: *nota, per has voces, defectu auxilii sufficientis, non intelligi gratiam illam versatilem, quæ modò effectum suum habeat, modò non habeat; sed eam, quæ verè tribuat justo, aut implendi præceptum, aut petendi gratiam necessariam ad illud implendum; ita ut per eam justus inexcusabilis reddatur,*

quando præceptum transgreditur.

24. Nullam, præter efficacem, sufficientem agnoscit gratiam. *Est enim, inquit ille lib.3. de grat. Christi paradoxum in principiis S. Augustini, quod charitas quamvis minima sufficiat ad quamcumque tentationem superandam, vel quamcumque præcepta sine transgressione servanda.* Et lib.4. cap.10. exclusionem gratiæ purè sufficientis sequentibus verbis exprimit. *Sextò hinc etiam claret, cur Augustinus omnem omnino gratiam purè sufficientem, sive ante fidem, sive etiam post fidem auferat.* Hujus positionis fundamentum assignat: *Ratio perspicua est, inquit, quia cum ei (Augustino) nulla sit gratia operandi præter istam suavitatem Dei, nisi ista tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creaturarum cesserint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur, si autem ista superaverit, jam sine dubio benè voluntas operabitur: quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur, necesse est: sed utrumlibet fiat, non erit sufficiens gratia, sed vel efficax, vel ita inefficax, ex qua operatio ne quidem possit sequi, nisi ejus inefficacia per aliam suppleatur.* Immeritò hic prætermittetur quod scribit Jansenius lib. de grat. primi hominis cap.7. *Ipsam velle bonum, ipsum operari bonum, ipsum perseverare in bono per adjutorium Christi medicinale quo egrotæ, infirmæque voluntati dari debet, quæ alioquin cum quocumque adjutorio sine quo non, seu adjutorio sufficiente, aut congruo talem voluntatis vegetam, potestatem postulante, (id est, qualis erat in statu innocentiae,) nunquam in æternum volitura, aut velle potest.* Audiendus iterum ibidem lib.2. de grat. Salvatoris cap.25. cujus titulus est: *Divinæ gratiæ efficacissima natura declaratur ex eo, quod nulla prorsus effectum careat, sed eum in omnibus, quibus datur infalibilibiter operatur.* Cui similis est inscriptio cap.27. *duobus scrupulis occurritur, quomodo nulla gratia effectum careat. Item, cur Augustinus loquatur de sola efficaci gratia, non sufficiente; in quo capite id ipsum apertè confitetur, dicens: Nullam aliam Christi gratiam, nec agnoscere potuit Augustinus, nisi regulas omnes fundamentales, quibus innixus naturam gratiæ medicinalis tradidit, & explicuit, velit intermere.* Præfixus etiam est cap.1. lib.3. sequens titulus: *Tangitur natura adjutorii sufficientis, & ostenditur, nullum dari post lapsum, quin simul efficax sit.* Hoc enim repugnat multis principiis Augustini, & Ecclesiæ: ubi sequentibus verbis in eodem capite mentem suam aperit: *Per istam duplicis adjutorii distinctionem, quo fit actio, & sine quo non fit, ostendi videtur, gratiam sufficientem, non solum non esse Christi Salvatoris gratiam, sed etiam totum illud adjutorii genus ita radicatus evelli, ut humana voluntas concupiscentiali morbo laesa, & infirmata, nihil omnino boni cum eo velle, vel operari possit.* Et cap. sequenti sic ait: *Vidit Augustinus, hoc adjutorii genus prorsus esse inutile lapsorum reparationi, vel operationibus, etiam si ad sexcentos*

tos sufficientiæ gradus augetur; immo verò asseri non posse post lapsum... Quod si lapsis hominibus est inutilis, profectò hoc ipso & perniciosum est.

25. Quare extra omnem controversiam debet esse, ipsum nullam agnoscere gratiam distinctam à delectatione victrici, quæ actum primum, & secundum constituit. Cujus aperitissimum testimonium habetur lib.2. de grat. Christi cap.4. dum dicit: *Hoc ipso, quod datur (gratia victrix) simul usus ejus, & influxus potestatis datur. Etenim hoc ipsum, quod suapte efficaciam facit influere facultatem... Datur etiam simul & posse, & operari.* Et cap.25. gratia, & opus bonum ita recipiuntur, ut quemadmodum ex gratia data mox effectum operis consecutum inferre solet (Augustinus) ita vice versa ex defectu operis gratiam non esse datam. Et in d. cap.4. alterum adjutorii genus est, quo, simul ac datum fuerit, fit effectus, & si non detur, nunquam fit. *Nempè quia tanta necessitatis est, ut sine illo non possit effectus fieri; quia sine illo nunc propter infirmitatem velle non potest.* Et ibidem cap.5. *Et proinde ad medicinale adjutorium Christi nullo modo posse pertinere, sed ad adjutorium primi hominis, & sanæ voluntatis esse referendum. Nam in eo consistit essentialiter differentia utriusque adjutorii, sine quo non fit actio, & quo fit, & consequenter sanæ voluntatis, & infirmæ Adami, & Christi.* En qualiter nullam Jansenius agnoscit actualem Christi gratiam, nisi efficacem; nec sufficientem ad medicinale Christi adjutorium pertinere. Cui consonat, quod scribit lib.10. cap.7. *In universis operibus ejus, (Augustini) non est vestigium, quod Christi gratia cuiquam sit incongrua, sed omnis congrua est, omnis operatur, ac perficit effectum suum. Omnis delectat voluntatem, & omnis hoc ipso ad operandum effectum illum, ad quem datur, trahit.* Quare implicat in terminis in hoc Systemate, quod detur potestas relativa ab actu seu juncta, quia nempè hæc potentia est delectatio superior, juxta quam necessitatur voluntas ad benè operandum, ut fatetur ille lib.7. cap.5. dicens: *Cum igitur justitia, vel peccati delectatio sit illud vinculum, quò liberum arbitrium in justitia, vel peccato ita firmiter ligatur, & retinetur, ut quandiu isto stabiliter possidetur, & constringitur, actus oppositus sit extra ejus potestatem, ita videlicet, ut arbitrium non liberatum eum velle non possit.*

26. En clarissimè expressum Jansenii Systema, prout ab ipso, suisque defensoribus intellectum, descriptumque est. Ex quo inferes primò, nullibi expressè admisisse gratiam sufficientem, immo positivè fuisse ab ipso rejectam, cum delectationem debiliorem cœlestem non agnoscat realiter, & adæquatè distinctam à delectatione victrici, (nec alios motus gratiæ meminisse videtur præter delectationem) cum, non antecedente novo Dei auxilio interiori, prior gratia per solam op-

positæ concupiscentiæ imminutionem superior, ac victrix fieri possit. Eadem quippè entitas gratiæ victrix, vel non victrix evadit, pro majori, vel minori oppositæ cupiditatis resistantia. Et quamvis velint ipsi aliam agnoscere gratiam parvam in sensu composito ardentioris concupiscentiæ, hæc nusquam constituit veram potestatem ad victoriam gravis tentationis, vel quia impar, debilior, & ideo impotens; vel quia apud ipsum hæc potentia relativa nequit ab actu se jungi. Erit ergo illa sufficiens, ut ipse intendit, completissima, expeditissima, proxima ad vincendum pro hoc statu concupiscentiam secundum se spectatam, seu absolute; at nusquam constituet veram potestatem ad benè agendum in circumstantiis ardentioris concupiscentiæ, vel in sensu composito hujus.

27. Inferes secundò, non agnosci in hoc Systemate veram gratiam sufficientem; cum motus illi indeliberati non sint propriè gratia sufficiens, sed potius effectus gratiæ sufficientis. Tum, quia in eodem instanti, quo voluntas liberè elicit actum liberum, gratia sufficiens est simul in voluntate efficaciter adjuncta, illum producat; sed actus indeliberatus non potest esse in eodem instanti, quo voluntas elicit actum liberum simul in eadem voluntate: repugnat enim, quod in eodem instanti sit actus indeliberatus, & liber respectu ejusdem objecti: ergo actus indeliberatus non est gratia sufficiens, sed realiter ab illa distinctus. Tum & maximè, quia gratia sufficiens est verum Dei auxilium, & divinum auxilium à Deo solo est: ergo realiter distinguitur ab actibus indeliberatis, qui à solo Deo non sunt, sed à nobis producuntur, ut actus vitales nostri.

28. Inferes tertio, nullam in suis principiis dari gratiam resistibilem. Duplicem quippè distinguit ille gratiam; victricem unam, & per se efficacem, quæ tollit omnem voluntatis resistantiam, quæ rapit eam secum, & ex invita volentem, ac se determinantem ineffabili suavitate, ac potestate facit, ut loquitur ille lib.2. de grat. Christi cap.24. *Alteram, quæ etsi non agat efficaciter, & perfectè quod volendum, & agendum est, ipsi tamen minimè resistitur, cum nusquam privari effectum possit; semper enim proximum effectum, quem Deus intendit, boni scilicet inchoati desiderii motum consequitur.* Et dum alium ultimum plenum, & perfectum, ad quem gratia ex propria natura tendit, & ordinatur, non assequitur, nec etiam illi resistitur, cum propter ardentioris concupiscentiæ obicem sit ipsi impossibilis. Quod expressè tenet Sambonius disp.5. art.6. *Gratia parva, inquit, est efficax ejus effectus, ad quem proximè ordinatur, & quem Deus absoluta suâ voluntate intendit: non est tamen efficax ejus effectus, quem Deus absoluta suâ voluntate non intendit: & ad quem ordinatur quantum est de se ulterius, sed non*

habita ratione subiecti resistens per majorem concupiscentiam Hæc parva gratia, quæ parit desideria parva, licet sit efficax ratione hujus effectus, est tamen sufficiens ratione ulterioris effectus: quia quoddam cum non ponat, non est defectu virtutis, quæ de se habet omnia, quæ requiruntur ad effectum istum ponendum, sed ratione resistentiæ subiecti, quia scilicet gratia, victrix est, non absolute, sed comparatè dumtaxat ad minorem concupiscentiam. Deus verò non intendit sua absoluta voluntate ultimum hunc effectum poni in subiecto sic resistente. Hæc ille: ex quibus, quæ nulla tergiversatione negari, nullive præstigiis obcurari possunt, firmum, certumque habetur, quod error damnatus in hac secunda propositione stat in eo, quod nullam agnoverit Jansenius in statu naturæ lapsæ gratiam resistibilem, cum omnis relativè ad prædominantem concupiscentiam semper suum habeat effectum, quo frustrari minimè potest.

29. Quæ ergo conventio lucis ad tenebras, Christi ad Belial, mendacii ad veritatem? Quid ex hoc Apostolico decreto colligi potest, nisi id, quod extra controversiam est, & de fide tenendum? In quo doctrina Thomistarum communionem habet, vel minimam, cum Jansenii systemate? Veram agnoscunt Thomistæ gratiam sufficientem realiter distinctam à gratia efficaciter adjuvante resistibilem à voluntate creata. Exploratissimum est apud ipsos, gratia sufficiente constitui actum primum proximè, absolute, & integrè completum, & minimè gratia efficaciter adjuvante, quæ solum se tenet ex parte actus secundi, quamvis primum perficiat modo dicto: quæ gratia efficaciter adjuvans voluntatem minimè est necessitans, cum voluntas auxiliis sufficientibus instructa, in sensu composito prædeterminationis, sit verè, proximè, absolute, & integrè ratione auxiliorum sufficientium potens ad disensum, et si non componendum cum prædeterminatione. Sentiunt ulterius unanimiter, gratiam sufficientem, sufficientem esse ad conversionem perfectam, & victoriam gravis tentationis, cum minimà gratiâ possit resistere voluntas cuilibet concupiscentiæ, & vitare quodlibet peccatum mortale: ipsamque non dari solum ad posse, sed etiam ad agere, tamen si actum secundum se sola non obtineat, sed indigeat auxilio efficaciter determinante. Et est tandem indubitatum apud omnes, quod concupiscentiæ motus, seu interior delectatio terrena, quantumvis magna, non semper obtinet consensum aliquem voluntatis, cujus contradictorium est consequens in Janseniano systemate, in quo nulla est assignabilis ratio, cur concupiscentia possit suo effectui privari, ad quem necessariò movet, si gratia semper suum obtinet effectum. Sicut enim sub motione gratiæ victricis voluntas ad hoc, vel illud bonum in particulari determinatur; & delectatio superior gratiæ vincit inferiorem.

oppositam delectationem concupiscentiæ: ita vicissim cum prævalet delectatio superior concupiscentiæ, voluntas sub motione hujus ad hoc, vel illud malum determinatur; cum delectatio ardentioris concupiscentiæ debiliorem gratiæ delectationem sibi subijciat: ergo concupiscentiæ motus, seu interior delectatio terrena semper obtinebit consensum aliquem voluntatis, si gratia semper obtinet effectum. Vel clariùs: si enim gratia est victrix in quantum superat delectationem concupiscentiæ: ergo etiam in hoc casu est delectatio concupiscentiæ, quæ vincitur; sed hæc est effectus concupiscentiæ, & aliàs ex ipso est in voluntate; ergo sequitur, quod semper concupiscentia obtineat aliquem effectum, scilicet consensum voluntatis; quod est hæresis execranda Lutheri, & Calvinii damnata à Concilio Tridentino sess. 5. docente: *Concupiscentiam minimè, non consentientibus, nocere, & viriliter ipsi per Jesu Christi gratiam repugnantibus*. Mirandum ergo sanè, quod aliqui, quorum verba afferre, neque temporis hujus est, neque loci, ita acri stylo sæda Jansenismi nota doctrinam istam inurere intendant, oppositionis speciem fingentes, ut sibi in propria sententia liberiùs blandiantur.

30. Sed ut vel minimus Dialecticus judicet, quàm penitus falsum sit, ex propositione damnata inferri gratiam physicè prædeterminantem non irresistibilem esse, assumat Contradictorium propositionis damnatæ, quod sanè est hoc: *Interiori gratiæ aliquando resistitur: sed ex hoc antecedenti minimè inferitur, interiori gratiæ efficaci aliquando resisti: cum res sit notissima, & extra quæstionem in summis posita, quod ab amplo ad non amplum sine distributione amplè affirmatè sit mala consequentia: quare non valet, interior gratia est in peccatore; ergo interior gratia justificans est in ipso: Et similiter, homini nunc resistitur: ergo homini sapienti, & religioso resistitur; quia nempe interior gratia in antecedenti non distribuitur, sed accipitur, ut præcindit ab hac, vel illa interiori gratia, & in consequenti solum restrictim sumitur pro efficaci.*

31. Secundò, quia cum in materia doctrinali propositio indefinita æquivalet universalis, hæc propositio damnata, *interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur æquivalet huic, nulla est gratia, cui voluntas in statu naturæ lapsæ aliquando resistat: sed ad falsitatem hujus universalis sufficit, quod detur vera gratia resistibilis à voluntate: ergo falsitas propositionis damnatæ non exigit omnem gratiam inferiorem esse resistibilem, sed quod detur vera gratia resistibilis. Sic communiter dicitur, & evidenter constat, quod ut salvetur veritas hujus propositionis definitæ à S. Pio V. *non omnia opera Infidelium sunt peccata*, non requiritur, quod nullum sit opus, quod peccatum sit, sed sufficit, ut vel unum*

unum opus in infideli quovis, peccati experti inveniat.

32. Hoc tertio convincitur, quia hæc propositio: *gratia ab intrinseco efficaci non resistitur, non pugnat in veritate cum istâ, gratiæ interiori aliquando resistitur*, cum utraque possit esse vera. Quis enim arguat ex irresistibilitate gratiæ efficaci dantis agere irresistibilitatem gratiæ sufficientis dantis posse: sicut nullus Theologus verè potest, ex eo, quod detur in Deo aliqua voluntas, cui non resistitur, inferre irresistibilitatem omnis Dei voluntatis: sicut ergo illegitimè aliquis hoc pacto ratiocinaretur: *voluntati Dei efficaci non resistitur: ergo omni voluntati Dei non resistitur: ita prorsus inconsequens est hæc argumentatio: gratia ab intrinseco efficaci non resistitur: ergo interiori gratiæ non resistitur*. Procedit namque summus Pontifex contra illos, quibus nulla gratia possibilitatis, tota actualitatis, quibus posse, & agere idem est; quibus nemo potest proximè, quin velit & agere; qui certè nullam agnoscunt resistibilem gratiam.

33. Quartò hoc clariùs, uberiùsque fulcitur reflectendo supra contradictorium propositionis damnatæ, *interiori gratiæ aliquando resistitur*. Nam in ista propositione, vel subiectum accipitur pro omni gratia tam efficaci, quàm sufficiente; vel solum pro gratia sufficiente? Si hoc secundum, ergo ex resistibilitate gratiæ sufficientis incassum opponitur, & arguitur resistibilitas gratiæ efficaci. Si dicatur primum; ulterius rogo: vel prædicatum resistere sumitur ibi pro resistantia strictè tali, & formali, vel non? Si hoc secundum; ergo in prædicta propositione non affirmatur resistantia formalis, & strictè talis respectu gratiæ sufficientis. Si dicatur primum: ergo datur vera, formalis, & stricta resistantia respectu gratiæ ab intrinseco efficaci, quod est chimæra.

34. Et tandem, quia magna, & intollerabilis foret hallucinatio, si ex eo, quod una interior gratia sit resistibilis, ad omnem gratiam consequentia traheretur: cum veritas definita gratiæ interioris aliquando resistibilis sit independens ab irresistibilitate gratiæ ab intrinseco efficaci. Etenim veritas definita salvatur sequenti syllogismo: *Gratia interior aliquando est inefficax; sed gratiæ inefficaci resistitur: ergo gratiæ interiori aliquando resistitur*. In quo cum præmissæ veræ sint, & verum debet esse consequens: sed in præmissis non importatur resistantia gratiæ ab intrinseco efficaci: ergo independenter à resistantia gratiæ ab intrinseco efficaci stat veritas ab Ecclesia definita: nec hucusque Dialectica hanc consequentiam bonam docuit, vel docere potest, *gratiæ interiori aliquando resistitur, ergo gratiæ ab intrinseco efficaci resistitur*. Quare Doctor Prado Primarius Complutensis de liber. arbitr. disp. 9. sect. 6. fatetur, ex secunda Jansenii propositione ab

Innocentio X. damnata non colligi omnem interiorem gratiam resistibilem, qui cum sit ex Schola Societatis, ad veritatem, & non ad Thomistarum voluntatem, & adulatorem locutum fuisse nemo est, qui non credat.

35. Sed dices cum P. Peinado in manuscrip. de auxiliis: *Ecclesia declaravit, voluntatem nostram posse resistere ei interiori gratiæ, quam Jansenius irresistibilem sustinebat, aliàs contra Jansenium non definiret*. Sed gratiam efficacem esse irresistibilem astruebat Jansenius: ergo gratiam efficacem esse resistibilem Pontifices declararunt. Redarguit instantiam evidentissimè Illustrissimus Castell. Assume enim, inquit ille, cum majori Syllogismi positi hanc minorem: sed gratiam efficacem necessitantem liberum arbitrium astruebat Jansenius: ergo gratiam efficacem necessitantem esse resistibilem Pontifices declararunt: quod consequens ex præmissis ab ipsis concessis deductum est penitus falsum; cum Pontifices non possint declarare rem ex terminis repugnantem, scilicet, formam necessitantem esse resistibilem. Assume iterum, inquit ille, cum majori prædicta hanc minorem: sed gratiam efficacem ex se, & ab intrinseco esse irresistibilem astruebat Jansenius: ergo Pontifices declararunt, gratiam efficacem ex se, & ab intrinseco irresistibilem esse resistibilem, quod consequens, si verum est, Ecclesia definivit, id, quod esse falsum tot argumentis probant Auctores oppositi, scilicet gratiæ prædeterminanti posse resisti: Quibus nihil confutandæ adversariorum argutiæ opportunius.

36. Ad argumentum ergo respondetur, Jansenium duo propugnasse, & gratiam efficacem esse irresistibilem, & nullam esse gratiam prævenientem præter efficacem: quare nullam agnoscit resistibilem. Pontifex in damnatione declaravit resistibilem gratiam aliquam interiorem, quam negabat ille. Minimè tamen damnavit, gratiam efficacem esse irresistibilem, quamvis hanc propugnaverit Jansenius. Undè dicendum ipsis, quod Cyrillus Eulogio, ut constat ex Actis Concilii Ephesini cap. 37. contra illos, qui Nestorii hæresis reum ipsum reprehendebant: *Qui autem Nestorium sectantur, eadem & ipsum sentire contendunt, eaque ratione illos, qui minus accuratè rem percipiunt, in suam sententiam abripiunt. Verùm iis, qui hoc nomine nos accusant, respondendum est, non omnia, quæ hæretici dicunt, statim fugienda, ac repudianda esse. Multa enim consentitur ex iis, quæ nos quoque asserimus. Exempli causa, cum Arriani Deum Patrem omnium conditorem, ac Dominum esse dicunt, num idè consequens est, ut ejusmodi confessiones aversetur? Sic & de Nestorio quoque, licet duas naturas esse dicat, carnis, & Verbi Dei, differentiam significans (est enim alia Verbi, alia carnis natura) at tamen unionem unà nobiscum non confitetur. Ita & nos dicimus, quod non statim fugienda, ac repudianda*

dianda est gratia ab intrinseco efficax irresistibilis, quia illam admiserit Jansenius; quamvis abhorreat Thomistæ ab illius in hac definitione Ecclesiæ errore damnato, nempe quòd nulla sit gratia interior resistibilis.

37. Cessent ergo totius interpretationis insidiæ; procul sint hæ tendiculæ quæstionum, dum unusquisque genio, & si non ingenio, supra damnationem abutitur, pro suo illam interpretans arbitrio. Non in propositione damnata cum Jansenio conveniunt Thomistæ. Hoc ipsimet eruditi Auctores oppositæ sententiæ, non silentio, sed verbis manifestant. Testes luculentissimos habemus Patrem Deschamps lib. 2. disp. 3. cap. 5. dicentem: *At istud falsitatem omnem superat, & ab iis cum stomacho videtur, quibus utraque opinio nota est. Et disp. 6. cap. 9. Verè tamen mihi videtur, esse dicturus, nullos huic doctrinæ infensores reperiri, quàm qui post natam Calvinii hæresim, ex S. Dominici Ordine, aliisque ejusdem Sacramenti Theologis majoris eruditionis, & ingenii laude floruerunt. P. Annatum in resp. ad 17. Epist. Montalti. Quem invenient Janseniani inter Thomistas, qui concedat, ità necessarium consensum, quem voluntas præbet motioni gratiæ, quandiu illa inhaeret, quomodo necessarius est amor beatificus, quandiu durat visio? Quem invenient, qui dixerit, voluntatem Divinam gratia prædeterminatam carere proxima ad dissentendum potentia? Audiatur M. Lorca Cisterciensis disp. 21. de grat. Conclus. 2. Nimis excedunt, qui insuperabili contentione defendunt, physicam prædeterminationem, quam docent Thomistæ, auferre libertatem, & sententiam, quæ illam asserit, nihil, aut parùm à Calvinio differre: cum enim evidens sit, esse S. Thomæ doctrinam, & plurimum ex antiquis Scholasticis, nulla ratione timendum est aliquid inesse periculi; sed potius credendum est, esse fidei Catholicæ consonam. Audiatur & P. Ripalda contra Bajum disp. 14. sect. 5. Appellabis pro Bajanis ad Thomistas assertores physicæ prædeterminationis, quos à doctrina Calviniana longè distcedere non est negare. Illustrissimus Caramuel in Theologia fundamentali cap. 1. fundament. 1. ita scribit: Respondeo assignando disparitatem inter Thomistarum, & Jansenistarum opinionem; illa enim est probabilissima, & ut talis ab Ecclesia sapissimè approbata: hæc autem à multis Pontificibus rejecta, & tandem ab Innocentio X. hæreseos condemnata; & hoc sufficit, ut altera defendatur, & altera non defendatur. Et fundamento 44. n. 1104. Cum subiret examen coram Alexandro VII. & assereret gratiam ex sua natura efficacem, ipso referente, eruditissimus P. de Cuppis Societatis Jesu, clarus doctrina, & sanguine, acute venerabilis, in quo pietatem, & suavitatem morum suspiciebamus universi, sic exclamat: gratiam ex natura sua efficacem admittis? Ergo in hoc sacratissimo confesso audes tueri doctrinam, quam in Martino Lutero, & Joanne Calvino Tridentinum Concilium, quam in Michaele Bajo. Pius V.,*

& Gregorius XIII. quam in Cornelio Jansenio Urbanus VIII. Innocentius X. & (hic autem genuflexit) Sanctissimus Doctor noster Alexander VII. condemnaverunt? Tunc ego contumeliam sentiscens altiore voce in tonui: ad quod ista naga? Ego, ego in hoc confesso sacratissimo tuesor, & tuebor sine erroris formidine, ex natura sua esse efficacem gratiam: huic enim veritati contra Martinum Lutherum, Joannem Calvinum Tridentinum Concilium, contra Michaelem Bajum Pius V. & Gregorius XIII. & contra Cornelium Jansenium Urbanus VIII. Innocentius X. & Sanctissimus D. noster Alexander VII. consenserunt.

38. Ita sanè: quare huic grassanti pesti, & certissimam perniciem allaturæ, occurrit Summi Pontificis auctoritas die 10. Martii anni 1653. dum in prima Congregationem, quæ præfente Innocentio X. habitæ sunt, prælam declaravit, nolle se ullum omnino præjudicium inferri doctrinæ SS. Augustini, & Thomæ. Idemque Innocentius X. Cardinali Pimentel roganti, ut ad gravitatem rei accederet, respondit: *Omnia maturè discussa fuisse, ac compertum, quinque propositiones nihil commune cum doctrina SS. Augustini, & Thomæ habere; atque prorsus expedire, ut notaretur doctrina libri Jansenii. Quod constat ex Diario p. 6. cap. 13. & cap. 25. eòque certius, quia nulli exceptioni amplius locum relinquit declaratio Consultorum, ut scribit Auctor Diarii pag. 173. columna 2. dicens: Omnes penè Consultores doctrinam gratiæ per se efficacis, quæ maximè nostræ Scholæ propria est, omnibus locis Catholicam, Orthodoxam, & veram esse profiteri: sic ex quodam Thomisticæ Scholæ Theologo. Nec veritas ista nobis tantum nota credenda erit, cum anno 1655. declaraverit Clerus Gallicanus post receptum Innocentio X. decretum, proscriptionem Jansenii doctrinam non esse doctrinam S. Augustini, quam ille, perversè, & contra mentem S. Doctoris interpretatus fuerat. Et anno 1648. Academia Duacena solemnè instrumentum declaravit id ipsum dicens: *E contra enim censuimus communibus suffragiis, humillimè suam Celsitudinem rogandam, ut pergat doctrinam illam Jansenianam seridè extirpare, quæ nequaquam docetur sententia D. Augustini. Quo ergo colore, aut qua justa ratione in dubium revocari potest, quod tot adeò perspicuis documentis demonstratur, & ulterioribus demonstrari potest? Sed hoc fusiùs prosequi erit in solutione argumentorum operæ pretium. Hoc solum monere velim, aptissimam me judicasse ad ostendendam damnatam Jansenii hæresim dialecticam illam disputandi formam, quæ ad omnes errores repellendos clarissimis Theologis probata semper fuit, ut probat SS. Magister Cano, cujus vel ipsum nomen encomium est lib. 8. cap. 2. dicens: *Habet rursum hæc disserendi in Schola facultas alium propositum scopum, fidei nostræ adversus Hæreticos defendendæ. Est quippè Doctoris Scholastici,***

ci, ut Magister sententiarum in proemio ex Augustino tradit 14. de Trinit. cap. 1. scire quem admodum fides Catholica, & pius opituletur, & adversus impios defendatur. Quod si Scholæ Doctor non possit docere fideles doctrinam sanam, & eos, qui sanam non habent, redarguere, apud vulgus Theologus esse aliquando poterit, revera nunquam erit. Atque ob eam causam Scholasticorum disputationibus adeò sunt hæretici infensi, quòd intelligunt, Catholicam fidem, quam expugnare moliantur, horum studio, doctrinaque muniri. Agnoscunt sanè Lupi Canes, eosque odio prosequuntur: & Scholæ nomen istis invisum est, quæ lupos arcet à gregibus, & eorum insidias porro cavet. Sed de his tatis.

§. III.

Prædeterminatio ad consensum non pugnat cum libertate liberi arbitrii, ex quo irresistibilis fit.

39. **L**ongo sermone mentem Jansenii exposuimus, ut ex sola illius lectione, veluti primo oculorum conspectu, concipi illico posset mens, & error ipsius. At modò resurgit alia via difficultas, an supposita irresistibilitate prædeterminationis ad consensum, remaneat in voluntate potestas ad omissionem? Pars affirmativa nobis est certissima, eamque omnes nostri Thomistæ non minus solidè, quàm conspicuè defendunt. Videndus inter alios Magister Lemos rem. istam profundissimè explicans tom. 1. tract. 4. cap. 21. Inviètè, & efficaciter probatur primò, assumendo pro fundamento conceptum formalissimum libertatis. Nam eandem habet voluntas libertatem, supposita prædeterminatione, ad utrumque libertatis extremum, quam habebat pro priori ad existentiam prædeterminationis: sed pro priori ad existentiam prædeterminationis erat cum libero arbitrio libertas, & vera expedita potestas dissentendi Deo vocanti, & excitanti; licèt non repugnandi Deo efficaciter moventi: ergo & eadem remanet potestas supposita prædeterminatione. Vel aliter: Omnis potentia, quam habet arbitrium ante receptionem physicæ prædeterminationis, in ipso remanet post illius receptionem: sed potentia ad resistendum Deo efficaciter moventi nunquam fuit in arbitrio ante efficacem Dei motionem, & sine hac erat vera potestas ad omissionem: ergo post ipsam, sine tali potestate, reperitur potestas ad omissionem. Ex probatione majoris vires resumit urgentiores uterque discursus. Primò: quia ex existentia prædeterminationis liberum arbitrium non habet alia constitutiva libertatis, nec ex ipsâ accipit aliquid ad constitutum libertatis pertinens, cum non constitutum actum primum, licèt illum perficiat; sed se teneat ex parte actus secundi. Secundò; quia adjuto-

rium efficienter movens, superveniens potentia, non auferit ab ea illam integram, ac liberam facultatem, quam antea habebat; solum enim facit, ut arbitrium non conjungat de facto talem dissentium, seu omissionem cum Deo excitante, atque vocante. Quare dixit Augustinus lib. 1. contra duas Epist. Pelagianorum cap. 20. loquens de eo, quod Assuero accidit: *Nunquid homines Dei, qui hæc scripserunt, imò ipse Spiritus Dei, quo auctore hæc scripta sunt, oppugnant liberum arbitrium? Absit. Sed Omnipotentis in omnibus, & judicium justissimum, & auxilium misericordissimum commendemus. Tertio; quia indifferentia dominii constitutiva libertatis est prædeterminationem essentialia, & intrinsecum ipsi; sed superveniente determinatione ipsi consentanea, nullum prædicatum intrinsecum perit: ergo manet cum determinatione superveniente indifferentia antecedens. Et tandem; quia judicium indifferens libertatem radicat, ita ut, cum proponitur pro ipso practice objectum indifferens, nulla possit esse necessitas, ut diximus disp. 1., & rem callentibus notum est; sed prædeterminatio, etsi irresistibilis sit, non impedit, quòd intellectus voluntati proponat objectum cum indifferentia: ergo eadem remanet libertas post gratiam physicè prædeterminantem, quam habebat arbitrium ante illius receptionem. Hoc enim est excellens, & mirabile hujus invictissimæ gratiæ, quòd humanæ voluntatis arbitrium à Deo trahitur, magnâ tamen, & invictâ efficacità, cui humana voluntas licèt libera, non potest non acquiescere, non quidè, ut coacta, sed ut efficaciter præmota, & tracta, incolumi libertatis suæ indifferentia.*

40. Secundò eadem veritas monstranda est; sed ad majorem ejus evidentiam, non aliundè, quàm ex fundamento prius posito, procedendum est. Cum prædeterminatione consensus datur vera libertas, quæ sit potestas dissentendi, & non frustrandi prædeterminationem; est enim ipsa ab intrinseco efficax: sed potestas resistendi resistentiæ formaliter sumpta, est potestas frustrandi prædeterminationem, cum frustratur resistentiæ formaliter sumpta; ergo & cum prædeterminatione consensus datur vera potestas dissentendi, quæ non sit potestas resistendi prædeterminationi. Idemque argumentum fit respectu decreti Divini: cum decreto Divino, ab intrinseco efficaci de existentia consensus, stat libertas, quæ sit potestas dissentendi, & non resistendi decreto: ergo eadem infallibili consecutione deducitur, quòd cum prædeterminatione irresistibili consensus, datur vera potestas dissentendi, quæ non sit potestas resistendi prædeterminationi.

41. Hoc apud omnes, ut certissimum æstimari debet. Et quidè primò innegabile est ab omnibus Thomistis asserentibus, fuisse in Christo Domino strictum, & rigorosum præceptum, cum D. Thoma 3. p. q. 37. art. 2. quod

probat ex illo Joann. 10. *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo.* En ubi datur in Christo rigorosum præceptum præcedens, & infallibiliter inferens mortem, nec non impossibile cum omissione mortis, & irresistibile à voluntate Christi Domini; & tamen liberè adimplevit præceptum, potuitque mori, vel non mori, seu omittere actum, qui erat præceptus, ut testatur D. Augustinus lib. 4. de Trinitate cap. 18. de Christo loquens: *Qui potuit non mori, si nollet; proculdubio, quia voluit, mortuus est:* ergo nec opponitur libertati, quòd prædeterminatione præcedat, & infallibiliter inferat consensum, sitque irresistibilis à voluntate creata. Secundò, quia in Angelis fuit vera libertas, veràque libertate operantur id, quod eis per præceptum præcipitur, sicut dum Archangelus Gabriel fuit ad Beatissimam Virginem misus, & Raphael ad Tobiam; & tamen fuit t ipsis impositum rigorosum præceptum infallibiliter inferens actum, irresistibile ab ipsis, & incomponibile cum carentia prædicti actus: ergo quòd prædeterminatione sit hujusmodi non destruit libertatem. Tertio id videre est in voluntate Dei efficaci, cum qua componitur libertas; quin detur potestas resistendi voluntati efficaci Dei. Et tandem in alienis principiis, voluntas sub auxilio, sub quo prævisa est consensura, potest dissentire, & omittere consensum, non tamen potest falsificare scientiam consensum, quia ad hoc non sufficit posse ad dissentium, sed requiritur conjunctio dissensus cum scientia affirmante consensum: ergo pari jure voluntas prædeterminata ad consensum potest dissentire, & liberè ponere omissionem consensum, etsi sit essentialiter impotens resistere prædeterminationi, vel componere prædeterminationem cum dissensu.

42. Tertium pro hac conclusione argumentum proponitur; sed dictis, probatisque ulterius insitimus; quia hæc potestas resistendi prædeterminationi, non solum est potestas nulla, sed chimerica, & impossibilis. Est potestas nulla, cum non assignentur vera extrema libertatis: non enim sunt extrema libertatis actus, & carentia actus, ut conjuncta, vel ut resistens prædeterminationi. Primò, quia libertas contradictionis versatur circa extrema contradictoriè opposita, sed ommissio consensus conjuncta cum prædeterminatione, vel ipsi resistens, non est extremum contradictoriè oppositum consensui prædeterminato; etenim lumine naturali notum, & perspectum omnibus est, duo extrema contradictoriè opposita non posse simul deficere, ne falsum reddatur illud principium, *quodlibet est, vel non est:* sed consensus prædeterminatus, & carentia consensus conjuncta cum prædeterminatione possunt simul deficere: cum, Deo hominem non prædeterminante ad consensum, & deficeret

consensus prædeterminatus, & ommissio consensus conjuncta cum prædeterminatione: ergo hæc extrema non possunt assignari, ut vera extrema inspecta à libertate contradictionis. Secundò, quia idem debet esse extremum libertatis contradictoriè oppositum consensui, dum existit prædeterminatio, quod erat consensui contradictoriè oppositum pro priori ad prædeterminationem, quia signum prædeterminationis, sicut non variat, ut supra diximus, essentialia prædicata libertatis, ita nec extrema libertatis diversificat, aut diversa facit: sed in signo priori ad prædeterminationem ommissio conjuncta cum prædeterminatione non erat extremum libertatis contradictoriè oppositum consensui, cum illud signum non sit signum prædeterminationis: ergo non possunt assignari, ut vera extrema libertatis contradictionis consensus, & ommissio consensus, ut est formalis, & positiva resistentia prædeterminationi.

43. Quartò probatur conclusio: prædeterminationem esse irresistibilem esse inconjunctibilem cum dissensu; sed rectè componitur, quòd prædeterminatio sit inconjunctibilis cum dissensu, & quòd conjungatur cum libertate, & potestate dissensus: ergo rectè componitur irresistibilitas formalis prædeterminationis cum libertate voluntatis. Minor probatur: potestas, quæ est realiter separabilis, & distincta à dissensu, dari potest absque eo, quòd existat dissensus; sed potestas dissensus est realiter separabilis, & distincta à dissensu, & ideo consensus repugnans dissensui conjungitur cum potestate dissensus: ergo etsi prædeterminatio sit inconjunctibilis cum dissensu, rectè potest cum prædeterminatione conjungi potestas ad dissensum.

44. Si quis fortè dixerit, potestatem ad dissensum esse conjunctibilem cum prædeterminatione, cui & si actu non resistatur, est tamen verè resistibilis; hic vim, & efficaciam argumenti facti non effugiet. Primò; quia gratia, quam PP. docent, & est definita contra Janſenium esse resistibilem, est illa, cui aliquando resistitur; sed gratiæ ab intrinseco efficaci juxta solutionem nusquam actu resistitur: ergo non est resistibilis. Secundò, quia si prædeterminatio esset resistibilis, & arbitrium à Deo motum, & excitatum posset cum illa motione efficaciter movente, conjungere resistentiam, aliquando hanc conjungeret: non enim haberet aliquid, à quo impediretur, quin de facto conjungeret. Sic videmus, quòd licet liberum arbitrium verè motum, & excitatum possit dissentire, seu resistere Deo excitanti, atque vocanti, possitque cum eo conjungere dissensum; ab adjuvante tamen gratia efficaciter ipsum movente ad consensum detinetur, ne de facto, sicut potest, dissentiendo resistat: hoc enim illa efficax adjuvans gratia efficit, quòd cum arbitrium possit dissentire, possit re-

resistere, & possit cum Deo excitante dissensum conjungere; non tamen dissentiat, non resistat, nec talem dissensum conjungat: sed juxta solutionem gratiæ ab intrinseco efficaci actu nusquam resistitur: ergo potestas resistendi prædeterminationi est omnino impossibilis. Tertio, quia potentia solum resistit, & potest resistere medio suo actu; sed actus, qui sit resistentia formalis prædeterminationi est impossibilis: cum hæc duo sint inconjunctibilia, Deus efficaciter movet arbitrium, & arbitrium non movetur, quod significare voluit S. Thomas in testimoniis supra citatis: ergo prædeterminatio, cui actu resisti non potest, nec possibiliter resistibilis est. Ratio autem omnium gravissima, & quæ omnes supra dictas comprehendit, est, quia ipsum non resistere Deo vocanti est donum Dei: Deus autem dat non resistere per gratiam efficacem: undè huic non potest resisti; non enim resisti potest ei medio, per quod Deus dat ipsum non resistere. Undè in omnium principiis, & in quocumque consistat efficacia gratiæ juxta diversas Catholicorum opiniones, debet semper esse verum, quòd gratiæ efficaci, quatenus efficax est, resisti non potest. Quod sanè est illud D. Augustini ineluctabile argumentum sequentibus verbis lib. de correptione & gratiâ cap. 14. propositum. *Nunquid ille posset adversari voluntati Dei, & non potius ejus facere voluntatem, qui in corde ejus operatus est per Spiritum Sanctum, quo indutus est, ut hoc vellet facere, & dicere?*

45. Hæc est propria, stricta, & formalis gratiæ ab intrinseco efficaci irresistibilitas; quam non ex propria assumo sententiâ, sed ex nostris Thomistis edoctus, ut verè possim dicere: secutus sum loquendi modum, doctrinamque majorum, quibus hæc consequentia necessaria visa est: *si vis gratiæ insuperabilis est; ergo irresistibilis est.* Quod elucescet magis revocando in memoriam, quæ supra diximus disp. 1. dub. 4. §. 4. Primò; quòd non est idem, hominem adjuvatum efficaci gratia posse dissentire, ac posse resistere efficaci gratiæ: nam posse dissentire significat actualem potentiam ad dissensum divinum à gratia efficaci; posse verò huic resistere, significat actualem potentiam ad resistentiam conjunctam cum efficaci gratia. Undè homo gratia efficaci adjuvatus potest quidem dissentire potentia conjuncta cum gratia efficaci; non tamen potest resistere gratiæ efficaci. Secundò, quòd resistentia, non resistentia, consensus, dissensus, non dicuntur respectu adjutorii efficaci ad actum, sed respectu excitationis, & vocationis divinæ. Videatur locis supra citatis disp. 1. dub. 3. §. 4. num. 48. & 49. Magister Lemos, vir ille, qui tanta abundavit fama, & supra famam eruditione, & in celeberrima de auxiliis disputatione, tantum defudavit, ut cardinem ipsum, tam difficilis concordia elucidaret. Hic difficultatem istam exponens quoad dissentire

lib. 4. tract. 4. cap. 25. n. 334. sic rem explicat. *Aliud est enim, quòd habens auxilium efficacem possit dissentire Deo vocanti, & excitanti, quòd verissimum est, & in terminis Concilium definit: per quod & Calvino perfectè contradicit, qui contendebat, habentem efficacem motionem, nullo modo posse Deo, & ejus vocationi dissentire, nec ad id libertatem habere; & aliud quòd doceat Concilium, habentem efficacem auxilium posse eisdem auxilio efficaci dissentire, quòd Concilium Sacrum non docuit, ut nostro primo libro satis ostendimus, & adhuc infra hoc libro magis aperte monstrabimus: immo docet, quòd eidem Deo vocanti, & excitanti, cui motum efficaciter à Deo arbitrium assentitur, eidem inquam vocanti, & excitanti dissentire potest, si velit, id est ita efficaciter movetur à Deo ad assentiendum cum sua plena libertate, quòd liberè vult assentire Deo vocanti, & excitanti, & ita liberè, quòd si vellet, poterat non assentire, sed dissentire eidem vocanti, & excitanti Deo, in quo ejus plena salvatur libertas, & iste est sensus à Sacro Concilio intentus; in quo etiam sensu præmiserat in cap. 5. quòd adjuvatus homo efficeret gratia adjuvante ad recipiendam divinam inspirationem: ita eam liberè recipit, quòd si vellet, eam posset non recipere, sed abjicere: qui etiam est sensus traditus, & intentus à Concilio, ut nostro primo libro cap. 134. citato jam antea tradidimus, deinde omittimus, quòd etiam ibi tetigimus, etiam verum esse, quòd arbitrium recipiens, jam suo consensu inspirationem potest abjicere, & cum illa oppositum conjungere dissensum, non autem consensum, quo illam recipit: cum qua est manifestum non posse conjungere dissensum contrarium. Rem elucidat quoad resistere dicto lib. 4. p. 2. tract. 4. cap. 40. n. 704. sequentibus verbis consultò diximus, quòd nec est in potestate activa hominis, vel se disponente ad illud tale auxilium efficacem, quia secundum aliam rationem jam supra hoc libro satis expositam tractatu de auxilio sufficienti cap. 15. aliquo modo dicitur esse in nostra potestate auxilium efficacem: in quantum, videlicet, si homo sufficienter adjuvatus non resisteret, nec impedimentum apponeret oblationi auxilii efficaci, Deus, qui illud offert in collatione auxilii sufficientis, sicut incepit, ita & dando illud, quòd incepit, perficeret. Quòd si de facto homo illud non recepit, ex defectu suo est; quia ei ponit impedimentum, ut ibi explicatum fuit. Secunda autem pars minoris expressè traditur in Scriptura, quæ docet, voluntati Dei, nimirum efficaciter volenti, seu efficaciter operanti, arbitrium hominis non posse resistere; ut est illud ad Rom. 9. *Nec est, qui tua possit resistere voluntati, operanti scilicet efficaciter, & per efficacem motionem suam. Quòd si moti Dei efficaci, sive auxilio habenti efficaciam, ut veni à Deo, posset arbitrium resistere; utique voluntati Dei per illud efficacem auxilium operanti, posset resistere, ut est aperitissimum: quòd tamen Apostolo citatis verbis contradicit. Igitur manifestum est ex divina Scriptura, quòd efficaci auxilio divino, ut venit ab efficaci Dei voluntate, non potest libe-**

rum arbitrium resistere. Cum ergo, ut ostensum est, illa tria, quae in maiori, & minori propositione habentur, sint non quomodolibet certa, sed sint certa in Philosophia naturali, in Theologia, immo ex Scriptura ipsa divina deducantur & quomodo ex tanta, ac tam magna certa veritate inferri potest illud consequens, quod supremam continet falsitatem contra omnem Philosophiam, Theologiam, immo contra ipsam fidem militantem, qualis est, hominem in sua conversione, ac aliis salutaribus operibus non habere libertatem? Non enim fieri potest, ut ex maiori, & minori vera, & de fide certa, inferatur conclusio falsa, & contra fidem: quis hoc dicat? Et tamen proculdubio hoc re ipsa illo suo argumento isti Patres praetendunt. Igitur nullum est illud argumentum. Non imparia docuerunt ante, & post ipsum, & alii nobiles Scholae nostrae optimates, à quibus referendis brevitatis causa supersecedo. Videndi Illustrissimus Castell de libero arbitrio disp. 2. qui fufissimè scripsit omnino ad nostrum, ac totius huius quaestionis doctrinæ sensum q. 4. Doctor Eusebius de Los Rios Primarius Complutensis lib. 2. de libertate ad meritum disp. 2. p. 2. dub. unic. §. 3. nec non communiter omnes Scholae nostrae Doctores, tam Salmanticensis, quam Complutenses eliquatissimam gratiæ ab intrinseco efficacis doctrinam tradentes, quibus libenter subscribo. Si qui autem adhuc contra nos steterint, quibus hæc sententia displiceat, ipsos oro, ut non statim velint nostra placita damnare, sed efficaci aliqua argumentatione refellere. Ego enim, (ut aliquando scripsit M. Cano lib. 8. cap. 5.) etsi non is sum, qui nihil unquam falsi approbem, sed ea, quæ discero tamen, non arroganter præiudico, nec revoco ad arbitrium meum, sed vel Sanctorum testimoniis, vel ratione probabili, consentaneaque confirmo. Sic iure, ac merito possum à viris doctis postulare, ut de me non nisi causis cognitæ iudicent. Quod si rati viderent, quibus ego ducor, falsam me habere sententiam doceant, gratissimè accepturus sum. Ut verò sine argumentis quisquam sola me asseveratione vincat, fieri certè vix potest.

§. IV.

Solvantur Argumenta.

46. **E**T primò obijcies Concilium Senonense in Urbe Parisiensi contra insurgentes Lutheranos sub Antonio à Prato Archiepiscopo tempore Clementis VII. anno Christi 1528. decreto 15. definiens: Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præiudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset, cui si quis aperuerit januam, intrabit ad illum, & carnabit cum illo. Nec denique tale sit huiusmodi Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit. Ex quibus verbis sequens conficitur argumentum: Conci-

lium definit, auxilio Dei trahentis posse voluntatem resistere; sed auxilium, de quo loquitur, est auxilium gratiæ ab intrinseco efficacis, aliàs Lutheri doctrinam minimè damnaret: est namque mala consequentia; auxilio sufficienti potest resisti: ergo auxilium efficacis libertatem non destruit: ergo auxilium efficacis est resistibile. Secundò; quia auxilium, quod docet resistibile, est auxilium Dei trahentis: sed hoc auxilium est iuxta D. Augustinum auxilium efficacis; cum lib. 1. contra 2. Epist. Pelagii cap. 19. de eo intelligat illud Joann. Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum: ergo auxilium efficacis iuxta Concilium est resistibile.

47. Quidquid alii de auctoritate huius Concilii Provincialis sentiant, decreto non averfamur, sed libentissimè illud amplectimur, & recipimus. Etenim si non certum ex ipso, probabilissimum tamen pro gratiæ ab intrinseco efficacis, & liberi arbitrii concordia, argumentum promitur. Pro cuius intelligentia observandum primò, Concilium damnare errorem Lutheri, & aliorum concordiam liberi arbitrii cum gratia ita atrociter expugnantium, ut non insidiosus, & occultus, sed apertè docerent, cuncta, quæ ab homine fiunt, necessariò fieri: nec in hominis esse potestate, vias suas bonas facere. Quarè ne vanæ cujusdam libertatis prætextu latius cancer hic serperet, & ne tam dirum, ac pestilens venenum à fidelibus hauriretur, illud decretum promulgavit. Hoc ostenditur ex primis ejus verbis. *Etsi nulla penè sit tam aperta Catholica veritas, nullus tam manifestus Sacra Scriptura locus, quem non heretici suis cavillis, & tergiversationibus eludant; nulla tamen in re, tam impudenter, tantaque rei Christiana jactura debacchati sunt, quam in exterminando, profligandoque libero arbitrio.* Hinc colligitur, locutum fuisse de gratia ab intrinseco efficacis: nec enim Lutherus adeo insanæ mentis fuit, ut gratiam moraliter prævenientem dixerit unquam tollere libertatem; cum moralis excitatio, solum in agentibus liberis possit inveniri. Hoc suadent sequentia verba: *Neque enim liberum arbitrium asserentes, divinam excludimus propterea gratiam, quod illi falsò toties imponere non verentur, atque hoc sumo credulorum mentes perstringere.* Qui idem sensus manifestus habetur in posterioribus decreti verbis. *Trahit quidem Deus, sed in ejus odorem currimus, non vi, non unco raptamur...* Et licet attingat à fine usque ad finem fortiter, disponit tamen omnia suaviter.

48. At licet Concilium hæresim Lutheri arbitrii libertatem prorsus auferentem damnet, gratiamque efficacem cum libertate compositam propugnet; non hanc resistibilem dicit, sed gratiam sufficientem. Quod sanè explicant verba immediatè sequentia. *Quoties enim Dominus voluit congregare Filios Jerusalem, sicut Gallina congregat pullos suos sub alas*

alas, & noluerunt? Matthæi 13. frustra certè Stephanus act. 7. *Judaos dura cervicis, & incircumcisi cordis argueret, qui semper Spiritui Sancto resisterent: frustra Paulus 1. ad Thessalonicenses admoneret, Spiritum ne extinguerent, si divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur: utramque enim gratiam, & intrinsecè efficacem, & sufficientem, inspirantem, excitantem, & illuminantem dari affirmat, ut libertatem cum gratia efficaci compositam, per potestatem resistendi auxilio sufficienti declaret, ac si ita argueret: Datur gratia inspirans, illuminans, excitans, & sufficiens resistibilis à voluntate: ergo datur vera libertas cum gratia ab intrinseco efficaci: frustra enim excitaretur morali suasionem, quin tandem operaretur simplici infallibilitate: ergo solum resistibilitatem statuit Concilium respectu gratiæ sufficientis. Quod & ipsi Adversarii fateri tenentur; nam Concilium loquitur de gratia illa fulciete, & contingente voluntatem, qua voluntas in Deum converti potest, Deo appropinquat, & se præparat ad gratiam, & cui resistere potest voluntas: sed hæc est gratia purè sufficiens, cum non possit esse gratia ab intrinseco efficacis; nam huic gratiæ, etsi ab extrinseco efficaci, voluntas, in sensu composito illius, resistere non potest; etenim eo ipso, quòd ei resisteret, efficacis non esset, cum sit efficacis per ipsum consensum, & non aliter: ergo Concilium gratiam resistibilem agnoscit gratiam sufficientem, non tamen adjectivam efficacis, quod intendit componere cum libertate. Quarè quaestio non ibi erat de gratiæ efficaci Thomisticâ, sed de efficaci in sensu Lutheri jam prius damnata. Ex quibus facile explicatur mens Concilii, contra cuius manifestam vocem clamant, & nobis obijciunt Adversarii, quod in dicto Concilio legitur constitutum.*

49. Eadem responsione dissolvitur argumentum secundo loco factum, cui pariter respondetur, quòd & auxilium sufficiens trahens dicitur, dum moraliter excitat: sicut & Joann. 12. dicitur: *Ego, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me,* quæ tractio intelligitur media gratiæ sufficienti, qua Deus omnem hominem venientem in hunc Mundum illuminat. Cujus ratio est, quia Concilium infert, resistentiæ dari huic auxilio trahenti, quia potest voluntas resistere voluntati Dei: ergo solum loquitur de effectu voluntatis resistibilis Dei: sed auxilium, quod est effectus voluntatis resistibilis solum est auxilium sufficiens: ergo Concilium loquitur de auxilio moraliter trahente, seu sufficienti. Vide Augustinum tract. 20. in Joannem rem hanc egregiè, & luculenter explicantem.

50. Si autem resistentia in prædicti Concilii decreto referatur ad auxilium efficacis, nihil cunctamur dicere, & respondere ad utramque objectionem cum M. Lemos tom. 1. tract. 4. cap. 13. quòd loquitur de potentia ad

resistendum non propria, sed ampla, quæ eadem est, ac potentia ad aliud volendum, quàm id ad quod moveat efficacis motio Dei; hæc enim potentia ad aliud volendum manet cum tali motione efficaci, licet aliud actu velle cum illa non compatiatur, ut S. Thomas docet q. 23. de verit. art. 5. in quo sensu explicat sapientissimus iste M. D. Thomam quodlib. 1. art. 7. ad 2. dicentem; *quòd Deus movet omnia secundum modum eorum, & ideo divina motio à quibusdam participatur cum necessitate, à natura autem rationali cum libertate; propter hoc quòd virtus rationalis se habet ad opposita. Et ideo sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quòd tamen potest huic motioni resistere, sequentibus verbis: Respondetur, nec Concilium, nec S. Thomam asserere, quòd auxilio efficaci possit resistere homo, undè possunt de excitante, & inefficaci motione intelligi, vel de efficaci in sui principio quando incipit inspiratio excitans, antequam mens fortiori auxilio moveatur; tali enim potest resistere homo: vel loquantur de potentia ad resistendum non propria, sed ampla, quæ eadem est, ac potentia ad aliud volendum, quàm moveat efficacis Dei motio; hæc enim potentia ad aliud volendum manet cum tali motione efficaci, licet aliud velle cum illa non compatiatur, ut S. Thomas docet q. 23. de verit. art. 5. Hæc ille: ubi nihil immorandum nobis esse video.*

51. Secundò obijcies D. Augustinum, lib. 3. de liber. arbitr. cap. 18. dicentem: *Quæcumque causa est voluntatis, si ei resisti non potest, sine peccato ei ceditur: ergo cum eadem ratio sit de peccato, ac de merito, si gratia prædeterminans est irresistibilis, dum movet ad bonum, sine merito ei ceditur.* Secundò D. Anselmum ad illa verba Matthæi 6. *fiat voluntas tua,* qui loquens de gratia efficacissima, qua Paulus conversus est, dicit: *Licet percussus fuerit Paulus, tamen voluntas ejus libera erat, ut resisteret, si vellet: ergo juxta S. Doctorem, ut voluntas Pauli libera esset, gratia illa efficacissima resistibilis erat.* Tertio argumentum sumere iterum videtur robur validissimum ex auctoritate D. Thomæ dicentis 1. p. q. 62. art. 3. ad 2. *Dicendum, quòd omnis forma inclinat suum subiectum secundum modum naturæ ejus. Modus autem naturalis intellectualis naturæ est, ut liberè feratur in ea, quæ vult: & ideo inclinatio gratiæ non imponit necessitatem, sed habens gratiam, potest ea non uti, & peccare: en ubi D. Thomas gratiam non inducere necessitatem agnoscit, quia ea potest homo non uti: sed gratia irresistibilis est gratia, qua homo, non potest non uti: ergo hæc libertatem destruit. Vel aliter: inclinationem gratiæ non inducere necessitatem probat D. Thomas, quia omnis forma inclinat suum subiectum secundum modum naturæ ejus: sed inclinatio gratiæ efficacis est inclinatio liberi arbitrii: ergo si non est talis, ut ea arbitrium possit non uti, sed irresistibilis, destruit libertatem.*

52. Id etiam, inquirunt, efficacissimè probatur ex D. Thoma 1. p. q. 82. art. 2. ad 2. *Dicendum, quòd movens tunc ex necessitate causat motum in mobili, quando potestas moventis excedit mobile, ita quòd tota ejus possibilitas moventi subdatur*: sed si gratia ab intrinseco efficax est irresistibilis, tota possibilitas liberi arbitrii est Deo subjecta: ergo ex necessitate causat motum liberi arbitrii. Ulterius: Divus Thomas 1. p. q. 111. art. 2. docet, quòd Angelus non movet voluntatem, quia voluntas semper remanet libera ad consentiendum, vel resistendum passioni: sed si gratia efficax est irresistibilis, non remanet voluntas libera ad consentiendum, vel resistendum ipsi: ergo illa ex necessitate movetur per dictam gratiam. Et tandem D. Thomas q. 6. de verit. art. 3. agens de certitudine prædestinationis ex mediis, quæ prædestinato conferuntur, sic habet: *Liberum enim arbitrium deficere potest à salute; tamen in eo, quem Deus prædestinat tota alia adminicula præparat, quòd vel non cadat, vel si cadat, quòd resurgat: sicut exhortationes, & suffragia orationum, donum gratiæ, & alia hujusmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad salutem*: ergo media, & adminicula omnia etiam includendo gratiam, talia sunt, quibus conjungi potest casus, & non casus: sed gratia ab intrinseco efficax est unum ex mediis, quibus homo vel non cadit, vel si cadat, resurgit; ergo non est irresistibilis, sed indifferens.

53. Sed incausum totum hoc contra nos opponitur; eoque certius, quòd ambigi minimè posse videtur, in primo adducto testimonio D. Augustinum afferere solùm, causam inducentem ad peccandum esse resistibilem cum adjutorio Dei. Ita se ipsum exponit, cum hoc testimonium sibi à Pelagio objectum, refert per hæc verba: *Agnosco, verba mea sunt, sed etiam ipse dignetur agnoscere superius cuncta, quæ dicta sunt. De gratia quippè Dei agitur, quæ nobis per mediatorem medicinam opitulatur, non de impossibilitate justitiæ. Potest ergo ei causa, quæcumque illa sit, resisti, potest planè. Nam in hoc adjutorium postulamus, dicentes, ne nos inferas in tentationem: quòd adjutorium non posceremus, si resisti nullo modo posse crederemus. Potest peccatum caveri, sed opitulante illo, qui non potest falli. Caveamus, dicendo, dimitte nobis debita nostra; sive ergo imminet, sive insit, caveri igitur potest. Ergo D. Augustinus non loquitur de adjutorio, quo citò fatatur, & quo cavetur peccatum, opitulante illo, qui non potest falli, sed de causa inducente ad peccatum, quam resistibilem dicit, & fatemur.*

54. Nec magis efficaciter premit textus D. Anselmi: cum ibi distinguat, duas voluntates Dei, unam misericordiæ resistibilem, qua vult omnes homines salvos fieri; alteram justitiæ, qua omnia quæcumque voluit, fecit; & cui voluntati non est qui resistat.

Licet ergo doceat, Paulum potuisse resistere primæ voluntati; non tamen secundæ. Et sanè miror, quòd D. Anselmum pro se afferant Adversarii, fidelissimum illum D. Augustini Discipulum, qui non aliud de gratiâ, totâque ejus æconomia docuit: Maximè cum hujus gratiæ irresistibilitatem fateatur lib. 2. cur Deus homo cap. 2. loquens de voluntate Divina, & ipsius efficacia, sic dicens: *Quoniam quòd Deus vult, non potest non esse, cum vult hominis voluntatem nulla cogi, vel prohiberi necessitate ad volendum, tunc necesse est, esse liberam, & esse quòd vult*: quia nempe, quidquid Deus efficaciter vult, nullo resistente fit.

55. Ad testimonia, quæ in medium proferuntur ex D. Thoma, dicimus, quantum ad primum, quo textu conatur P. Ripalda lib. 5. de ente supernaturali disp. 110. sect. 10. n. 70. esse de mente D. Thomæ, quòd efficacia gratiæ subdatur nostro arbitrio quantum ad usum, loqui de gratia habituali, in qua Angeli creati fuerunt, quod erat intentum articuli, nempe, *Utrum Angeli sint creati in gratia?* Partem affirmativam probabilius tenendam, utpotè magis dictis SS. consonam resolvit; quæ tamen Angelis nullam necessitatem imposuit; quod verbis in argumento relatis probat, dicendo, *quòd omnis forma inclinatur suum subiectum secundum modum naturæ ejus. Modus autem naturalis intellectualis naturæ est, ut liberè feratur in ea, quæ vult: & idè inclinatio gratiæ non imponit necessitatem, ut exindè inefficaciam argumenti probet, quòd Angeli, et si habuerint gratiam, & fuerint in ea creati, potuerunt ea non uti, & peccare. At ex hoc minimè argui potest resistibilitas gratiæ ab intrinseco efficacia; quia licet hæc inclinet liberum arbitrium secundum modum naturæ ejus, & modus naturalis intellectualis naturæ sit, ut liberè feratur in ea, quæ vult, hoc solùm probat, gratiam non imponere necessitatem, & sub illa voluntatem posse dissentire; at minimè, quòd talis sit, ut ei possit à voluntate resisti. Enim verò ex eo, quòd ipsa non sit talis, ut ea arbitrium possit non uti, & peccare, ineffaciter ab Adversariis arguitur imponere necessitatem; est namque reprehensibilis consequentia ista: *Omnis ea gratia, qua arbitrium potest non uti, & peccare, non imponit necessitatem: ergo gratia efficax, quæ non est talis, ut ea arbitrium possit non uti, & peccare, imponit necessitatem*: cum arguatur à contradictorio antecedentis ad contradictorium consequentis consequentiæ D. Thomæ, qui modus arguendi, ut vitiosus, à Dialecticis rejicitur. Adest secundum, & aliud maximum discrimen, quòd gratia habitualis permanentè inclinatur subiectum; undè ad libertatem exigitur, quòd liberum arbitrium possit ea non uti componendo cum ipsa non agere. At gratia efficaciter movens est inclinatio per modum motionis transeuntis, seu applicationis ad agendum, cum sit, teste Divo Thoma q. 3. de potent. art. 1. ad 7. distincta*

à for-

à forma, quæ inest, & habet esse ratum, & firmiter in natura, cum sit motio, quæ à Deo fit in re naturali, ut agat: ac per consequens non exigit indifferentiam in libero arbitrio, ut ea possit uti, vel non uti, seu ipsi resistere.

56. Ad secundum respondetur, D. Thomam loqui de motione objectiva, ut constat ex verbis immediatè sequentibus: *Cum autem possibilitas voluntatis sit respectu boni universalis, & perfecti, non subjicitur ejus possibilitas tota alicui particulari bono. At ex motione objectiva argui nequit ad motionem effectivam: vel quia movens objectivè indifferenter judicii aufert, dum voluntatem subjicit, secus movens effectivè: vel quia movens objectivè naturaliter movet, non tamen liberè: quare dum Deus effectivè voluntatem gratiæ irresistibili movet, & subjicit, talem voluntas solùm necessitatem habet, quam Deus vult eam habere, ut diximus ex D. Thoma 1. p. q. 19. art. 8. ad 3. Quare cum hac irresistibili motione componitur potestas ad oppositum, illius, ad quod movet.*

57. Ad tertium dicimus, maximum esse discrimen inter motionem Dei, & Angeli. Est namque, ut inquit S. Doctor in corp. art. *Solius Dei immutare voluntatem, qui dat naturæ intellectuali virtutem talis inclinationis: sicut enim inclinatio naturalis non est, nisi à Deo, qui dat naturam; ità inclinatio voluntaria non est, nisi à Deo, qui causat voluntatem. Alio modo movetur voluntas ab exteriori, & hoc in Angelo est quidem uno modo tantum, scilicet à bono apprehenso per intellectum. Undè secundum quòd aliquis est causa, quòd aliqui apprehendantur, ut bonum, ad appetendum; secundum hoc movet voluntatem: & sic solus Deus efficaciter potest movere voluntatem: Angelus autem, & homo per modum suadentis, ut supra dictum est. Sed propter hunc modum etiam movetur in hominibus voluntas ab exteriori, scilicet ex passione existente circa appetitum sensitivum: sicut ex concupiscentia, vel irâ inclinatur voluntas ad aliquid volendum: & sic etiam Angeli in quantum possunt concitare hujusmodi passiones, possunt voluntatem movere, non tamen ex necessitate: quia voluntas semper remanet libera ad consentiendum, vel resistendum passioni. Hæc D. Thomas; quibus explicat, qualiter inclinatio libera sit à Deo, qui causat voluntatem, quæ ab Angelo solùm potest tanquam ab exteriori moveri; scilicet ex passione existente circa appetitum sensitivum: sicut ex concupiscentia, vel ira inclinatur voluntas ad aliquid volendum; & quòd Angeli, in quantum possunt concitare hujusmodi passiones, movere possunt voluntatem: at Deus efficaciter movet voluntatem, ut expressè docet: ergo ex quo motio Angeli resistibilis sit, non inferitur, quòd & resistibilis debeat esse Dei efficax motio.*

58. Nihilò probabilius nobis objicitur testimonium D. Thomæ ex q. 6. de verit., quod profundè explicant Illustrii. Godoy de scient.

Dei disp. 36. sec. 10. n. 237. & M. Ferre tract. 6. de scient. media q. 4. §. 8. Etenim assumptum D. Thomæ est, *utrum Prædestinatio habeat certitudinem?* Et in corpore articuli probat quòd non potest dici, quòd prædeterminatio supra certitudinem providentiæ nihil aliud addat, nisi certitudinem præscientiæ, ut si dicatur, quòd Deus ordinat prædestinatum ad salutem: sicut & quemlibet alium: sed cum hoc de prædestinato scit, quòd non deficiet à salute: sic enim dicendo non diceretur prædestinatus differre à non prædestinato ex parte ordinis; sed tantum ex parte præscientiæ eventus, & sic præscientia esset causa prædestinationis: nec prædestinatio esset per electionem prædestinantis, quòd est contra auctoritatem Scripturæ, & dicta Sanctorum. Undè præter certitudinem præscientiæ ipse ordo prædestinationis habet infallibilem certitudinem, nec tamen causa proxima salutis ordinatur ad eam necessariò, sed contingenter, scilicet liberum arbitrium. Quibus immediatè subjungit argumenti verba, in quibus non intendit D. Thomas, quòd non includatur gratia, quæ sit infallibiliter connexa cum suo effectu, & irresistibilis à voluntate: nihil enim magis falsum, & absonum à mente D. Thomæ: sed asserit, quòd hæc gratia efficax est medium defectibile ad conjungendum prædestinatum cum gloria; in hoc nempe sensu, quòd qui hodie per gratiam determinatur ad conversionem, cras per peccatum gratiam amittit; undè est necessaria gratia determinans, ut resurgat, & ut iterum resurgat, si iterum cadat, & tandem alia, ut finaliter perseveret. Non ergo hoc est asserere, quòd gratia efficax sit resistibilis, sed solùm, quòd licet irresistibilis sit, est gratia à salute defectibilis, nisi Deus illam donet, ut mortem cum perseverantia in gratia conjungat.

59. Tertio objicies fundamentum, quo velut Achille passim utuntur Auctores oppositi, & quo persuadent sibi, quòd si prædeterminatio est irresistibilis, Deus necessitatem infert libero arbitrio. Nequit enim salvari libertas, cum hoc, quòd unum extremum sit antecedenter necessarium: sed si prædeterminatio ad consensum est irresistibilis, est antecedenter necessarium voluntati consentire: ergo prædeterminatio irresistibilis destruit libertatem. Min. probatur: si prædeterminatio est irresistibilis, est voluntati antecedenter necessarium non resistere prædeterminationi, sed si est antecedenter necessarium non resistere prædeterminationi, est antecedenter necessarium consentire: nam consentire posita prædeterminatione est non resistere prædeterminationi; consentiendo enim ei non resistitur: ergo si antecedenter est necessarium non resistere, erit & antecedenter necessarium consentire.

60. Alia via insurgit, & efficaciter roboratur eadem difficultas. Impossibilitas resistendi in voluntate prædeterminata ad consensum, est impossibilitas dissentendi: sed si

præ-

prædeterminata est voluntas prædeterminatione irresistibili, datur impossibilitas dissentendi: ergo & debet dari impossibilitas dissentendi: sed cum impossibilitate dissentendi nequit esse libertas: ergo prædeterminatio irresistibilis destruit libertatem. Uterius: posita prædeterminatione actu dissentire est actu resistere, & actu frustrare: ergo posse actu dissentire, erit posse resistere, & frustrare. Probatur consequentia: potentia terminata ad id, quod est actu resistere, & frustrare est potentia resistendi, & frustrandi, sicut potentia terminata ad id, quod est actu exercitium talis potentiae, v. g. potentia ad hoc, quod est actu currere, actu disputare, est potentia currendi, & potentia disputandi: sed potentia dissentendi actu est potentia terminata ad id, quod est resistere; cum actu dissentire sit actu resistere: ergo est potentia resistendi. Ita Pater Borull de scient. media disp. 10. sect. 1. in fin.

61. Hoc argumentum, quod difficillimum videtur, externa specie lucet, sed explanatione frangitur, & veritate dissolvitur. Instatur primò in prædefinitione efficaci Dei, quæ in omnium sententia est irresistibilis, & tamen cum ipsa datur vera potestas ad actum oppositum. Instatur secundò in præcepto mortis Christo Domino imposto, cujus resistentia est antecederet impossibilis; & tamen ipsum mori non fuit necessarium. Instatur tertio in scientia Dei: etenim supposita scientia consensus; consentire est non falsificare scientiam; & tamen ex necessitate non falsificandi scientiam Dei, non infertur necessitas antecedens consensus: ergo licet consentire sit non resistere, ex necessitate antecedenti non resistendi non infertur necessitas antecedens consentiendi. Quare in forma respondetur distinguendo secundam minorem, consentire prædeterminationi est non resistere positivè, conc. min.; est non resistere negativè, neg. min. & disting. consequ. ergo si est necessarium non resistere, est necessarium consentire, si est necessarium non resistere positivè, conc. consequentiam: positivè, vel negativè, neg. consequentiam. Etenim non resistere dupliciter potest accipi, vel positivè, vel purè negativè. Datur non resistere positivè, dum consensus componitur cum prædeterminatione. At non resistere purè negativè stat per hoc, quod deficiant prædeterminatio, & consensus. Cujus ratio est evidens, quia resistere prædeterminationi consistit in hoc complexo, existit prædeterminatio, & deficit consensus: ergo non resistere consistit in defectu hujus complexi; sed hoc complexum potest dupliciter deficere, vel quia existunt simul prædeterminatio, & consensus, in quo casu per existentiam positivam consensus deficit non resistere positivè. Vel potest illud complexum deficere, quia simul deficiunt prædeterminatio, & consensus; & cum complexum non sit ex illa parte, qua affirmat existentiam

prædeterminationis, datur non resistere negativè, quia datur non resistere per negationem prædeterminationis. Quo supposito facilis est doctrinæ explicatio, dicendo, quod eo modo, quo voluntas est necessitata ad non resistere positivè, est necessitata ad consensum: At cum, supposita prædeterminatione, non resistere positivè prædeterminationi sit consequenter necessarium, & ipse consensus erit consequenter necessarius, quamvis sit antecederet necessarium non resistere prædeterminationi: cum non resistere prædeterminationi latius pateat, ac consentire. Etenim non omne non resistere prædeterminationi est consentire; cum non resistere prædeterminationi, consistat in hoc, quod non jungatur carentia actus prædeterminati cum prædeterminatione; sed carentia actus prædeterminati non conjungitur cum prædeterminatione, vel quando ponitur consensus, vel quando existit carentia actus prædeterminati non existente prædeterminatione: ergo non omne non resistere prædeterminationi est consentire. Ex quo certissimè constat, quod non resistere prædeterminationi datur, vel per consensum, vel per omissionem purè negativam consensus; utrumque enim ex his duobus est non resistentia prædeterminationi; primùm per consentire; secundùm per non positionem purè negativam actus prædeterminati, quæ omisio purè negativa non est resistentia prædeterminationi: ergo ex necessitate antecedenti non resistendi prædeterminationi non arguitur necessitas antecedens consentiendi. Quod si quis terminis istis uti nolit ob confusionis alicujus speciem, eandem faciliè sub aliis terminis doctrinam habebit; animadvertendo, quod non semel à nobis dictum est, scilicet necessitatem aliam esse consequentiam, aliam consequentis: ac insuper necessitatem consequentis opponi libertati; secus verò necessitatem consequentiam, quæ solum importat infallibilitatem illationis, quam non opponi libertati actus nemo, nisi omninò inscius, insciabitur. Hinc ad primam argumenti formulam fatemur, quod si prædeterminatio est irresistibilis, est necessarium necessitate consequentiam, voluntatem consentire, ex suppositione prædeterminationis; falsum tamen, esse necessarium necessitate consequentis; quæ est necessitas antecedens, & propriè talis; id est, necessitas rei, & non solum logicæ veritatis, cujus antecedentia libertati non officit. Ideoque de hac secunda necessitate verum est, quod est antecederet necessarium voluntati, posita prædeterminatione, consentire, consensu tamen libero. Quod est dicere: Verum est, quod, si existat prædeterminatio, existet actus liber, & hæc veritas est necessaria: sicut enim verè dicitur: verum est, quod si existat scientia Dei de actu libero futuro, actus ille existet: & hoc est necessarium.

62. Sed contra insurges primò: voluntas non

non est libera ad non resistere prædeterminationi: ergo est ipsi antecederet necessarium non resistere: sed non est necessitata antecederet ad non resistere negativè: ergo est antecederet necessitata ad non resistere positivè: sed non resistere positivè est consentire: ergo est antecederet necessitata ad consensum. Secundò: nec non resistere positivè prædeterminationi; nec non resistere negativè negativè, est voluntati necessarium: sed nullum datur non resistere, nisi positivè, aut negativè: ergo nullum non resistere est voluntati necessarium: sed si nullum non resistere prædeterminationi est voluntati necessarium, omne non resistere est contingens, aut liberum: ergo voluntas liberè, & contingenter non resistit prædeterminationi; sed si liberè, & contingenter non resistit prædeterminationi, poterit resistere: ergo prædeterminatio resistibilis est à voluntate. Ex his, quæ dicta modò sunt à nobis, patet utriusque instantiæ solutio; non enim oppositum evincit prima: etenim concessa prima consequentia, negatur secunda, quæ minimè infertur ex præmissis. Nec enim ex eo, quod voluntas non sit antecederet necessitata ad non resistere negativè, infertur, quod sit antecederet necessitata ad non resistere positivè. Rectè enim componitur, voluntatem non esse antecederet necessitatum ad non resistere negativè prædeterminationi; & quod sit indifferens ad positionem consensus, eò quod voluntati nullum non resistere est necessarium determinatè; sed solum datur necessitas vaga, ut sit aliquod non resistere. Sic non est necessarium, Petrum currere, nec est necessarium, Petrum non currere; sed est necessarium, quod currat, aut non currat: & ideo defectus utriusque contradictorii est antecederet impossibilis: sicut ergo non valet: Petrus non est antecederet necessitatus ad non currere: ergo est antecederet necessitatus ad currere; quia nempe nullum ex his extremis necessariò simpliciter existit, etiam ex suppositione defectus alterius; cum quodlibet extremum contingenter existat: ita & dicimus, quod licet non sit necessarium voluntati non resistere negativè, non ex hoc infertur, esse necessarium non resistere positivè, sed solum est necessarium vagè, & indeterminatè disjunctim: nempe quod detur contingenter, & liberè, vel non resistere positivè, vel non resistere negativè, undè resistentia, quæ includit defectum utriusque non resistentiæ, est antecederet impossibilis. Ex quibus constat ad secundum solutio.

63. Ad secundam objectionem n. 60. positam respondetur distinguendo majorem: impossibilitas resistendi est impossibilitas dissentendi dissensu composito cum prædeterminatione, Conc. maj. dissensu à prædeterminatione diviso, neg. maj. & sub eadem distinctione minoris negatur consequentia. Non enim quilibet disensus est resistentia

prædeterminationi, sed disensus cum prædeterminatione conjunctus; cum resistere in sua ratione formali importet compositionem cum eo, cui resistitur, quod toties indubitanter diximus, clariusque, & uberius fulcitur auctoritate D. Thomæ asserentis, quosdam esse voces, quæ ex propria ratione compositionem cum altero involvant. Audiatur q. 6. de verit. art. 4. ad 8. Et ideo dicitur communitè, quod hæc, Deus potest non prædestinatum prædestinare, vel prædestinatum non prædestinare, in sensu composito est falsum, in diviso vera. Et ideo omnes locutiones, quæ sensum compositum implicant, sunt falsæ simpliciter: unde non est concedendum, quod numero prædestinatorum possit fieri additio, vel subtractio, quia additio præsupponit illud, cui fit additio, & subtractio illud, à quo subtrahitur. Et eadem ratione non potest concedi, quod Deus possit plures prædestinare, quàm prædestinet, vel pauciores. Et 2. contra Gent. cap. 25. idem observat dicens: Et ideo omnes istæ locutiones, Deus non potest facere contraria his, quæ disposuit facere, & quæcumque similiter dicuntur, intelliguntur compositè. Quibus docet, propositiones aliquas ex vi, & forma verborum sensum implicare compositum, nec esse distinguendas, ut divisas, & compositas, sed simpliciter, & absolute esse dicendas compositas, & ut tales judicandas quoad veritatem, vel falsitatem. Quare hanc tradit regulam: quando terminus in propositione ex vi sua alium præsupponit, tunc cum illo componitur; & propositio, in qua talis terminus ponitur, est composita, ut patet in nominibus additio, & subtractio. Hac eadem ratione resistere compositionem importat, cum essentialiter præsupponat illud, cui resistitur. Sicut enim peccare contra legem, legem supponit; & inobedire, præcipientem, cui inobeditur; ita & resistere essentialiter præsupponit illud, cui sit resistentia. Ut ergo disensus sit resistentia prædeterminationi, debet esse disensus compositus cum prædeterminatione.

64. Ad secundam concessio antecedenti, negatur consequentia. Verum quippè est, quod si voluntas prædeterminata ad consensum actu dissentiret, resisteret; at posse dissentire, non est posse resistere. Hoc videri potest in prædeterminatione. Si aliquis prædestinatorum periret, falleretur Deus: ergo prædestinatum posse perire, est posse Deum falli. Et iterum: si vocatus secundum propositum periret, actu vinceretur Deus: ergo si vocatus potest perire, Deus potest vinci: cujus consequentiæ fallaciam observavit August. de corrept. & grat. cap. 7. dicens: Horum si quisquam perit, fallitur Deus; sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus; sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus. Non ergo ex quo disensus conjunctus cum prædeterminatione sit resistentia, potentia ad dissensum est potentia resistendi

prædeterminationi: quia potentia, quæ componitur cum prædeterminatione, non respicit dissensum cum prædeterminatione compositum, sed pro termino respicit dissensum solum absolute & secundum se, quomodo disensus non est resistentia prædeterminationi. Si hæc, quæ ad hujus veritatis perferuationem scripsimus, difficillima videntur; hæc est materiæ, quam versamur, sublimitas, & præstantia. Si gratia efficax resistibilis esset, non tanta esset difficultas in concordia libertatis arbitrii cum ejus efficacia, ut oporteret ad recondita sapientiæ Dei ascendere. Causa hujus necessitatis manifestè patet; videlicet infallibilitas, & irresistibilitas gratiæ, qua Deus indeclinabiliter, & insuperabiliter efficaciter movet liberum arbitrium ad velle, & operari. Sanctius, proprius, & honorificentius est inenarrabilem

hanc gratiæ efficaciam nobis reconditam venerari, quam in divini sapientiæ arcana audacius irrumperere: unde sapientissimè D. Gregorius Nazianzenus eos, qui aliter sapiunt, monet orat. 29. his verbis: *An quisquam est mortalium, qui ad eam sublimitatem efferri possit, ut ad Pauli mensuram perveniat? At ille se tamen videre per speculum, & ænigma dicit, tempusque affore, quo facie ad faciem visurus sit. Sis tu licet aliis in disputando sublimior, ac Deo haud dubiè inferior es, quanto essentia Dei essentiam tuam antecellit. Pollicitationem habemus, fore, ut aliquando tantum cognoscamus, quantum cogniti sumus. Si in hac vita fieri non potest, ut perfectam verum cognitionem assequamur, . . . perfectissima verum omnium est Dei cognitio. Verum eam partem tenemus; partim quandiù in terra versamur, percipere studeamus, partim in futurum reservemus.*

DUBIUM IV.

An argumenta contra physicam prædeterminationem sint lumine naturali solubilia?

NON esset vera nostra sententia, si sufficienter non posset argumenta à ratione humana in oppositum solvere. Est patens signum veritatis, sicut & maxima Theologi Sapientis perfectio, dubitatorum solutio. Undè etsi tanti nominis gloriam nobis arrogare nec debeamus, nec possimus, quæ tamen Theologi sunt æmulari contentaneum est. Neque propterea in veritatis offensionem tendimus; nam quæ supra omnem humanam cogitationem sunt, quis hominum ostendet? Aliud est manifestare humanarum rationum imbecillitatem; aliud arcana divini consilii (inter quæ concordiam creatæ libertatis cum efficaci Dei gratia computat fides nostra) pandere. Nec parum, immo magnum videri debet; si aliundè exurgentes humani discursus difficultates, nihil concludere, humana etiam ratione, licet divini fidei lumine adjuncta, detegantur; cum & sapientiæ Dei dignum fuerit elogium: *Scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum Sap. 8.* Igitur hoc maximè Theologum commendat, ut probat D. Thomas 1. p. q. 1. art. 8. cujus est ex supernaturalibus principiis procedere. Absit autem ab eo, ut Syllogismis contortis de rebus divinis disputet, aut frivolis argumentis, vel potius vanis, invalidisque ratiunculis Theologicas quæstiones absoluat, sed est ipsi perutile hæc ipsa non ignorare; cum non parum ad perfectam Scripturarum, PP., & Conciliorum intelligentiam conferat, ne amphibologiis eludantur termini, & sic ratio erret, labatur, cœcutiat, hallucinetur: & quod magis est, ut præcipuorum nostræ fidei dogmatum non repugnantiam, majori, qua fas est, claritate,

defendat. At si Theologia in omni sui inspectione artis ratiocinandi adjumenta desiderat, maximè dum in hac obscura, & difficillima de concordia libertatis cum gratia quæstione versatur. Quò enim investigatio pro modulo nostro concordie liberi arbitrii cum gratia sublimitate objecti præstantissima est, obscuritate nobis recondita, intelligentiâ difficilis, ac effatu prorsus inexplicabilis; eò magis sententiam nostram arduis Adversarii invadunt, humanis tamen, argumentis. Quot enim novos Cavillationum gyros, & Sophismatum deflexus aliqui, etsi minus docti, nobis non obijciunt? Qui potius luci tenebras, quam veritatis lumen afferunt. Undè meritò cum Tertulliano lib. de anim. cap. 18. hujusmodi argumenta vocari deberent tormenta cruciandæ simplicitatis, & suspendendæ veritatis; cum solum propter affectatam vocum, terminorum, & propositionum obscuritatem difficillima sint. Alii, & sapientiores, ad difficultatem quæstionis sine dubio maximam, ut nos fatemur, accedentes, destructionem libertatis ex nostra sententia arguunt, & efficacissimis, ut credunt, argumentis probare intendunt: & hoc tot modis conspicuis, tot exquisitis phrasibus, & figuris, pro maxima ingenii dexteritate inculcant, ut etiam à doctis, & exercitatis diversa esse argumenta videantur, cum re vera unum sint, & uni, eidemque medio probativo nitantur, in quo anima, & efficacia argumenti adæquatè consistit.

Hinc non ex disputandi libidine, sed quia Tyronibus maximè utile, & fortè necessarium, dubium hoc excitandum credimus, ut ne quid, quod sciamus, pro intelli-

gen-

gentia tractatus inquirendum restet: utque sciant plenè, quid senserint, dicantque Adversarii; & ne in re tam salebrosa, sophismata ignorantes, mens ipsorum variis arguendi formis offuscata in circulos agitur. Quare maximè observandum pro præsentis dubii intelligentia, tripliciter, ut communiter docent nostri Thomistæ, argumenta posse solvi. Primò probabiliter, atque adeo incertè, & inevidenter. Secundò certè, sed non evidenter. Tertio evidenter, quod potest stare dupliciter: primò ex evidentia fundamenti, quo probatur veritas, cui opponitur: secundò ex evidentia fallaciæ, & argumenti defectus: quorum primum evidentie genus erit positivum; secundum verò negativum. Hoc posito, supponimus, quòd ex evidentia fundamenti nequit intelligentia humana argumenta solvere, cum impossibile sit, ut toties diximus, hujus concordie lumine naturali consequi Sacramentum, vel certè evidenter scire secretum. At cum verum nequeat repugnare vero, nec possit esse sibi contrarium, argumenta evidenter solvere potest, tam ex evidentia fallaciæ, quam ex falsitate probationis, quæ nusquam convincere poterit, ut non habeatur, quid probabiliter responderi possit. Etenim licet non sit via ad probandum evidenter possibilitatem, & existentiam hujus mysterii, datur tamen via ad argumentis respondendum. Non enim responsio requirit tantam evidentiam, ac probatio. Sufficit ipsi, quòd vitium ostendat, vel quòd medium ab arguente assumptum minimè cogat intellectum ad ejus assensum, dum scit, ab ipso efficaci medio minimè probari posse; vel ut loquitur D. Thomas loco citato, *dum manifestum est ipsi, probationes, quæ inducuntur, non esse demonstrationes, sed argumenta solubilia.* Ad investigandum ergo argumentorum defectus, & ut ea omnibus unico veluti obtutu contraria veritati manifestentur, sicque magis ad mysterium hoc capiendum apti efficiamur, hoc sequenti utilissimo dubio viam sternimus, quod, quominus comprehendere valeamus, magis, ac magis Deum Optimum Maximum admiremur, incomprehensibilem ejus Majestatem, & nostræ mentis imbecillitatem consentes.

S. I.

Utrum à voluntate prædeterminata ad actum excludatur contrariis argumentis potestas ad omissionem?

1. **A**rguunt primò Adversarii, quòd voluntas prædeterminata ad actum non potest non agere; nam voluntas prædeterminata ad actum est impedita inevitabiliter ad non agendum: sed potentia inevitabiliter impedita ad non agendum non potest non agere: ergo voluntas prædeterminata ad

actum non potest non agere. Consequentia est legitima; major certa; cum prædeterminatio sit inevitabilis, quod Thomistæ minime negant. Quòd autem prædeterminatio sit impedimentum, patet: nam illud dicimus alicujus exercitii impedimentum esse, cum quo tale exercitium nequit componi; nec enim alio modo consensus excludit dissensum, & lux tenebras, quæ tamen vocantur oppositorum impedimenta: sed prædeterminatio actus cum actu connexa est incompossibilis cum carentia actus: ergo prædeterminatio impedit inevitabiliter voluntatem ad omissionem actus. Minor probatur: non potest ad actum impeditum potentia, quæ non potest non esse impedita impedimento inevitabili, ac sibi omnino necessario: sed hoc modo impedita est ad non agere voluntas prædeterminata ad actum, eò quòd impedimentum prædeterminationis est illi omnino necessarium, ac prorsus inevitabile, cum à se prædeterminationem excusare nequaquam valeat: ergo voluntas prædeterminata non potest non agere, & simpliciter caret potestate ad non agendum. Cœtera constant, & majorem se ostendere putant, primò ab exemplo hominis ligati catenis, aut vinculis, quæ non potest rumpere, nec alio quovis modo se ab illis absolvere: de quo talibus confictis vinculis nullus dicet, habere potentiam ad liberè deambulandum: ergo nec in voluntate prædeterminata ulla manet potestas ad omittendum. Secundò: ideo amor potestatem ad odium non tollit, quia licet amor impediatur odium, est tamen impedimentum à voluntate pro suo placito amovibile: ergo voluntas impedita per prædeterminationem, quam non potest pro suo dominio abicere, omni caret ad omissionem potestate. Tertio: per aliquod impedimentum tolli potest libertas: sed non per aliud, quam per illud, quod est inevitabile: ergo.

2. Tripliciter confirmatur propositum argumentum. Primò: ut voluntas impedita ad non agendum possit non agere, necessarium est, quòd possit tollere impedimentum, vel cum illo conjugere carentiam actus: sed voluntas prædeterminata neque potest auferre prædeterminationem, quæ est impedimentum omissionis, neque cum illa conjugere carentiam actus: ergo voluntas prædeterminata non potest non agere. Probat major; quia stante odio voluntas potens est proximè amare, potens est tollere odium: ergo. Secundò: si amor esset inevitabilis, tolleretur potentiam ad odium, & carentia odii esset necessaria, ut constat in Beatis Deum necessario amantibus: ergo prædeterminatio necessaria tollit potestatem non agendi; cum non sit ipsa minus incompossibilis cum omissione actus, quam amor cum odio. Antecedens probatur: quia tota libertas excludendi odium, cum amamus, consistit in elicentia amoris, nec alia est libertas in omissione.

odii: ergo si in amore non esset libertas, sed amor esset necessarius, tolleretur inevitabiliter libertatem. Tertio: voluntas prædeterminata ad actum non potest conjungere omissionem cum prædeterminatione; hoc enim ex terminis contradictionem implicat; nec illam à prædeterminatione dividere: nam qui non potest tollere, vel impedire prædeterminationem, non potest omissionem à prædeterminatione dividere: sed voluntas nec tollere, nec impedire valet prædeterminationem: ergo ab illa omissionem nequit dividere: ergo nulla est potestas ad omissionem. Hæc consequentia constat, quia ommissio actus nequit esse, nisi vel conjuncta cum prædeterminatione, vel à prædeterminatione separata: ergo si nec habet potestatem, ut illam conjungat cum prædeterminatione, nec ut omissionem à prædeterminatione dividat, nullam habet potestatem ad omissionem.

3. Hoc argumentum, quod dicunt invictum, nescio quid novi afferat. Est enim illud, ut video, quod semper contra veritatem mysterii opponit humana ratio; est dicere: hæc est ratio, propter quam hæc quæstio difficillima omnibus est: sicut est illud de identitate inter se extremorum, si semel idem sunt tertio, quod opponit semper ratio naturalis ineffabili Trinitati: & sicut est illud de mutabilitate Dei, quod opponit concordie utriusque perfectionis, immutabilitatis, & libertatis. His, & hujusmodi si humana mens succumbit, errat: Et quidem erravit Pelagius, qui inde convictus fuit, ut negaret gratiam efficaciter adjuvantem voluntatem ad actionem. Constat hoc ex pluribus ejusdem locis, quæ sibi efficiens, tangit S. Augustinus: & ex gestis contra eundem Pelagium in Concilio Diospolitano, ubi inter ab eodem asserta, octavo loco legitur, *quod gratia Dei non ad singulos actus detur, sed in libero arbitrio sit, & in lege, atque doctrina. Et non quod Dei gratia secundum merita nostra detur, & propterea ipsa gratia in hominis sit posita voluntate, sive dignus fiat, sive indignus. Et 12. quod non sit liberum arbitrium, si indigeat auxilio Dei, quoniam propriam voluntatem habeat unusquisque, aut facere aliquid, aut non facere. Et 13. quod victoria nostra ex Dei non sit adjutorio, sed ex libero arbitrio; quæ omnia in hac, Pelagius verè miserabili Synodo (quam ita, quia dolosè egit, vocavit S. Hieronymus Epist. 79.) anathematizare, condemnare, coactus fuit. Constatque ex libello confessionis fidei, quem Zosimo porrexit, ubi confitetur, quid expressè censeat: *Liberum sic esse confitemur arbitrium, ut dicamus nos semper Dei indigere auxilio. Ex hac enim indigentia alterius auxilii efficacis distincti ab eo, quo sufficienter proximè adjuvatur possibilitas, inferebat destructionem arbitrii; quod sanè nihil aliud esse videtur, quàm concessa necessitate auxilii sufficientis, negare indi-**

gentiam alterius auxilii efficacis non existentis in nostra potestate. Ita argumentum nobis oppositum ex indigentia alterius auxilii distincti à sufficiente, & actum infallibiliter inferentis, quod est auxilium natura sua efficax, & supponens sufficientiam proximè, & adæquatè constitutam eandem liberi arbitrii destructionem, conabitur demonstrare, si illi succumbamus. Quod dictum à me esto; non quod Catholicos nobis contrarios cum à fide errantibus confundam; absit hoc: sed ut meminere, quàm facile humana ratio, dum de supernaturalibus naturaliter diserit, deficiat. Cujus rei ergo, quæ sequuntur, etiam offeram, & sine ullius injuriâ accipi volo; at si non assequar, ut non dictum haberi volo; modò assequar finem; id est, humanæ mentis ablegare cavillos in veritatis obsequium: quod nullatenus adversatur modestiæ, & charitati.

4. Præterea, negato ut non necessario ad existentiam actus liberi hoc auxilio efficaci supponente potestatem, & voluntatem applicante ad exercitium, sequitur inevitabiliter, quod semel collata à Deo potestate, voluntati nostræ cuncta derelicta sunt: & hoc est, quod unice ad suum dogma exigebat Pelagius, teste D. Hieronymo: undè & dicebat Deo: *dedisti mihi potestatem arbitrii, quid te iterum ingeris de meo actu?* Et rursus: *destruitur voluntas, quæ alterius ope indiget, ac per hoc, vel utor potestate mihi tradita, aut si alterius ope indigeo, libertas in me destruetur*: ergo argumentum hoc non est aptum ad tuendam undique fidem. Etenim si quid præter, & ultra auxilium conferens potestatem, requiritur ad existentiam actus, est sanè concursus simultaneus: at negantes concursum auxilii prædeterminantis, hunc consequenter asserunt nostræ voluntati esse derelictum, quia existit ex nostra determinatione, & dominio: ergo tueri, & asserere debent nostræ voluntati cuncta esse derelicta, semel collata boni operis potestate.

5. Tertio sequitur, omnia quibus Deus nos adjuvat ad bene operandum, ita esse indifferentia, ut nos illa possimus vertere in malum, ex quo intulit Pelagius, *in bono opere soli homini deberi laudem*; quam consequentiam non negavit esse legitimam Augustinus, immo asseruit lib. de grat. Christi cap. 17. illis verbis: *Cum enim vellet ostendere, quare nostrum sit, quia hæc, inquit, omnia vertere in malum possumus. Quomodo ergo doctrina argumenti admisa impugnari poterit ipse Pelagius, sive ex hac parte veritas tueri?*

6. Quarto sequitur, ubi primum fuerit homo constitutus in sua libertate per auxilium sufficiens, jam gratia Dei non indigere ad salutariter operandum; nec enim alio eget, quàm concursu simultaneo. Hic non est nova gratia à præcedente distincta, quia gratiam suam potest Deus negare, quando non

non est cum alia priori per se connexa: sicut non est per se connexus concursus simultaneus cum auxilio sufficienti, & concursum simultaneum Deus negare non potest. Quod totum est magnum inconveniens, quod reprobari videtur à Concilio Tridentino sess. 6. de justificat. cap. 5. illis verbis: *Neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit. Ubi post collatam libertatem requirit aliam gratiam, ut possit consequenter se movere; nempe quia ultra auxilium dans potestatem, & libertatem ad se movendum coram Deo ad justitiam, aliud requiritur auxilium dans potestatem consequentem, & conjungens voluntatem cum actu salutari, cum supposita libertate hæc sola potestas desideretur ad actum. Non enim solum execrabile fuit dogma Pelagii, quod in primo suæ hæresis statu non constituerit adjutorium possibilitatis in subministracione virtutis Spiritus Sancti, asserens, naturam humanam tantum valere, ut suis viribus, semel in origine suæ creationis acceptis, posset per liberum arbitrium (nihilò ulterius adjuvante ex Creatoris gratia) domare, & extinguere omnes cupiditates; sed etiam erravit in eo, quod actionem, & voluntatem divino auxilio ad singulos actus non adjuvari credidit; utrumque errorem ex diversis inferens principiis. Intulit primum quasi ita arguens: *Liberum arbitrium non fuit originali vulnere laesum*: quod antecedens ipsi verissimum erat: (docuit enim ille, quod peccatum Adami, ipsum solum læserit, & non genus humanum, quod fuit ipsi secundum objectum in Concilio Diospolitano:) *Ergo cum forte, & firmum sit, sufficit, quod per gratiam Dei sciamus, quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus. Secundum intulit ex libertate arbitrii, nempe non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio, ac si argueret: In propria voluntate habet unusquisque facere aliquid, vel non facere: ergo victoria nostra non est ex Dei adjutorio, sed ex libero arbitrio. Ergo quod pro tunc negaverit verum auxilium possibilitatis, quod esset per subministracionem virtutis Spiritus Sancti, non fuit quia hoc auxilium, crederet, debere esse nostræ voluntatis arbitrio subiectum: nec enim ipsum latuit, posse non esse nobis liberum, nec in nostra potestate: sed quia credidit, tantas (id est magnas) esse naturæ vires, quas extollendo præcipitabat, ut dixit Augustinus de grat. Christi cap. 27. Quare solum negavit verum adjutorium voluntatis, & actionis ex libertatis conceptu, ex eo quod non esset liberum arbitrium, si Dei indigeret auxilio: ergo dum argumentum intendit excludere Dei auxilium non existens in nostra potestate, eandem liberi arbitrii destructionem ex eodem principio incautè conatur demonstrare.**

7. Ad solutionem argumenti descendendo, ipsius inefficaciam ostendunt primò exempla sæpius allata. Nam de arbore præ-

determinata ad emittendos flores, dicimus posse impediri a causa naturali non valente prædeterminationem tollere, & de causa naturali prædeterminata ad non impediendum, quin arbor floreat, verissimè dicitur, quod valet impedire floritionem. Cujus ratio non est alia, nisi quia prædeterminatio, licet potentiam determinet, non tamen virtutem cause removet, quia agens subjectum suum modum determinat, nec potentiam destruit, quam præsupponit, sed perficit reducendo de potentia ad actum. Quæ ratio eadem efficacia procedit de concursu, quo Deus hominis adjuvat voluntatem, immo & urgentiori de causa; nam libertas cum sit perfectio simpliciter simplex in Deo continetur formaliter, secus tamen contingentia. Si ergo Deus propterea quod actionem naturalem continet contingentem, illam per suum concursum non destruit, sed causat in actione agentis naturalis; nulla potest esse ratio, quare per efficaciam sui concursus libertatem auferat ab actione voluntatis.

8. Efficacius secundo instatur argumentum in actu prædefinito, scito à Deo, in peccato permisso, in actu libero voluntatis, & in præcepto mortis Christi Domini, ad quos omnes datur in libero arbitrio vera potestas, quin impedibilis sit à voluntate Dei prædefinitio, scientia, permisso, libertas, sicut à voluntate Christi Domini præceptum. Poterit ergo & consensus esse liber, licet liberum non sit voluntati prædeterminari, vel non prædeterminari, impedire, vel non impedire adjutorium efficacis Dei. Etenim si potestas impediendi consensum non est potestas impediendi prædefinitionem, seu decretum efficacis Dei de ejus existentia; cur potestas impediendi consensum erit potestas impediendi prædeterminationem consensum? Assignent nobis rationem, quæ probans primum, non aequè suadeat secundum; non enim minus consensus est terminus essentialiter connexus cum decreto: ergo si potestas impediendi prædeterminationem non est potestas impediendi decretum, cur, amabò, potestas impediendi consensum erit potestas impediendi prædeterminationem? Utrobique enim essentialis illa connexio est cum consensu libero: ideòque argumentari nequit ex connexionione hujus negatio libertatis, quia terminus est connexionis.

9. Sed omnia objectionis capita expendamus. Pro cuius intelligentia accuratè notandum, impedimenta omissionis, vel actus alia esse intrinseca, alia extrinseca; alia destruentia potestatem ad utrumlibet; alia verò præcisè removens, vel actum, vel omissionem. Intrinseca dicuntur illa, quæ ab aliquo principio intrinseco promanant, ut judicium convenientiam objecti sine indifferentia proponens, & debilitas membrorum ad motum ex ægritudine proveniens. Extrinseca impedienda illa sunt, quæ à principiis extrinsecis ortum habent, ut cum impeditur quis deam-

deambulare per plateam, quia detinetur in carcere, aut vinculis insolubilibus ligatur. Impedimenta, quæ potestatem ad utrumlibet auferunt, illa dicuntur, quæ vel ab intrinseco, vel ab extrinseco ita potestatem ligant, ut nullum exercitium relinquunt in arbitrio, sed potestatem ita antecedenter determinant, ut per modum naturæ agat, vel per modum naturæ celsæ ab opere, ut accidit voluntati iudicio determinato præventæ, & homini compedibus detento, aut funibus ligato, quos nec rumpere valet, nec solvere: & hæc dicuntur impedimenta actus primi, seu potestatis ad actum, & omissionem: ac dum his afficitur potentia, nullum in ipsa est exercitium liberum. Impedimenta denique actus, vel omissionis illa sunt, quæ supponunt plenam ad utrumlibet potestatem, & illam juxta suum modum ad aliquod libertatis extremum determinant, v. g. ad actum, seu exercitium positivum. Verum hæc potiori ratione expedita dici debent potestatis, quia illam à potentialitatis vinculo expediunt, & ad liberum exercitium reducunt, tametsi in quantum voluntatem determinant ad actum, ratione ejusdem actus reddant omissionem consequenter impossibilem.

10. Quo posito ad argumentum respondetur negando antecedens: ad probationem, vel negetur, prædeterminationem esse impedimentum verè, & propriè omissionis, etsi cum illa sit incomponibilis, cum potius sit potentia expeditum potentialitatis vincula solvens, & tollens suspensionem: neque consensus propriè dicitur impedimentum distensus, etsi cum illo sit incompossibilis; ut rectè observat M. Bolivar de provident. Dei, §. 3. num. 31. dicens: *An autem imprædeterminatus debeat dici impeditus ad actum, necne? Potest esse questio fortè de nomine; mihi videtur dicendum, non esse impeditum: quia carentia prædeterminationis non excludit potentiam ad actum, nec ratione sui excludit actum, cui immediatè non opponitur; & licet inferat exclusionem, & carentiam actus, infert illam à creatura liberè, & imputabiliter ponendam: impedire autem aliquem actum est excludere potentiam ad actum, vel inferre exclusionem, & carentiam ab altero liberè non ponendam.* Vel, ne contentio sit de voce, distinguatur major: est impedimentum, quia reducens ad exercitium, & extremum alterum libertatis, conc. maj. est alterius generis impedimentum, neg. maj. Vel aliter: est impedimentum præcisè omissionis, conc. maj. est impedimentum potestatis ad omissionem, neg. maj. Physica enim prædeterminatio, cum superveniat potestati adæquatè constitutæ, subordinat quidem potentiam Deo in ipso libertatis exercitio; cæterum non magis obstat libertati, quàm ipse actus liber, quia provenit à potestate Dei, in qua magis, quàm in nobis libertas nostra continetur; unde operatur in nobis juxta libertatem nostram. Nec officit, quòd ipsa sit

infallibilis, & inimpedibilis, ex hoc enim solum sequitur, quòd actus infallibiliter erit. Est ne contraria infallibilitas libertati? Non credo, quemquam dicturum. Immo inde illi consentanea evidenti ratione probatur, quòd infallibilis veritas liberi actus sine libertate esse non potest. Consequenter ad hæc distinguo minorem: potentia infallibiliter impedita ad non agendum, non potest non agere, si sit impedita impedimento verè, & propriè tali, vel impedimento actus primi, & potestatis, conc. min. Si impedimentum non sit verè, & propriè tale, sed solum se tenens ex parte actus secundi, supponens proinde totam libertatis constitutionem, neg. min. & consequenter. Hic maximè animadvertit lector, me non admittere vocem illam *inevitabiliter* in argumento expressam, quam fateor apud aliquos minus exactè in hac parte loquentes aliquando inveniri. Improprissima est, & ejus rigor à nostra, communique nostrorum sententia omnino alienus; ut optimè notavit sapientissimus ille M. Fr. Hieronymus Perez, quem Eminentiss. Card. Cienfuegos summis laudibus prosequitur in Vita S. Francisci à Borgia lib. 5. cap. 6. §. 1. Egregius ergo iste ex Redemptorum Ordine B. Virginis de Mercede, S. Thomæ discipulus, à quo primum Magistro sapientiam ehibisse Societatem Jesu, laudatus Eminentiss. ibi aperto ore prædicat; quod etiam in laudem, & æternum FF. Prædicatorum, & æternum decus scribit Sacchinus lib. 7. num. 92. PP. Societatis Vallisoleti (& alibi) usque ad annum 1563. sub Patribus S. Dominici Theologiæ operam dabant: hic in Commentariis ad 1. p. q. 22. art. 4. §. Tertium dubium, verissimè æquè, ac brevissimè remotam monet à sententiis nostris vocem illam *inevitabilis eventus*, seu *inevitabiliter evenire*. Et quidem causa est manifesta; quia *inevitabile* fatalem significat necessitatem, præoccupantem exercitium libertatis. Unde eventus, qui præter libertatem nostram accidat, quemque coarctantem libertatem nostram patiamur; hac ratione erit inevitabilis, inducetque necessitatem antecedentem. Non sic se habet physica prædeterminatio; nam ipsa præter libertatem nostram non est; cum idè sit, ut per liberum exercitium perficiatur libertas. Undè & actus ejusdem præmotionis sine libertate nostra nec est, nec potest esse. Ideoque tota necessitas est consequens; consistit enim in ipsa actione libera, quæ infallibili quidem veritate sequitur Dei motionem; nulla tamen causæ, aut voluntatis necessitate. Et idè S. Thomas 1. 2. q. 112. art. 3. in corp. utitur voce *infallibiliter*, de hac ipsa re agens; nunquam verò dixit *inevitabiliter*. Itaque termini *infallibile*, & *infallibiliter* in his materiis propriissimi sunt; *inevitabile* verò, & *inevitabiliter* improprissimi. Quod notandum credidi, ut omnis amoveatur pernicioosa hallucinatio, & animadvertatur, doctrinam istam non novam, sed veterem, & concertatio-

tionibus istis antiquiorem in Schola nostra esse, animadversam ab Auctore isto ipsis PP. Societatis probatissimo.

11. Ad primam probationem illius majoris nulla est paritas: nam vincula, à quibus se homo nequit expedire, impedimentum afferunt non qualecumque, sed potestatis, & actus primi: unde non dant aliquid libertatis exercitium; immò quies hominis ligati non solum non est libera, sed plerumque violenta: nam contra voluntatem hominis à suo dominio subtrahunt vincula potentiam loco motivam; potestas autem libera ad ambulandum requirit pro constitutivo, quòd potentia loco motiva, & membra, quibus exerceri debet motus, subjecta sint dominio voluntatis, quòd dominium vincula impediunt. Quare impediunt per se, primò, & directè potestatem, mediatè verò, & indirectè exercitium libertatis. At verò physica prædeterminatio nullum principium constitutum libertatis extrahit à debito usu liberi arbitrii, sed omnia illa præsupponit, scilicet auxilium sufficiens, & iudicium indifferens, quibus suppositis, ipsa superveniens fortiter Deo subjicit arbitrium, & suaviter voluntatem juxta suum modum in actum determinat. Et fanè, quòd nulla sit paritas, perspicuum erit observantibus, prædeterminationem non immediatè opponi omissioni, sed mediante actu elicitò à voluntate prædeterminata: ex quo fit, quòd prædeterminatio non tollit à voluntate rationem voluntarii liberi in omissione, cum sequatur ista est actu voluntario, ac voluntariè, liberè elicitò. Sic D. Paulus Actor. 20. *Alligatus spiritu ibat in Jerusalem*: quia nempe gratia efficax voluntatem determinando, agebat ipsum, ut prædicatione Evangelii implet ministerium suum. Sic & Deus Israelitarum corda adduxit, ut Davidem Regem constituerent: *Numquid*, dicit Augustinus de corrept. & grat. cap. 14. *corporalibus ullis vinculis alligavit? Intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit*. Et rationem assignat, *quia Deus magis habet in potestate sua voluntates hominum, quàm ipsi homines suas*. Hæc ergo gratiæ vincula non libertatem destrunt, sed perficiunt. Sunt efficacia; sed ut inquit Augustinus Epist. 39. *Non sunt dura, quia dulcissima; nec mollia, quia firmissima*. E contra verò corporalia vincula non solum auferunt rationem liberi ab omissione deambulationis, sed etiam rationem voluntarii, cum plerumque concatenatio violenta sit, & à principio extrinseco, passo positivè resistente: & cum voluntarium vel sit genus, vel fundamentum libertatis, illo sublato, non potest manere libertas. Quid ergo mirum si vincula ista libertatem auferant? Quid rursus mirum, si ab impedimento vinculorum ad expeditum prædeterminationis nulla à Thomistis agnoscat paritas? Maximè cum ligamen non solum extrahat membra à do-

minio voluntatis, verum & auferat iudicium, quo motus possit proponi, ut conveniens, & ut hic, & nunc practicè possibilis.

12. Secunda probatio non majori dissolutione eget. Ratio illa est sufficiens, non tamen adæquata. Stat enim libertas amoris, non solum, quia vitari potest, sed quia cum prædeterminatione nobis non liberæ, & ipsam infallibiliter inferente; ac subindè in existendo, & ut *quod* necessaria, remanet expedita potestas ad omissionem amoris. Stat enim, quòd sit in potestate voluntatis ommissio amoris, quin possit ad non esse prædeterminationis, quæ solum existit pro nutu Dei. Et ex hoc ipso ad tertium dicimus: si id, quòd est non liberum voluntati, & illi necessarium in existendo, quia illius dominio non subditur quoad existentiam, liberum sit *ut quo*, quia est activa reductio, & subordinatio potentia liberæ, illam juxta suum modum determinans ad proprium exercitium libertatis, qualem Thomistæ prædeterminationem autumant, id, inquam, libertatem minimè destruit, sed fovet potius, & perficit. Quid autem quaeritur quo aptius medio possit tolli libertas, quàm physica prædeterminatione?

13. Pro tuenda salute multorum, & quorundam etiam perveris sensibus corrigendis, respondeo quòd jam aliàs monui, maximum fuisse inter Pelagium, & Calvinum discrimen, etsi firmissimè assenserint huic propositioni: *gratia per se efficax tollit libertatem*. Etenim Pelagius in ultimo suæ hæreseos statu, admissò auxilio sufficiente, quo Deus adjuvat possibilitatem boni operis, & auxiliis gratiæ moraliter attrahentis per cogitationes representantes convenientiam præmiorum, quæ Deus benè agentibus pollicetur, & incommoda poenarum, quas committatur, his, inquam, admissis, quibus arbitrium creditur constitui proximè potens ad actum, & omissionem, auxilium illis superadditum, & inconjunctibile cum malo opere negavit, quia per illud putavit destrui libertatem. In quo turpiter erravit ipse, ut adversus illius nefariam hæresim superius annotavimus. Calvinus verò, quem malitiam illius consequentiæ videtur non latuisse, ut gratia efficaci libertatem destrui defenderet, duos alios præsupposuit errores, ex quibus primum posset suadere apparenter. Primus talis erat: *Auxilium præventis gratiæ, quo Deus facit, nos facere, est ita movens efficaciter voluntatem, ut nullum sit aliud excitans moraliter, seu moraliter etiam attrahens*. Ita ille lib. 2. Instit. cap. 3. §. 10. lib. de grat. & liber. arbit. cap. 11. Secundus: *Omne auxilium, prout venit à Deo, efficax est, & nullum tantum sufficiens*: qui errores damnati sunt à Concilio Tridentino sess. 6. de justificat. cap. 5. Ex quibus liberi arbitrii destructionem arguebat, conclusionem inferens hæreticam ex præmissis ab Ecclesia Catholica reprobatis. Hoc totum semper Schola Thomistica detestata est: hoc sem-

semper exhorruit, & in suis scriptis positivè condemnat. Ut Thomistæ Pelagium debellant, negant, stantibus auxilio dante potestatem, & iudicio indifferente, posse auferri libertatem per auxilium infallibiliter connexum: unde consequenter negant consequentiam Pelagii, quam pessimam, & damnabilem consentitur. Negant similiter præmissas, seu positiones relatas, vel caduca Calvinii consequentia fundamenta, unde ejusdem consequentia ruit; atque asserunt, quòd posito auxilio dante potestatem, quòd debet esse indifferens, & stante iudicio indifferente, voluntas non potest necessitari antecedenter, quæ sola necessitas destruit liberum arbitrium. Hoc sat nobis est, & hoc sat etiam semper erit ad utriusque errorem falsitatis arguendum, sicut & manifestæ falsitatis, & pessimæ calumniæ omnes, qui hanc Thomisticam prædeterminationem cum prædeterminatione Calvinii toties ab Ecclesiâ, ut destructiva libertatis anathematizata, confundere velint; & contra Jansenistas omnes, qui hanc Calvinii heresim clanculo velamento occultatam disseminare pergunt.

14. Ad primam confirmationem dicimus, requisisse Pelagium ad salvandam libertatem liberi arbitrii, talia esse constitutiva potestatis liberæ, quæ nos possumus vertere in malum. Ex quo intulit, nostrum esse, quòd benè agimus, non Dei, nisi quatenus contulit benè agendi potestatem, qua data, omnia esse nostræ voluntati derelicta; quòd non arbitror, nec usquam credam, dici ab Auctoribus nobis in hac parte contrariis. Verùm id probare videtur, si quid probat hæc confirmatio, qua contenditur, requiri ad salvandam potestatem liberam talem potentiam, quæ positis omnibus quomodolibet requisitis ad agendum valeat cum illis omissionem conjugere, quòd est posse nos omnia vertere in malum. Quare nego suppositum majoris: non enim motio Dei est impedimentum, sed expeditum, ut dictum est. Nec necessarium est ad libertatem Deo subjectam, quòd cum ejusdem motione possit voluntas conjugere carentiam actus, sed quòd possit carentiam actus ponere, nam non habet libertatem supra actus Dei, sed supra suos. Sicut autem quòd stante odio, non possit amare, non importat impotentiam antecedentem, sed consequentem, ita quòd stante præmotione ad actum non possit cum illa componere negationem actus, non probat impotentiam antecedentem, sed consequentem, consistentem formaliter in ipso actu, licet illatam infallibiliter ex motione Dei. Coeterum jam diximus, libertatem non tolli per antecedentem infallibilitatem, sed per antecedentem necessitatem.

15. Ad secundam confirmationem fateamur, quòd si amor esset necessarius, potentia illius elicitive non esset libera; nec enim à potentia liberâ, ut libera, egredi valet actus

necessarius; quòd non minus repugnat, quàm quòd sit ab intellectu volitio, vel à voluntate intellectio. Ut autem potentia de se libera libertatem amittat, necessarium est, ut deficiat aliquod principium constitutivum potestatis liberæ. Sic Beati propterea Deum necessariò amant, quia illum sibi proponunt amandum, non quidem per iudicium indifferenter representans convenientiam objecti, quo iudicio constituitur potestas libera, sed per iudicium omninò determinatum de convenientia objecti rapientis propterea in sui amorem voluntatem, quo excluditur iudicium indifferens libertatis constitutivum, & impossibile redditur. Sic & unio hypostatice est incomponibilis in Christo Domino cum libertate peccandi; quia repugnat cum potestate ad peccatum; cum suppositum Divinum constituat posse ut quod ad omnes actiones humanitatis unitæ, reddatque humanitatem infinitè sanctam. At physica prædeterminatione non se tenet ex parte actus primi, sed supervenit potestati liberæ simpliciter, & adequatè constitutæ; non destruit, sed complet auxilium sufficiens, & componitur cum iudicio indifferente: undè licet tollat indifferentiam suspensionis, rumpatque vincula potentialitatis, indifferentiam tamen potestatis, & dominii creati minimè aufert.

16. Ad tertiam, quam subjiciunt confirmationem, respondetur, quòd sicut actus liber voluntatis creatæ pendet à Deo, & à voluntate; ita destructio illius, sive ommissio ab iisdem causis dependet; sed à Deo ut à causa prima in efficiendo; à voluntate autem humana, ut à causa in hoc genere secunda. Itaque sive agat, sive omittat voluntas nostra, semper est sub dominio Dei, ac liberè actum ponit, & liberè omittit. Neque ad hoc requiritur, quòd possit conjugere omissionem actus cum prædeterminatione ad actum; aut actum cum negatione prædeterminationis. Hoc enim non esset solum agere, aut omittere; sed etiam id prima, & independenti libertate facere. Cujus ratio est; quia prædeterminatione ad actum non est formalis exclusio omissionis, sed est principium infallibilis illationis actus excludentis formaliter omissionem. Cum autem antecedens infallibilitas non sit antecedens necessitas, sequitur, quòd tota necessitatis ratio sit consequens. Similiter in omissionibus, licet subtractio præmotionis inferat omissionem infallibiliter; ratio tamen formalis, quare hic & nunc repugnat actus, non est quia deficit motio; sed quia adest ommissio: & inde similiter impotentia actus est consequens. Uno verbo: ad libertatem nostram non pertinet dividere, aut non dividere actum à prædeterminatione, sive à negatione ejus, aut componere, sive non componere omissionem cum eadem, aut cum negatione ejusdem; sed tantum est libertatis nostre posse ponere actum, aut illum omittere, quem si ponat, erit in re cum præmotione com-

compositus; si omittat, erit ommissio à præmotione divisa, divisione faciendâ à Deo. Sicut ad libertatem obedientiæ Christi circa mortem, non pertinet componere, aut dividere mortem à præcepto, aut ejus negatione, sed admittere, aut non admittere mortem; quam si admittat, erit in re conjuncta cum prævio præcepto; si verò omittat, erit in re ab illo divisa mortis negatio, divisione quidem faciendâ, non à voluntate humana Christi, sed à voluntate Dei: hoc enim est proprium secundæ libertatis impeccabilis; sicut illud est proprium absolutè secundæ libertatis, etiam peccabilis.

17. Quia verò diximus, voluntatem nostram, etiam omittendo esse dependentem à Deo, & sub ejus dominio, operæ pretium erit id paulò amplius explicare, ne quisquam putet, æquè esse causam omissionum nostrarum negationem prævii concursus, ac est causa actuum ejusdem concursus præventio. Quare maxime observandum, quòd semper est falsa in sensu rigoroso, & formali hæc propositio: *Idèd non existit actus liber, quia Deus non concurrat præviè; quamquam bona illatio sit; Deus non concurrat præviè: ergo non existit actus liber.* Est autem vera in prædicto formali sensu hæc: *Idèd non existit actus liber, quia liberum arbitrium defectuosum est, & deficit à perfectione operandi:* nam quòd accidit creaturæ secundum defectum, nullo modo reducitur in Deum, sed omninò in non esse creaturæ, tanquam in primam radicem, & principium. Quare licet creatura omittens subdita sit Deo, non tamen subjicitur Deo formaliter per ipsam omissionem; non enim habet ex Deo, quòd omittat, sed ex se. Quòd evidenter deducitur ex doctrina D. Thomæ superius tradita disp. 2. dub. 1. §. 1. num. 1. juxta quam subjectio physica creaturæ consistit in participatione Divinæ bonitatis; per negationem autem nihil est nobis participationis hujusmodi; quinimò est negatio actionis Dei, per quam ipsam participamus. Manet tamen creatura omittens subdita Deo triplici subjectione, quam ibidem explicuimus; scilicet secundum legem, aut morale dominium, sub quo semper est constituta, licet à lege deficiat: secundum providentiam; quia etiam omissiones à Divina Providentia ordinantur in finem: secundum actionem; quia potest Deus pro suo dominio liberum arbitrium movere, aut non movere: nimirum quòd Deus nolit voluntate consequenti, hic & nunc creaturam sibi per actionem subjicere, aut subordinare, est etiam exercitium dominii physici Dei. Quòd verò non subjiciatur Deo per actionem, non est ex Deo, sed ex ipsa creatura; nam idèd non subjicitur, quia ex se habet non subjici: & idèd Deus illam sibi non subordinat, quia non vult tollere à creatura, quòd illa habet ex se. Et dominium physicum circa creaturam, in quantum operativam, consistit in eo, quòd

Deus pro arbitrio suo potest illud tollere, aut non tollere, quòd ex se habet creatura; nempe, illud deficere: seu, ut proprius loquamur, potest ponere, aut non ponere in creatura participationem sui, quam ex se creatura non habet, dando, aut negando indebitum concursus; id est non conferendo quòd ex sua bonitate confert, quia vult, & Dominus est: & in hoc dominium physicum ejus supra actiones creaturarum consistit.

18. Consonat hæc doctrina apprime Theologicis veritatibus, secundum quas Deus neminem deserit, nisi prius deferatur. Dum enim quis omittit facere, quòd tenetur, ut resistere tentationibus, deficit; at defectus incipit ex ipso, nullo modo ex Deo. Poterat quidem Deus etiam deferentem non deserere, & efficaci gratia juvare; propter quòd diximus supra num. 16. divisionem gratiæ efficaciæ semper esse faciendam à Deo: & hæc est ratio dominii ejus; nam pro absoluta arbitrii sui ratione juvat, aut non juvat deferentem. Si tamen non juvat, ommissio deferentis nulla causalitatis ratione reducitur in subtractionem adjutorii, sed omninò in liberum arbitrium deficiens. Unde egregie S. Thomas 1. 2. q. 112. art. 3. ad 2. *Dicendum,* ait, *quòd defectus gratiæ prima causa est ex nobis; sed collationis gratiæ prima causa est à Deo secundum illud Osee 13. Perditio tua ex te Israel, tantummodò in me auxilium tuum.* His immorari opportunum duxi; est enim doctrina hæc ad rectam intelligentiam tractationum de gratia, & libero arbitrio admodum necessaria. & ad solvendum plurima argumenta satis difficilia.

§. II.

An prædeterminatio excludenda sit ex eo, quòd potestas ad omissionem non sit potestas ad non esse prædeterminationis?

19. **A**Dhuc insurgunt Adversarii, ut prohibent, quòd si non est in libero arbitrio potestas ad non esse prædeterminationis, nec est potestas ad omissionem. Primò sic: qui non potest facere, quòd hic, & nunc non sit impossibilis ommissio, non habet potestatem ad ponendam omissionem: sed qui facere non potest, ne sit prædeterminatio actus, non potest facere, ut hic, & nunc non sit impossibilis ommissio, quam prædeterminatio impossibilem reddit: ergo qui non potest facere, ut non sit prædeterminatio, non est potens ad omissionem. Secundò: non est potens ad omissionem actus, qui non est potens facere, ne actus fuerit, aut sit infallibiliter futurus: sed qui non est potens facere, ne existat prædeterminatio, non potest facere, ne actus fuerit, aut sit infallibiliter futurus, quia infallibilis fu-

turritio actus in prædefinitione consistit: ergo idem quod prius. Tertio: qui potest tollere actum, cum quo prædeterminatio, seu prædefinitio connectitur, potest etiam prædeterminationem, seu prædefinitionem vel impedire, vel destruere: sicut qui posset tollere possibilitatem creaturarum, posset quoque destruere omnipotentiam: & si posset aliquis destruere filiationem, posset etiam paternitatem destruere; evidens namque est hoc principium, quod libertas impediendi terminum alicujus connexionis est libertas impediendi ejusdem connexionis fundamentum: sed qui potens est ad omissionem, seu non esse actus, potens est tollere actum, cum quo prædeterminatio, aut prædefinitio connectitur: ergo & poterit tollere prædeterminationem.

20. Si dicatur, potentiam ad omissionem, five ad non esse actus prædeterminati, qui est terminus illius necessariæ connexionis, esse potentiam secundam, non primam, de qua solum vera est major assumpta, non tamen de potentia agentis Deo subordinati in omnibus suis exercitiis; contra instant exempla posita: etenim qui potest destruere filiationem per potentiam agentis creati, potest destruere paternitatem, ad cuius destructionem nihil obstat, quod potentia destruens filiationem sit ordinis creati. Similiter qui posset destruere possibilitatem creaturarum, per illammet potentiam, qua id posset, omnipotentiam quoque destruere posset: ergo per illam ipsissimam potentiam, qua aliquis constituitur potens destruere terminum essentialis connexionis, potest etiam essentialis connexionem, & illius extremum impedire, vel destruere: ergo, ut consequenter procedamus, eandem potentiam debemus admittere in libero arbitrio ad non esse prædeterminationis, quam ponimus ad omissionem, seu non esse actus.

21. Hæc nova est argumenti formula; non verò novum argumentum; nimirum ipsa hæc est difficultas, quæ premit humanam rationem, five cui si succumbat humana ratio, nescio quid mysterii in toto prædestinationis, & gratiæ ordine manere possit. Igitur concedamus integrum argumentum, & manifesta consequentia habebitur, omnem divinam intentionem, electionem, media à nostro dependere arbitrio, nosque gloriæ, & gratiæ habere potestatem, ne detur aliquid antecedens determinationes nostras connexionum infallibiliter cum ipsis. Igitur dummodo non probent, ut certè non probabunt, antecedentem infallibilitatem esse antecedentem necessitatem, argumentum istud robore carebit; quia, ut sæpè diximus, motio Dei efficax infert infallibiliter actum voluntatis liberum, nullamque imponit necessitatem. Ideo ad argumentum, servata forma Syllogistica, ommissa majori, quæ explicari debet de potestate secunda, & dependenti, negan-

da est minor: nam ommissio non redditur impossibilis ratione motionis, sed ratione actus, licet infallibiliter illati ex motione Dei. Possibilitas autem omissionis non excluditur per antecedentem infallibilitatem actus, sed excluderetur per antecedentem necessitatem. Nunc autem in sensu composito actus excluditur per ipsum actum liberum voluntatis: & quod componi non possit cum prædeterminatione ad actum non provenit formaliter à prædeterminatione, sed ab actu ipso libero, cujus libertas non tollitur per infallibilem illationem ejus à prædeterminatione, ut dictum est; ideoque hæc propositio: *Prædeterminatio ad actum reddit impossibilem omissionem*, à nostris exponitur de impossibilitate consequenti; quia antecedenter nulla invenitur ratio impossibilitatis, sed tantum infallibilitatis: nempe positæ motione Dei est infallibiliter verum, quod non dabitur ommissio; sed tamen nulla est necessitas, ut non detur; quia similiter verum est, quod actus illam excludens erit liber.

22. Ad secundam neganda est major, quæ cum tota Theologorum antiquitate pugnat. Nemo enim, quem sciverim, ex antiquis Theologis putavit, infallibilem actus futuritionem pugnare cum ejusdem libertate: immo illis, qui aut providentiam, aut libertatem errantes negarunt, constanter opposuerunt semper, aliud esse eventum infallibilem, aliud necessarium; quoniam etiam de futuris liberis infallibilitas præcessit. Unde infallibile fuit ex intentione efficaci Dei, quod Christus perhibiturus erat testimonium veritati, cum ipse Dominus dixerit: *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in Mundum.* Joann. 18. 37. & tamen liberè illud perhibuit testimonium. Quis ergo dicet: non liberè fecit, quia infallibiliter erat futurum id, in quod natus fuit, & facere non poterat, ut non esset futurum? Apage Sophistarum nugas à rebus gravissimis, & quarum veritas non humanæ mentis chimeris, sed divinis innititur testimoniis.

23. Similiter ad tertiam dicimus, eodem claudicare pede. Quæramus ab Adversariis, an gratuita Dei electio ad gloriam connectatur cum perseverantia finali? Et ubi aserant; utantur contra se hoc eodem argumento, quo probabunt, posse homines destruere summum illud divinæ libertatis exercitium, donandi quibus voluit, & quia voluit gloriam suam, quia perseverare finaliter liberum est. Scio eorum recursus ad scientiam mediam. Duo tamen irrefragabilia dico. Aliud quod non ita recurrent, ut excludant liberam donationem Dei, in qua est nostri argumenti vis; aliud quod cum hæc veritas fidei sit, debilis nimium est scientiæ illius cogitatio, ut illam ei credamus. Nos autem hoc solum dicimus, quod necessariò dicendum credimus; scilicet infallibilem antecedentem futuritionis veritatem non inducere necessita-

S. III.

An removenda sit Præmotio physica ex eo quod voluntas libera non possit impedire complexum ex prædeterminatione, & actu?

26. **E**N molestum argumentum, quod novis semper formulis, semper idem, sub hac præcipuum computatur, intendendo, quod ex impotentia impediendi complexum ex prædeterminatione, & actu, non detur in voluntate potestas, ut non existat actus. Quod ita arguentium judicio demonstratur. Petrus est necessitatus ad illud complexum: ergo est impotens ad non esse illius, seu ad faciendum, quod non existat: sed si non potest facere, quod non existat complexum, constans ex prædeterminatione, & actu, non potest facere, quod non existat actus: ergo actum non ponit liberè. Major probatur: Petrus est necessitatus ad unum ex his complexis vagè; vel ad complexum ex decreto, seu physica prædeterminatione, & actu constans, vel ad complexum constans ex carentia physiciæ prædeterminationis, & carentia actus: nam implicat ex terminis carere utroque complexo, & quod Petrus sit sub aliquo illorum; alioquin posset utrumque contradictorium à rerum natura deficere: sed Petrus in casu posito necessariò caret complexo constante ex carentia prædeterminationis, cum non habeat in sua potestate ponere complexum, quo caret: ergo est necessitatus ad alterum complexum constans ex prædeterminatione, & actu. Hæc consequentia est evidens: nam qui est necessitatus ad unum ex duobus extremis vagè, & necessariò caret altero, necessariò habet alterum. Sicut necessitatus ad amorem, vel odium vagè, si necessariò caret amore, necessariò elicit odium. Minor probatur: ut quis sit potens ponere complexum, quo caret, debet esse potens ponere utramque partem; sed Petrus non est potens ponere utramque partem complexi illius, quo caret, cum non possit ponere carentiam prædeterminationis: ergo non est potens ponere complexum illud.

27. Secundò: Petrus impotens ad non esse complexi constantis ex physica prædeterminatione, & actu, est necessitatus ad illud, cum sub illo existens, sit impotens ad non esse illius; sed necessitatus ad illud est necessitatus ad actum; cum necessitas complexi sit necessitas utriusque partis: sicut Petrus non potest esse necessitatus ad ponendum hominem, si in sua potestate non habet aliquam hominis partem, v. g. animam, eò quod, ut sit homo, utraque pars essentialiter requiritur: ergo Petrus impotens ad non esse complexi constantis ex prædetermina-

fitatem futuri; immo infallibiliter erit liberum, quia infallibilis veritas antecedens est de futuro libero.

24. Hinc ad argumentum neganda est major, vel ita explicanda, ut de connexionione necessitatis antecedentis concedatur, de connexionione verò antecedentis infallibilitatis negetur. Unde exempla extranea sunt; quia, possibilitas creaturarum supponit necessitatem antecedentem omnipotentia: undè & necessariò possibiles sunt; cum nihil sint, nisi omnipotentiam posse, & necessarium sit posse omnipotentiam. Hoc autem non est infallibilis tantum, sed & necessaria ex omnipotentia possibilitas. E contra verò ex prædefinitione, & efficaci gratia infallibilis est, sed non necessaria, futuri actus existentia. Idem dic ad exemplum de filiatione, quæ non tantum infallibilitate, sed naturali necessitate Paternitatem consequitur.

25. Replicatio argumenti, supposita distinctione inter libertatem primam, & secundam, quam & nos supra innuimus, non majorem vim habet: aggrediamur ergo illam responsionis inspectionem, quæ quantum ad doctrinæ substantiam minimè ab expositis differt. Nam tota ratio, ob quam determinatio Dei reddit quidem infallibilem actum voluntatis nostræ, non tamen reddit illum necessarium, non alia est, nisi quod primi liberi est determinare necessaria, & libera; liberi verò secundi est liberè facere, quod primum liberum infallibiliter faciendum determinavit. Ideo ad exempla dico, dupliciter deficere. Primò; quia, ut dictum est, Paternitas respectu filiationis, & omnipotentia respectu possibilitatis important antecedentem naturalem necessitatem, & non tantum antecedentem infallibilitatem. Actus verò nostri respectu prædefinitionis, & motionis Dei è contra; cum præmotione Deus ita liberos actus nostros inferat, ut necessitatem non imponat. Cui veritati solum existimo refragari posse, qui comprehendens Dei virtutem, aliter sentiat; aut qui existimet, infinitam illam virtutem suis rationibus concludi; ut nihil amplius Deus possit, præter id, quod humana ratio suadet. Deficiunt insuper exempla secundò; quia in comparatione potentia ad destructionem omnipotentia, aut Paternitatis, nulla supponitur superior libertas, cui, in ejusmodi per hypotheseim excogitatis destructionibus, potentia illa subordinaretur. A libertate autem independenti, & non subordinata ad subordinatam, & dependentem, ut talem, nulla fieri potest legitima argumentatio.

tione physica, & actu, est necessitatus ad actum.

28. Tertiò: impotens ad non esse complexi constantis ex prædeterminatione, & actu, est necessitatus ad non habendum complexum constans ex carentia prædeterminationis, & carentia actus: sed necessitatus ad non habendum complexum hoc, est necessitatus ad non habendam carentiam illius: tum, quia necessitatus ad non habendum complexum illud, est necessitatus ad non habendam utramque partem illius: tum, quia necessitatus ad habendum complexum est necessitatus ad utramque partem: ergo necessitatus ad non habendum complexum est necessitatus ad carentiam utriusque partis: sed altera pars est carentia illius: ergo est necessitatus ad carentiam carentiæ actus, & consequenter ad actum.

29. Quartò: Petrus est necessariò sub aliquo ex his complexis: vel enim est prædeterminatus, & consentit: vel non est prædeterminatus, & non consentit, quod est omninò necessarium: sed in casu posito Petrus necessariò caret complexo constante ex carentia prædeterminationis, & carentia actus, quia est impotens ad habendum prædictum complexum: ergo necessariò habet alterum: sed necessitatus ad complexum est necessitatus ad utramque partem: ergo est necessitatus ad actum, qui est altera pars.

30. Quintò: Petrus non liberè conjungit actum cum prædeterminatione actus; ergo est antecedenter necessitatus ad actum. Probat antecedens: Petrus est necessitatus antecedenter ad hoc complexum, *existit prædeterminatio cum actu*; cum existens sub prædeterminatione sit antecedenter necessitatus ad istud, *existit prædeterminatio actus*, & non existit sine actu; non enim unum quoad significatum distinguitur ab alio: sed ad hoc secundum est antecedenter necessitatus; nec enim in ipso est potestas evitandi, vel primam partem complexi, scilicet, *existit prædeterminatio*, vel secundam, & non existit sine actu, cum prædeterminatio sit essentialiter connexa cum actu: ergo Petrus prædeterminatus ad actum est antecedenter necessitatus ad hoc complexum, & consequenter non liberè conjungit.

31. Sextò: Petrus prædeterminatus est simpliciter necessitatus ad hoc, ut vel ei deficiat prædeterminatio actus, vel existat complexum ex prædeterminatione actus, & actu; cum metaphysicè repugnet, quòd existat sine actu; sed simul est simpliciter necessitatus ad hoc, ut ei non deficiat prædeterminatio, cum sit antecedenter impotens ponere carentiam prædeterminationis: ergo est simpliciter necessitatus ad complexum ex prædeterminatione actus, & actu. Consequentia constat; etenim necessitatus simpliciter ad hoc, ut detur unum è duobus; si non est necessitatus simpliciter, ut detur determinatè unum ex

illis, simpliciter necessitatus manet ad alterum.

32. Septimò: hæc disjunctiva in Petro prædeterminato fuit necessariò vera: *vel deficit mihi prædeterminatio, vel pono actum*; sed supposita prædeterminatione est falsa: prima pars, videlicet quòd deficiat prædeterminatio: ergo supposita prædeterminatione actus, est necessariò vera secunda pars talis disjunctivæ, *pono actum*: cum veritas necessaria propositionis disjunctivæ consistat in veritate necessaria alicujus ex partibus ipsius disjunctivæ: ergo non fuit liber in positione actus.

33. Doctrinam argumenti falsissimam, judicant omnes Thomistæ, cum ex illa plura intolerabilia sequantur incommoda veritati. Nam si aliquid ex iis, quæ ex parte Dei necessariò prærequiruntur ad actum liberum voluntatis creatæ (ut liberalis ejus voluntas, qua dona sua facit merita nostra, aut intensa accensio cordium, & dona charitatis ad vehementiorem dilectionem) non est subjectum nostræ voluntatis dominio, de illo idem sit argumentum. Et claritatis gratia ponamus, quòd illud ex parte Dei necessariò ad actum requisitum, & nobis non subjectum, sit, aut vocetur A: tunc sic argumentor: Petrus non potest facere, quòd non existat complexum constans ex A, & actu: ergo non potest facere, quòd non existat actus: ergo actum non ponit liberè. Planè hujus argumenti antecedens, & consequentiæ eisdem rationibus suaderi possunt, & debent, quo antecedens, & consequentiæ argumenti nobis objecti dicuntur à contrariis demonstrari. Cum ergo hoc nostrum argumentum sit fallax, & purum Sophisma, si re vera aliquid requiritur ad actum dominio voluntatis non subjectum, ut contrarium argumentum apparentiam habeat, necessariò præsupponit, nihil esse ad actum, etiam ex parte Dei, necessariò requisitum, quòd non sit subjectum determinationi, & dominio voluntatis creatæ. Sed quid si vertamur ad antiquas PP. concertationes? Non enim aliud contra nos urgetur argumentum ab eo, quod Cœlestius, & Pelagius objiciebant SS. Doctoribus Hieronymo, & Augustino: quod si ipsos minimè convicit; nec nos usquam illo convincemur. Deindè, doctrina cui nititur argumentum, supponit omnipotentiam subjectionem ad nos in concurrente, & consequenter æstimari debet purum Sophisma, quòd omnes solvere tenentur. Tertiò sequitur, quòd postquam Deus nobis contulit potestatem per auxilium sufficiens, cuncta nostræ voluntati derelicta sint. Ex quo rursus sequitur, fore Deum nostræ determinationis inspectorem, aut speculatorem, minimè verò provisorum, seu dispositorem, & elargitorem bonorum nostrorum. Quartò, quòd præter auxilium gratiæ adjutantis possibilitatem voluntatis, & actionis, hoc est, præter auxilium sufficiens, quòd in

nobis existit, etiam si nec benè velimus, nec benè agamus, admittendum minimè sit aliud gratiæ adjutorium, quòd S. Augustinus vocat adjutorium voluntatis, & actionis, quòd non existit in nobis, nisi cum benè volumus, & benè agimus, ut contra Pelagium docet de grat. Christi cap. 47. undè nec orare debemus. Quæ omnia sunt inconvenientia penitus intolerabilia.

34. Constat præterea argumenti fallacia, & nullitas ex manifestis instantiis. Et quidem primò loquendo de causis naturalibus, contingenter operantibus, itaut illarum actiones possint ab aliis agentibus naturalibus impediri, formatur instantia manifestè, quæ ad hunc Syllogismum potest reduci: causa non valens impedire complexum constans ex decreto, seu physica prædeterminatione, & arboris floritione, non potest arboris floritionem impedire: sed frigus v. g. quantumvis intensum non valet impedire complexum constans ex decreto, seu prædeterminatione, & floritione: ergo frigus quantumvis intensum non valet impedire floritionem arboris. Vel aliter: causa valens impedire floritionem arboris debet esse potens impedire omnia requisita cum floritione connexa: sed frigus quantumvis intensum non valet impedire omnia cum floritione connexa, quæ sunt ad floritionem requisita, quia nec decretum, nec prædeterminationem valet impedire: ergo frigus quantumvis intensum non valet arboris impedire floritionem. Certè quidquid ad hoc dixerint objicientes, argumenti sui videbitur esse solutio. Nam profectò requiri decretum connexum, & concursum prædeterminantem, seu determinatum à Deo, negare, ni fallor, non possunt; nec iterum negare possunt, requiri ad carentiam floritionis carentiam decreti, & concursus: & tamen frigus nullo modo ponere, aut removere & decretum, & concursum valens, potest absolutè arboris impedire floritionem: ergo falsa est major, & illius contradictoria vera.

35. Etiam instatur in causis liberis sub eadem forma, nempe in Christo Domino: cum eodem argumento probari possit, quòd fuerit antecedenter necessitatus ad complexum mortis cum præcepto illius, & consequenter ad mortem: etenim Christus erat antecedenter impotens ad carentiam complexi constantis ex præcepto mortis, & ex morte, cum fuerit ipsi antecedenter necessarius non esse complexi ex præcepto mortis, & ex morte: ergo in Christo non fuit liberum complexum ex præcepto mortis, & ex morte. Consequentia patet ratione ipsâ argumenti: quia nequit esse unum contradictorium liberum illi, cui alterum contradictorium est necessarium antecedenter. Vel aliter, & clarius: voluntas non valens impedire complexum constans ex præcepto mortis, & ex morte, non est libera in posi-

tione mortis: sed Christus erat antecedenter impotens ad carentiam complexi constantis ex præcepto mortis, & ex morte, cum fuerit antecedenter impotens ad carentiam præcepti mortis, cujus carentia erat essentialiter carentia complexi ex præcepto mortis, & ex morte: ergo liberè non conjungit mortem cum præcepto mortis.

36. Hæc sanè sufficere possunt, ut videatur, quàm debile, & inerme sit argumentum hoc. Tamen, ut objectionibus positis facilior sit solutio, ponendum primò, quòd complexa, quantum ad præsens attinet, sunt in triplici differentia. Alia conflantur ex rebus, quæ nec in suis constitutivis, nec in suis existentis ullam ad invicem habent dependentiam, ut complexum his vocibus significatum *Petrus, & Paulus*. Alia constituuntur ex rebus mutuam ad invicem dependentiam habentibus, neutra tamen est causa prima alterius, ut compositum substantiale constans ex materia, & forma mutuò inter se dependentibus. Alia denique sunt complexa, quorum altera pars ab altera essentialiter dependet, non tamen est mutua dependentia; verum pars, seu extremum dependens à parte, seu extremo independente accipit substantiam, & modum, necessitatem scilicet, contingentiam, aut libertatem, quæ sunt modi extremi, seu partis dependentis; modus enim, ut in Dialectica dicitur, est *adjacens vel determinatio*. Unde horum complexorum duplex est genus; nam aut pars posterior sequitur ex priori infallibilitate consequentiæ tantum, aut etiam necessitate, quæ dicitur antecedentis, sive consequentis. Porrò inter hæc complexa, quantum ad suum non esse, est differentia, valde notanda, quòd primi generis complexa destrui possunt, & destruantur dupliciter: primò per destructionem cujuslibet ex suis partibus, id est illorum non esse ponitur per destructionem unius partis, etiam alia remanente, sive enim solus Petrus destruat, sive destruat solus Paulus, non remanet hoc complexum *Petrus, & Paulus*. Secundò destrui possunt per simultaneam utriusque partis destructionem. Secundi generis complexa totidem modis destruantur, hoc dumtaxat excepto; quòd quia inter se mutuò dependent partes, altera adæquatè destructa, alteram destrui necesse est, nisi fortè altera loco prioris subrogetur; nam si à materia compositi substantialis omnis removeatur forma, necesse est perire materiam, quòd ad præsens nihil interest. Quando verò altera pars complexi pendet essentialiter ab altera tanquam à causa prima, & efficacissima, atque metaphysicè cum parte dependente connexa, ut accidit in complexis tertii generis; tunc destructio partis dependentis, & non esse illius præsupponit essentialiter destructionem, non esse, seu carentiam alterius partis, quæ se habet velut extremum, acti-

activum hujus dependentia. Sicut enim positio, atque existentia partis dependentis presupponit essentialiter positionem, atque existentiam partis, vel extremi, quod vocamus activum, à quo illa essentialiter dependet: ita non esse, vel destructio partis dependentis presupponit essentialiter non esse, seu carentiam alterius partis. Hæc tamen intervenit differentia in hoc genere, quod quando pars antecedens infert alteram partem necessitate consequentia, & consequentis inducit absolutam antecedentem necessitatem; quando verò illam infert necessitate consequentia, & non consequentis, sive necessitate tantum infallibilitatis, nullam antecedentem necessitatem importat: & ideo non tollitur indifferentia libertatis erga posteriorem partem complexi, licet prior libera non sit voluntati. Exemplo doctrina fiat manifesta, & ponamus complexum constans ex decreto efficaci Dei, & ortu Solis. In isto partes, seu extrema ista comparantur, ut ortus Solis sit pars dependens essentialiter à decreto; decretum verò est pars metaphysicè connexa cum ortu Solis, à quo decreto permanente ortum Solis implicat separari. Destructio istius complexi non potest incipere ab ortu Solis, sed à destructione, seu carentia, & non esse decreti; sicut positio talis complexi necessariò inchoatur à positione decreti; quia verò decretum divinum importat necessitatem consequentis, & consequentia respectu ortus Solis, nulla est creata libertas, cui subjaceat ortus Solis, & ideo in hoc complexo importatur antecedens necessitas. E contrario verò in hoc complexo: *prædestinatus perseverabit*; quia prædestinatio ordinat perseverantiam, media libertate, tota ratio necessitatis antecedentis est consequentia, aut infallibilitatis, non consequentis. Unde homo, qui non est liber ad totum complexum, est liber ad posteriorem partem complexi; cum tamen prior pars illius, neque possit esse sine secunda, neque subjiciatur humane libertati. Hoc ipsum dicimus in presenti; complexum enim ex prædeterminatione physica, & actu libero importat prædeterminationem, ut partem, seu ut extremum metaphysicè connexum cum actu connexionem infallibilitatis; actum verò essentialiter ab ipsa dependentem quoad substantiam, & modum libertatis.

37. Secundò notandum aliud maximum discrimen inter positionem, & destructionem complexi. Ut ponatur complexum, sufficit, quod ponatur secunda pars complexi, supposito, quod prima pars illius sit posita ab alia potestate, eò quod verè dicitur fieri, quod unum coexistat cum alio, dum illud ponitur, postquam hoc sit ab alia potestate. Non enim aliud dicit complexum, quam coexistentiam unius cum alia parte: ad auferendum verò complexum non sufficit auferre unam ex suis partibus, si quando illa auferatur, supponitur

altera pars ablata per aliam potestatem. Non enim intelligibilis est potestas ad tollendam coexistentiam duorum, si tantum detur potestas ad unum auferendum, postquam aliud per aliam potestatem supponitur ablatum.

38. His ita necessariis fundamentis subjectis, ad primam respondetur, distinguendo majorem: qui potest facere, quod aliqua pars alicujus complexi non sit, potest facere, quod non sit totum complexum ex illa constans, si complexum sit ex illis, quorum destructio potest indifferenter incipere à qualibet parte, Conc. maj. si illius destructio debeat inchoari à parte sibi aliam partem subordinante, neg. maj. & ad probationem distinguatur major sub eisdem terminis: qui potest facere, ne sit prædicatum constitutum alicujus rei, potest etiam facere ne sit illa res, si res illa non constet ex partibus, vel constitutivis, quorum alterum non subordinet sibi potentiam in positione alterius, transeat maj. si altera pars complexi sit ipsa activa potentia subordinatio, neg. maj. & concessa min. nego consequ. vel distinguatur consequens sub eisdem terminis. Etenim sicut potentia creata subordinatur Deo in ponendo actu, qui actus est altera pars complexi constantis ex ipso, & prædeterminatione physica; & positio complexi inchoari debet ab ipsa: quia positio complexi constantis ex causa, & effectu, à causa debet incipere; ita cum in ponenda negatione actus subordinetur Deo, non per negationem actus, sed per carentiam decreti juxta dicta num. 17. etiam pro priori ad carentiam actus debet existere carentia decreti, & prædeterminationis, cum pro priori ad carentiam effectus necessariò connexi cum sua causa debeat supponi carentia causæ.

39. Ad secundam respondetur, distinguendo majorem: est necessitatus ad illud per impotentiam auferendi partem subordinantem, Conc. maj. per impotentiam auferendi partem subordinatam, sive actum, subdividuo: per impotentiam consequentem, & in sensu composito, Conc. maj. per impotentiam antecedentem, & in sensu diviso, neg. maj. & sub eadem distinctione minoris, neg. consequ. Petrus itaque est necessitatus ad esse complexi, quia impotens est ad non esse illius: sed cum prior pars complexi sit antecedentis infallibilitatis, & non antecedentis necessitatis respectu posterioris, nulla necessitate ligatur voluntas ejus ad posteriorem partem complexi. Et ideo hæc impotentia, & necessitas non est eadem, nec æqualis respectu utriusque partis. Impotentia, quippe, quam Petrus habet ad non esse prædeterminationis, est antecedens, & absoluta, aliàs non Petrus Deo, sed Deus Petro subordinaretur in concurrente, nec Petrus operaretur ex Dominio Dei, sed Deus ex dominio Petri, quod est Deum subicere crea-

creaturæ. Necessitas verò, & impotentia ad non esse actus est consequens, quia consistens in ipso actu Petri, prædeterminatione supponente in Petro potestatem ad actum, & illius carentiam, Petrumque determinante juxta, & secundum modum agentis liberi, id est, infallibiliter inferendo, non necessitando. Vel aliis terminis potest distingui major: Petrus impotens ad non esse complexi est necessitatus ad illud adæquatè sumptum, neg. maj. ad illud inadæquatè acceptum, Conc. maj. & distincta eodem modo minori, nego consequentiam.

40. Ad tertiam (supponendo quoties hic dicitur necessarium idem dumtaxat valere, ac non liberum; non verò idem, ac non defectibile, nec idem, ac inevitabile, quale esset quod præoccupans liberum exercitium, illud non conferret, sed impediret juxta superius dicta num. 10.) constat solutio ex dictis distinguendo majorem: impotens ad non esse complexi est necessitatus ad non habendum complexum constans ex carentia prædeterminationis, & carentia actus, pari impotentia, & æquali necessitate erga utramque partem, neg. maj. impotentia, & necessitate antecedenti erga carentiam prædeterminationis, & necessitate consequenti, seu consequentia erga carentiam actus, Conc. maj. Necessitas, id est, non libertas, ad non habendum complexum, non aliam potest afferre necessitatem voluntati ad carentiam actus, nisi secundum illationem à carentia præmotionis ad carentiam actus. Illatio autem ista infallibilis est, & necessaria logicè, non physicè; nam ut supra dictum est, negatio prævii concursus nullo modo est causa negationis actus voluntatis; sed causa est ipsa voluntas deficiens. Unde ipsa liberè ponit quod suum est, id est negationem. Convincit ergo argumentum, quod sub negatione prævii concursus ponit voluntas omissionem sui actus, non ex negatione concursus, sed ex defectibili natura. Unde licet ex negatione concursus inferatur infallibilis negatio actus, non tamen negatio necessaria, sed libera; quia libertati, ut diximus, non opponitur infallibilitas, sed necessitas. Itaque complexum illud habere mihi liberum non est; sed quia ex negatione prioris extremi sequitur negatio posterioris, non necessitate causæ (quippe illa negatio non est causa istius) sed necessitate solum illationis; ideo posterior negatio non necessaria, sed libera est.

41. Ad quartam distinguo majorem: Petrus necessariò existit sub aliquo ex his complexis inadæquatè sumptis, & prout in illis importatur prædeterminatio, & carentia prædeterminationis, Conc. maj. complexis adæquatè sumptis, secundum quod includunt actum, & carentiam actus, subdividuo, pari, sive æquali necessitate ad omnia utriusque complexi extrema, neg. maj. inæquali

necessitate respectu ad illa, Conc. maj. & distincta eodem modo minori negatur consequentia ratione dicta. Nam carentia prædeterminationis caret Petrus necessitate absoluta, etenim prædeterminationem habet non liberè; carentia verò actus caret Petrus necessariò, at non necessitate antecedenti, & absoluta, sed necessitate consequenti, & secundum quid tali, quæ non opponitur libertati creatæ ad omittendum liberè requisitæ; ac subindè liberè caret carentia actus, aut omissione; quia volens ponit actum cum illa inconjungibilem.

42. Ad quintam nego antecedens, & probationem ejus. Nam ad veritatem illius complexi nulla est necessitas, nisi enuntietur conditionaliter sic: *Si existit prædeterminatio, existit actus*: qui idem sensus debet esse subinductæ ibi enuntiationis; nempe, *existit prædeterminatio; & non sine actu*. Demus autem in re purificationem conditionis ex libera Dei voluntate, ut absolutè enuntietur: *Existit prædeterminatio cum actu, aut non sine actu*. Sed adde *libero*, & videbis argumentationis fallaciam. Quia duplex confunditur ibi necessitas, alia *veritatis propositionis*, quæ est *infallibilitas*, & hæc non est libera Petro; alia *existentia actus*, quæ esset naturalis necessitas. Illa quidem datur, hæc non datur, quia actus est Petro liber. Antecedens enim necessitas veritatis propositionis, non est idem, ac antecedens necessitas actus enuntiatæ in propositione. Omnia in hac propositione simul enuntiantur: *Necessarium est* (id est, infallibile; hoc enim est necessitas veritatis enuntiatæ) *ut cum existat prædeterminatio, existat actus liber prædeterminatus*. Ecce simul necessitatem, quam probat argumentum, cum libertate, quam defendimus, nulla terminorum contradictione. Sed & ecce puerile Sophisma potiùs, quam argumentum. Si velis uti formali terminorum solutione dic: est antecedenter necessitatus quantum ad veritatem enuntiationis, concedo: quantum ad existentiam actus, nego. Et retorque sub hac forma: *Prædestinatio existit, & non sine perseverantia finali*, est complexum, cujus veritas non est libera Petro; quippe enuntiatum connexio æternæ veritatis: ergo Petro non est liberum perseverare: ergo potest alicui antecedens esse non liberum, quin sit ipsi necessarium consequens illius antecedentis. Hoc in suis principiis etiam fateri tenentur Adversarii, cum apud ipsos rectè componatur libertas supra existentiam conditionis, quæ nec sit libertas supra existentiam conditionalis, nec supra existentiam conditionati. Non enim libera est Deo hæc conditionalis, si non existit auxilium A. existit peccatum Joannis, cum sit objectum scientiæ mediæ Deo non liberæ; nec est Deo liberum hoc conditionatum, existit peccatum, cum peccatum non sit Deo liberum; & tamen datur libertas supra conditionem, nempe, non existit

sit auxilium A: cur ergo non poterit etiam esse libertas supra existentiam conditionati, quæ nec sit libertas conditionalis, nec libertas conditionis? Cum in conditionali vera, sicut ex positione conditionis inferatur positio conditionati, ita ex defectu conditionati inferatur defectus conditionis.

43. Ad sextam respondetur distinguendo maj. vel existat complexum ex prædeterminatione actus, & actu libero conc. ; ex prædeterminatione, & actu non libero, neg. maj. Constat solutio ex numero antecedenti, ubi ostendimus, quod necessitas complexi, cui subest Petrus, est consequentiæ, illationis, & veritatis propositionis, per quam non excluditur libertas actus prædeterminati.

44. Ad septimum conc. maj. & min. & consequentiam. Torum enim est verum ; sed arguens minus rectè confundit necessitatem veritatis cum necessitate actionis, seu necessitatem consequentiæ cum necessitate consequentis ; seu tandem infallibilitatem cum antecedenti necessitate. Igitur necessariò verum est, quod, si est prædeterminatio, ponat actum, sed unde probat, aut unquam probabit arguens, actum, quem pono, esse necessarium, aut non esse liberum?

§. IV.

Utrum excludatur libertas, aut præmotio ex eo quod voluntas non possit tollere sensum compositum prædeterminationis, & actus?

45. Argumentum, aliud in apparentia, re tamen vera idem cum præcedente, diversis vocibus objiciunt. Qui non potest tollere sensum compositum prædeterminationis, & actus, seu compositionem ex prædeterminatione, & actu, non potest impedire actum: sed Petrus non potest tollere sensum compositum prædeterminationis & actus, seu compositionem ex prædeterminatione, & actu: ergo non potest impedire actum, & liberè operari. Quid enim certiùs, quàm quod non possit tollere prædeterminationem, quæ necessitate metaphysica connectitur cum actu, quod non est aliud, quàm ita necessariò esse compositam cum actu, ut non sit possibile ab actu separari.

46. Secundò, exercitium impediendi actum, quod est ipsum omittere, supponit non esse sensum compositi: ergo cum homo omittit, non aufert sensum compositum, sed ablatum supponit: sed chimæra est potestas ad auferendum, quod jam supponitur ablatum: ergo non datur in voluntate potestas auferendi sensum compositum prædeterminationis, & actus, & consequenter, ut diximus, potestas liberè operandi.

47. Tertio, qui non potest dividere

actum à prædeterminatione, non potest tollere sensum compositum prædeterminationis, & actus: sed voluntas actum à prædeterminatione dividere non potest: ergo nec potest tollere sensum compositum prædeterminationis, & actus. Major constat, nam compositio duorum, quæ est illorum simul positio, solum per divisionem, ac separationem tollitur. Minor verò probatur; quia implicat, prædeterminationem esse divisam ab actu, vel in re existere sine actu. Quæ ergo repugnantia datur, ut extrema metaphysicè connexa ab invicem separari non possint, hæc eadem repugnantia est, ut voluntas possit prædeterminationem ab actu dividere: atqui actus non potest tolli, nisi divisus: ergo cui non est possibile dividere illum à prædeterminatione, non potest illum tollere.

48. Argumentum hoc, ut dixi, variat terminos præcedentis, sed minimè auget difficultatem. Contendit similiter, libertati creatæ subjicere concursum Dei; cum ex eo, vel nullo deducente, subiectio Dei, diviniæque omnipotentia ad nos quàm facillimè inferatur. Easdem patitur superius adductas instantias; constatque ex ibidem dictis falsitas doctrinae, cui fides, tam scilicet ex responsione præcedentis argumenti, quàm ex dubio 2. hujus disputationis §. 4. à num. 65. ubi pro solutione satis, quantum ego existimo, diximus. Sufficiat modò in memoriam revocare, quæ de sensu composito prædeterminationis, & actus alibi tradidimus; includit enim, ut diximus, partem subordinantem, & partem essentialiter subordinatam, scilicet prædeterminationem, & actum. Ex quo fit, quod impossibilitas destruendi compositionem, non oritur ex impossibilitate auferendi actum, sed quia ipsa actualis ommissio, vel destructio actus, debet esse Deo subordinata per carentiam prædeterminationis, ac proinde ipsum omittendi, seu non agendi exercitium præsupponit non esse sensum compositi prædeterminationis, & actus, quia talis sensus compositus non subsistit sine prædeterminatione, quæ in instanti ommissionis præsupponitur ablata, & illius carentia existens, non enim destructum iterum potest destrui. At hoc consideratè animadvertendum est ex superius etiam dictis, esse valde diversum dicere, dissensum esse à prædeterminatione divisum, à dissensu à prædeterminatione divisum. Non est in potestate voluntatis, quod disensus sit à prædeterminatione divisus, cum solum sit sub dominio Dei: at disensus à prædeterminatione divisus est sub dominio voluntatis, cum sit penès ipsam potestas ad dissensum positivè divisum. Cujus ratio est: quia hoc concretum *disensus esse divisum* supponit pro forma divisionis, & denominatione extrinseca disensus à divisione desumpta, quæ sicut libera est Deo, ita & liberum ipsi, dissensum esse divisum. At hoc concretum *disensus divisus* non supponit

nit pro forma divisionis, sed pro substracto, nempe dissensu, qui licet per voluntatem divisus non sit à prædeterminatione, est tamen ipsi liber, quia ita est, ut possit non esse: id, quod crebro explicant atque agnoscunt Theologi tum in consensu prædefinito, tum in permissione peccati, in quibus licet non sit in voluntate potestas ad dividendam carentiam actus à præscientia, prædefinitione, & permissione, est tamen vera potestas ad carentiam actus positivè divisam ab illis: & maximè verificatur hoc in Christo Domino, in quo fuit vera potestas ad carentiam mortis composita cum præcepto mortis, quæ nec fuit potestas impediendi tale præceptum, nec potestas conjungendi carentiam mortis cum prædicto præcepto, sed solum potestas ad carentiam mortis, positivè divisam à præcepto mortis, divisione faciendâ à superiori præcipiente, pro casu, quo poneretur talis carentia.

49. Ex his omnibus, quæ jam pridem à nobis constituta sunt, ad argumentum respondetur distinguendo majorem: si impossibilitas tollendi sensum compositum prædeterminationis, & actus nascatur ex impotentia impediendi actum, conc. maj. præcisè ex impotentia abjiciendi prædeterminationem, neg. maj. & distincta eodem modo minori, negatur consequentia. Non enim potestas nostra est summa, qualem Deo convenire asserimus; nec sic contra gratiæ efficaciam constituenda, & intelligenda, quod gratiæ injuriam irrogemus; sed est potestas liberè operandi ex dono Dei, & sub dominio ejus virtutis, aut potestas deficiendi ab operatione ex nihilo nostro. Quare licet in ipsa non sit potestas ad divisionem faciendam, est tamen vera potestas ad actum divisum. Et carentia potestatis ad subordinandum sibi concursum Dei, & Deum ipsum, cum sit carentia potestatis chimericæ, vergere non potest in diminutionem potestatis creatæ, Deo immediate in omni suo exercitio subordinatæ.

50. Hinc secunda addita minoris probatio facile solvitur. Est enim quæstio de nomine, an videlicet, dici debeat, voluntatem tollere sensum compositum, ex eo quod pro priori supponat carentiam prædeterminationis necessariam ad existentiam ommissionis? Cum hæc carentia non supponatur necessariò pro priori, *in quo*, seu durationis, sed pro priori *à quo*, ubi nullum est durationis intervallum, & ex alia parte voluntas ponit ommissionem, quæ est non esse actus; Deus verò tollit prædeterminationem: quare bene dicitur, quod voluntas potest tollere sensum compositum, non utcumque, sed potestate secunda, & dependenti, quia revera tollit alteram partem illius compositionis, nempe actum, sine quo sensus compositus minimè existit.

51. Ad tertiam jam supra diximus dub. 1. §. 3. à num. 48. quod potestas voluntatis prædeterminatæ ad dissensum est potestas ad dissensum ut positivè divisum à prædeter-

minatione; tum quia disensus positivè, & essentialiter est divisus à prædeterminatione consensus; cum sit positivè, ac essentialiter divisus à quavis re, seu prædicato sibi essentialiter repugnante, ut verè ipsi repugnat prædeterminatio consensus. Tum, quia disensus positivè, & essentialiter est divisus à consensu, cum ommissio consensus opponatur contradictoriè consensui; ergo divisus est talis ommissio positivè à prædeterminatione, quæ est inseparabiliter connexa cum consensu. Et tandem, quia sicut Petrum nullo modo valet generare, qui non potest ponere, aut generare Petrum, ut positivè divisum à Paulo, quia Petrus positivè est à Paulo distinctus, & divisus, ita cum non minus, immo multò magis divisus sit ommissio à prædeterminatione, potestas, quæ est ad ommissionem, est potestas ad ommissionem, ut positivè à prædeterminatione divisam. In quo minimè rejicimus modum loquendi aliorum Thomistarum asserentium, dari in voluntate prædeterminata ad consensum potestatem ad carentiam consensus, ut divisam præcisivè. Non enim distinctio ista, divisioque præcisiva à suis Autoribus eo in sensu, quo intelligitur ab Adversariis accipitur. Etenim *ly præcisivè* non cadit supra potestatem; cum potestas sit composita cum prædeterminatione; sed supra terminum potestatis. Non cadit supra potestatem; quia hæc supponitur constituta per principia constitutiva libertatis in actu primo, quibus accidit determinatio ad hoc potius, quàm ad oppositum, proveniens à concursu divino, & sine quo considerata tota potestas voluntatis subsistit. Cadit supra terminum; quia præscindit ab eo, quod voluntas per ipsum se dividat, aut non se dividat à prædeterminatione. Quod si cui animus est, rem hanc planissimè expositam intueri, consulat Illustrissimum Castell in aureo illo libro de concordia liberi arbitrii disp. 3. q. 6. sect. 3. rem hanc ita explicantem: quod divisio præcisiva disensus terminantis potestatem prædeterminationis ad consensum, non est præcisio disensus à compositione prædeterminationis, & à divisione prædeterminationis consensus; quia dissensui essentialiter repugnat componi cum prædeterminatione consensus, & essentialiter convenit dividi ab illa: sed solum dissensum præscindere à remotione, & exclusione prædeterminationis consensus, & à non divisione ab illa; quia accidit dissensui auferri prædeterminationem consensus, ex suppositione accidentali, quod talis existat prædeterminatio. Sit exemplum: peccatum lethale, & gratia justificans mutuò essentialiter pugnant in communi Theologorum sententia, & tamen utrique accidit alterum excludere, quia accidit utrique, dum adest, alterum supponere: nec enim peccatum semper excludit gratiam; ut patet in peccato originali, & in peccato peccatoris: nec semper gratia excludit peccatum, ut patet in gratia

Sacratissimæ Virginis Mariæ, Angelorum in primo instanti, & primorum Parentum. Stat ergo unum cum alio essentialiter pugnare, & non posse componi cum illo, & quod ei accidat id ipsum excludere; ita debet dici de dissensu, ut termino potestatis cum prædeterminatione, quod ei est essentialiter non posse componi cum prædeterminatione consensus, sed præscindere ab eo, quod dividat voluntatem à prædeterminatione: dividere enim solum habet ex accidenti, quod in voluntate prædeterminationem supponat. Sed quidquid sit de mente utentium distinctione, & solutione ista, nos clarius respondemus ex doctrina tradita, distinguendo majorem: qui nec potestate secundâ, & dependenti potest dividere actum à prædeterminatione, non potest tollere sensum compositum prædeterminationis, & actus, Conc. maj. si potestate secundâ & dependenti neg. maj. vel subdividing. non potest potestate Deum sibi subordinante, Conc. absolutè, vel cum subordinatione, neg. maj. & distincta minori eodem modo nego consequentiam. Non enim volumus, extrema hujus compositionis ita dividi, aut separari, ut permanente altero in rerum natura, alterum deficiat; id namque contradictionem involvit, sed quod sit in voluntate potestas ad divisionem per hoc, quod auferente Deo prædeterminationem, voluntas liberè, sed immediatè subjecta Deo, auferat actum omittendo. Sicut in contraria sententia, ut voluntas possit dividere actum à complexo constante ex scientia media, decreto per illam regulato, & auxilio efficaci, non requiritur, quod possit voluntas permanente complexo illo actum destruere, ita ut actus omissio cum toto illo complexo componatur, sed sufficit ad divisionem faciendam, quod non existente complexo, actus non existat; & omnes intendimus per illam divisionem negationem conjunctionis: licet in principio, & modo illam faciendi omnino discordemus. Quare id simpliciter, & absolutè affirmamus, dari in voluntate prædeterminata potestatem ad dissensum divisum, non tamen ad divisionem dissensus: cum solum sit potens ad id, quod in recto dicit *dissensus divisus*, non tamen ad id, quod in obliquo dicit hoc complexum, *dissensus esse divisum à prædeterminatione*.

52. Sed contra solutionem argues primò: quia si non datur in voluntate potestas ad conjunctionem prædeterminationis cum actu, nec abjiciendi prædeterminationem, non datur potestas ad dissensum composita cum prædeterminatione: etenim Angelicus Magister solum agnoscit potentiam ad terminum inconjunctibilem cum forma, dum subjectum potest à se abjicere formam. Hoc clarissimè probatur ex q. 6. de verit. art. 3. ubi cum sibi 8. proposuisset argumentum sub hac forma: *In formis illis, quæ non possunt removeri à subjecto, non differt utrum aliquid attribuat*

subjecto sub forma considerato, vel sine forma; utroque enim modo hæc est falsa: Corvus niger potest esse albus. Sed prædestinatio est talis forma, quæ non potest à subjecto, vel prædestinato removeri: ergo prædicta distinctio in proposito locum non habet. Cui respondet: ad 8. dicendum: quod nigredo, & albedo sunt quædam formæ existentes in subjecto, quod dicitur album, & nigrum: & ideo non potest aliquid attribui subjecto, nec secundum potentiam, nec secundum actum, quod repugnat formæ prædictæ, quandiu in subjecto manet. Sed prædestinatio non est forma existens in prædestinato, sed in prædestinante, sicut & scitum denominatur à scientia, quæ est in sciente. Et ideo quantumcumque immobiliter sit sub ordine scientiæ, tamen potest aliquid attribui ei, considerando suam naturam, etiamsi repugnet ordini prædestinationis; hoc enim modo prædestinatio est aliquid præter ipsum hominem, qui dicitur prædestinatus; sicut nigredo est aliquid præter essentiam Corvi, quantumvis non sit aliquid extra Corvum. Considerando autem tantummodo essentiam Corvi, potest ei aliquid attribui, quod repugnet nigredini ejus, secundum quem modum dicit Porphyrius, quod potest intelligi Corvus albus; & ita etiam in proposito potest ipsi homini prædestinato attribui aliquid secundum se considerato, quod non attribuitur ei, secundum quod intelligitur stare sub prædeterminatione. Ex quibus sic argumentor: quia prædestinatio inimpedibilis à voluntate non est forma existens in prædestinato, sed in prædestinante, potest attribui aliquid prædestinato secundum se considerato, quod non attribuitur ei secundum quod intelligitur stare sub prædeterminatione, nempe posse mori in peccato: sed prædeterminatio est forma existens in prædestinato: ergo non potest nec in sensu composito, nec in sensu diviso aliquid ei attribui incompensibile cum prædeterminatione.

53. Secundò: si voluntas prædeterminata liberè ponit omissionem actus prædeterminati, quia in sensu composito prædeterminationis est potestas ad dissensum, ut fiat, divisione prædeterminationis per prius à Deo faciendâ: ergo solum habet potentiam ad positionem dissensus, dum non est sub prædeterminatione existens, vel si *maius, si desit prædeterminatio*: quid enim aliud est sensus ille divisus à Deo faciendus, nisi quod erit potestas, si à Deo auferatur prædeterminatio? Sed hæc potestas est hæretica, quam non negavit Lutherus, nec Calvinus: ergo ad veram potestatem constitutivam liberi arbitrii, non sufficit potestas illa ad dissensum in sensu diviso prædeterminationis, sed requiritur, quod voluntas possit prædeterminationem dividere ab actu.

54. Sed doctrinæ positæ non advertantur objectiones istæ. Non primò officere valent supra notata verba D. Thomæ loquentis de dispositione, & forma inherente subjecto ex natura ipsius, cum ipso permanentem, & neces-

cessariò conjuncta, quæ cum minimè ab ipso separari possit, consequenter in ipso non remanet potestas ad formæ oppositum, adhuc in sensu diviso; quod satis declarat exemplum, quo utitur D. Thomas, nigredinis Corvi, quæ licet sit aliquid præter ejus essentiam, cum tamen non sit aliquid extra ipsum, immo cum sit forma inseparabilis ab ipso, non potest aliquid attribui subjecto, nec secundum potentiam, nec secundum actum, quod formæ prædictæ repugnat. At cum prædeterminatio sit forma, & dispositio transiens non orta ex intrinsecis liberi arbitrii, sitque forma nullum habens esse ratum, & firmum in libero arbitrio, sed sit motio connaturalis libertati, inferens quidem actum infallibiliter, nulla tamen naturali necessitate; ideo permanet in voluntate potestas ad dissensum in sensu diviso, licet dissensus non possit coexistere prædeterminationi.

55. Minus id ipsum erui valet ex secunda replica. Etenim Conc. antecedenti, distinguendo consequens: *ly si desit* dicente conditionem exactam, ut sit potestas, neg. consequ. ut sit terminus hujus potestatis, Conc. consequ. Hic consideratè animadvertendum, quod *ly si desit* bifariam cogitari potest, vel ita, ut dicat conditionem exactam, ut in libero arbitrio sit potestas; vel ut existat terminus hujus potestatis. Primum catholicè affirmari nequit, cum talis constitutio liberi arbitrii hæreseos manifestè redarguenda sit; undè hanc potestatem constitutivam liberi arbitrii in Calvino, & Lutero sanctissimè, & justissimè Ecclesia anathematis ferit censura. Si tamen intelligatur, ut conditio exacta ad existentiam dissensus, hoc verissimum dicimus: hæc est Thomistarum mens, & doctrina, quod cum prædeterminatione consensus datur potestas ad dissensum; licet in re non existet dissensus cum prædeterminatione consensus. Si aliter Thomistas aliqui intelligant, ipsis aliam esse illorum mentem probare incumbit; nisi velint ipsi de calumnia judicari. At neminem me legisse memini, qui, quantum judicio asequi possum, negare hoc cogitaverit, nec sum usquam suspicatus, Thomistam contrarium habuisse judicium, aut quod habere unquam potuerit.

§. V.

An ad libertatem requiratur, quod voluntas tollere possit dependentiam actus à prædeterminatione?

56. Quintum argumentum Auctoribus oppositis familiarissimum desumitur ex eo, quod Petrus prædeterminatus ad consensum salutarem, v.g. ad actum fidei, non potest facere, quod liberè existat. Quod pro-

bant, quia nempe non est in ejus potestate, quod actus fidei à prædeterminatione non dependeat: ergo nec potest facere, quod actus fidei non existat. Consequentia est manifesta; quia existentia, vel esse actus est dependens à prædeterminatione. Ant. probatur. Etenim actum non dependere à prædeterminatione solum potest fieri, vel per hoc, quod physica prædeterminatio non sit, vel per hoc, quod illa posita, & existente, ab illa non dependeat actus fidei: sed Petrus facere non potest, quod non existat physica prædeterminatio; nec ulterius, quod illa existente, actus fidei ab illa non dependeat, ut est constans, firmum, & certissimum Thomistarum principium: ergo nequit facere, quod actus fidei à prædeterminatione non dependeat, & consequenter, quod liberè existat.

57. Hic novum attingimus controversiæ punctum, undè & mens Adversariorum prodatur, & doctrina præcedentis argumenti magis elucidatur. At nunquam ad hoc inducar, ut credam, argumentum hoc à contrariis induci, ut convincens, tametsi ut ingeniosè excogitatum possit à quovis urgeri contra nostram doctrinam. Si enim, ut jacet, argumentum verum concludere putetur, actum erit de fidei principiis, quibus profitemur, nos non posse actu fidem habere, nisi Deus donet: dona insuper Dei in ejus esse arbitrio, non in nostro; ideo enim sunt dona: ac tandem donante Deo, nos liberè id ipsum facere, quod donam ejus est. Ulterius: si ut homo liberè operetur, necessarium est, quod dependentia actus à concursu Dei sit nostræ voluntati subjecta, & dependentia quoque actus à Deo eadem ratione nostræ debet esse voluntati subjecta, & pro nostro existere dominio; quia actus à Deo non aliter immediatè pendet, quam per ejus concursum; sed suppositâ liberi arbitrii potestate, nihil aliud requiritur, quam determinatio concursus divini; & quod voluntas omni divinâ exclusâ determinatione se ipsam determinet, & exclusio alterius efficacis auxilii, quo penitus destrueretur libertas: ergo cum constitutâ in actu proximo, & expedito libertate, hæc omnia nostræ relicta sint libertati; & aliàs præsupponatur exclusio auxilii efficacis, cujus exclusio ab ipsis statuitur inter constitutiva libertatis; evidentè sequitur, quod, ut simus liberi, cuncta debent esse nostræ relicta voluntati; & quod destrueretur potestas, quæ alterius ope indiget; quod nescio an ab arguentibus possit concedi. Rem magis explicò: si dependentia actus à concursu divino, & à Deo, semel collata à Deo potestate, unice pendet à nostro dominio, necessarium est, ut omnia nobis à Deo concessa talia sint, quæ nos possimus vertere in malum; nempe quæ possimus nos conjugere cum actu pravo: nam sicut concursum Dei, ac Deum ipsum pro nostro arbitrio possemus determinare, ut concurrat in actum bonum; ita & Dei con-

cursum, ac Deum ipsum determinare possemus pro nostro placito, ut influat in actum malum: hoc autem nescio, an aliquis audeat dicere; quippè, ni vehementer fallor, juxta S. Augustinum, ejusmodi fundamento innixus militabat error Pelagii, cujus vel umbram scio viros Catholicos horrere, qui nobis aliàs adverstantur.

58. Novum ulterius sequitur inconveniens, libertatem nostram constitui per subjectionem Dei ad nos: non enim potest dependentia actus à Deo esse subjecta nostro dominio per hoc, quòd possumus nos pro nostro placito ponere influxum Dei activum in actum nostrum liberum, nisi determinatio Dei influentis, & consequenter Deus ipse, ut potens influere, sit dominio nostro subiectus; quod tot efficacissimis argumentis impugnatum manet: sed argumentum contendit, dependentiam actus liberi à Deo, per hoc esse nobis subjectam, quòd possumus pro nostro placito, ac dominio ponere influxum Dei activum in actum liberum: ergo ut dependentia actus liberi à Deo hoc modo sit nobis subjecta, concursus Dei, Deusque ipse, ut potens influere, debet dominio nostro esse subiectus: quod absurdissimum existimari debet.

59. Sed dimissis his inconvenientibus: ad argumentum omninò idem, ac præcedens, eadem respondetur solutione, distinguendo ant. non est in ejus potestate, quòd actus non dependeat à prædeterminatione potestate sibi Deum subjiciente, conc. maj. potestate Deo immediatè subjecta in ipso exercitio faciendi, neg. ant. & consequentiam. Pro cujus intelligentia oportuni planè laboris officium est præmittere, dependentiam actus posse dupliciter sumi, activè scilicet, & passivè, activè sumpta importat prædeterminationem, & ipsius influxum activum in actum, ratione cujus actum à se dependentem facit: passivè sumpta dependentia dicit actum à prædeterminatione causatum. Si activè sumatur dependentia, hanc voluntas tollere non potest, quia prædeterminationem existentem voluntas impedire non potest, ut actum non causet: hoc enim esset influxum activum Dei subjicere voluntati, & consequenter ipsum Deum: immo cum Deus per ipsam prædeterminationem det velle; ipsum velle est formalis ratio in voluntate non impediendi; non enim potest velle actum simul, & nolle motionem. Dependentiam passivè sumptam potest destruere voluntas; quia potest nolle id ipsum, quod movente Deo vult: & tunc negationem hujus boni, quod est Deo per actum subjici, habebit ex esse sui, seu ex defectibili esse. Quare sicut dependentiam ponit subordinata Deo per concursum; ita passivam actus dependentiam aufert, Deo subordinata, per ejusdem concursus carentiam.

60. Si inferas: ergo licèt voluntas possit auferre dependentiam, & actum prædetermi-

natum; actum tamen ut dependentem, & ut prædeterminatum impedire non potest: sed hoc requiritur ad salvandam libertatem: ergo ex doctrina solutionis non salvatur libertas. Prima consequentia ex responsione planè videtur deduci: quia non valet destruere actum, ut dependentem, atque ut prædeterminatum, qui activam dependentiam, & prædeterminationem impedire non valet. Minor etiam constat; cum ad salvandam libertatem necessarium sit, quòd voluntas in sensu composito prædeterminationis seipsam liberè determinet: alioquin voluntas ageret purè acta, & purè mota à Deo; non se ageret, nec se ipsam moveret. Consequentia similiter constat, cum ut voluntas seipsam liberè determinet, sit necesse, quòd ita actum eliciat, ut cum omnibus, cum quibus potestas se determinandi componitur, omissionem actus possit conjungere: ergo & quòd possit tollere dependentiam activam, & actum, ut prædeterminatum.

61. Secundò & urgentius: ut voluntas possit determinare seipsam, requiritur, quòd non supponatur pro priori determinata. Hoc ex terminis videtur notum: quia determinatio existens pro posteriori indifferentiam, ac indeterminationem supponit pro priori existentem. Deindè si in voluntate pro priori determinata esset locus, aut capacitas, ut seipsam determinaret, determinationem ipsam, qua supponitur determinata, determinaret, quod vel est subjicere concursum divinum voluntati creatæ vel contradictoria simul componere: ergo & requiritur, quòd dependentiam activam sui actus ab alia quavis causa voluntas possit vel abjicere, vel impedire.

62. Pro solutione primum omnium firmum, solemneque sit, quod est à Tridentino sancitum sess. 6. de justificatione. Can. 4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari dissentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire, si velit; sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, merèque passive se habere, anathema sit.* Hæc est definitio fidei, & hoc ipsum cum D. Thoma docuerunt omnes illius Discipuli, qui voluntatem ita agi à Deo, ut ipsa etiam aliquid agat, ita moveri, ut seipsam moveat, & ad hoc prædeterminari à Deo, ut seipsam determinet, & moveat, constanter tenent.

63. Hac Catholicâ veritate constanter præfixâ, ut patentius solutionem exponam, distinguo consequens: *voluntas non potest impedire actum, ut dependentem, nec actum, ut prædeterminatum* dist. consequ. non potest impedire actum ut prædeterminatum, impotentia ortâ ex necessitate actus, nego: ex inclusione infallibilis connexionis, sub reduplicatione *ut*, concedo. At hæc infallibilis necessitas, cum sit merè illationis & consequen-

quentiæ, non destruit libertatem actus, ut toties diximus; & ut videre est in Christo Domino, in quo fuit libertas ad actum præceptum, quin fuerit in ipso potestas ad actum reduplicativè ut præceptum, seu ad præceptum actus; idemque in presenti dicimus de actu prædeterminato. Undè juxta Concilium Deus movet, & liberè voluntas se movet; quia cum motio Dei effectum inferat infallibiliter, & non necessariò; quantum deficit de necessitate motioni, adest de libertate actioni.

64. Ad Secundum etiam disting. antecedens: necessarium est, quòd voluntas non supponatur pro priori determinata formaliter, & a se, conc. antecedens, effectivè, & à Deo, subdisting. ut se determinet cum subordinatione, & ut causa secunda propriæ determinationis, neg. antecedens, ut se determinet subjiciendo sibi Deum, & ut causa prima propriæ determinationis, conc. antecedens. Et ad hujus probationem dicimus, quòd determinatio existens pro posteriori non requirit indeterminationem, & indifferentiam superioris, ut constat in Deo, cujus decreta libera nulla præcessit suspensio; & in Christo Domino, atque in Angelis, qui in primo instanti sui esse per actus liberos suas exercuere voluntates. Requiritur ergo indifferentia potestatis, & dominii & quòd potentia non sit ex natura sua determinata ad unum. At quòd non præcedat supremi agentis suppositio effectivè determinans, hoc non ad dominium secundi agentis supremo Domino subjecti spectat, sed unicè privativum est primi agentis potestatis, & infiniti dominii. Non enim voluntas creatæ exigit, quòd ipsi deficiat, aut non præcedat Dei effectiva prædeterminatio, per quam efficit Deus, ut per illam voluntas se ipsam liberè determinet: solùm enim ut voluntas seipsam sub prædeterminatione existentem determinet, requiritur, quòd nulla determinationem ejus formalem præcedat naturalis, id est ad unum, determinatio; quòd enim præcedat determinatio infallibilis, libertati non officit, ut sæpe dictum est; immo libertatem firmat, quia infallibiliter infert actum liberum. Quod pro solutione sufficiat, ne pergamus prolixitate graviores esse.

§. VI.

Utrum libertas creata requirat potestatem verificandi, aut falsificandi præmissas, ex quibus inferitur necessariò actus, vel omissionis existentia?

65 **E**N aliud argumentum, quod licèt vulgatissimum, validissimum tamen credunt Adversarii ad repugnantiam prædeter-

minationis probandam, quod sub sequenti forma concipiunt. Qui non potest falsificare aliquam ex præmissis, non potest falsificare conclusionem ex præmissis legitimè deductam: sed homo, qui non potest ad non esse prædeterminationis, non potest falsificare aliquam ex his præmissis: *Omnis homo prædeterminatus ad operandum operatur: sed Petrus est prædeterminatus ad operandum*: prima namque est veritas necessaria, nec à Deo falsa reddi valens: minor verò falsificari non potest, nisi per non esse prædeterminationis, quod Petrus in sua potestate non habet: ergo Petrus non potest falsificare propositionem, & conclusionem istam: ergo *Petrus operatur*, ex præmissis legitimè deductam: at illam falsificare est omittere operationem: ergo non potest omittere, & consequenter operatur necessariò, non liberè. Major probatur primò; quia non stat falsitas conclusionis legitimè illatæ sine falsitate alterius præmissæ: ergo non stat potestas falsificandi conclusionem sine potestate ad falsificandam alteram ex præmissis. Secundò: conclusio legitimè illata identificatur realiter cum præmissis, ac per consequens quiddam realiter opponitur conclusioni, realiter opponitur præmissis: ergo non est dabilis potestas ad ponendum aliquid realiter conclusioni oppositum, & illius realiter destructivum, quin sit potestas ad destruendam aliquam ex præmissis. Tertio: si præmissæ essent absolutè, & ex terminis necessariae, non posset non esse absolutè, & ex terminis necessaria conclusio: ergo si præmissæ Petro sunt necessariae, Petro etiam erit necessaria conclusio: ergo, ut Petro necessaria non sit, necessarium erit, quòd præmissarum altera Petro non sit necessaria. Quarto: si prædeterminatio esset simpliciter necessaria Deo, & Petro, ipsi quoque operatio esset simpliciter necessaria: ergo si Petro est simpliciter necessaria prædeterminatio, Petro erit simpliciter necessaria operatio; & consequenter, vel in Petro non est potestas ad non esse operationis, vel est in ipso potestas ad non esse prædeterminationis. Quintò: quia præmissæ istæ, *Omnis homo est albus: quod movetur est homo*, sunt absolutè contingentes, & non Petro, conclusio, videlicet, *quod movetur est albus*, quæ rectè ex illis deducitur, est absolutè contingens, & non Petro: ergo ut Petro sit contingens conclusio, debet Petro esse contingens, & libera aliqua ex præmissis.

66. At minoris quoque momenti æstimari debet hoc argumentum, quod contra se primò habet instantias supra positas. Et quidè instatur in libertate Christi Domini, supposito præcepto mortis, sub sequenti forma. Impotens est ad falsificandam conclusionem legitimè illatam ex præmissis qui non est potens falsificare unam ex talibus præmissis: sed Christus erat impotens falsificare aliquam ex his præmissis: *Omnis homo impeccabilis, si subdatur præcepto actu obliganti, ponit*

nit rem præceptam per tale præceptum: sed Christus est impeccabilis, & subditus præcepto mortis actu obliganti: & conclusio legitime illata ex his præmissis est ista: ergo ponit mortem præceptam: ergo Christus erat impotens ad falsificandam hanc conclusionem, cum esset antecederet necessitatus ad præmissas; sed cui deficit potestas ad falsificandam conclusionem, est impotens ad omissionem mortis, cum per omissionem mortis talis conclusio falsificaretur: ergo Christus fuit impotens ad omissionem mortis: ergo erat necessitatus ad mortem, & consequenter non est oblati, quia ipse voluit.

67. Ulterius: falsitas doctrinæ, cui niti- tur argumentum, suadet. Ex illa enim sequitur, Deum non solum esse subjectum homini in concurrente, sed etiam in prædefiniendo dono perseverantiæ. Quod ita convincitur retorquendo iterum argumentum: Omnis homo potens verificare aliquam conclusionem legitime deductam ex præmissis, alteram saltem ex illis verificare potest: sed hanc conclusionem: Petrus perseverat, quæ legitime infertur ex his præmissis: Omnis homo, cui à Deo prædefinita est perseverantia, perseverat: sed Petro à Deo prædefinita est perseverantia, Petrus verificare potest: ergo & aliquam ex præmissis potest verificare; sed non potest verificare majorem, cujus veritas, cum sit necessaria, & æterna, pendere non potest à verificativo contingente, & temporali: ergo potest verificare minorem, quæ sola est contingens. Major constat probationibus argumenti; minor continet prædefinitionem perseverantiæ: ergo si minoris veritas pendet ab arbitrio Petri quoad esse, poterit subinde Petrus necessitare Deum, ut prædefiniat suam perseverantiam: & consequenter non solum in concurrente, verum & in prædefiniendo hominibus perseverantiam erit homini subjectus: quod longè plurimum absurditatis accumulatur superiori.

68. Urgentius conficitur instantia in hoc Syllogismo: Ut aliquis perseveret, debet à Deo accipere donum perseverantiæ: sed Petrus non accipit à Deo donum perseverantiæ: ergo Petrus non perseverat. In hoc inquam Syllogismo conclusio legitime deducitur ex præmissis, ac proinde falsa esse non potest, nisi vel utraque, vel altera saltè sit falsa. Major est definita à sacro Concilio Tridentino sess. 6. de justificat. cap. 13. & can. 22. Si quis dixerit, justificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit: ergo sola minor est falsificabilis. Modò argumentum contra Adversarios fit ita redarguendo: per vos, qui non potest falsificare aliquam ex præmissis, impotens est ad falsificandam conclusionem, quæ ex præmissis legitime deducitur, sed hæc conclusio, Petrus perseverat, legitime deducitur ex illis præmissis; ergo, ut Petrus valeat hanc falsificare conclusionem, debet

esse potens falsificare alteram ex illis: sed major est infalsificabilis ex relato Canone Concilii Tridentini: ergo debet esse potens falsificare minorem verificando minoris contradictoriam: sed contradictoria minoris est ista: Petrus accipit à Deo donum perseverantiæ: ergo habet in sua potestate, quòd Deus illi conferat donum perseverantiæ: ergo & Deum necessitare potest, ut illud conferat. Quod nescio, an velint Adversarii: hoc enim apertissimè est Deum subicere voluntati creatæ, & Deum ab illa necessitari, ut bona, ac dona sua tribuat, contra Apostolum dicentem: Miserebor cui miserebor, & misericordiam præstabo, cui misertus fuero: & alibi, quòd dividit singulis, prout vult; quibus apertissimè commendat libertatem Dei in largiendo bona sua.

69. Urgetur magis, & confirmatur ratio facta. Hanc propositionem, Petrus est prædeterminatus ad operandum, quæ est minor in argumento contrario, per hoc præcisè potest falsificare Petrus, quòd potest verificare illius contradictoriam, nimirum Petrus non est prædeterminatus ad operandum: ergo hanc propositionem, Petrus non habet à Deo donum perseverantiæ, per hoc præcisè potest falsificare Petrus, quòd potest verificare illius contradictoriam, scilicet Petrus habet à Deo donum perseverantiæ: sed ideo primam propositionem valet falsificare reddendo veram illius contradictoriam, quia potest media sua determinatione impedire potestatem, quam Deus habet, ut prædeterminet Petrum ad operandum; vel potius, quia Petro nolente, Deus non habet potestatem expeditam, ut prædefiniat Petrum ad operandum; quippè hæc potestas completur per scientiam determinationis Petri: ergo minorem nostri argumenti ideo falsificare potest, & suam contradictoriam veram facere, quia potest impedire potestatem, quam Deus habet, ut neget donum perseverantiæ, vel potius, quia Petro volente perseverare, Deus non habet potestatem expeditam, ut neget donum perseverantiæ. Patet consequentia; quia stante libera potestate in Deo, & facultate expedita ad conferendum donum perseverantiæ, non nisi pro dominio, & placito Dei impediri potest, vel haberi prædictum donum; sicut stante in homine potestate ad operandum, & non operandum liberè, nec ommissio, nec operatio impediri possunt, vel in re poni, nisi pro dominio creaturæ, ut contendunt Adversarii; ex eo videlicet, quòd libertatis jura petunt, ne ab aliquo extra se ad agendum, vel omittendum valeat potentia libera determinari. Ac subinde per hoc præcisè potest impediri existentia perseverantiæ, quia potest impediri potestas Divina illius collativa, & per hoc præcisè potest illius existentia esse in hominis potestate, ut contradictoria minoris nostræ exposcit ad sui veritatem, quia homo falsificans pro sua libertate minorem, potest impedi-

dire potestatem Divinam negandi donum perseverantiæ. Certè si argumentum Contrariorum probat contra Thomistas, & efficaciter nostrum demonstrat intentum: sed absit, ut in animum Christianus aliquis inducat, ita de Deo sentire.

70. At respondet Doctor Primarius Complutensis P. Ramirez de prædest. disp. 5. cap. 2. n. 80., Petrum posse impedire veritatem illius minoris ex suppositione collationis gratiæ determinando, & acquirendo perseverantiæ donum, sequentibus verbis: Si enim ex suppositione collationis gratiæ, & auxiliorum in manu hominis est fieri prædeterminatum; eodem jure erit reddere efficacium ultimum auxilium, quòd in prædestinatione includitur: quòd si quamvis efficacia sit speciale donum Dei, hoc non tollit esse in nostra manu reddere auxilium efficacium; nec perseverantiæ esse speciale donum impedit, posse eam acquirere ex suppositione auxilii, reddendo illud efficacium; modo quo apud Adversarios verificatur, consensum salutarem esse speciale donum Dei; & posse hominem dissentientem eum sub auxilio sufficienti determinare, & acquirere; quare præmissa illa: Joannes non habet speciale donum perseverantiæ est impedibilis per libertatem ejus.

71. Sed citra injuriam hujus eruditissimi Viri consonantior est doctrina SS. Augustini, & Thomæ, etenim Augustinus lib. de dono persever. cap. 8. ita ait: Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt judicia Dei, illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis. Nam si fuisset ex nobis, ait unus prædestinatorum, qui de pectore Domini biberat hoc secretum, mansissent utique nobiscum (1. Joann. 2.) Quid est quæso, non erant ex nobis? Nonne utrique à Deo creati, utrique ex Adam nati, utrique de terra facti erant; & ab eo, qui dixit: omnem statum ego feci (Ic. 57.) unius, ejusdemque naturæ animas acceperant? Nonne postremò utrique vocati fuerant, & vocantem secuti, utrique ex impiis justificati, & per lavacrum regenerationis utrique renovati? Sed si hæc audiret ille, qui sciebat procul dubio, quòd dicebat, respondere posset, & dicere: vera sunt hæc, secundum hæc omnia ex nobis erant; verumtamen secundum aliam discretionem, non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. Quænam est tandem ista discretio? Patent libri Dei, non avertamus aspectum: clamat Scriptura Divina, adhibeamus auditum. Non erant ex eis, quia non erant secundum propositum vocati: non erant in Christo electi ante constitutionem Mundi: non erant in eo sortem consecuti, non erant prædestinati secundum propositum ejus, qui universa operatur: nam si hoc essent, ex illis essent, & cum illis sine dubitatione mansissent. Et cap. 13. & inchoandi, & usque in finem perseverandi gratiam Dei non secundum merita nostra dari, sed donari secundum ipsius secretissimam, eandemque justissimam, be-

neficentissimam, sapientissimam voluntatem. Quibus expressè docet, non posse hominem nec acquirere, nec determinare existentiam specialissimi doni perseverantiæ finalis.

72. Sed age nova hujus S. Doctoris testimonia perpendamus, ut inde fulciri magis possit veritas nostra. Sic loquitur lib. de corrept. & Grat. cap. 8. Si à me quaratur, cur eis Deus perseverantiæ non dederit, qui eam, qua christianè viverent, dilectionem dedit; me ignorare respondeo, non enim arrogans, sed agnoscens modulum meum audio dicentem Apostolum, d. homo tu quis es, qui respondeas Deo. Et mox. Si confiteris donum Dei esse perseverare in bono usque in finem; cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, puto, quòd mecum pariter nescis, & ambo hic inscrutabilia judicia Dei penetrare non possumus. Et iterum de his, qui ex bono in malum, deficiente voluntate, moriuntur; Respondeant (ait) Si possunt: cur eos Deus, cum fideliter, & piè viverent, non tunc de vitæ hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum: utrum hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nescivit? Nempe nihil eorum nisi perverissimè, atque insanissimè dicitur. Cur ergo non fecit; respondeant, qui nos irrident, quoniam in rebus talibus exclamamus, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus &c. Sicut coguntur fateri, donum Dei esse, ut finiat homo vitam istam antequam ex bono mutetur in malum, cur autem aliis donetur, aliis non donetur ignorat: ita donum Dei esse in bono perseverantiæ secundum Scripturas, de quibus testimonia multa jam posui, fateantur nobiscum: & cur aliis detur, aliis non detur, sine murmure adversus Deum, dignentur ignorare nobiscum. Id ipsum constantissimè docet Epist. 105. Cur ille credat, ille non credat (credit verò qui Deum sequitur vocantem; non credit qui non sequitur) cum ambo idem audiunt; est miraculum in eorum conspectu fiat, ambo idem vident; altitudo est divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei, cujus inscrutabilia sunt judicia. Et postea cum dixisset, quòd neminem Deus liberat (liberat verò eum, qui ipsum vocantem sequitur) nisi gratuita misericordia: & neminem damnat nisi æquissimâ veritate; addit: Cur autem illum potius, quàm illum liberet, aut non liberet; scrutetur qui potest judiciorum ejus tam magnum profundum: verumtamen caveat præcipitum. Rursus lib. 2. de peccat. merit. cap. 5. Cur illum adjuvat, illum non adjuvat: illum tantum, illum autem non tantum: istum illo, illum isto modo; penes ipsum est, & æquitatis tam secreta ratio, & excellentia potestatis. Et cap. 18. quare illos velit convertere, illos pro aversione punire; & quamquam in beneficio tribuendo nemo justè reprehendat misericordem, & in vindicta exercenda nemo justè reprehendat veracem &c. Consilium tamen occultioris justitiæ penes ipsum est: quibus magnus Parens apertissimè docet, quòd hujus tanti, & maximi do-

doni, quantum est perseverare usque ad mortem, causa altior querenda est, quam sit propria hominum voluntas. Ad inscrutabilia Dei iudicia refert mirabilem, & invictam ejus efficaciam, quæ minimè pendeat ex cooperatione liberi arbitrii, nec ex prævisione effectus secuturi in tempore: cum hujus infallibilis muneris causa solum sit ineffabilis Dei Bonitas, æterna Benignitas, & liberalis Omnipotentia.

73. Idem agnovit D. Thomas 1. 2. q. 114. art. 9. dicens: *Quod cum homo naturaliter habeat liberum arbitrium flexibile ad bonum, & ad malum, dupliciter potest aliquis perseverantiam in bono obtinere à Deo. Uno quidem modo per hoc, quod liberum arbitrium determinatur ad bonum per gratiam consummatam, quod erit in gloria. Alio modo ex parte motionis Divinæ, quæ hominem inclinatur ad bonum usque ad finem. Sicut autem ex dictis patet, illud cadit sub humano merito, quod comparatur ad motum liberi arbitrii directi à Deo movente, sicut terminus; non autem id, quod comparatur ad prædictum motum, sicut principium. Unde patet, quod perseverantia gloriæ, quæ est terminus prædicti motus, cadit sub merito: perseverantia autem viæ non cadit sub merito, quia dependet solum ex motione Divina, quæ est principium omnis meriti, sed Deus gratis perseverantiam boni largitur, cuicumque largitur. Quod repetit. 2. 2. q. 137. art. 4. Dicendum, quod perseverantia dupliciter dicitur. Uno modo pro ipso habitu perseverantiæ, secundum quod est virtus: & hoc modo indiget dono habitualis gratiæ, sicut & cæteræ virtutes infusa. Alio modo potest accipi pro actu perseverantiæ, durante usque ad mortem: & secundum hoc non indiget solum gratiæ habituali, sed etiam gratuito Dei auxilio conservantis hominem in bono usque ad finem vitæ. Quia cum liberum arbitrium de se sit vertibile, & hoc ei non tollatur per habituales gratias præsentis vitæ, non subest potestati liberi arbitrii etiam per gratiam reparati, ut se immobiliter in bono statuat, licet sit in potestate ejus, quod hoc eligat. Plerumque enim cadit in nostra potestate electio, sed non executio. Hæc D. Thomas, quibus ita clarè mentem suam aperit, ut ex ipsismet verbis, jam satis, in quâ sit sententia, intelligatur: quod nempe à potestate liberi arbitrii excludit perseverantiæ donum; non præcisè quia pendet ex motione Divina effectivè, sed quia unicè pendet ab ipsa, quæ est principium gratiæ. Quare optimè contradistinguit, esse terminum, & esse principium actionis gratiæ: licet enim terminus prædicti motus, nempe perseverantia gloriæ cadat sub merito, & potestate liberi arbitrii, non tamen perseverantia viæ, quæ non est terminus alterius gratiæ datæ, sed consistit in sola gratiæ conservatione; quæ conservatio gratiæ nihil aliud est, quam ejus continuata productio, seu non interrupta, nullum habens terminum novum, qui sit terminus gratiæ præexistens.*

Unde concludit: *Deus gratis perseverantiæ donum largitur, cuicumque largitur.*

74. Neque verò opus est tot utriusque S. Doctoris testimoniis uti, ubi Concilium tantâ evidentia loquitur, cujus auctoritas, postrema sit omnium confirmatio. Etenim sess. 6. cap. 13. sic Sacrosancta Synodus Tridentina definit: *Similiter de perseverantiæ munere, de quo scriptum est: qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, Matthæi 10. quod quidem aliundè haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est, eum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet, & eum, qui cadit, restituere: nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur; tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut capit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere. Et Can. 16. Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certò habiturum absoluta, & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit. Et Can. 22. Si quis dixerit, justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit. Ubi Sancta Synodus utitur verbis ex Augustino desumptis de corrept. & grat. cap. 12. n. 36. & ejusdem Apostoli ad Rom. 11. ab Augustino usurpatis potens est Deus ipsum statuere, ex quo intulit Augustinus de dono perseverant. Cap. 8. Non ergo ipse se ipsum, sed Deus; & Concilium, perseverantiam esse electorum proprium Dei donum: ergo quoad hoc manifestè pugnat doctrina solutionis cum Concilio, cujus definitio intelligi debet de illo dono, quo perseverantia donatur, quo fit, ut electi nonnisi perseverantes sint, non autem de illo, quo perseverare tantum possint, vel quod juxta ipsos flexibile sit ex nutu & arbitrio voluntatis.*

75. Enim verò cuinam persuasibile fiet, quod hoc magnum perseverantiæ donum, speciale auxilium, & Dei munus non sit efficacax, prout descendit à Deo ante omnem prævisum usum liberi arbitrii? Quis credet hujus efficaciam auxilii non Deo Omnipotenti, sed dispositioni, & inclinationi voluntati esse attribuendam? Audiant D. Thomam 3. contra Gent. cap. 155. *Inveniuntur in Sacra Scriptura multæ orationes, quibus à Deo petitur perseverantia, ut Psalm. 16. perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. 1. Paralip. 29. Domine Deus custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, & semper in venerationem tui mens cita permaneat. Math. 26. Orate, ut non intretis in tentationem, id est, ne tentationi succumbatis. Jo. 17. Pater Sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. Et postea: non rogo ut tollas eos de Mundo, sed ut serves eos à malo. 2. Thessal. 2. Dominus noster &c. Exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere, & sermone bono. Ex quibus infert D. Thomas, derisori-*

rium

riam esse aliquid à Deo petere, cujus ipse dator non esset, & consequenter perseverantiæ donum esse, non hominis, sed Dei. Quod antea dixerat Augustinus lib. de dono persever. cap. 2. *Cur perseverantia ista postuletur à Deo, si non datur à Deo? An & ista irrisoria petitio est, cum id ab eo petitur, quod scitur ipsum non dare, sed ipso non donante esse in hominis potestate? Sicuti irrisoria est etiam illa actio gratiarum, si ob hoc gratia agitur Deo, quod non donavit ipse, nec fecit: sed quod ibi dixi, hoc & hic dico; nolite errare, inquit Apostolus, Deus non irridetur. Et paucis interpositis: an ab illo perseverantia nostra fortè non postuletur? Num hoc qui dicit, non meis disputationibus refellendus, sed Sanctorum orationibus revocandus est.*

76. Nec nobis reponant, esse in potestate liberi arbitrii abstinere à peccato; nam licet hoc negativum sit in ejus potestate, non tamen hoc affirmativum, perseverare in sine vitæ peccato, ut eruditissimè probat Sapientissimus noster M. Bolivar de gratia Dei dub. 14. §. 6. ex D. Thoma dicente quæst. 24. de verit. quæ est de libero arbitrio, art. 13. in corp. *Respondeo dicendum, quod aliud est dicere, posse abstinere à peccato, & posse perseverare usque ad finem vitæ in abstinentia à peccato: cum enim dicitur aliquis posse abstinere à peccato, potentia fertur super aliquid negativum, ut scilicet aliquis possit non peccare. Et paulò inferius: Sed cum dicitur, iste potest perseverare usque in finem vitæ in abstinentia peccati, potentia fertur ad aliquid affirmativum, ut scilicet aliquis ponat se in tali statu, quod peccatum in eo esse non possit. Ubi D. Thomas apertè distinguit illa duo, nempe posse non ponere obicem gratiæ, seu posse non peccare, & posse se constituit in statu, in quo non possit peccare, quod fit per conjunctionem gratiæ cum morte. Ad primum assensit, quod homo existens in gratia est potens, illis verbis: *Et hoc potest quilibet in gratia existens, loquendo de peccato mortali: ad secundum autem docet, non posse, & reddit rationem his verbis: Aliter homo per actum liberi arbitrii non posset se facere perseverare, nisi se impeccabilem faceret, quod est impossibile. In quibus apertè docet D. Thomas, posse hominem existentem in gratia non peccare, non tamen perseverare; quia hoc est constituit se in statu tali, quod in eo non possit esse peccatum; quod homo per actum liberi arbitrii facere non potest, nisi posset se impeccabilem constituit, aut in statu, in quo non possit in eo esse peccatum, qui est gratiæ conjunctio cum morte. Quæ modò sufficiant, ut ad solutionem argumenti revertamur.**

77. Secundò nova sumitur instantia ex natura prædestinationis Divinæ sub sequenti forma: *Omnis, qui salvabitur, est ab æterno prædestinatus; sed Petrus non est ab æterno prædestinatus: ergo Petrus non salvabitur. Quæ consequentia est legitimè ex præmissis dedu-*

cta, & est libera Petro, cum sit ei liberum salvari; cum tamen sit antecedenter necessitatus ad præmissas non falsificandas; cum nec possit impedire veritatem majoris, nec in sui potestate sit, esse ab æterno prædestinatum.

78. Hic novo, vel potius eodem se persequo munit P. Ramirez, ubi se hujus instantiæ efficacia obrutum sentit. Sic enim disp. 5. cap. 2. n. 79. loquitur: *Ad primum dicimus, quod quidquid sit de illa majori præmissa: omnis, qui salvabitur, est ab æterno prædestinatus, an possit impediri, vel non? Tamen illa minor: Petrus non est prædestinatus, potest impediri; non quatenus absolute possit proferrì, ut notarunt Isquierdo, Fajolus, & alii; in manu hominis est prædestinari, aut reprobari, ne sonet cum Semipelagianis, hominem posse solis suis viribus prædestinationem acquirere, aut excludere: sed in quantum homo ex suppositione gratiæ Dei, qua sine meritis instruitur, & intentionis Dei volentis, quemvis salvari, nisi per ipsum fuerit, potest facere talia opera, quæ si dentur, erunt inseparabilia à prædestinatione, & auxilium erit collatum cum præparatione certa, & infallibili affectionis salutis: quo sensu dixit D. Petrus Epist. 2. cap. 1. Fratres satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis. Et D. Prosper (apud Lessum) ad objectiones Vincentianas respons. 12. Quia præcisi sunt casuri, non sunt prædestinati; essent autem prædestinati, si essent reversuri, & in Sanctitate mansuri. Et ad Capitula Gall. respons. 7. Quia illos ruituros propria ipsorum voluntate præcivie, ob hoc à filiis perditionis nulla eos prædestinatione discrevit. Clarius adhuc respons. 3. ad cap. 7. non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt, sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præcisi sunt. Accedit commune illud effatum, seu Theologorum axioma, quamvis falsò tributum D. Augustino, ut notavit P. Suarez 1. p. tract. 2. lib. 5. cap. 8. n. 5. si non es prædestinatus, fac, ut prædestineris: est igitur impedibilis illa præmissa.*

79. Vide, quam palam fateatur, quod prædestinatio non est unicè ex electione Dei prædestinantis, sed ex determinatione prædestinati. Quid ergo respondeamus? Verè falsissimum esse, quod asserit, dicente Divo Thoma q. 6. de verit. art. 3. *Prædestinationem non esse per electionem prædestinantis est contra auctoritatem Scripturæ, & dicta Sanctorum. Quæ D. Thomæ sententia eò usque vera est, ut nemo unquam ex antiquis Scholasticis non judicaverit, hanc esse vocem Scripturæ, PP., Summorum Pontificum, & Conciliorum, ut affirmat tota Societas Jesu in libello de ratione studiorum regul. 6. pag. 14. & 37. ubi inter sententias, quæ ab omnibus sequendæ præscribuntur, duodecima ponitur: Ex parte nostra nulla fuit ratio, vel conditio prædestinationis. Et infra: definitum est, prædestinationis, nec rationem, nec conditionem esse ex parte nostra. Id ad pietatem parvum pertinere*

Ggg

di-

dicit aliquis. At hanc Augustini doctrinam non modò communior Theologorum Schola jam recepit, sed & Ecclesia Patres per 1200. circiter annos, qui id contendunt probare ex Scripturis. & responsis Pontificum Romanorum, nempe Zozimi, Sixti, Cælestini, Leonis, Gelasii, apud quos Massilienses, Cassianus, Faustus, alique hujus Prædestinationis oppugnatores malè semper audierunt. En ubi fatentur Patres Societatis, sententiam illam de prædestinatione absque ulla ratione, vel conditione ex parte nostra, esse sententiam D. Augustini, & Patrum Ecclesiæ per 1200. annos. Quare P. Henricus Henriquez doctrina celebris lib. ultim. de fin. hom. cap. 11. ait: *Vera & communis Theologorum sententia nullam supponit causam motivam, aut conditionem prævisam ex parte hominis, qui salvatur, ut immutabili Dei voluntate dirigatur, & prædestinetur ad vitam æternam, & ad media omnia efficacia: sed quicumque hominum cum effectu salvabuntur, in quadam excellenti, certa, & antecedenti providentia Dei supernaturali sunt gratis selecti de massa corruptionis, & prædestinati ob Christi meritum ante prævisum illorum vitæ decursum, & rationis usum; atque adeo ante prædictum illorum decessum in gratia perseverantem, aut ullum ipsius hominis opus liberum præmio, & dilectione dignum. Quod eò usque verum credimus, ut nemo penè ex antiquis Scholasticis hanc non judicaverit esse veram SS. PP. intelligentiam.*

80. At manifestum sumitur adversus solutionem argumentum ex Concilio Tridentino, prædestinationem arcanum mysterium dicente s. 6. cap. 12. Quid ergo est mysterii, quid arcani in toto divinæ prædestinationis negotio, si ex parte hominum, qui prædestinantur, datur causa efficacis suæ prædestinationis? Quid mirabile, si actus divinæ voluntatis simul gloriam, & merita volentis, sive illud primum decretum efficax, & absolutum, quo nempe decreta sunt gratia, & merita, quibus ad gloriam pervenient, sic in potestate liberi arbitrii est, quòd potens sit falsificare propositionem istam, *Petrus est prædestinatus?* Ad quid exclamat Paulus ad Rom. 11. *O altitudo divitiarum Sapientie, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia ejus, & investigabiles viæ ejus?* Nisi quia referens mysterium divinæ prædestinationis, prius dixerat ad Rom. 8. *Cum nondum nati essent, aut aliquid boni egissent, vel mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei; quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* An quia ex suppositione gratiæ Dei, qua sine meritis instruitur, & intentionis Dei volentis, quemvis salvari, nisi per ipsum fuerit, potest talia opera facere, quæ si dentur, erunt inseparabilia à prædestinatione? Audiant Augustinum Epist. 105. *Quis, inquit, istum acutissimum sensum defuisse Apostolo non miretur? Hoc*

quippe ille non vidit, quando sibi velut adversantis objecta questione non id potius tam breve, tam apertum, tam, sicut isti putant, verum, absolutumque respondit: cum enim rem stupendam proposuisset, quomodo de nondum natis, nec aliquid agentibus boni, aut mali rectè dici potuerit, quòd unum Deus dilexerit, alium odio habuerit, ipsa sibi objecta questione motum exprimens auditoris: quid ergo dicemus, inquit? Numquid iniquitas apud Deum? Absit. Hic ergo erat locus, ut diceret, quòd isti sentiunt: futura enim Deus opera prævidebat, quando minori majorem servitutum esse dicebat. Non autem hoc Apostolus dixit, sed potius ne quisquam audeat de suorum operum meritis gloriari, ad Dei gratiam, & gloriam commendandam voluit valere, quòd dixit. Ubi Magnus Parens ostendit, vocationem, qua nos vocavit Deus in solum Regnum, & gloriam, non pro meritis nostris, sed pro misericordia sua dari; cum non sit de his, quæ dantur pro hominum merito, sed de his, quæ tantum pendent ex beneplacito Dei, vasis misericordiæ sine ullis meritis solo gratiæ dono præparantis gloriam.

81. Hæc eadem in hoc remotissimo ab humana cogitatione divinæ prædestinationis secreto est mens Angelici Præceptoris 1. p. q. 23. art. 5. ad 3. *Quare hos elegit ad gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem nisi divinam voluntatem.* Et q. 6. de verit. art. 2. *quòd Deus velit dare gratiam, & gloriam, hoc ex mera liberalitate procedit. In his, quæ liberalitate procedunt, tantum causa volendi est superabundans affectio volentis ad finem, in quo attenditur perfectio bonitatis ipsius; unde causa prædestinationis nihil est aliud, quàm bonitas ipsius Dei.* Quod repetit ad 9. & q. 7. art. 6. ad 3. dicens: *Vitam gloriæ Deus non providet nisi ex beneplacito suæ voluntatis: ergo prædestinatio non est hominum se ipsos, quamvis cum gratia, prædestinantium, sed solum Dei, gratis omnino ad vitam æternam eligentis, & media ordinantis ad ejus consecutionem.*

82. At non est hic locus hæc diffusius tractandi. Quare solum ad fundamenta P. Ramirez dicimus, nihil eorum, quæ ab ipso dicuntur, infallibilitati prædestinationis officere. Etenim cum prædestinatio non sit aliquid in prædestinato, ut supra diximus, & docet D. Thomas 1. p. q. 23. art. 2. non ponit aliquid destruens libertatem, sed prædestinati remanent liberi ad benè, vel malè agendum, & moriendum, sicut si nulla esset prædestinatio, vel reprobatio. At quia hanc Deus implere statuit per liberum hominis arbitrium; rectè sollicitudinis, vigilantie, & timoris admonemur, ut omnes, teste D. Augustino de corrept. & grat. cap. 13. *Etiã qui benè currunt, timeant, dum occultum est, quòd perveniant.* Sic D. Petrus dixit: *Statagite, ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis; non certam Deo, sed certam nobis certitudine quadam morali, cum per bona opera*

ra prædestinationis effectus certitudinaliter impletur, ut docet D. Thomas 1. p. q. 23. art. 8. *Unde prædestinatis conandum est ad benè agendum, & orandum, quia per hujusmodi prædestinationis effectus certitudinaliter impletur. Propter quòd dicitur 2. Petri Statagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Quæ tamen certitudo est conjecturalis, ut probat D. Thomas 1. 2. q. 112. art. 5. *Tertio modo aliquid cognoscitur conjecturaliter per aliqua signa. Et hoc modo aliquis cognoscere potest, se habere gratiam, in quantum scilicet percipit, se delectari in Deo, & contemnere res mundanas, & in quantum homo non est conscius sibi alicujus peccati mortalis. Nihil in contrarium probant testimonia allata D. Prosperi, cum his, & similibus sententiis nihil aliud intelligat, nisi quòd Deus præsciens, & permittere volens eorum peccatum, noluit eos eripere: essent autem prædestinati, si essent reversuri, id est, si Deus gratiam reversionis, & permanentionis in illa ipfis præparasset. Alioquin quare quos præscivit casuros non tunc eripuit ex hac vita, cum boni erant? Aut quare eos casuros non liberat, liberat autem alios, nec necessarium est querere, nec possibile invenire, inquit ipse respons. 8. ad Object. Gener. Eodemque modo intelligendus est D. Augustinus dum asserit, si non es prædestinatus, ora ut prædestineris: id est, si nondum in te percipis effectus, & signa prædestinationis, ora, ut ea assequaris. Quæ sententia, ut rectè advertit responsio, non est Augustini, nec apud eum invenitur; sed tract. 26. in Joann. ita habet: *Nondum traheris, ora ut traharis.**

83. Non ergo impediibilis est illa minor, ut expressè asseritur à D. Thoma 1. p. q. 23. art. 8. ad 3. *Dicendum, quòd secundæ causæ non possunt egredi ordinem causæ primæ universalis (ut supra dictum est) sed ipsum exequantur. Et ideo prædestinatio per creaturas potest adjuvari, sed non impediri.* Quare ex opposito non est impediibilis veritas minoris, *Petrus non est prædestinatus.* Sed non solum Petro, sed etiam ipsimet Deo est impediibilis veritas minoris; cum nec Deus possit facere, quòd non prædestinatus, hac facta suppositione, sit prædestinatus, ut rectè explicat D. Thomas q. 6. de verit. art. 3. ad 10. *Absolutè loquendo, inquit, Deus potest unumquemque prædestinare, vel non prædestinare, aut prædestinasse, vel non prædestinasse; quia actus prædestinationis, cum mensuretur æternitate, nunquam cadit in præteritum, sicut nunquam est futurum; unde semper consideratur, ut egrediens à voluntate per modum libertatis. Tamen ex suppositione, hoc efficitur impossibile; non enim potest non prædestinare, supposito quòd prædestinaverit; vel è converso. Et art. 4. ad 8. *quamvis de quolibet absolutè concedi possit, quòd Deus potest eum prædestinare, vel non prædestinare; tamen supposito, quòd prædestinaverit, non potest non prædestinare, vel è converso; quia non potest esse**

mutabilis. Et ideo dicitur communiter, quòd hæc: Deus potest non prædestinatum prædestinare, vel prædestinatum non prædestinare, in sensu composito est falsa, in diviso vera.

84. Secundo ad instantiam respondet Doctor Dominicus Prado Primarius Complutensis Societatis Discipulus disp. 11. sect. 6. n. 114. sequens solutionem P. Herrera de prædest. q. 15. sect. 1. prædestinationem bifariam accipi posse, vel impropiè pro decreto executivo salutis, vel propriè pro præparatione mediorum ex fine præintentiæ salutis: & cum instantia procedat de prædestinatione propriè sumpta, tenet, posse Petrum non prædestinatum impedire veritatem majoris illius: *Omnis, qui salvabitur, est ab æterno prædestinatus; cum prædestinatio propriè sumpta non sit necessaria, ut quis salvetur; unde propositio illa non est necessaria, sed contingens, licet vera in præsentis providentia, juxta quam omnes, qui salvantur, sunt prædestinati. Quare cum Petrus non prædestinatus possit perseverare finaliter, & salvari, potest impedire providentiam præsentem, seu veritatem majoris, & inferre aliam distinctam providentiam: unde ait, falsum esse dicere, quòd ea propositio major solum affirmet, quòd Deus, quos prædestinavit, glorificet; nam affirmat insuper, quòd neminem glorificet, nisi quem prædestinaverit, quòd est verum, sed impediibile à Petro non prædestinato. Quibus consentit P. Ramirez disp. 11. cap. 4. n. 101. ubi asserit, non esse necessarium, ut voluntas dissentientis possit impedire complexum, quòd possit impedire omnem partem illius; sed unam, nempe præsentem providentiam.*

85. Solutio hæc apertissime prima sui prolatione communi Theologorum sensui repugnat, quàm ut alia opus habeat impugnatione. Non est enim intelligibile, quòd hæc propositio, *omnis, qui salvabitur, est ab æterno prædestinatus,* non sit necessariò vera in omni providentia, cum detur necessaria, æterna, & infallibilis connexio salvationis cum prædestinatione, ut constat ex D. Augustino de prædest. Sancto. cap. 17. *quos prædestinavit, ipsos & vocavit, vocatione illa secundum propositum. Non ergo alios, sed quos prædestinavit, ipsos & vocavit: nec alios, sed quos ita vocavit, ipsos & justificavit, nec alios, sed quos prædestinavit, vocavit, justificavit, ipsos & glorificavit.* Enim verò cum impossibile sit futurum, cujus Deus præsciens non sit, nequit in hac providentia glorificatio dari, quæ à Deo ab æterno prædestinata non sit: cum prædestinatio juxta D. August. lib. de dono persever. Sancto. *Nihil aliud sit, quàm præscientia, & præparatio beneficiorum, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur.* Quòd beneficium est vita æterna, qua homo liberatur à morte æterna, & à cæteris quibuscumque malis. Immo gloriam illam, quam posset Petrus habere, Deus ipsi daturus est:

ergo eam prædestinatione præcivit, cum, dicente Augustino cap. 10. de prædest. Sancto. *Prædestinatio sine præscientia non potest esse: potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præcivit, quæ fuerat ipse facturum.* Non abfimiliter Sanctus Prosper in resp. ad object. 15. Gallor. *Deum & præcivisse simul, & prædestinasse, quæ ipso erant Auctore faciendæ.* Ubi ratio utriusque S. Doctoris diligentissimè annotanda, & ponderanda est; quòd prædestinatione ea præcivit, quæ Deus ipse facturum erat: ergo vel Deo Auctore non esset faciendæ talis salvatio possibilis, vel ipsa ab æterno prædestinata est; cum Deus nihil novi delibere in tempore, sed omne ejus decretum sit æternum, & ab æterno. Sic semper resolvit, & explicat Augustinus, ut constat de dono persever. cap. 7. *Deus ergo donat perseverantiam utique in finem. Hæc Deus futurum se esse præcivit. Ipsa est prædestinatio Sanctorum.* Et cap. 14. n. 35. *an quisquam dicere audebit, Deum non præcivisse, quibus esset daturus, ut crederent; aut quos daturus esset filio suo, ut ex eis non perderet quemquam? Quæ utique si præcivit, profectò beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præcivit.* Et eodem cap. n. 36. *Et ipsa igitur Dei donum est, quod se daturum Deus vocatis suis illa vocatione, de qua dictum est ad Rom. 11. sine penitentia sunt dona & vocatio Dei, omni Christiano confitente, præcivit.* Hæc est igitur prædestinatio, quam fideliter, atque humiliter prædicamus. Et infra cap. 27. n. 41. *in sua, quæ falli, mutarique non potest præscientia, opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quidquam est prædestinare. . . . An fortè nec ipsa dicunt prædestinata (scilicet bona opera).* Ergo aut non dantur à Deo, aut ea se daturum esse nescivit. Quod si & dantur à Deo, & ea se daturum esse præcivit, profectò prædestinavit.

86. Clarissimum hujus rei præbet argumentum communis PP. Ecclesiæ modus loquendi, qui hæc tria, esse prædestinatum, electum, salvandum indiscriminatim usurpant, tanquam ea, quæ inter se convertuntur. Hoc manifestum fit variis Scripturæ locis, ut Rom. 8. & 9. Ephes. 1. Matth. 25. Joann. 10. 1. Petr. 1. Apocalypf. 17. in quibus omnibus per electos, prædestinatos, & oves Christi intelliguntur omnes salvandi. Hinc PP. Concilii Tridentini sess. 6. cap. 12. prædestinatos, & electos non alios, quam salvandos intelligunt. Hinc & illa est Fulgentii sententia lib. de fide ad Petrum cap. 36. qua negat, quemquam eorum, quos Deus non prædestinavit ad vitam, ulla posse ratione salvari: *Firmissime tene, & nullatenus dubites, neque perire posse aliquem eorum, quos Deus prædestinavit ad Regnum Cælorum, neque quemquam eorum, quos non prædestinavit ad vitam, ulla posse ratione salvari:* ergo sicut impossibilis est providentia, in qua prædestinatus possit perire in sensu composito, ita & impossibilis est provi-

dentia, in qua non prædestinatus in sensu composito possit salvari. Sed quid in his immoramur? Usus totius Ecclesiæ id satis evidenter ostendit. In Canone Missæ legitur, *ab æterna damnatione nos eripi, & in Electorum tuorum jubeas grege numerari.* Et pro Defunctis in quadam oratione: *ut in Resurrectionis gloria inter Sanctos, & Electos tuos resuscitatus respiret.* Et in alia: *Deus, cui soli cognitus est numerus Electorum in superna felicitate locandus.* Et rursum: *& nomina omnium fidelium beatæ prædestinationis liber adscripta retineat.* Ergo nec datur salvandus, qui non sit prædestinatus, nec prædestinatus, qui non sit salvandus. Ex his utique, talibusque textibus, & fundamentis, solutionis conficitur repugnantia.

87. Sed alteram accipe ejusdem responsionis repugnantiam, quæ iterum revincitur solutio data. Etenim admissio, & nusquam concessio, quòd prædestinatio non sit simpliciter necessaria ad salutem, negari tamen minimè potest, nullum salvari, qui non sit prædestinatus, & quòd non sit in potestate creaturæ hanc præsentem impedire providentiam. Enimverò numquid præclarissimus ille divinæ providentiæ constitutus ordo, qui certissimè, & infallibiliter consequitur effectum, teste D. Thoma 1. p. q. 22. art. 4. ad 2. & efficacissima ejus virtus, qua illum ordinem servat, regitque causas omnes, nec extra constitutum sibi ordinem egredi patitur, voluntati, & arbitrio humano erit subjecta? An causa secunda in suo gradu posita, constitutum sibi à divina voluntate ordinem transilire potest, & in alio se collocare? An & erit in ejus potestate, quòd prædestinatio, quæ est causa gratiæ, & gloriæ, cum ad gratiam importet respectum causæ ad effectum, ut dicit D. Thomas 1. p. q. 23. art. 2. ad 3. ita fallibilis sit, ut in præsentem providentiam fieri possit, quòd salvetur quis in sensu composito defectus in ipso illius ordinis in salutem æternam in mente divina existentis? Hoc apertè adversatur Isaïæ 46. dicenti: *Annuntians ab exordio novissimum, & ab initio, quæ necdum facta sunt, dicens: consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet: vocans ab oriente avem, & de terra longinquâ virum voluntatis meæ, & loquutus sum, & adducam illum: ubi D. Thomas adnotat super ly stabit, quòd ponit etiam prænuntiationis firmitatem, dicens, stabit, implebitur voluntas hujus placiti: Ecclesiast. 25. consilium ejus sicut fons vitæ. Et Psal. 132. omnia quæcumque voluit, fecit Dominus.* Ita D. Thomas: quibus qualiter choereat, quòd homo possit impedire præsentem divinam providentiam agrè percipitur; sicut & quomodo creatura possit impedire Deum, ne ab æterno habeat providentiam, quam de facto habet, de creaturis intellectualibus, & earum actibus liberis. Hoc iterum dico, penitus incredibile est: non enim creatura providentiam potest habere con-

contrariam legi universali præsentis divinæ providentiæ; nec dari valet in ipsa potestas transmutandi fixum, & universalem prædestinationis ordinem. Quis enim hoc intelligere poterit absque eo, quòd destruat libertas Dei? Cum præsentis providentia impediri non possit, quin impediatur libertas, qua formaliter ordo iste est constitutus. Audiendus D. Thomas profundissimè rem explicans, & quomodo causæ creatæ non constituunt legem necessitatis, vel contingentiæ, sed constituta à superiori causa utuntur, nec possunt constitutum sibi à divina voluntate ordinem transilire. Sic enim scribit 6. Metaphys. lect. 3. *Sciendum est, quòd ex eadem causa dependet effectus, & omnia quæ sunt per se accidentia illius effectus. Sicut enim homo est à natura, ita & omnia ejus per se accidentia, ut visibile, & mentis disciplina susceptibile. Si autem aliqua alia causa non faciat hominem simpliciter, sed hominem talem; ejus non erit constitutivè ea, quæ sunt per se accidentia hominis, sed solum uti eis. Politicus enim facit hominem civilem; non autem facit eum mentis disciplinæ susceptibilem: sed hac ejus proprietate utitur ad hoc, quòd homo fiat civilis. Sicut autem dictum est, ens in quantum ens est, habet causam ipsam Deum. Unde sicut divinæ Providentiæ subditur ipsum ens, ita etiam omnia accidentia entis, in quantum est ens, inter quæ sunt necessarium, & contingens. Ad divinam igitur providentiam pertinet non solum, quòd faciat hoc ens, sed quòd det ei contingentiam, vel necessitatem; secundum enim quòd unicuique dare voluit contingentiam, vel necessitatem, præparavit ei causas medias, ex quibus de necessitate sequatur, vel contingenter. Invenitur igitur uniuscujusque effectus, secundum quod est sub ordine divinæ providentiæ, necessitatem habere. Ex quo contingit, quòd hæc conditionalis est vera, si aliquid est à Deo provisum, hoc erit. Secundum autem quòd effectus aliquis consideratur sub ordine causæ proximæ, sic non omnis effectus est necessarius, sed quidam necessarius, & quidam contingens secundum analogiam suæ causæ. Effectus enim in suis naturis simulantur causis proximis, non autem remotis, ad quarum conditionem pertinere non possunt. Sic ergo patet, quòd cum de divina providentia loquimur, non est dicendum solum, hoc est provisum à Deo, ut sit; sed, hoc est provisum à Deo, ut contingenter sit, vel ut necessarium sit. Unde non sequitur secundum rationem Aristotelis hæc inductam, quòd ex quo divina providentia est posita, quòd omnes effectus sint necessarii; sed necessarium est, effectus esse contingenter, vel de necessitate. Quòd quidem est singulare in hac causa, scilicet in divina providentia. Reliquæ enim causæ non constituunt legem necessitatis, vel contingentiam, sed constituta à superiori causa, utuntur. Unde causalitas cujuslibet alterius causæ subditur solum, quòd ejus effectus sit. Quòd autem sit necessarium, vel contingenter, dependet ex causa altiori, quæ est causa entis, in quantum est ens, à qua ordo ne-*

cessitatis, & contingentia in rebus provenit. Hæc D. Thomas: quibus commendat infallibilem illum divinæ providentiæ ordinem, cujus certitudini, & infallibilitati minimè libertas opponitur creaturæ, cum in productione actus liberi, tam intima sit dependentia à Deo, quam est intima inclusio rationis entis in ipsa ratione differentiali actus liberi, seu modo libertatis.

88. Secundò falsitatis evidentissimè convincitur hæc solutio. Etenim si Petrus non prædestinatus liber est, ut Deus habeat circa ipsum providentiam contrariam Divinæ prædestinationis legi: ergo & in omnibus aliis non prædestinatis hæc eadem agnosci debet potestas, & libertas, cum par in omnibus sit ratio. Hæc sanè est illamet consequentia, qua D. Augustinus probat, Christum Dominum mereri non potuisse gratiam unionis ex meritis liberi arbitrii, quia nempe non esset unus Filius Dei, sed plures. Sic enim discurre lib. 2. de peccat. merit. & remis. cap. 17. *Unum quippe illum esse oportebat. Essent autem & duo, & tres, & plures, si hoc fieri posset, non per Dei proprium donum, sed per hominis liberum arbitrium: ergo pariter essent duo, & tres, & plures impediens præsentem prædestinationis providentiam, semel quòd dependeat à potestate liberi arbitrii; quòd satis, superque eadem ratio persuadet: vel assignent discrimen, cur hæc Augustini consequentia recta sit, & non sit recta illatio facta? Ex quo & novum sequitur inconueniens, quòd omnes isti gloriari poterunt, quòd ipsi ex se ipsis facti sunt Beati, absque eo, quòd in misericordiam Dei prædestinantis ipsorum gloria referri debeat; gloriari poterunt, quòd Deus mirabilis in aliis Sanctis suis, non gloriosus sit in ipsis, cum non misericorditer, sed ex libero arbitrio auxiliis sufficientibus constituto, ad tantum gloriæ culmen evecti sint; quòd & adversus jam dicta ex Sacra Scriptura, & SS. PP. pugnare est manifestum, & falsum omnino (ni me opinio fallit) reddat illud Augustini effatum Pelagianos redarguentis, qui Sanctos impensissimè laudabant, ut Deum minimè sanctitatis auctorem agnoscerent, sed ipsos non in Domino, sed in seipsis gloriari debere. Sic enim habet lib. 3. ad Bonif. cap. 8. *Sancti omnes sive ab antiquo Abel usque ad Joannem Baptistam, sive ab ipsis Apostolis usque ad hoc tempus, & deinceps usque ad terminum sæculi, in Domino laudandi sunt, non in seipsis: quia & illorum anteriorum vox est: in Domino laudabitur anima mea; & istorum posteriorum vox est: gratia Dei sum id, quòd sum, & ad omnes pertinet, ut qui gloriatur, in Domino gloriatur.* Sed ne hæc repetantur, lectorem ad suprascripta remittimus. At prætermittere non debemus Sacra Scripturæ sententias, quibus non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei esse, homines beatificare credimus. Ecce excluditur à prædestinationis ratione humanum arbitrium, & sola exalta-*

tatur prædeterminationis misericordia. Deinde Deum Dominum esse glorie omnium propriissima dominii ratione, atque licere Christo Regi quod vult facere, ut in parabola Operariorum dignatus fuit exponere, quis inficiabitur? At ubinam hæc, si hominis est actiones impedire dominii Dei, & aliter facere, quam Dominus fieri constituit de bonis suis?

89. Tertiam præterea instantiam adversus argumenti doctrinam duplici Scripturæ testimonio intendimus, nempe ex dicto Christi Domini S. Petro: *ter me negabis; rogavi pro te, ne deficiat fides tua*, ex quibus duplex sequens conficitur discursus. Et quidem ex primo: quidquid summa, & infallibilis veritas dicit fore, erit; sed Christus Dominus dixit Petro, *ter me negabis*: ergo negaturus erat Christum: sed consequens fuit liberum D. Petro, quin fuerit in ipso libertas impediendi præmissas; cum nec fuerit potestas, vel ut summa Veritas posset subire falsum, vel ut à Christo Domino hoc non fuerit ipsi dictum: ergo malè arguitur ex dicta necessitate præmissarum ad necessitatem absolutam consequentis. Similiter ex secundo Christi Domini dicto idem sumitur argumentum. Christus Dominus rogavit pro Petro, ne deficeret fides ejus; sed hæc oratio Christi Domini inanis esse non potuit: ergo fuit in Petro perseverantia fidei: sed hæc fidei perseverantia fuit liberrima in Petro, absque eo quod fuerit in ipso potestas impediendi veritatem præmissarum: quidquid in oppositum sentiant P. Ramirez disp. 5. cap. 2. num. 83. & Doctor Prado disp. 11. sect. 6. num. 118. cum non fuerit ab ipso impediibilis nec existentia orationis, nec dicti Christi Domini, non impedita prius ejus libertate; nec efficacia orationis, & infallibilis locutionis Dei: ergo nulla censenda est consequentia, quæ ex impediibilitate præmissarum docet absolutam consequentis necessitatem, quâ nos ipsi vehementius impugnant. Sed & observandum, indefectibilem à Cathedra Petri fidem nos omnes ei testimonio firmiter innixos tenere, & credere. Numquid taliter constituta est Petra hæc, ut eam possint homines amovere? Firmitas ne ejus humano arbitrio relicta est? Immo divino; & inde nobis est securitatis solatium; quod ille promissit qui facere sua sola virtute potest; & quod in perseverantia fidei sit hominibus libertas, & meritum; & quod ipsorum non sit, aut esse possit frustrare infallibilis promissionis beneficium.

90. At quamvis, his arguendi formis de gradu defectis, abundè argumenti comprobetur inefficacia, placet ad objecta respondere, vel absolute negando maj. vel ipsam claritatis gratia distinguendo: qui non potest falsificare aliquam ex præmissis non potest falsificare conclusionem, potentia prima & independenti conc. maj. Potentia secunda & dependenti neg. maj. & sub eadem distinctione min. neg. conseq. Distinctio constat ex

eo, quod minor syllogismi contrarii continet Divinum concursum, per cujus existentiam Deus in agendo voluntatem subjicit sibi. Potestas ergo verificandi, & falsificandi minorem illa sola est, cui potentia Dei fuerit subiecta: quare si hæc fuerit in voluntate creata, voluntas creata Dei potentiam habebit sibi subiectam. Ex quibus facilis est similiter ad primam majoris probationem responsio: nam concessio antecedenti, distinguo consequens, non potest falsificare conclusionem potestate primâ, & independenti, conc. consequentiam: potestate secundâ, & dependenti in exercitio falsificandi conclusionem, neg. consequentiam.

91. Ad secundam majoris probationem ut respondeamus, etiam illud est animadvertendum, conclusionem formaliter, & in se ipsa sumptam distingui formaliter à præmissis, immo & realiter, quando medium est vera, & formalis causa conclusionis, ut in præfenti syllogismo accidit. Nam etsi tota veritas conclusionis virtualiter in præmissis contineatur, veritas tamen conclusionis est formaliter à præmissis distincta. Quod fit manifestum, tum ex definitione syllogismi, in qua dicitur, *quibusdam positis, & concessis, necesse est aliud accidere præter ea, quæ posita sunt, & concessa*; quia scilicet aliud est conclusio à præmissis: tum quia si conclusio à præmissis non distinguitur, dum probatur conclusio per præmissas, idem probaretur per idem: tum denique in syllogismo objecto, *omnis homo prædefinitus ad operandum operatur; Petrus est prædefinitus ad operandum: ergo Petrus operatur*, major est independens à veritate minoris, & conclusionis; conclusio verò importat operationis existentiam, quæ licet virtualiter contineatur in minori, at non formaliter, cum sit illius verus, & realis effectus.

92. Rursus observandum, quod sicut veritas conclusionis essentialiter dependet à veritate minoris, & illam supponit, sicut effectus causam; ita falsitas conclusionis præsupponit essentialiter minoris falsitatem. Ex quibus duo sequuntur, primum, quod quidquid opponitur veritati conclusionis, opponitur etiam veritati præmissarum; at non formaliter, sed illativè, & arguitivè, id est, falsitas conclusionis legitime deductæ ex præmissis, arguit alteram saltem præmissarum, esse falsam. Et cum major istius syllogismi sit propositio essentialiter vera, ac subinde omnino infalsificabilis, falsitas suæ conclusionis infert necessariò falsitatem minoris, id est, Deum non prædefinisisse Petrum ad operandum, cujus contrarium asserit minor. Sequitur secundò, potestatem Petri ad operandum, & ad falsificandam conclusionem, quæ enunciat operationis existentiam esse, subordinatam, & quæ nunquam falsificabit conclusionem minoris falsitate non præsupposita. Quare ad probationem dico, quod con-

conclusio legitime illata identificatur cum præmissis virtualiter, non formaliter; & ideo non est necessarium realiter opponi præmissis quidquid realiter, & formaliter opponitur conclusioni: sufficit enim, quod illis opponatur illativè, sicut non esse effectus opponitur esse suæ causæ; & distinguo consequens; non fiat potentia ad ponendum aliquid realiter oppositum conclusioni, quin sit potentia ad destruendam aliquam ex præmissis, si potentia illa sit agentis primi omnia sibi subjicientis, conc. consequentiam, si potentia sit causæ subordinatæ, neg. consequentiam, quod esse verissimum ex dictis facile intelligitur.

93. Nec habet similiter locum tertia probatio, nam concess. antecedenti, negatur consequentia. Quia si præmissæ essent ex terminis necessaria, conclusio etiam esset ex terminis necessaria, & actus non evaderet liber, sed omnino necessarius. Ex eo verò, quod præmissæ sint Petro necessaria, si tamen illarum altera sit absolute contingens, conclusio evadit absolute contingens, quia conclusio sequitur debiliorem partem. Quod si præmissa contingenter existens contineat illam Dei efficientiam, quæ supposita in voluntate potestate proxima, & expedita ad utrumlibet, voluntatem Deo in exercitio libertatis subjicit, quantumvis sit operanti necessaria, id est non libera ut quod, libertatem actus non destruit. Hæc enim est illa gratia, qua, docente Concilio Tridentino sess. 61. cap. 5. eget homo, *ut coram Deo ad suam justificationem se possit movere sua libera voluntate*; ubi post libertatem habitat, & ultra illam, aliam requirit gratiam, quæ det potestatem consequentem, non antecedentem, quæ supponitur data cum libertate. Quibus ad alias majoris probationes, quæ contra nos stare videntur, etiam respondendum.

94. At cum difficultatem hujus argumenti nobis iterum sub terminis aliis objiciant, iterum ad examen vocari debet; nam inquirunt, hæc est optima argumentatio: *omnis homo prædeterminatus consentit, & hoc est illi inevitabile: Petrus est prædeterminatus, & hoc est illi inevitabile: ergo Petrus consentit, & hoc est illi inevitabile*: sed præmissæ veræ sunt, prædeterminatione in Petro existente: ergo etiam conclusio: & consequenter positâ in Petro prædeterminatione, inevitabilis est consensus. Major probatur primò, quia iste est bonus syllogismus: *omnis prædeterminatus consentit: Petrus est prædeterminatus: ergo consentit*: ergo cum sint similis formæ, eadem rectitudine gaudet primus syllogismus positus. Secundò, quia negari minimè potest bonitas hujus syllogismi: *omnis homo est animal: Petrus est homo: ergo Petrus est animal*; sicut & rectitudo hujus: *omnis homo est animal, & hoc est illi inevitabile: Petrus est homo, & hoc est illi inevitabile: ergo Petrus est animal, & hoc est illi inevitabile*. Sic P. Antoninus Perez de Scient. disp. 3. cap. 4.

95. Patitur argumentum instantiam manifestam, si ly *inevitabile* mutetur in ly *involuntarium*, hac forma: *omnis homo prædeterminatus ad consensum consentit, & hoc est illi involuntarium; sed Petrus est prædeterminatus ad consensum, & hoc est involuntarium Petro: ergo Petrus consentit, & hoc est involuntarium Petro*; in quo præmissæ sunt apud omnes veræ, & consequens apud omnes falsum: quia licet Deus prædeterminaret consensum, hic non esset involuntarius, sed apud omnes à coactione liber. De voce *inevitabile* jam supra monuimus non alio sensu in his materiis usurpari, quam si dicatur *infallibile*; animadvertentes, apud Grammaticos, & Ethnicos *inevitabile* dici, quod præter libertatis exercitium eveniens, illam impedit, coarctat, ei opponitur, naturalis operationis necessitatem inducit, & inimicum libertati est. Dum autem ea vox ad præfenti disputationis argumenta transfertur, ita alienatur, ut cum non aliud quam *infallibile* significet; non destruat, immò perficiat significatum ejus exercitium libertatis: quo fit, ut per *infallibile* significetur non solum, quod actus eveniet, sed & quod liberè eveniet. Hoc posito fallaciam argumenti detexit sapientissimus M. Bolivar de provid. §. ultimo, animadvertens, quod ly *& hoc est illi inevitabile* potest cadere supra *consensum*, & potest ferri supra *totam propositionem*: si primo construat modo, ut feratur supra *consensum*, talem reddit sensum propositio: *omnis homo prædeterminatus consentit consensu inevitabili*; quæ propositio est omnino falsa, cum consensus prædeterminatus evitabilis sit. Si autem additum illud, *& hoc est illi inevitabile* supra sensum totius cadat propositionis, major est vera: nam hæc propositio: *omnis homo prædeterminatus consentit, est necessariò vera, nec potest reddi falsa, nisi per hoc, quod carentia consensus cum prædeterminatione componatur, quod est implicatorium*. In hoc sensu fit fallacia manifesta, & omnibus constat, quantum à veritate aberrat modus ille arguendi; nam si ly *inevitabile* cadit supra *consensum*, syllogismus est bonus, sed major est omnino falsa: nam etsi inevitabiliter verum sit, quod omnis homo prædeterminatus consentit, est etiam verum inevitabiliter, quod consentit consensu libero: unde conclusio prædicti syllogismi est falsa, quia ex majori infertur in sensu illo accepta, in quo est falsa: si verò additum illud, *& hoc est illi inevitabile*, secundo modo accipiatur, syllogismus est reprehensibilis: quia ex infalsificabilitate præmissarum, infert necessitatem absolutam conclusionis, seu consequentis, cum tamen conclusio tantum sit necessaria necessitate consequentiæ, ut multoties dictum est. Non enim libertas creata requirit potestatem ad falsificandam minorem, in qua concursus Dei importatur: nam hæc potestas chimerica est, utpotè quæ necessariò Deum supponit voluntati, ac domi-

minio creato subjectum; cum è contra potestas voluntatis liberæ Deo constitui debeat subjecta, & in exercitio consentiendi per ipsum concursum Deo subordinata. Constat ergo syllogismi defectus in eo, quod inevitabilitas adjecta majori appellat non supra consensum, sed supra veritatem majoris: unde major est vera: in conclusione verò appellat supra consensum; nam etsi appellet supra veritatem propositionis; quia tamen illa est vera à consensu exercito, dum appellat supra illam, supra consensum appellat. Hoc autem locum non habet in majori, quæ æternæ veritatis cum sit, non importat consensum exercitum, sed signatum.

96. Possit & alius defectus, qui frequenter in re istâ committitur in prædicto syllogismo designari. Arguitur quippe in illo, à negatione potentia consequentis ad negationem potentia antecedentis, sive à negatione potestatis in sensu composito ad negationem potestatis in sensu diviso. Quod ut pateat, propositiones expendamus: illa quippe, omnis homo prædeterminatus consentit, & hoc est illi inevitabile, facit planè sensum istum: Omnis homo prædeterminatus consentit, & cum prædeterminatione non potest carentiam consensu conjungere: vel clariùs, facit istum: Omnem hominem prædeterminatum consentire est inevitabile. Quæ propositiones sunt compositæ, & in illis negatur homini prædeterminato potestas consequens, sive potestas conjungendi cum prædeterminatione carentiam consensu. At in conclusione per illud additum negatur homini omnis potestas ponendi carentiam consensu, ac subindè negatur illi potestas antecedens, & in sensu diviso ad carentiam consensu, & arguitur à sensu composito ad divisum negativè; quod est arguere à non amplo ad amplum negativè, vel à parte disjunctiva ad negationem totius, qui arguendi modus fallax, & vitiosus est; non enim valet: Petrus non est albus: ergo non est albus, vel niger. Hactenus de hoc argumento.

S. VI.

Reliqua solvantur argumenta.

97. **O**bjicies primò argumentum, quod hac notâ commendat Reverendiss. P. Thyrsus: Demonstratio contra prædeterminationem. Sic tom. I. disp. II. sect. 2. à num. 8. & in indice qq. Philos. citans sectionem relatam, inquit: Demonstratur perspicuè pars negativa, nempe quòd Deus non concurrat concursu prævio prædeterminante ad nostros actus liberos. Placet argumentum sub eisdem terminis proponere. Nulla voluntas prædeterminata ad actionem amandi, habet potestatem antecedentem ad faciendum, ne actio amandi ponatur à parte rei: ergo nulla voluntas prædeterminata ad actionem amandi manet libera ad non amandum.

Probatur antec. prædeterminationem actu influere in actionem amandi est actionem amandi poni à parte rei, & è converso: sed nulla voluntas prædeterminata ad actionem amandi habet potestatem antecedentem ad faciendum, ne actio amandi influat in actionem amandi: ergo nulla voluntas determinata ad actionem amandi habet potestatem antecedentem ad faciendum, ne actio amandi ponatur à parte rei.

98. Concessis præmissis (inquit ipse) nequit negari consequentia, quia syllogismus est in formâ, nempe in secundo modo secundæ figuræ: unde si quis negaret consequentiam, posset statim per reductionem cogi ad concedendas duas contradictorias, arguendo ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis in hunc modum: ergo voluntas aliqua prædeterminata ad actionem amandi, habet potestatem ad faciendum, ne prædeterminatio actu influat in actionem amandi, quæ conclusio opponitur contradictoriè cum minori concessa in priori syllogismo. Et quidem hic secundus syllogismus, mutata majori in minorem, est in Darii, ut discurrenti constabit.

99. Restat, prosequitur Author iste, seorsum probare præmissas illius syllogismi, & in primis major videtur manifesta: nam actualis influxus prædeterminationis in actionem amandi, non distinguitur ab actuali influxu voluntatis; siquidem prædeterminationem actu influere, idem est, ac voluntatem, ut prædeterminatam actu influere; voluntatem ut prædeterminatam actu influere in actionem amandi identificatur cum actione amandi: siquidem non influit in illam per aliam actionem: ergo idem est realiter, actionem amandi existere à parte rei, ac prædeterminationem physicam actu influere in actionem amandi, & è converso. Min. verò sic probatur: physicam prædeterminationem non influere actu in actionem amandi, ex terminis est, vel physicam prædeterminationem non existere, vel ad illam jam existentem non sequi actionem amandi, sed nulla voluntas prædeterminata ad actionem amandi, habet potestatem ad faciendum, ne existat physica prædeterminatio, vel ne ad illam jam existentem sequatur actio amandi: ergo nulla voluntas prædeterminata ad actionem amandi habet potestatem antecedentem ad faciendum, ne physica prædeterminatio actu influat in actionem amandi.

100. Quod sub aliis terminis forsan urgentius sic proponitur, subdit ille: Voluntas prædeterminata ad actionem amandi nullam habet potestatem ad impediendum influxum passivum prædeterminationis in actionem amandi; sed hic influxus est ipsa actio amandi: ergo voluntas prædeterminata ad actionem amandi nullam habet potestatem ad impediendum actionem amandi. Minor est conspicua, quia ille influxus passivus nihil aliud est, quàm dependentia actionis amandi à prædeterminatione: hæc autem dependentia est ipsamet actio, quæ sicut per se ipsam est dependenter à voluntate, ita juxta Adversarios, est dependentia à prædeterminatione. Major suadetur. Impedire influxum passivum præde-

ter-

terminationis est, vel facere, ne existat prædeterminatio, vel ne ad ipsam existentem sequatur actio; nam ex terminis non est alius modus impediendi influxum causæ; sed voluntas prædeterminata ad actionem amandi nullam habet potestatem ad faciendum, ne existat prædeterminatio, nec ad faciendum, ne ad ipsam existentem sequatur actio: ergo voluntas prædeterminata ad actionem amandi nullam habet potestatem ad impediendum influxum passivum prædeterminationis in actionem amandi. Sic prælaudatus Auctor acutissimè, & formalissimè pro suo more, ut nihil solidius, aut efficacius videatur posse opponi contra nostram physicam prædeterminationem.

101. Secundò replicat RR. Thyrsus ibidem num. II. Ponamus voluntatem prædeterminari ad nolitionem amoris, & probo, eam tunc non liberè, sed necessariò omittit amorem. Voluntas prædeterminata ad nolitionem amandi nullam habet potestatem ad faciendum, ut existat actio amandi: ergo non liberè, sed necessariò omittit amorem. Probatur antecedens: voluntas prædeterminata ad actionem amoris nequit facere, ut actio amandi conjungatur cum prædeterminatione amoris; sed actionem amandi existere est actionem amandi conjungi cum prædeterminatione amoris: ergo voluntas prædeterminata ad nolitionem amoris nequit facere, ut actio amandi existat. Minor videtur clara, siquidem existere actionem amandi est conjungi cum voluntate, ut prædeterminata ad amandum; & hoc est conjungi cum prædeterminatione. Rursus, quia actio amandi est conjunctio sui cum suis causis, & cum omnibus essentialiter prærequisitis ad ipsam, in quibus per se numeratur prædeterminatio amoris.

102. Major autem probatur: voluntas prædeterminata ad nolitionem amoris non potest facere, ut prædeterminatio amoris conjungatur cum actione amandi: ergo nec potest facere, ut actio amandi conjungatur cum prædeterminatione amoris. Patet consequentia; quia illa duo solum differunt penes nomen activum, vel passivum. Probatur verò antecedens: voluntas prædeterminata ad nolitionem amoris necessariò, & absque libertate caret prædeterminatione amoris, nec illam potest pro libito suo acquirere; sed nulla potentia habet facultatem ad faciendum, ut forma, qua necessariò, & absque libertate caret, & quam pro libito suo nequit acquirere, conjungatur cum aliquo alio, ut videtur manifestum: ergo voluntas prædeterminata ad nolitionem amoris, nequit facere, ut prædeterminatio amoris conjungatur cum actione amandi. Sic ille; validissimè sanè.

103. Sed hæc clarissima demonstratio, ubi principiorum nostrorum ratio habeatur, in fumum evanescit. Et ut melius argumenti æquivocationis origo, fonsque detegatur funditus, respondetur negando antecedens primi Enthymematis, & ad prob. negando majorem primi syllogismi. Etenim quamvis vera sit in sensu illativo, quatenus ex eo,

quòd physica prædeterminatio actu influit in actionem amandi, benè inferitur, actionem amandi existere, sive poni à parte rei; in sensu tamen formali, & in proprietate Scholastica est falsa: sicut generaliter falsum est, quòd causam actu influere in effectum sit effectum existere, sive poni à parte rei: cuius ratio ea est, quia ly influere, quod ponitur ex parte subjecti, importat de materiali causam, & de formali influxum activum causæ: hoc autem concretum poni à parte rei, sive hoc (quod idem est etiam apud argumentum) existere, importat de materiali effectum, & de formali existentiam effectus. Extra omnem quætionem est, quòd causa efficiens realiter distinguitur ab effectu; & similiter influxus activus causæ ab existentia effectus: falsa ergo est absolutè, & ex terminis illa propositio: physicam prædeterminationem actu influere in actionem amandi est actionem amandi poni à parte rei; & etiam è contra: nam juxta regulas Dialecticorum, ut propositio categorica affirmativa sit vera, requiritur, quòd subjectum, & prædicatum supponant pro eodem. Implicat autem supponere pro eodem, si tam pro formali, quàm pro materiali realiter distinguuntur, ut per se patet. Hinc jam evanescit, ut dixi, demonstratio: nam demonstratio juxta omnes Logicos debet consistere ex veris, certis &c. Neque obstat, quòd illa major sit vera in sensu illativo, ut diximus; quia quamvis propositiones hypotheticæ, conditionalis, rationalis, & causalis denotent illationem ratione particularum, ergo, quia, quæ à Dialecticis appellantur notæ illationis; quapropter istæ tres propositiones debent concedi: Si physica prædeterminatio actu influit in actionem amandi, actio amandi existit. Et ista rationalis: Physica prædeterminatio actu influit in actionem amandi ergo actio amandi existit. Et ista causalis: Quia physica prædeterminatio actu influit in actionem amandi, actio amandi existit: propositio tamen categorica nullatenus denotat illationem. prædicati ex subjecto, sed dumtaxat convenientiam prædicati ad subjectum, qua deficiente, etiam stante illatione, propositio est falsa, ut patet in ista: Hominem esse rationalem est esse risibilem. Unde cum major primi syllogismi sit propositio categorica, cujus prædicatum tam pro materiali, quàm pro formali distinguitur realiter à subjecto; fit, quòd talis propositio sit falsa, & absolutè neganda, quamvis prædicatum inferatur ex subjecto, qua ratione diximus, esse veram in sensu illativo.

104. Ad probationem majoris respondetur negando antecedens, nempe: actualis influxus prædeterminationis in actionem amandi non distinguitur ab actuali influxu voluntatis, quod planè est falsum; nam actualis influxus prædeterminationis non distinguitur ab ipsa prædeterminatione, quæ sicut se ipsa est motio actualis Dei virtuosa ad amandum ita se

H h h

ipsa

ipsa est terminus actionis aeternae Dei, & actualis influxus Dei in actionem amandi: influxus verò actualis voluntatis est ipsa actio amandi, quae cum sit actio acta, simul est effectus, & influxus; non enim voluntas influit in actionem amandi per aliam actionem ab ipsa actione amandi distinctam. Unde cum physica praedeterminatio realiter distinguatur ab actione amandi, etiam actualis influxus praedeterminationis in actionem amandi realiter distinguitur ab actuali influxu voluntatis. Ad hujus antecedentis probationem, nego, idem esse, praedeterminationem actu influere, ac voluntatem praedeterminatam actu influere; quin potius haec duo sunt valde diversa: nam cum dico, praedeterminatio influit, solum significo influxum praedeterminationis, non verò influxum voluntatis. Cum autem dico: voluntas ut praedeterminata influit, utriusque causae influxum significo, scilicet Dei, & voluntatis: unde non sunt idem, sed diversa: sicuti eadem ratione valde diversum est dicere, Sol generat hominem, ac dicere, Sol, & homo generant hominem. En qualiter solius Dialecticae rudimentis (ad quam pertinet sophismatum fallacias detegere) argumentum, quod viro verè sapienti visum est demonstrativum, majoris, & probationis ipsius falsitate languescit. At si tale est, quod tanquam demonstratio contra physicam praedeterminationem objicitur; qualia censuimus reliqua, quae suis auctoribus demonstrativa non videntur?

105. Sed omittis his nunquam contemnendis Dialecticorum praecipis, distinguo majorem primi syllogismi: physicam praedeterminationem actu influere in actionem amandi est actionem amandi poni à parte rei, *formaliter* nego majorem: sic enim solum ponitur à parte rei per existentiam, quae est unica forma ponens formaliter rem extra causas: est actionem amandi poni à parte rei, *efficienter*, subdist. est poni efficienter, prout actio amandi est à Deo, concedo maj. prout à voluntate, neg. maj. Et concessa minori, distinguo consequens: ergo nulla voluntas praedeterminata ad actionem amandi habet potestatem antecedentem ad faciendum, ne actio amandi ponatur à parte rei, quatenus actio amandi est à Deo, concedo consequentiam, quatenus est ab ipsa voluntate, nego consequentiam. Itaque ad nostrum liberum amorem duae causae concurrunt, Deus ut causa prima praedeterminando voluntatem ad amorem; voluntas ut causa secunda praedeterminata à Deo, praedeterminatione se habente per modum applicationis ad actum, & ut concursus ipsius Dei, non verò ut concursus ipsius voluntatis. Unde praedeterminationem influere in amorem, est efficere amorem, quatenus amor est à Deo, tanquam à causa prima; non tamen est efficere amorem, quatenus amor est à voluntate, ut à causa secunda. Et licet voluntas

praedeterminata ad amorem nulla potentia impedire possit, ne existat amor prout est à Deo; habet tamen potentiam antecedentem ad faciendum, ne sit amor, prout est ab ipsa voluntate: quia quamvis per praedeterminationem applicetur ad amorem, & tollatur ejus indifferentia suspensionis; cum tamen ei nulla virtus adimatur, non tollitur indifferentia potestatis, quam habebat ad amorem, & odium. Unde sicut voluntas praedeterminata ad amorem habet potestatem ad ponendum odium; ita habet potestatem antecedentem ad faciendum, ne existat amor, prout est ab ipsa voluntate. Ut autem salvetur plena amoris nostri libertas, sufficit, quod voluntas praedeterminata ad amorem possit impedire ejus existentiam, prout est à voluntate, & non requiritur, quod possit eam impedire, prout est à Deo, quod necesse est fateri, si voluntas praedeterminetur à Deo, si non; ut enim docet D. Thomas 1. p. q. 19. art. 8. cum voluntas Dei sit efficacissima, à nullâ causâ secundâ impediri potest, quod suum effectum non producat, tam quoad substantiam, quam quoad modum. Et insuper, quia si voluntas posset impedire amorem, prout est à Deo, haberet dominium supra amorem, prout est à Deo; ac proinde supra ipsum Deum, ut causam amoris, quod planè est dominium creatum supra Divinum extollere, & primatum Divinae causalitatis deprimeret. Haec sunt prima praedeterminantium rudimenta. Unde argumentum factum ad limen praedeterminationis hæret.

106. Ex his ad probationem consequentiae respondetur distinguendo consequens: ergo voluntas aliqua praedeterminata ad actionem amandi habet potestatem ad faciendum, ne actio amandi ponatur à parte rei, prout actio amandi est à voluntate, conc. consequentiam, prout est à Deo, neg. consequentiam. Et explicata minori subiuncta, prout supra, neg. consequentiam. Ad confirmationem urgentius propositam (quae quidem est eadem cum precedenti, non urgentius, sed sub obscurioribus verbis, & confusius obvoluta) respondetur, conc. maj. sicuti enim voluntas nullam habet potestatem ad impediendum influxum activum praedeterminationis, ita nec ad impediendum ejus influxum passivum. Et disting. min. sed hic influxus est ipsa actio amandi, prout à Deo, concedo min. prout à voluntate, neg. min. quia prout est à voluntate est influxus activus ipsius voluntatis. Et dist. consequens distinctione data.

107. Ad id, quod secundo loco dicitur num. 61. respondetur primò, prætermissa majori, negando minorem, quae falsa est, terminis cum proprietate acceptis. Aliud namque est, quod ex eo, quod actio amandi existat, inferatur, ipsam conjungi cum praedeterminatione amoris, & cum voluntate, ut praedeterminata ad amorem; & aliud, quod exi-

existere actionem amandi consistat formaliter, vel sit conjungi cum praedeterminatione amoris, vel cum voluntate praedeterminata ad amandum. Primum verum est; secundum falsum: etenim actionem amandi existere nihil est aliud ex vi terminorum, quam esse extra omnes suas causas; ad quod sequitur conjunctio illius cum praedeterminatione amoris, & cum voluntate praedeterminata ad amandum, quae sunt causae ipsius. Per quod patet ad primam minoris probationem, & ad secundam respondetur negando antecedens. Actio enim amandi est actualis tendentia voluntatis in objectum per modum prosecutionis; quod ei convenit, etiam si non existat, nec cum suis causis conjungatur. Fateor autem, quod sicut hæc propositio est vera, vel accidentaliter, vel contingens: *Actio amandi existit; ita hæc est vera, licet contingens: actio amandi conjungitur, seu est conjuncta cum suis causis.* Hæc autem, quae in probatione ponitur, est falsa: *Actio amandi est conjunctio sui cum suis causis, nec inferitur ex prima, ut patet in simili: hæc enim est vera, licet contingens: Materia prima unitur, siue est unita forma: & tamen hæc: materia est unio cum forma, est falsa, etiam in sententia negante modum unionis realiter distinctum ab extremis.* Et ratio utrobique est eadem: nam eodem modo comparatur unio ad extrema unita, & è contra, sicuti conjunctio ad extrema conjuncta, & è contra. Debent ergo in amore considerari prædicata ipsius quidditativa, & intrinseca, quae omnia sunt in potestate voluntatis praedeterminatae ad nolitionem amoris: impossibilitas ergo illa amoris orta ex decreto praedeterminante ad nolitionem amoris, extrinseca est amanti, nec ad illum pertinet in recto, & constitutive, sed in obliquo, & de connotato, non quidem essentialiter, sed accidentaliter, & quae salva amoris essentia potuit deficere. Unde sicut non requiritur potestas acquisitiva praedeterminationis ad nolitionem amoris, quae necessariò præsupponeret Deum sibi subjectum, ut voluntas sit subordinatè potens ad nolitionem amoris, licet ad hanc nolitionem sit praedeterminatio essentialiter prærequisita: ita quoque, ut sit potens subordinatè ad amorem, non requiritur potestas ad destruendam praedeterminationem ad nolitionem amoris, siue potestas acquirendi praedeterminationem amoris, cum hæc potestas constitui debeat per subordinationem ad Deum. Quare non requiritur in causa inferiori, ut sui effectus causa dicatur, potestas ad ponendum influxum causae superioris, à quo causa inferior in agendo necessariò dependet; sicut homo robustus dicitur absolutè potens generare, et si influxum solis, à quo in generando pendet, non valeat ponere: & equus fortis, & sanus absolutè dicitur potens currere, et si concursum primae causae per se acquirere non valeat. Quorum omnium eadem est ratio,

quia videlicet salvatur ratio causae inferioris per hoc, quod omnia sui actus, aut effectus prædicata intrinseca contineat, nec requiritur, quod omnia alia requisita, & adjuvantia possit ponere, aut impedienda remove. Sic in præsentibus dicimus, voluntati praedeterminatae ad nolitionem amoris esse absolutè possibilem amorem, quia potens est ad omnia prædicata intrinseca amoris, licet alia extrinsecè concurrentia ex parte causae primae nec valeat acquirere, nec repellere.

108. Vel melius, nisi mea me fallit opinio, respondetur negando majorem; instaturque ejus probatio in auxilio indifferenti, sub quo Deus per scientiam mediam prævidit voluntatem amataram, cum eodem medio probetur, voluntatem non posse facere, quod dictum auxilium conjungatur cum actione amandi; & sit similis argumentatio: *Voluntas necessariò, & absque libertate caret auxilio indifferenti A, nec illud potest pro libito suo acquirere; sed nulla potentia habet facultatem ad faciendum, ut forma, qua necessariò, & absque libertate caret, & quam pro libito suo nequit acquirere, conjungatur cum aliquo alio, ut videtur manifestum: ergo voluntas nequit facere, ut auxilium A indifferens conjungatur cum actione amandi: ac proinde non potest facere, ut actio amandi conjungatur cum auxilio A indifferenti, sub quo prævidetur amatara per scientiam mediam.* Sanè iste syllogismus est omnino similis formae cum illo, qui nobis objicitur, solumque ex parte materiae nomen praedeterminatio mutatur in auxilium A indifferens. Ex quo inferitur evidenter, quod si, ut nostra actio amandi sit libera, non requiritur, quod voluntas possit facere, ut auxilium A indifferens, sub quo prævidetur amatara, conjungatur cum actione amandi; similiter, ut actio amandi sit libera, non requiritur, quod voluntas possit facere, ut praedeterminatio amoris conjungatur cum actione amandi: sicut enim in principiis Thomistarum ad actionem amandi cum effectu in re ponendam, requiritur praedeterminatio amoris; sic in principiis Societatis requiritur auxilium A indifferens, sub quo Deus prævidet voluntatem amataram. Quamvis ergo concederemus consequentiam primi syllogismi, nihil inde depremerent Adversarii, si ipsi concedant consequentiam secundi. Si autem concessis præmissis, negent consequentiam; cum hic secundus syllogismus sit similis formae cum primo, pariter in primo erit neganda consequentia, propter defectum mihi ignotum in utroque.

109. Neganda est ergo absolutè minor. Certè in eorum principiis voluntas habet facultatem ad conjungendum cum amore auxilium A indifferens, sub quo prævidetur amatara, & nihilominus necessariò, & absque libertate caret illo, nec pro suo libito potest illud acquirere. Jam ergo datur potentia ad faciendum, ut forma, qua necessariò caret, & quam

& quam pro libito suo nequit acquirere conjungatur cum aliquo alio. Similiter generaliter loquendo, in eodem sensu, quo quælibet causa secunda potest producere suum effectum, potest conjungere cum illo concursus causæ primæ, qualicumque sit iste concursus: siquidem non stat cujuscumque effectus positio absque conjunctione concursus divini cum illo: & tamen omnis causa secunda necessariò, & non liberè caret divino concursu, quem pro suo libito nequit acquirere, cum in solius Dei sit potestate. Hoc ex dictis fit evidens.

110. Ex quibus ad probationem majoris distinguitur major: non est potens ponere, amorem potestate prima, & independenti, conc. maj. potestate secunda, & dependenti, neg. maj. & distincta eodem modo minori, neg. consequentiam. Vel claritatis gratia aliter distinguitur major: voluntas prædeterminata ad nolitionem amoris non potest facere, ut prædeterminatio amoris conjungatur cum actione amandi, potestate primâ, & independenti, conc. maj. potestate secundâ, & dependenti, neg. maj. & dist. min. qui caret prædeterminatione, nec illam potest pro suo libito acquirere, non potest ponere amorem potestate primâ, & independenti, conc. min., potentia secundâ, & dependenti in positione amoris, neg. min. & consequent. Etenim conjunctio prædeterminationis cum amore duo importat, & prædeterminationem, & amorem: licet ergo voluntas non habeat sufficientem virtutem, ut existat prædeterminatio, & consequenter, ut sit coexistentia prædeterminationis cum amore, est tamen verè potens ad consensum, & amorem. Quid enim diversissimum est habere potestatem ad consensum conjunctum cum prædeterminatione, ac habere potestatem ad existentiam prædeterminationis, & coexistentiæ hujus cum consensu, & amore: sicut quid diversissimum est, posse voluntatem ponere peccatum permissum à Deo, ac posse ponere

existentiam permissionis divinæ, & coexistentiam hujus cum peccato. Sicut ergo voluntas potest ponere peccatum, quod est cum permissione conjunctum, quamvis non possit ponere permissionem, nec coexistentiam hujus cum peccato; ita & voluntas est potens ponere consensum, qui conjungitur cum prædeterminatione, quamvis non possit ponere conjunctionem prædeterminationis cum amore. Etenim hæc potestas agentis secundi liberi in positione amoris est dependens, & Deo subordinata. Undè sufficit, quod conjunctio inadæquatè, ea parte nempe, qua nominat consensum, sit in ejus potestate; non tamen requirit, quod conjunctio adæquatè sumpta secundum quod in recto dicit prædeterminationem, & consensum, sit in ejus potestate. Hoc potius esset contra rationem libertatis creatæ, & participatæ, ut supra ostendimus: si namque medium, quo determinatur ad operandum esset in ejus potestate, non esset liberum secundum, sed primum, & independens; cum independenter ab influxu superioris causæ subordinantis ipsum, haberet in sua potestate omnia ea, sine quibus non potest existere actus.

111. Ex his inferes, quàm incertis mediis, & argumentis nitatur sententiæ contrariæ contra prædeterminationem physicam demonstratio: quàm infirma sit, ut Thomistarum doctrina tot egregiis motivis commendabilis eliminari possit. Sed argumentum potius suadet, parvipendam apparentem illam impossibilitatem concordie liberi arbitrii cum gratia ab intrinseco efficaci: quod totum Lector, vel me non docente, intellecturus est. Quare nihil est, quod hic amplius addere debeamus. Constituitur autem longa oratione disputationem istam: quomodo enim rem tantam verbis paucioribus explicaremus? O utinam adeo conspicuè, ut tenebræ, quas veritatis sententiæ nostræ effundunt argumentationes, jam superioris disputationis luce fugatæ esse videantur.

DUBIUM V.

An concordia gratiæ ab intrinseco efficacis cum libero arbitrio sit evidenter credibilis?

1 CUM intellectus non possit ex his, quæ propriis viribus cognoscit, asurgere ad evidenter cognoscenda mysteria fidei; quorum nec datur aliquod principium proportionatum cum nostro intellectu nec secundum se, nec quoad connexionem cum ipsis; quin potius secundum omnia, quæ in eis apparent, invenit contraria motiva, quorum inferioritati, & limitationi si coarctatus adhæreat, à superioribus fide abducatur: hinc fit, quod adhuc supposita revelatione, & fide, non sunt demonstra-

bilis simplici naturali cognitione evidenti viribus naturæ habita. Non enim intellectus ex consortio cum fide extrahitur à propria specie, & lumen ejus elevatur, ut dum operatur secundum ipsum, modo sibi proportionato non operetur: quare remanet objectum omnino obscurum, & supra omnem conditionem, & lumen, quod maximè spectat ad ejus excellentiam: cum ad dignitatem fidei etiam pertineat, quod sit de rebus invisibilibus, juxta Apostolum ad Hebr. 11. *Fides est argumentum non apparentium.*

2. Hic

2. Hic obscurus assensus tendit circa objectum non purè non visum, sed & arduis, & maximis difficultatibus rationi, humanoque discursui implexum apparens: unde resolvi debet ad aliquam ipsius intellectus cognitionem claram, teste D. Thoma in 3. dist. 23. q. 1. art. 2. ad 5. *Tota cognitio, qua cognoscit intellectus ea, quæ sunt in anima, fundatur in hoc, quod cognoscit objectum suum; & cum objectum suum sit, quod quid est, seu forma cujusvis rei, ut ex Philosopho docet, 1. p. q. 17. art. 3. Ad primum ergo dicendum, quod: quia quidditas rei est proprium objectum intellectus: propter hoc, tunc proprie dicimur, aliquid intelligere, quando reducentes illud in quod quid est, sic de eo judicamus: sicut accidit in demonstrationibus, in quibus non est falsitas.* Quod ulterius repetit 3. de anima lect. 8. Oportet ergo, quod super hujusmodi claram cognitionem quævis obscura cognitio fundetur. Etenim si objectum penitus latet, nec sui aliquod relinquit vestigium, quo indagetur, quomodo cognosci poterit ab intellectu? Numquid per visum reperibile est, quod totaliter est absconditum? An non imprudenter se projiceret voluntas ad illud amplectendum, quod ipsam penitus fugit? Per imprudentiam laboretur ipsa, sicut imprudens esset, qui se in flumen projiceret absque aliqua spe evasionis periculi. Ut ergo voluntas ad tam firmum assensum intellectum applicet, dum quis adultus ad fidem venit, debet prius dari judicium circa credibilitatem mysteriorum, quod acquisitum variis discursibus, & rationibus, sit præambulum disponens ad fidem.

3. Hoc judicium regulans voluntatem ad assensum fidei, maximam exigit certitudinem in notitia præcedenti, à qua dispositivè dependet. Imprudenter enim curaret immobilitare intellectum circa ea, de quibus, si nullum daretur immobilitatis principium, prudentia esset dubitare. Quare, ut asserunt Theologi, reduci debet in cognitionem evidentem credibilitatis, quod Deus revelaverit Ecclesiæ, & Apostolis credibilia, quæ nobis tradiderunt. Cujus satis evidens argumentum desumitur ex D. Thoma 3. contra gent. cap. 164. ubi notat, quod ea, quæ per fidem de Deo tenemus, oportet, ad nos ab eo ipso proveniri, quia homo ea, quæ per se non videt, (qualia sunt fidei mysteria) cognoscere non potest, nisi ea recipiat ab illo, qui ea videt, qui est Deus, qui suam essentiam naturaliter videt, solusque semetipsum comprehendit. Quo supposito infert, quod in manifestatione eorum, quæ sunt fidei, ordinem quemdam observare oportuit; siquidem ea, quæ à Deo sunt, ordinata sunt, & ordine quodam aguntur à sua providentia constituto, ut sua perfectio diversimodè à creaturis imitetur, ac perinde talis ordo in recipientibus suam cognitionem, oportuit observari, ut quidam immediatè à Deo recipere, quales fuerunt Angeli, alii ab his, quales fuerunt quidam homines, qui ministerio Angelorum acceperunt di-

vinam revelationem, & interius lumen intelligibile ad percipiendum mysteria, ad quæ lumen naturale pertingere non potest.

4. Sic resolvitur actus fidei subjectivâ resolutione in evidentiam credibilitatis existentie Divinæ revelationis factæ Ecclesiæ, Prophetis, & Apostolis, ita quod postquam quis interrogatus de suo assensu, respondet, se credere, quia Deus revelavit, in quo consistit objectiva resolutio; si iterum interrogetur, unde hoc cognoscat, seu propter quid judicat, Deum revelasse? Quod est inquirere de resolutione subjectiva actuum præcedentium fidem; non aliter debet, nec potest respondere, nisi dicendo, sic judicare propter evidentiam credibilitatis existentie revelationis, ortam ab evidentia motivorum, ex quibus oritur prædicta evidentia, & ex quibus veritatem doctrinæ, & inspirationis suæ Divina Sapiencia convenientibus argumentis ostendit, ad confirmandum ea, quæ naturallem cognitionem excedunt. Quare volens suscipere fidem, hoc utitur discursu: *Illud est prudenter credibile, quod habet motiva, testimoniaque sufficientia suæ credibilitatis; sed hujusmodi objectum, quod mihi credendum proponitur, habet hæc signa, motiva, & testimonia: ergo est prudenter credibile.* In quo discursu major est lumine naturali nota: minor autem quoad sensum, vel saltem ex deductis ex sensibus, & experientia; & cum nihil sit in conclusionem, quod non fuerit in præmissis, inde est, quod in toto syllogismo nihil sit supernaturalis luminis formaliter, sed tota certitudo, & evidentia paritur à naturali ratione, quamvis illuminatione Dei circumfusa: & quæ evidentia claritatis solum desideratur, ut dispositio credentis remota, ne videlicet leviter credat, & ut connaturali modo ad fidem manducatur, videaturque mysterium sub ratione credibilis; licet in motivis non videatur ejus veritas, quæ semper obscura remanet.

5. Hæc resolutio non solum est propria assensus fidei Divinæ, sed & fidei humanæ, qui cum obscurus similiter sit, privationem, & imperfectionem dicens, debet reduci ad assensum evidentem, & non obscurum ipsius credibilitatis, sicut & omnis privatio, non ad privationem, sed ad formam, & imperfectum, non ad imperfectum, sed ad perfectum reduci debet. Hoc experientia probat in fide publica, quæ in testimonium Notarii videntis petit resolvi. Probat & assensus obscurus humanæ fidei, quo Musicus verè credit principia musicalia, quæ subalternata sunt ad Arithmeticæ principia, qui non ad alium actum reducitur, nisi ad judicium, quod Musicus facit de credibilitatis evidentia, tam erga principia subalternantia, & subalternata, quam circa testimonium eorum, qui prædicta principia attestantur; facitque sequentem discursum: *Illud est prudenter, evidenterque credibile, quod habet motiva, & rationes, ut verifi-*

milius appareat, quovis alio testimonio hucusque à nobis audito; sed testimonia prædicantium hoc, habent hujusmodi rationes, & motiva: ergo sunt evidenter credibilia. Ad quod iudicium speculativum de credibilitate objecti sequitur & aliud iudicium practicum de hic & nunc credendo.

6 Ad hunc modum in præfenti discurremus circa concordiam gratiæ cum libero arbitrio, quæ est veritas fidei certa, & cognoscibilis lumine fidei: an nempe sit evidenter credibilis, intellecta de gratia ab intrinseco efficaci, credibilitate fundamentali orta ex motivis concurrentibus, & ostendentibus, esse idoneam, & dignam spectare ad fidem Divinam? Vel clarius: an motiva, quæ inducunt ad illius assensum, & si non sint necessarii connexa cum illius veritate, connectantur saltem cum verisimilitudine, quam habent, ut sit ipsa credibilis credibilitate formali? Quare in primo ingressu hujus resolutionis ponendum est primò, quòd in præfenti non loquimur de argumentis credibilitatis penetratis lumine superiori, sive evidenti, sive obscuro, quæ certam, & infallibilem connectionem afferant cum existentia, & veritate concordia gratiæ efficaci cum libertate, sed de ipsis lumine naturali cognitis, quæ redant ipsam evidenter credibilem fidei Divina, quæ talis sit solum objectivè, non quæ talis sit subjectivè: sicut enim probabilitas considerari potest subjectivè, & objectivè: potest namque aliquid esse purè probabile, & generare evidentiam suæ probabilitatis, ita ut intellectus evidenter cognoscat illud esse probabile: pariter potest haberi iudicium evidens de credibilitate objectiva, quæ talis sit solum objectivè, id est fide, qua prudenter credimus, hanc esse dictam à Deo, quod est talem fidem apparere Divinam objectivè. Ipsam namque ex prædictis motivis lumine naturali inspectis esse credendam fidei Divinæ, quæ sit talis subjectivè, vel quæ sit supernaturalis luminis participatio, certè non apparet evidenter, nec absolutè, nec ex prædictis motivis credibilitatis: unde faciunt solum evidentiam de idoneitate, ut credatur tanquam à Deo dicta, & idem de prudenti assensu, quo sic attingitur, vel attingi potest, quod non est facere evidentiam veritatis.

7. Secundò maximè observandum, quòd hæc propositio: gratia ab intrinseco efficaci non destruit liberum arbitrium, nec enuntiat fidei dogma credendum, nec est propositio immediata ex terminis. Patet hoc, quia propositio ex terminis immediata, dicit primò identitatem essentialem extremorum. Dicit secundò, à nemine explicatis terminis non amplecti. Dicit tertio, ita regulare voluntatem, quòd intellectum moveat ad exercitium firmissimum ei assentiendi: atqui nihil horum essentialiter habet prædicta propositio, ut ipsam mediocriter consideranti patebit: ergo nullo fundamento ex terminis immediata

dici potest. Quomodo namque Deus media gratia efficaci operetur in cordibus hominum salva libertate, mysterium est hoc, quod loquimur, secretum, & profundum Dei Sacramentum, cujus Divinam contemplationem nec attingere, nec penetrare humana sapientia potest, ut sexcentis testimoniis M.P. Augustini firmum, certumque diximus; & quod maxima, qua potest, clariori, & uberiori veritatis intelligentia eleganter dixit Eminentiss. Cajetanus super Epist. ad Rom. cap.9. cognoscens ex una parte efficaciam infallibilem divinæ electionis, & ex alia confitens liberum arbitrium sequentibus verbis: *Non est mirum, si non quietamus intellectum querentium, & inducentium inconvenientia, scilicet, faciat quisque quod vult, tandem implebitur electio, & similia horrenda.* Et ibidem post pauca: *& cum objicis, conjunge hæc duo verba simul: respondeo, me scire, quòd verum vero non est contrarium, sed nescire hæc jungere: sicut nescio mysterium Trinitatis, sicut nescio Verbum Caro factum est, & similia, quæ tamen omnia credo, & sicut credo reliqua fidei mysteria, ita credo & hæc mysteria prædestinationis, & reprobationis. Meum est tenere, quòd mihi certum est, similiter uti libero arbitrio, & reliquis bonis mihi à Deo concessis omni studio ad consequendam vitam æternam, & expectare, ut videam in Patria mysterium divinæ electionis mihi modò ignotum, sicut & reliqua fidei mysteria. Hæc ignorantia quietat intellectum meum.* Et 1.p. q.22. art.4. *quiescet intellectus, non evidentia veritatis inspecta, sed altitudine inaccessibili veritatis occulta. Et hoc ingenio meo satis rationabile videtur. Quoniam, ut ait Gregorius, minus de Deo sentit, qui hoc tantum de illo credit, quòd suo ingenio metiri potest. Nec propterea negandum aliquid eorum, quæ ad divinam immutabilitatem, actualitatem, certitudinem, atque universalitatem, & similia spectare scimus, aut ex fide tenemus, suspicior: sed aliquid occultum latere, vel ex parte ordinis, qui est inter Deum, & eventum provisum, vel ex glutino inter ipsum eventum, & esse provisum, arbitror: & sic intellectum animæ nostræ oculum nocturnæ esse considerans, in ignorantia sola quietem illius invenio. Melius est enim tam fidei Catholica, quàm Philosophiæ fateri cecitatem nostram, quàm asserere tanquam evidentiam, quæ intellectum non quietant; evidentia namque quietativa est. Nec propterea omnes Doctores præsumptionis accuso, quòd balbutiendo, prout potuerunt, immobilitatem, aut efficaciam summam, & æternam divini intellectus, voluntatis, potestatisque insinuare intenderunt per ineffabilitatem ordinis divinæ electionis ad eventus omnes: quoniam nihil præfata suspitioni obstat, quæ altius quid in eis latere credit. Et verè si sic prædicaretur, nullus ferè circa prædestinationem erraret Christianus: sicut non errat in materia Trinitatis, quia dicitur, & scribitur, & ita est, quòd occulta est humano intellectui, & sola fides sufficit. Optimum autem, atque salubre*

bre consilium est in hac re, inchoare ab his, quæ certè scimus, & experimur in nobis: scilicet quòd omnia, quæ sub libero arbitrio nostro continentur, evitabilia à nobis sunt, & propterea digni sumus pena, & præmio. Quomodo autem hoc salvo, divina salvetur providentia, ac prædestinatio &c. credere, quòd Sancta Mater Ecclesia credit. Scriptum est enim, altiora te ne quaesieris; plurima enim sunt tibi supra sensus hominum revelata. Et hoc est unum ex illis. Ergo cum nullum sit circa veritatem istam fidei decretum, ipsaque sit mysterium omnino abditum, supra omnem cognitionem, & lumen intellectus humani, nec est fide certa, nec propositio illam enuncians est ex terminis immediata & nota. Non ergo in præfenti agitur de credibilitate formali hujus propositionis: gratia ab intrinseco efficaci non destruit liberum arbitrium, nec de evidentia hujus veritatis; sed solum an videatur ipsa sub ratione credibilis in motivis inducentibus ad illius assensum? Etenim profectò est evidenter credibilis illa gratia composita cum libero arbitrio, quam divinæ Sacra Scripturæ, Conciliorum, & SS. PP. commendant eloquia, quam Mater Immaculata per tot sæcula sectata est Ecclesia, quam Sedes Apostolica approbat, quam tot Sapientum laudat, & confitetur eruditio; quam deniquè amplectitur ratio, & essentia libertatis create: cum standum sit Scripturæ, Ecclesiæ traditioni, & SS. PP. oraculis, atque eruditionibus, & ab ipsis sincera accipi debeat credibilitas, in quibus Catholica fidei fundamenta sancta, incorrupta, & incontaminata subsistunt.

8. Pro cujus intelligentia iterum observandum, quòd duplici modo, nempe Scripturis, & traditionibus confirmari possunt Catholica dogmata, teste S. Basilio lib. de Spiritu Sancto cap.27. dicente: *Dogmata, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto tradita recipimus; quorum utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisquis sanè expertus est, quæ sint jura Ecclesiastica, sive ut dist. 11. cap. Ecclesiasticarum legitur in Decreto Gratiani jussu Gregorii XIII. emendato: qui vel exigua legum Ecclesiasticarum peritia præditus sit.* At cum non omnia clarè, & distinctè loquatur Scriptura, totque legantur divina Oracula plena ænigmatibus, parabolis, & obscuris sermonibus, aliisque variis obscuritatum formis, ut probat illud Pauli dicentis, se perfectis loqui sapientiam in mysterio absconditam: & quod refertur actuum cap.8. de Eunucho Reginæ Candacis, quòd interrogatus à Philippo, num Isaiam, quem legebat, intelligeret? Respondit: *Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Hinc traditio ad veram intelligentiam Scripturæ est penitus necessaria, cujus necessitatem affirmat S. Epiphanius hæres.61. *Traditione, inquit, opus est; neque*

enim ex Scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scripto, traditione alia, Sanctissimi Apostoli reliquerunt. Quod ipsum ita Paulus affirmat: quemadmodum tradidi vobis &c.

9. Hoc fanè convincunt, quòd ut germanus Scripturæ sensus circa varia dogmata Catholicis innotescat, traditio sacra necessaria est; & maximè, ut vindicetur dogma concordia gratiæ ab intrinseco efficaci cum libero arbitrio. Parum quippè est, quòd gratiæ intrinsecam efficaciam multis, magnisque ex Sacra Scriptura testimoniis probata sit, nisi sensum, & intelligentiam Scripturæ illustret, & aperiat antiqua Ecclesiæ traditio, calculo, & iudicio Sacrorum Conciliorum, Summorumque Pontificum approbata, cui consensit omnibus ætatibus Orbis Christianus; cum & Adversarii pro sua sententia sacras litteras referant: & cum in sensu, & interpretatione Scripturæ discrimen sit, hoc non nisi traditione tolli potest; cum nullus sit modus certior, nullus stabilior, nullus denique sacris litteris exponendis magis necessarius, quàm is est, quo Ecclesiæ traditio continetur, ut probat pulcherrima, & memorabilis S. Clementis sententia: *Relatum est, inquit, nobis, quòd quidam in partibus vestris commorantes adversantur sanis doctrinis, & prout eis videtur, non secundum traditionem Patrum, sed juxta alium sensum docere videntur: multas enim quidem, ut audivimus, secundum ingenium hominum ex his, quæ leguntur verisimilitudinis capiunt; & ideo diligenter observandum est, ut lex Dei, cum legitur, non secundum propriam intelligentiam legatur, vel doceatur. Sunt enim multa verba in Scripturis divinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi unusquisque spontè præsumpsit, quòd fieri non oportet. Non enim sensum extrinsecus ab aliis alienum, & extraneum querere debetis, aut quomodo ipsum Scripturarum auctoritate confirmetis, sed ex Scripturis sensum capere veritatis. Et ideo oportet, ab eo intelligentiam discere Scripturarum, qui eam à majoribus secundum veritatem sibi traditam servavit, ut ipse possit, ea, quæ rectè suscepit, competenter asserere. Nam Apostolus Paulus ad discipulum suum Timotheum, quæ audisti, inquit, per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere.*

10. Hac ergo via procedere decrevi ad defensionem gratiæ ab intrinseco efficaci, hujusque evidentem credibilitatem propugnandam; ne efficaciam gratiæ prædicemus, qualem quis sibi fingit, & non qualem, nostro iudicio, Ecclesia universalis semper docuit; ut sic intelligant omnes, quibus rationibus in medio, quasi aggeribus, & propugnaculis inexpugnabilibus hoc dogma communitur, & ut id firmissimè teneamus evidenter credibile, quòd omnibus ætatibus semper à Sapientibus creditum fuerit. Apostolicum enim esse arbitror constanter, & integrè perseverare in istiusmodi traditione

ab Apostolorum tempore successione, quasi per manus acceptâ, & cum tempore progrediente, per longam consuetudinem Ecclesiis, tradita: dicente Apostolo 2. ad Thessal. 2. *Scite, & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Et instruens idem Apostolus Timotheum Epist. 1. cap. 6. ipsum admonet, dicens: *Depositum custodi, devitans prophanas vocum novitates.* Et Epist. 2. cap. 1. formam habe sanctorum verborum, quæ à me audisti. Et ibi: *bonam depositum custodi, per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis.* In cujus traditionis gratiam fuit in Synodo Ephesina, quæ fuit generalis tertia, omnium Patrum una hæc vox contra Nestorium: *Quod fuit antiquitus traditum, teneatur, & quod adinventum nuper explodatur.*

S. I.

Primum credibilitatis fundamentum sumitur ex argumentis traditionis Apostolica.

11. **C**um teste D. Iræneo lib. 3. contra hæreses, dum modica in aliqua questione emergit discrepatio, ad antiquissimas oporteat recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, & ab eis de præsentibus questione sumere, quod certum, & liquidissimum erat: hinc pro confirmanda intrinseca efficaciam gratiæ, ad traditionem Apostolicam recurrimus, ut in hoc divinorum eloquiorum lumine, veluti in præclaro speculo, mens erudita mysterium hoc sine offuscatione cognoscat. Nihil enim verius traditione Apostolica capitur, nihil magis solidat intellectum, solidatumque ostendit. Nobis, inquit Tertullianus de præscript. cap. 14. *Curiostate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium.* Et cap. 6. *nobis nihil de nostro arbitrio inducere licet; sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus Auctores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; sed acceptam à Christo disciplinam fideliter Nationibus assignaverunt.* Quare fit Apostolica traditio probabiliter suadenda primum credibilitatis fundamentum, divinæ voluntatis, & gratiæ insuperabilem intrinsecam efficaciam erga actus liberos attestans.

12. Et primò audiendus D. Petrus, qui primam, quam ad Judæos scribit Epistolam, incipit ab electione secundum præscientiam, & prædestinationem Dei Patris, ut Sancti fiant per gratiam Spiritus Sancti, dicens: *Electis advenis... secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam, & asperionem Sanguinis Jesu Christi:* quibus verbis Patrem principium electionis electorum agnoscit per præscientiam

suam, & prædestinationem, mereque gratuitam misericordiam. Præcedit enim Divina electio electorum merita. Merita ex Dei gratiâ, hominisque arbitrio originem habent: at electio per voluntatem Dei ante tempora, ante Mundi constitutionem, omnemque Creaturam facta est. Ipsa est meritorum nostrorum causa efficiens. Non enim eliguntur electi, quia crediderunt; sed eliguntur, ut credant. Quare versu sequenti immortales Deo gratias agit de illius erga electos suos infinita bonitate: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem; & incontaminatam, & immarcescibilem, conservatam in Cælis in vobis. Qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo.* Nec enim electionis hujus alia queri debet ratio, quàm misericordia Dei, qui nos Omnipotenti virtute gratiæ suæ custodit per fidem ad salutem æternam, quæ nobis jam parata est, & in fine sæculi exhibebitur, & omnibus innotescet.

13. De hac Divina electione iterum loquitur Epist. 2. cap. 1. scribens iis, qui cœqualem cum ipso fidem mysteriorum, & promissionum Dei gratuita illius misericordia consequuti sunt per justitiam Dei, & Christi Jesu Domini nostri. Hic testatur, quod Divina ejus potentia nobis largita sunt omnia, quæ ad vitam spiritualem, & pietatem pertinent, & maxima illa, & pretiosa dona, per cognitionem ejus, qui vocavit nos propria gloria, & virtute, idest, non qualicumque vocatione, sed cœlesti illa, de qua Apostolus ait: *qui vocavit nos in sortem Sanctorum in lumine:* qua nempe Deus summam suam potentiam, bonitatem, & misericordiam gloriose manifestat, dum virtute, & efficacia gratiæ homines ad suam, Patrique notitiam, traducit, trahens illos vinculis charitatis, & bonis voluntatibus, quas in ipsis operatus est: & ut fruantur maximis illis, & pretiosis beneficiis, quæ olim promiserat, & solum consequuntur illi, qui secundum propositum sunt vocati, & electi, & quos prædestinavit ante mundi constitutionem, vocatque suo tempore, ut sint Sancti; ut testatur ipse Actuum cap. 2. vers. 39. *Vobis enim est repromissio, & filiis vestris, & omnibus, qui longè sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster.* Quare in hac Epist. 1. cap. 5. vers. 10. Deum omnium gratiæ, omnique boni salutaris auctorem, & largitorem appellat, dicens: *Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam Gloriam in Christo Jesu, modicum passus ipse perficiet, confirmabit, solidabitque:* dando nempe gratiam, viresque efficacissimas infirmis voluntatibus ad actus salutares; & electos gratia sua præcedens, ipsos in hujus

pe--

peregrinationis anfractibus per opaca vitiorum minimè aberrare permittens, donec pertingant ad Christum, atque possideantur ab ipso, ut aptè, & eleganter scribit Auctor libri de vocat. Gent. lib. 2. cap. 26. *Gratia Dei in omnibus justificationibus principaliter præminet, suadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo: sed etiam voluntas hominis subjungitur ei, atque conjungitur, quæ ad hoc præditis est excitata prædiis, ut Divino in se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod de superno semine concepit ad studium, de sua habens mutabilitate, si deficit; de gratiæ opitulatione, si proficit.*

14. Hæc est mirabilis de gratia, & prædestinatione D. Petri doctrina, qui dum tot adeo significantibus, & expressis modis prædestinationem prædicat, gratiam ab intrinseco efficacem, statuit: cum inter prædestinationem gratuitam, & ante omnia prævisa merita, & gratiam ab intrinseco efficacem detur infallibilis connexio, teste D. Augustino de prædest. Sanctor. cap. 10. dicente: *Inter gratiam porrò, & prædestinationem hoc tantum interest, quod prædestinatio est gratiæ preparatio; gratia verò jam ipsa donatio.* Et infra: *Quocirca prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est, ut dixi, preparatio; gratia verò est ipsius prædestinationis effectus.* Ubi maxime notandum, quod cum prædestinatio sit preparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur, rectè intulit Augustinus, quod gratia causatur, & preparatur à Deo per prædestinationem. Hæc enim cum sit specialis Dei providentia supponens intentionem efficacem gloriæ, versatur circa media, quibus consequitur, præparando illa omnia, quæ cum effectu conducunt ad illius consecutionem, quæ certè donantur, & præparantur à Deo ex vi prædestinationis.

15. At non solum hanc efficaciam gratiæ commendat D. Petrus, sed hujus concordiam cum libero arbitrio prædicavit, dum Simon Magus libertatis arbitrium neganti respondit Princeps Apostolorum, necessitatem, & contingentiam rerum creatarum in Divinam refundi debere voluntatem. Quod egregiè explicat doctrina nostri Excellentissimi Archipræsulis Libelli, quam dictavit Romæ, quando Theologiam docebat in nostro Conventu S. M. super Minervam. Refert illam celeberrimus noster Gonetus in Tractatu de volunt. Dei disp. 9. de concordia libertatis cum decreto prædeterminante art. 2. §. 2. nosterque Ludovicus Bancel tom. 2. q. 5. de Scientia Media testatur, relationem esse fidelem prout didicit ex ore proprio Archipræsulis. Sic igitur habet.

Primus Hæreticorum qui Ecclesiam Dei, antequam adoleveret, præfocare tentavit, fuit

Simon Magus, seductor insignis, qui incredibilem habuit apud suos Samaritanas existimationem; adeo ut cum omnes virtutem Dei magnam appellarent; & nisi hujus irruentis mali principio Deus obstiteret, periculum fuisset, ne adhuc in cunis vagiens Ecclesia comprimeretur. Multa crepuit ex se, quæ potius portenta, quàm opiniones appellari debent, sed (quemadmodum antiqui Scriptores nobis reliquerunt) arbitrii creati libertatem potissimum tentavit evertere, ut concussò libero arbitrio, quod est Christianæ Religionis fundamentum, ædificium, quod Apostoli sua doctrina parabant extruere, profusus impediret. Et quoniam vir erat callidissimus, & Sycophanta vaserrimus, jam jam plurimos ad sui sequelam traxisset, quos veluti nepotes Satanae genitori, cujus eum primogenitum Ignatius Martyr Episcopus ad Trallianos appellavit, generasset, nisi Deus opportunè occurrisset. Ipsi enim turbas Cæsareæ seducenti occurrit S. Petrus Apostolorum Princeps, qui ipsum veluti apostatam, & desertorem acerbis verbis redarguit, defectionem increpavit, suæ dolosæ doctrinæ technas detexit, disputando sophismata resolvit, atque invictis argumentis pervicaciam confodit.

Inter capita, de quibus disputarunt S. Petrus, & Simon Magus, unum fuit de libertate arbitrii creati, contra quam argumentabatur Simon isdem profusus argumentis, quibus urgent nos adversarii nostri; & quibus solent impugnare nostra decreta prævenientia, & prædeficientia, nostra auxilia efficaia, nostram præscientiam independentem à veritate objectiva, & futuritione; cui S. Petrus post Christum primus Ecclesiæ Magister, isdem profusus modis respondit, quibus nos respondere solemus; adeo ut, me quidem judice, nec tantillum nostræ responsiones à responsionibus D. Petri dissentiant. Sed undeviam hæc acceperim, teneo. Extant libri Recognitionum S. Clementis Romani, viri domi suæ nobilis, ut qui ex Cæsarem familia originem traxerit, quive D. Petro successit, & quem narrant à Petro vivente ad Apostolatus apicem vocatum, nimirum ut eo defuncto Romanam Ecclesiam gubernaret. Hunc libros prædictos scripsisse tradunt omnes, qui res antiquas curiosè scrutantur.

Inter alia quæ lib. 3. paulò post principium narrantur, una disputatio est inita Cæsareæ inter Simonem Magum, & Petrum Apostolum, ubi multa divinè D. Petrus de malo, de felicitate, de studiis hujus vitæ differuit. Sed de libero arbitrio, inquirente & contradicente Mago, D. Petrus ea respondit, & resolvit, quæ modò nos ipsi respondemus, & quæ S. Thomas nobis dictavit, ut responderemus. Quod ut quàm verum sit cognoscatis, placet hic disputationem, quoad ea, quæ rei nostræ inserviunt, transcribere. Dicebat Simon, quod unusquisque, sicut ei fato decernitur, vel sapit aliquid, vel intelligit, vel patitur; & in nulla re hominem esse sui arbitrii. At contra S. Petrus argumentatus est, necesse esse, hominem esse sui arbitrii, aliter

Iii

con-

convulsa esse omnia, frustra studium sectandi meliora, frustra principes hujusmodi legibus praesere, frustra punire, vana jura populorum, miseros esse eos, qui servant cum labore justitiam: beatos vero illos, qui in deliciis positi cum luxuria, & scelere viventes tyrannidem tenent. Quibus Simon minimè acquiescens, & ultimum experimentum doctrinae D. Petri facere volens, institit interrogans, si quod Deus vult esse, est; & quod Deus vult non esse, non est? Quasi diceret: si hoc mihi concedas, jam fateberis, nihil à nobis liberè agi; quippè quod Deus vult esse, necessariò est. Quae obiectio iam valida Simoni videbatur, ut confidens, Petrum non responsurum, se obtemperaturum sponderit, si illi D. Petrus respondisset. Quod argumentum illud est, quod adversarii nostri insolubile existimant, & cui S. Thomas imperturbabili, ac eodem semper tenore verborum responderet, cui Thomistica summam animorum concordiam & antiquis temporibus satisfecerunt, & hodie, quo tempore molestius perurgentur, satisfaciunt. Videamus, quae oracula fuderit Petrus, & attentè proprietatem, atque magnificentiam doctrinae perpendite. Dicit, omnium, quae moventur, quaedam necessariò moveri, quaedam voluntariò, & liberè moveri: solent motus necessitate duci, ut statutum compleant cursum; hominem verò actus suos liberè, ac voluntariò elicere. Jam ergo inquit (haec sunt verba D. Petri) ignoras Simon, & valde ignoras, quomodo in singulis quibusque voluntas Dei sit. Quaedam enim voluit, ut diximus, ita esse, ut aliud esse non possent, quàm id, quod ab ipso instituta sunt. Ea verò, quae ita esse voluit, ut in sua potestate habeant agere, quod velint, his pro actibus ac voluntatibus suis statuit, ut aut remunerationes mereantur, aut poenas. Cum ergo in duas, ut docui, partes dividantur cuncta, quae moventur; secundum eam, quam supra diximus distinctionem, omne, quod vult Deus, est: quod autem non vult, non est. Hactenus D. Petrus: quod si sincerè perpenderent hi, quibus displicet nostra doctrina, mutarent sententiam, cum primùm iis D. Petri doctrinam displicere constaret. Cum enim urgeret Simon, fieri non posse, ut cum voluntate efficaci Dei libertas humana componeretur, respondit Petrus, optimè coherere, quoniam necesse est, illum actum esse liberum, quem Deus vult, esse liberum. Haec est necessitas praeveniens Thomistica, amica libertatis. Haec praedeterminatio fovens libertatem. Haec infallibilitas antecedens libertati contubernalis. Haec S. Thomae frequens doctrina. Hoc tandem furium augustissimum aspiciendò factum, & quo nos magno utilitatis compendio utimur, ac religiosè, & felicissimè semper utemur.

Unum remanet contrariis nostris effugium, dicere scilicet, libros Recognitionum D. Clementis supposititios esse, vel ad minimùm ab Ebionitis, caeterisque Haereticis, qui eo tempore contra Ecclesiam dimicaverunt, depravatos, atque corruptos. Scio, primùm non dicturos cordatiores Theologos: siquidem Patres ex praedictis li-

bris Recognitionum argumenta fortissima contra haereticos eliciunt, quibus praecipuè constat traditio. Et nihilominus contra Haereticos, illos libros penitus negantes, eruditè disputat Lambertus Gruterus Venradius in praefatione affixa principio operum D. Clementis: ipsum videte.

Ferendum potius esset, si dicerent, praedictos libros esse corruptos, ex quibus proinde non possunt ullius roboris argumenta depromi. Sed quamquam verum sit, praefatos libros ab Ebionitis fuisse corruptos, in materia tamen de libero arbitrio integri usque ad haec nostra tempora pervenerunt, ut observavit Bellarminus, vir accuratissimus: nam ante Ruffini aetatem (inquit ipse lib. 1. de grat. & libero arbitrio cap. 25.) qui hos Libros Latinos fecit, nulli fuerunt Haeretici, qui libero arbitrio nimis tribuerent, quod postea fecerunt Pelagiani. Multi autem fuerunt Haeretici, qui negaverunt liberum arbitrium, ut Simon Magus, Manes, à quo Manichaei, & alii. Itaque si in iis libris negaretur liberum arbitrium, suspicari possemus, insertam fuisse eam doctrinam à Manichaeis, vel aliis hujusmodi Haereticis: at liberi arbitrii confessionem non possumus ulli Haeretico illius temporis ascribere. Deinde veteres Patres, qui dicunt, hos libros corruptos esse ab Haereticis, non tacent, in quibus articulus corruptus fuit, sed scribunt, in articulis de Divinitate Filii, aliisque similibus esse corruptos. Corruptelam autem in articulis de libertate arbitrii nullas veterum unquam notavit. Haec omnia Excellentissimus Archiepiscopus. Quibus nihil disertius, nihil opportunius desiderari potest, ad probandum, concordiae gratiae ab intrinseco efficaci cum libero arbitrio doctrinam, prout à Thomistis exponitur, ab ipso Ecclesiae capite, & Apostolorum Principe D. Petro primitus esse derivatam.

16. Maximi etiam roboris, certissimaeque firmitatis credibilitati fundamentum praebet auctoritas D. Pauli, qui notum faciens Evangelium, quod, ut testatur ipse, non accepit ab homine, neque didicit, sed per revelationem Jesu Christi, intrinsecam gratiae efficaciam nobis multis in locis apertissimè tradit. Et quidem primò omne bonum, & perseverantiam in bono usque in finem, quam Deus in electis suis operatur, effectum agnoscit vocationis secundum propositum, seu decreti divinae voluntatis, & fidelitatis, quam sibi ipsi debet, dicens Epist. 1. ad Thesalonicensis cap. 5. vers. 24. Fidelis est, qui vocavit vos, qui etiam faciet. Quibus verbis certitudinem, & immutabilitatem electionis divinae, sicut & infallibilem promissorum executionem refert ad placitum voluntatis divinae, & non ad humanae voluntatis consensum. Enimverò, qua ratione Deus esset securus de executione aeterni propositi, & infallibilitate suae promissionis, nisi nos gratiae suae fideles cooperatores efficiendo? Ut docet egregiè Augustinus lib. de praedest. Sanctor. cap. 10. explicans illud Genes. 17. Patrem mul-

16-

tarum gentium posui te, ubi inquit: non de nostra voluntatis potestate, sed de sua praedestinatione promisit. Promisit enim, quod ipse facturus fuerat, non quod homines. Quia etsi faciunt homines bona, quae pertinent ad colendum Deum; ipse facit, ut illi faciant, quae praecepit, non illi faciunt, ut ipse faciat, quod promisit: alioquin ut Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate, & quod à Domino promissum est, ab ipsis redditur Abrahae. Quibus sanè gratiae omnipotentis, fidem gentium operantis, efficaciam clarissimè ostendit.

17. Etiam in Epist. ad Ephes. cap. 1. docet iterum Apostolus, quàm potens, quàm efficaciam, quàm victrix sit gratia Jesu Christi in cordibus nostris. Deum quippè laudans, & adorans, qui nos omnibus donis spiritualibus ad salutem, & vitam aeternam in Coelis nobis paratam conducentibus per Christum Jesum cumulavit, sic loquitur v. 3. 4. & 5. Benedictus Deus, & Pater Domini Nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti, & immaculati in conspectu ejus in charitate. Et v. 5. & 6. qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo. Quem textum versans Hincmarus lib. de praedest. Sanctor. & de dono persever. pag. 54. sic habet: Haec est immobilis veritas praedestinationis, & gratiae, vel ut Apostolus ait: elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, praedestinans nos in adoptionem filiorum, non quia per nos Sancti, & immaculati futuri eramus, sed elegit, praedestinavitque, ut essemus. Fecit autem hoc secundum placitum voluntatis suae, ut nemo de sua, sed de illius erga se voluntate gloriaretur. Fecit hoc secundum divitias gloriae suae, secundum bonam voluntatem suam, quam proposuit in dilecto Filio suo, in quo sortem consecuti sumus, praedestinati secundum propositum, non nostrum, sed ejus, qui universa operatur: usque adeo, ut ipse in nobis operetur & velle: operatur autem secundum consilium voluntatis suae, ut simus in laudem gloriae ejus. Et item: ex hoc proposito ejus est illa electorum propria vocatio, quibus omnia cooperantur in bonum, qui secundum propositum vocati sunt, & sine poenitentia sunt dona, & vocatio Dei. Quibus immediatè addit: talis est fides Orthodoxorum de praedestinatione Sanctorum. Haec fuit mens D. Augustini, cujus adest illustre testimonium lib. de praedest. Sanctor. cap. 19. hisce verbis expressum: Sed hi nostri, de quibus, vel pro quibus nunc agimus, forsitan dicunt, Pelagianos hoc Apostolico testimonio refutari, ubi dicit, ideo nos electos in Christo, & praedestinos ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti, & immaculati in conspectu ejus in charitate. Ipsi enim putant, acceptis praecipis jam per nos ipsos fieri liberae voluntatis arbitrio Sanctos, & immaculatos in conspectu ejus

in charitate: quod futurum Deus, quoniam praescivit, inquit, ideo nos ante mundi constitutionem elegit, & praedestinavit in Christo: cum dicat Apostolus, non quia futuros tales nos esse praescivit, sed ut essemus tales per ipsam electionem gratiae suae, qua gratificavit nos in dilecto Filio suo: cum ergo nos praedestinavit, opus suum praescivit, quo nos Sanctos, & immaculatos facit. Unde rectè hoc testimonio Pelagianus error arguitur: nos autem dicimus, inquit, nostram Deum non praescisse nisi fidem, qua credere incipimus, & ideo nos elegisse ante mundi constitutionem, ac praedestinasse, ut etiam Sancti, & immaculati gratia, atque opere ejus essemus. Sed audiant & ipsi in hoc testimonio, ubi dicit, sortem consecuti sumus, praedestinati secundum propositum, qui universa operatur. Ipse ergo, ut credere incipiamus, operatur, qui universa operatur: vocationem quippè illam, de qua dictum est, sine poenitentia sunt dona, & vocatio Dei; & de qua dictum est, non ex operibus, sed ex vocante: cum posset dicere, sed ex credente: & electionem, quam significavit Dominus dicens: non vos me elegistis, sed ego vos elegi; nec fides ipsa praecedit. Non enim quia credidimus, sed ut credamus, elegit nos, ne priores eum elegisse dicamur, falsumque sit; quod absit: non vos me elegistis, sed ego vos elegi. Nec quia credidimus, sed ut credamus, vocamur: atque illa vocatione, quae sine poenitentia est, id profusus agitur, & peragitur, ut credamus. At cognoscens Apostolus, quod profundum hujus doctrinae capere, & intra se concludere mentis nostrae angustiae non possunt v. 17. 18. & 19. Deum rogat, ut illam rationis captui accommodatam, & proportionatam reddat, dicens: Ut Deus Domini Nostri Jesu Christi Pater gloriae det vobis spiritum sapientiae, & revelationis in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis, quae sit spes vocationis ejus, & quae divitiae gloriae hereditatis ejus in Sanctis. Et quae sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus secundum operationem potentiae virtutis ejus. Hic enim sanè stupor, & humanae mentis egestas. Ut cognoscatur efficacia, & virtus, illuminatis oculis opus est, cum sit magna, supereminens, incomprehensa, quae facit ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, & ex oppugnantibus amantes.

18. Tradit tertio Apostolus omnem de gratia Dei doctrinam 1. ad Corinth. cap. 15. v. 10. dicens: Gratia autem Dei sum id, quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum. Hic necessitatem gratiae, ejus effectum, & concordiam cum libero arbitrio docet. Necessitatem, dum dicit: Gratia Dei sum id, quod sum. Ut enim dixit Augustinus lib. de grat. & libero arbitrio cap. 5. Ut de Caelo vocaretur, & tam magnam & efficacissimam vocationem converteretur, gratia Dei erat sola; quia merita ejus erant magna, sed mala. Effectus gratiae sequentibus verbis

Iii 2

ex-

exprimit: *Et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius omnibus laboravi.* Hac enim Apostolus abundantius laboravit ad Dei gloriam, propriam sanctificationem, & aliorum salutem: cum enim sit efficax, & infallibiliter cum operatione connexa, vacua non est in his, quibus à Deo per Christum datur. Tandem hujus efficacis gratiæ concordiam cum libero arbitrio exprimit his verbis: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Quod dixit Apostolus, teste S. Augustino Epist. 186. aliàs 106. ad Paulinum, *non quia ipse nihil boni agebat, sed quia nihil ageret, si illa non adjuvaret.* Gratiam porrò Dei non aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa mereatur augeri, ut aucta mereatur perfici, comitante, non ducente; *pedisequa, non prævia voluntate.* Quare Epist. 2. cap. 3. v. 17. monet, libertati nostræ nihil timendum ab efficacissima gratiæ virtute, dum voluntas ab ipsa adjuvatur, movetur, regitur, dicens: *Dominus autem Spiritus est. Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* Nihil enim liberius eo, cui Spiritus D. i. dominatur; ut dicit S. Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 8. *Voluntas quippè humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem, & ut perseveret delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem.*

19. Transcribendæ essent omnes D. Pauli Epistolæ, si testimonia omnia, quibus veritatem prædestinationis, & gratiæ, & totam ejus æconomiam exprimit, proponere vellem; at silentio præterire non possum Epistolam ad Romanos, quæ primum inter Epistolam Pauli locum tenet, & quam cæteris præpositam, & præponendam probat Theodoretus præfat. in Epistolam Pauli, *ut que in se omnis generis doctrinam, & accuratam, copiosamque dogmatum pertractationem contineat.* Hujus argumentum paucis verbis complectitur D. Augustinus dicens in ejus expositione; *In hac Epistola quæstionem versari operum legis, & gratiæ.* Hic ergo cap. 8. v. 14. affirmat: *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Quem locum sic explicat Augustinus serm. 156. *Dicit mihi aliquis; ergo agimur, non agimus. Respondeo, immo & agis, & ageris, & tunc benè agis, si à bono agaris. Spiritus enim Dei est, qui te agit, agenti adjutor est tibi. Ipsum nomen adjutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis. Agnosce, quid postcas, agnosce, quid confitearis, quando dicis, adjutor meus esto, ne derelinquas me. Adjutorem utique invocas Deum. Nemo adjuvatur, si ab illo nihil agatur. Quicumque enim, inquit, Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei: non littera, sed spiritu: non lege præcipiente, minante, promittente, sed spiritu exhortante, illuminante, adjuvante. Scimus, inquit idem Apostolus, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Si non esses operator, ille non esset cooperator. . . . ducimini, sed currite & vos: ducimini, sed sequimini; quia cum secuti*

fuveritis, verum erit illud, quia sine illo nihil facere potestis. Quibus verbis luculenter explicat Augustinus ex mente Apostoli, quomodo quicumque efficaciter moventur à gratia Spiritus Sancti in ipsis operante, & adjuvante, ut benè agant, sunt filii Dei.

20. Hanc eandem excellentiam, potentiam, & efficaciam gratiæ, in animis hominum ita mirabiliter operantis, exprimit Apostolus v. 26. dicens: *Similiter autem & Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Quid est autem, inquit Augustinus Epist. 194. aliàs 105., *interpellat, nisi interpellare nos facit? Indigentis enim certissimum indicium est interpellare gemitibus, nullius autem rei esse indigentem fas est credere Spiritum Sanctum.* Sed ita dictum est, *interpellat, quia interpellare nos facit, nobisque interpellandi, & gemendi inspirat affectum: sicut illud in Evangelio Matthæi 10. non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Neque enim & hoc ita fit de nobis, tanquam nihil facientibus nobis. *Adjutorium igitur Spiritus Sancti sic expressum est, ut ipse facere diceretur, quod, ut faciamus, facit. Nam non esse intelligendum spiritum nostrum, de quo dictum est, interpellat gemitibus inenarrabilibus, sed Spiritum Sanctum, quo nostra infirmitas adjuvatur, satis ipse demonstrat Apostolus: indè enim cæpit, Spiritus, inquit, adjuvat infirmitatem nostram; deindè ita subjunxit: quid enim oremus, sicut oportet, nescimus: ergo Spiritus Sanctus efficaci sua in nobis operatione orare nos docet, & facit potentia, & efficacia, quæ convenienter, dignèque explicari minime potest.*

21. Pergit iterum vocationem ad gratiam, salutem, & gloriam secundum propositum, seu decretum æternum, & omnino gratuitum divinæ voluntatis exprimere v. 28. *Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt Sancti.* Non secundum propositum hominis, sed Dei, inquit Augustinus lib. 11. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 10. qui propositum hominis intelligi volebant, quod sequeretur misericordia Dei vocantis: *Ignorantes, ait, ideo dictum esse, qui secundum propositum vocati sunt, ut Dei, non hominis propositum intelligatur, quo eos, quos præscivit, & prædestinavit conformes imaginis Filii sui, elegit ante mundæ constitutionem: non enim omnes vocati, secundum propositum sunt vocati: quoniam multi vocati, pauci electi. . . . hominis autem propositum bonum adjuvat quidem subsequens gratia, sed nec ipsum esset, nisi præcederet gratia.* Quæ D. Augustini expositio consonat Apostolo verfu sequenti dicenti: *Nam quos præscivit, & prædestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis Fratribus: quorum verborum sensus non est iste, quod illos,*

quos

quos præscivit, futuros esse conformes imaginis Filii sui, hos prædestinavit, seu elegit ad gloriam. Iste enim expressè rejicitur à D. Thoma ibi lect. 6. sed sensus est, quod conformitas imaginis Filii sui sit in nobis prædestinationis effectus, ut ibidem profundè docet S. Doctor: hic enim Apostolus totam prædestinationis seriem ordinat, dicens: *Nam quos præscivit, (suos videlicet ex vi hujus propositi) hos prædestinavit; quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Quibus verbis habetur, quod primum, unde prædestinatio incipit, est electio illa secundum propositum ad gloriam, ex quâ præscientia oritur, & ex hac formalis prædestinatio, quæ est preparatio mediorum; & hinc vocatio ad justificationem, quæ est primus prædestinationis effectus; ex qua & justificatio, & hinc omnium ultimus, glorificatio. Hæc est connexio illa admirabilis decretorum Dei efficacium, & immutabilium, ante omnia prævisa merita, secundum propositum occultissima justitiæ, bonitatisque Dei, ex quibus nostra pendet salus. *Quid ergo dicemus ad hoc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Inquit Apostolus. Etenim si Deus efficaciter vult implere æternum salutis nostræ, & justificationis propositum, quis salutem nostram impedire poterit, ejus voluntati resistendo? *Certus sum, inquit Apostolus, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino Nostro.*

22. Hoc ulterius urgeri, roborarique potest ex cap. 9. sequenti, ubi Apostolus hoc totum verissimum dicit. Testem ponit Spiritum Sanctum, qui est Spiritus veritatis, testem & propriam conscientiam, dicens v. 1. *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu Sancto, quod nempè electio ad gloriam ad immutabile Dei propositum, seu ad summum Divinæ voluntatis, ac libertatis arbitrium referenda sit.* Quod clarissimè ostendit v. 11. 12. & 13. dicens: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Hic sanè nihil agnoscit ex parte nostra præcedens prædestinationem, ut illius rationem, sive hoc sit quid naturæ, sive gratiæ, sed quod hujus diversitatis unica causa sit voluntas Dei: quod elegantissimè explicat Augustinus Epistola 194. aliàs 105. ubi cap. 8. adversus Pelagianos sic arguit. *Non itaque misericordiam gratuitam Dei pertinacissima adversentur infamia. . . . Nec de inscrutabilibus judiciis ejus audeant judicare; cur in una, eademque causa su-*

per alium veniat misericordia ejus, super alium maneat ira ejus. Qui enim sunt isti, qui respondeant Deo, quandoquidem ille Rebecca habenti geminos ex uno concubitu Isaac Patris nostri, cum illi nondum nati nihil egissent boni, vel mali, ut secundum electionem propositum ejus maneret, electionem scilicet gratiæ, non debiti, electionem, qua eligendos facit ipse, non invenit; non ex operibus, sed ex vocante dicit, minori servitutum esse majorem. In quam sententiam B. Apostolus etiam testimonium Prophetæ longè posterioris assumpsit; Jacob dilexi, Esau autem odio habui: ut intelligeretur hoc apertum postea per Prophetam, quod antequam illi nascerentur, erat in Dei prædestinatione per gratiam. Quid enim diligebat in Jacob, antequam natus fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiam suæ donum? Et quid oderat in Esau antequam natus fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum? Nam neque in illo diligeret justitiam, quam nullam ille fecerat, neque in isto odisset naturam, quam bonam ipse fecerat. Mirum est autem cum his coarctantur angustiis, in quanta se abrupta præcipitent, metuentes veritatis veritatis. Ideo, inquit, nondum natorum alium oderat, alium diligebat; quia eorum futura opera prævidebat. Quis istum acutissimum sensum defuisse Apostolo non miretur? Hoc quippè ille non vidit, quando sibi velut adversantis objecta quæstione, non id potius tam breve, tam apertum, tam (sicut isti putant) verum, absolutumque respondit. Cum enim rem stupendam proposuisset, quomodo de nondum natis, nec aliquid agentibus boni, aut mali, rectè dici potuerit, quod unum Deus dilexerit, alium odio habuerit, ipsa sibi objecta quæstione motum exprimens auditoris; quid ergo dicemus? Inquit, numquid iniquitas apud Deum? Absit. Hic ergo erat locus, ut diceret, quod isti sentiunt; futura enim Deus opera prævidebat, quando minori majorem servitutum esse dicebat. Non autem hoc Apostolus dicit, sed potius ne quisquam de suorum operum audeat meritis gloriari, ad Dei gratiam, & gloriam commendandam voluit valere, quod dixit. Cum enim dixisset: absit, ut sit iniquitas apud Deum, tanquam ei diceremus, unde hoc ostendis, cum asseras non ex operibus, sed ex vocante dictum esse; major serviet minori? Moyse enim dicit, inquit, miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo, cui misertus fuero. Igitur non volentis, neque currentis, sed misericordis est Dei. Ubi nunc merita, ubi opera, vel præterita, vel futura tanquam liberi arbitrii viribus adimpleta, vel adimplenda? Nonne apertam protulit Apostolus de gratuita gratiæ, hoc est vera gratiæ, commendatione sententiam? Nonne stultiam fecit Deus Hæreticorum sapientiam? Quid autem agebatur, ut hoc Apostolus diceret, ut eorum geminorum commemoraret exemplum? Quid persuadere moliebatur? Quid inculcare cupiebat? Nonne hoc, quod ipsorum oppugnat amentia; quod superbi non capiunt, quod sapere nolunt, qui ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere; justitiæ Dei

non

non sunt subiecti? De ipsa quippè gratia satis agebat Apostolus, & idèd promissionis filios commendabat. Quod enim promittit Deus, non facit nisi Deus. Habet namque aliquid rationis, & veritatis, ut homo promittat, & Deus faciat. Ut autem homo se facere dicat, quod promiserit Deus, superba impietatis reprobis est sensus. Intentio igitur intuentia est Apostoli, quomoddò propter gratiam commendandam nolit, eum, de quo dictum est, Jacob dilexi, nisi in Domino gloriari: ut cum ex eodem Patre, eadem Matre, uno concubitu, antequam aliquid egissent boni, aut mali, alterum Deus diligit, odit alterum, intelligat Jacob, ex illa massa originalis iniquitatis, ubi fratrem suum, cum quo habuit communem causam, videt per justitiam meruisse damnari, non nisi per gratiam se potuisse discerni. Nondum enim nascentibus, nec agentibus bonum, aut malum, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, major serviet minori.

23. En quomoddò Augustinus Apostolum illuminatione penè Divina explicat. Ore pleno, eademque voce affirmat, quòd electio ad gloriam non ex meritis bonorum, operum præcedentium, aut prævisorum, sed ex solo, ac libero beneplacito Dei miserentis dependet; quòd nullus præsumendo gloriatur de suis meritis, sed de Divinæ gratiæ largitate; quòd est operatio Dei gratuita, nulli debita, sed opus misericordiæ discernentis redemptos à perditis: in quo gratiam ab intrinseco efficacem evidenter nobis concludit. Si namque consideretur præcisiivè ab efficacia, gratia prout sic, non est effectus prædestinationis, sed generalis providentiæ: cum solùm gratia sit effectus prædestinationis, secundum quòd dicit efficaciam, & effectivam conductiam ad finem prædestinationis: ergo si efficacia, ut talis, dependet ab arbitrio, vel tanquam à vera causa, vel tanquam à conditione indispensabili, liberum arbitrium erit causa, vel aliquo modo motivum prædestinationis. Quid enim magis ex parte nostra assignari potest, ut causa, vel motivum prædestinationis, quàm quòd detur aliquid nostrum privativè, quòd faciat gratiam cum beatitudine conjungi, & sine quo nullatenus conjungeretur? Quod sanè affirmari, & subsequi debet, dum negatur gratia ab intrinseco efficax: tunc enim usus gratiæ, & formalis ejus determinatio, ut talis, non proveniunt à gratia, cum potius gratia ipsa à libero arbitrio determinetur, ut asserunt ipsi: deinde hæc determinatio facit, ut cum effectu nos perducatur in beatitudinem: ergo aliquid non proveniens à gratia, & quòd tale est, quòd per illud gratia perducatur ad beatitudinem, & sine quo non perduceret, esset ex parte nostra ratio, & meritum prædestinationis: cui sensus verborum apertissimus, & mens Apostoli refragantur. Hic, ut ostendat, quòd nulla est injustitia Dei gratuito, & sine meritis eligentis; nullaque iniquitas Dei quòdam re-

probantis, seu in massa perditionis relinquentis, non impertiendo eis gratiam, verbis sequentibus addit: *Moyse enim dicit: miserabor, cujus miseror: & misericordiam præstabo, cujus miserabor: Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Ergo cujus vult, miseretur, & quem vult indurat.

24. Hic iterum v. 19. objicit sibi Apostolus. *Dicis itaque mihi: quid ad hoc queritur? Voluntati enim ejus quis resistit?* Ac si diceret: si voluntas ejus est irresistibilis, quid Deus conqueritur de hominibus, quòd præceptis ejus resistent, quòd ad ipsum non convertantur, & duro corde sint? Audaciam arguentis repellit Apostolus dicens v. 20. & 21. *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit; quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multà patientià vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloria.* Quibus efficacissimè persuadet Apostolus Judæis, quòd Deus miseretur, magna scilicet bonitate, & quòd obdurat nulla iniquitate; ut nec liberatus de suis meritis gloriatur, nec damnatus, nisi de suis meritis conqueratur: utens exemplo figuli, quo toties utitur Scriptura Sap. 15. Isaia 45. Jeremiæ 18., ut ostendat, quòd Deus est supremus, ac liberimus gratiarum suarum dispensator. Quòd egregiè explicat Augustinus Enchiridii cap. 89. dicens: *Hoc loco quidam stulti putant, Apostolum in responsione defecisse; & inopiã reddenda rationis repressisse contradictoris audaciam. Sed magnum habet pondus, quòd dictum est, & homo, tu quis es? Et in talibus quæstionibus ad suæ capacitatis considerationem revocat hominem verbo quidem brevi, sed re ipsa magna est redditio rationis. Si enim hæc non capit, quis est, qui respondeat Deo? Si autem capit, magis non invenit, quid respondeat. Videt enim, si capit, universum genus humanum tam justo judicio Divino in apostatica radice damnatum, ut etiam si nullus inde liberaretur, nemo rectè posset Dei vituperare justitiam; & qui liberantur, sic oportuisse liberari, ut ex pluribus non liberatis, atque in damnatione justissima derelictis, ostenderetur, quid meruisset universa conspersio, & quo etiam istos debitum judicium Dei duceret, nisi eis indebita misericordia subveniret, ut volentium de suis meritis gloriari, omne os obstruatur (Rom. 3. vers. 19.) & qui gloriatur, in Domino gloriatur. 1. Corinth. 2. v. 38.*

25. At cur potius in his voluit Deus gloriæ suæ, bonitatisque divitias ostendere, & in aliorum punitione justitiam? Hic curiositatis nostræ claudantur oculi. *O altitudo, exclamat Apostolus cap. 11., divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei! Quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis habet, inquit Augustinus ser. 165.*

aliàs

aliàs 7. de verbis Apostoli, nisi cui datum est? Quis non habet, nisi cui non est datum? Quare verò illi datum est, & illi non est datum? Non me piget dicere, hoc est profundum Crucis. De profundo nescio, quo judiciorum Dei, quæ perscrutari, contemplarique non possumus, procedit omne, quòd possumus. Quòd possum video: unde possum non video; nisi quia ex hoc hactenus video, quòd novi esse à Deo. Quare autem illum, & non illum: multum est ad me, abyssus est, profundum Crucis est: admiratione exclamare possum, disputatione demonstrare non possum. Quid possum exclamare de ista profunditate? Quàm magnificata sunt opera tua, Domine, nimis profunda facta sunt cogitationes tuæ. Vir insipiens non cognosceret, & stultus non intelliget hæc (Psal. 91.) Quid non intelligit stultus, & imprudens? Quia vel profundum est. Nam si stultus non intelligit, & sapiens intelligit, non est nimis profundum. Sed si sapiens intelligit, quia profundum est, stultus non intelligit, quia vel profundum est. Ideo multi de isto profundo querentes reddere rationem, in subulas vanitatis abjerunt. . . . In hac Crucis profunditate, in hac rerum tanta obscuritate, non de nostra virtute præsumamus; non ingenioli nostri viribus in hac quæstione aliquid arrogemus: cum Psalmo 56. dicamus, miserere mei Deus, miserere mei. Quare? Quia virtutem habeo, qua te promerear? Non. Quare? Quia voluntatis arbitrium gero, unde gratiam tuam meritum meum præcedat? Non. Sed quare? Quoniam in te confidit anima mea. Magna scientia ista confidentia.

26. Quòd etiam elegantissimè explicat Auctor libri vocationis gentium lib. 1. cap. 13. dicens: *Quòd si aliquos, sicut videmus occidere, salvantis gratia præterierit, & pro eis oratio Ecclesiæ recepta non fuerit, ad occulta Divina justitiæ referendum, & agnoscendum secreti hujus profunditatem nobis in hac vita patere non posse. Ex parte enim scimus, & ex parte prophetamus (1. Corinth. 13.) & videmus nunc per speculum in enigmate: nec sapientiores, aut scientiores Beatissimo Apostolo sumus, qui cum de gratiæ potentia disputaret, magnorum mysteriorum ingressus arcanum iis, quæ impossibile erat enarrare, succumbit. Cum enim dixisset: (ad Rom. 11.) nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut non sitis vobis ipsis sapientes, quia cecitas ex parte in Israel contigit, donec plenitudo gentium intraret; & si omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est (Isai. 59.) veniet ex Sion, qui eruat, & avertat impietates ab Jacob, & hoc illis à me testamentum, cum abstulero peccata eorum. Secundum Evangelium quidem inimici propter vos, secundum electionem verò dilecti propter vos Patres. Sine penitentia enim sunt dona, & vocatio Dei. Sicut enim aliquando & vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter illorum incredulitatem, ita & isti nunc non crediderunt in vestra misericordia, ut & ipsi misericordiam consequantur. Conclufit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium miseretur.*

Cum ergo hæc operum Divinorum mysteria supra mensuras humanæ intelligentiæ excellentia, quodam mentis suæ profudisset excessu, totam expositionis rationem transtulit in stuporem, & admirator eorum, quæ protulerat, exclamavit, & dixit (ad Rom. 11.) *O altitudo divitiarum, Sapientiæ, & Scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit, aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula, Amen.*

27. Sed nihil est, quòd amplius his immoremur, cum apertioribus verbis hæc intrinseca gratiæ efficacia tradi ab Apostolo non possit. Quòd si alii Apostolum in diverso sensu intelligunt, parcant amabò, liceatque mihi argumentum hoc verbis Augustini concludere ex Epist. 82. *Verumtamen ipse mihi pro his omnibus, immo supra hos omnes Apostolos Paulus occurrit. Ad ipsum confugio: ad ipsum, ab omnibus, qui aliud sentiunt, litterarum ejus tractatoribus, provoco. . . . Audio eum paulò superius, in ejusdem narrationis exordio, religiosa voce mihi clamantem: quæ autem scribo vobis ecce coram Deo, quia non mentior. Et ibi nu. 25. dent veniam quilibet aliud opinantes: ego magis credo tanto Apostolo in suis, & pro suis litteris juranti, quàm cuiquam doctissimo de alienis litteris disputanti.*

S. II.

Novum credibilitatis fundamentum desumitur ex auctoritate Summorum Pontificum.

28. **O**bservandum est, quoties Romani Pontifices, Concilia, & PP. errores impugnant, duo fecisse, asserere nimirum, & excludere. De exclusione nihil directè facit ad præsentem controversiam; siquidem hæreses excludere; nostra autem concertatio cum Catholicis est. Undè in præsentiarum alteram assumimus partem, nempe asseritionem SS. Pontificum & PP. de qua adhuc inter Catholicos disputatio esse potest, an diversos sensus admittat; an uni dumtaxat adhæreat, sive unum contineat? Erit ergo labor noster probare contra eos, qui aliter opinentur, sententias PP., quæ parte veritatem asserunt, gratiæ ab intrinseco efficaci, atque ejus cum libertate concordie perpetuum, & expressum semper reddidisse testimonium. Igitur cum id sequi debeamus, quòd Sacratissima Beati Apostoli Petri Sedes contra inimicos gratiæ Dei per ministerium Summorum Pontificum sanxit, & docuit, necessarium est diligenter inquirere, quid summi Pontifices contra nocentissimos liberi arbitrii defensores de gratia Dei sentiendum judicaverint, ut ex eorum consensu hujus antiqui dogmatis veritas confir-

firmetur: etenim in ambiguis, & dubiis quæstionibus, pro certa, & constanti veritate, conquirenda, nulla planior, aut expeditior via esse potest, quam recurrere ad supremam Pontificum auctoritatem, quorum semper Ecclesia credens testimonio, & iudicio de gratia pronuntiavit, & quibus omnibus ætatibus consensit Orbis Christianus. Horum ergo mentem compendioso manifestabimus indiculo. Et quidem, omiſſis Summis Pontificibus Zosimo, & Bonifacio, de quibus satis supra dictum est, primus sit S. Cælestinus I. in Epist. ad Episcopos Gallia. Hic, cum Occidentalis Ecclesia, Auctoribus quibusdam Gallia presbyteris S. Augustini commentarios adversus Pelagianos editos temere sugillantibus, vehementer turbaretur, scriptisque contrariis S. Properi nondum acquiescerent, Epistolam ad Episcopos, in quorum Ecclesiis illi Presbyterio fungebantur, scripsit, redarguens eos, & S. Augustinum laudans, ejusque scripta contra Pelagium, & Cælestium approbans, & subjiciens quædam capita adversus Pelagianos errores à prædecessoribus Pontificibus, & Africanis Conciliis decreta; eo fine, ut quid contra Pelagium, & Cælestium tenendum sit, agnoscerent. Addit, non scripto tantum, sed etiam Apostolicis traditionibus Pelagianam Hæresim in Ecclesia refutari. Si ergo, quæ Epistolæ dictæ subjiciuntur auctoritates Episcoporum Apostolicæ Sedis de gratia Dei, & libero voluntatis humanae arbitrio, considerentur, sive fuerit illarum Auctor, ut plerique jam S. Fulgentii ætate Theologi Cælestino tribuerunt, sive non, ut tenet cum aliis Sirmundus, his auctoritatibus attentè perspectis, nullo negotio veritas erit manifesta.

29. Et quidem cap. 4. legitur, quod nemo nisi per Christum libero bene utatur arbitrio, idem Magister in Epist. 25. ad Milevitanum Concilium data prædicat dicens: adverte tandem, à pravissimarum mentium perversa doctrina, quod primum hominem ita libertas ipsa decepit, ut dum indulgentius franis ejus utitur, in prævaricationis præsumptionem conciderit. Nec ex hac potuit erui, nisi providentia ei regenerationis statim pristinae libertatis Christi Domini reformasset adventus.

30. Et cap. 5. lib. contra Joan. Scotum cap. 8. Quod omnia studia, & omnia opera, ac merita Sanctorum ad Dei gloriam, laudemque referenda sunt, quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo, quod ipse donaverit. In quam nos sententiam dirigit beatæ recordationis Papa Zosimi regularis auctoritas, cum scribens ad totius Orbis Episcopos, ait: nos autem instinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur) ad fratrum, & Coepiscoporum nostrorum conscientiam universa retulimus. Hunc autem sermonem, sincerissimæ veritatis luce radiantem, tanto Afri Episcopi bonore venerati sunt, ut ita ad eundem virum rescriberent. Illud

verò, quod in litteris, quas ad universas Provincias curasti esse mittendas, posuisti dicens: nos tamen instinctu Dei &c. Sic accipimus dictum, ut illos, qui contra Dei adjutorium extolunt humani arbitrii libertatem, districto gladio veritatis, vel ut cursum transiens, amputares. Quid enim tam libero fecisti arbitrio, quàm quiddam universa in nostra humilitatis conscientiam retulisti? Et tamen instinctu Dei factum esse fideliter, sapienterque vidisti, veraciter, fidenterque dixisti. Ideo utique quia preparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt: ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanae singulis motibus, magis illius valere non dubitemus auxilium.

31. Et cap. 6. Quod ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnique motus bona voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. Ad hanc enim nos professionem idem doctor instituit, qui cum ad totius Orbis Episcopos de Divina gratia opitulatione loqueretur: quod ergo tempus, ait, intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus, adjutor, & protector orandus est. Superbum est enim, ut quidquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo ad Ephes. 6. non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed contra Principes, & potestates aeris hujus, contra spiritualia nequitia in cælestibus. Et sicut ipse iterum dicit ad Rom. 7. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Et iterum 1. ad Corint. 15. gratia Dei sum id, quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus illis omnibus laboravi. Non ego autem, sed gratia Dei mecum.

32. Et cap. 8. præter eas autem beatissimæ, & Apostolicæ Sedis inviolabiles sanctiones, quibus nos piissimi Patres, pestiferæ novitatis elatione dejecti, & bonæ voluntatis exordia, & incrementa probabilium studiorum, & in eis usque in finem perseverantiam, ad Christi gratiam referre docuerunt, obsecrationum quoque Sacerdotalium Sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita in toto Mundo, atque in omni Ecclesia Catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi. Cum enim Sanctarum Plebium præsules mandata sibi met legatione fungantur, apud Divinam clementiam humani generis agunt causam, & tota secum congemiscente Ecclesia postulant, & precantur, ut infidelibus donetur fides, ut Idolatra ab impietatis suæ liberentur erroribus, ut Judæi ablatio cordis velamine lux veritatis appareat, ut Hæretici Catholicae fidei perceptione respiciant: ut Schismatici spiritum rediviæ charitatis accipiant, ut lapsis penitentia remedium conferatur, ut denique Catechumenis ad regenerationis sa-

sacramenta, perductis, cælestis aula misericordiae referetur. Hæc autem non perfunctoriè, neque inaniter à Domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus: quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere; quos erutos de potestate tenebrarum transferat in Regnum filii charitatis suæ, & ex vasis iræ faciat vasa misericordiae. Quod adeo totum Divini operis esse sentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum semper actio, laudisque confessio pro illuminatione talium, vel correctione referatur.

33. Et cap. 9. His ergo Ecclesiasticis Regulis, & ex Divina sumptis auctoritate documentis, ita adjuvante Domino conformati sumus, ut omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum fateamur auctorem, & non dubitemus ab ipsius gratia hominis merita præveniri, per quem fit, ut aliquid boni, & velle incipiamus & facere. Quo utique auxilio, & munere Dei non auferatur liberum arbitrium, sed liberatur; ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, & imprudente sit providum. Tanta enim erga omnes homines est bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, & pro his, quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus. Agit quippe in nobis, ut quod vult, & velimus, & agamus. Nec otiosa in nobis esse patitur, quæ exercenda, non negligenda donavit, ut & nos operatores simus gratiæ Dei, ac si quid in nobis ex nostra viderimus remissione languescere, ad illum sollicitè recurramus, qui sanat omnes languores nostros, & redimit de interitu vitam, & cui quotididè dicimus Matthæi 6. ne inducas nos in tentationem, sed libera nos à malo.

34. Et cap. 10. Profundiores verò, difficultioresque partes incurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui Hæreticis restiterunt, sicut non audeamus contemnere, ita non necesse habemus adstruere: quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi, ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundum prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt, ut prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuit præfixis sententiis esse contrarium. Hæc ille: quibus sanè nihil verius, nihil Thomistarum doctrinæ conformius dici potuit.

35. Sit secundus tantæ veritatis testis S. Leo I. propter ingentia facta magni cognomen meritis, eadem ipsa disertis verbis testans in Epist. ad Nicetam Aquilejensem Episcopum, in qua Pelagianorum hæresim refellit: & ne introducta pernicies ad everſionem multarum tendat animarum, & per falsi nominis scientiam multorum corda corrumpat, mandat, Ut qui de Pelagianorum, Cælestianorumque consortio in communionem catholicam sunt recepti, damnent apertis professionibus sui superbi erroris Auctores, & quidquid in doctrina eorum universalis Ecclesia exhibuit, detestentur, omniaque decreta synodalia, quæ ad excisionem hujus hæreseos Apostolica

Sedis confirmavit auctoritas, amplecti se, & in omnibus approbare, plenis, & apertis, ac propria manu subscriptis protestationibus eloquantur. Nihil in verbis eorum obscurum, nihil inveniat ambiguum. Cujus rationem assignat: Quoniam novimus, hanc istorum esse versutem, ut in quacumque particula dogmatis execrandi, qua se à damnatorum societate discreverint, nihil sibi sensuum suorum existiment esse non salvum. Cumque omnes diffinitiones suas ad tantam facilitatem improbare se simulent, atque deponere, hoc tibi tota arte fallendi, nisi intelligantur, excipiant, ut gratia Dei secundum meritum dari accipientium censetur. Quæ nisi gratis detur, non est gratia, sed merces, retributioque meritorum, dicente B. Apostolo ad Ephes. 2: gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est. Non ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipsi enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu, in operibus bonis, quæ preparavit Deus, ut in illis ambulemus. Omnis itaque honorum operum donatio Divina preparatio est. Hæc Summus Pontifex: in quibus prædestinationis gratiæ ad gloriam statuitur fundamentum prædestinationis gratuita ad gratiam; inferens ex donatione gratiæ prædestinationem ad gloriam. Ubi non hoc lector existimet, nos sententiam à S. Leone impugnatam cum ea, quam nos rejicimus, confundere: quod nefas esset; sed id tantum, quod nos sententiis, quibus usus est S. Leo, nostram ab ipso tanquam veram, & nulla dubitatione receptam discimus.

36. Tertius sit Gelasius Papa I. Epist. 7. ad omnes Episcopos per Picenum, in qua tria præcipua Pelagianæ hæreseos capita refellit, ubi cap. 3. sic loquitur. Quis autem audeat dicere Christianus, aliquid habere boni sine gratia? Quando Magister Gentium clamat, cuncta breviter in se dona concludens: gratia Dei sum id, quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit 1. ad Corint. ut ostenderet, quia donum gratiæ non ipse præceperit, sed fuerit subsequutus; atque monstraret, cooperatorem se esse gratiæ subsequendo: sed plus omnibus, inquit, illis laboravi. Ac rursus, veritus ne de se præsumere videretur, adjunxit: non ego, sed gratia Dei mecum. Non dixit: ego, & gratia Dei mecum; sed præposuit gratiam præcedentem se, atque subjunxit. Quid autem haberi possit sine gratia, cum sit fides ipsa per gratiam, eodem Apostolo nos docente, 1. ad Timoth. misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem. Nec aliud est misericordia divina, quàm gratia. Audiamus etiam quemadmodum informat Ecclesiam: gratia, inquit ad Ephes. 2. salvi facti estis per fidem; ut principium salutis, & fidei à gratiæ cepisse disterneret, sicut securus annectit: & hoc non ex vobis, sed Dei donum est; non ex operibus, ne quis extollatur. Idem ipse alibi generaliter, & absolute pronuntiat, dicens: quid enim habes quod non accepisti? Aut si accepisti, quid gloriaris quasi non accepisti? 1. ad Corint. Quis sufficere

singula recensere? Quibus evidenter apparet, non naturalis libertatis arbitrium gratiam promereri, sed potius per gratiam recipere, ut à servitute, quam peccando meruerat, misericorditer absolutum esset. Quibus verbis docet, in quaestione de gratia Dei, & humano arbitrio rectum ita teneri debere doctrinam tramitem, ne ad verbum Dei gratiam elevare quis velit humani arbitrii libertatem, quasi donum gratiae non præcederet liberum arbitrium, & hoc non cooperaretur gratiae subsequendo.

37. Quartus sit Hormidas Papa Augustinianae doctrinae acerrimus defensor, cujus sententiam in praesenti controversia de gratia & libero arbitrio praedicat, & attestatur Epistola Synodica Episcoporum Africanorum, hujus dogmatis veritatem apertissime commendans, sic loquens num.16. *Quod autem vos dicitis, sola Dei misericordia salvari hominem, illi autem dicunt, nisi quis propria voluntate cucurrerit, & elaboraverit, salvus esse non poterit; dignè utrumque tenetur, si rectus ordo servetur divinae misericordiae, & voluntatis humanae, ut illa praevenerit, haec sequatur: sola Dei misericordia initium salutis conferat: cui deinde voluntas hominis cooperatrix suae salutis existat, ut misericordia Dei praeveniens voluntatis humanae dirigat cursum, & humana voluntas obediens, eadem misericordia subsequente, secundum intentionem currat ad bravium. Per hoc humana voluntas in eo, quod currit, utiliter laborat, & ex Dei misericordia sibi esse donum cursus, ac laboris agnoscat, nec sit ingratae misericordiae, per quam salutis accipit initium, ut per ipsam perveniat ad plenum sempiternae salutis effectum, quia tunc erit bona, si Dei praevenerit dono, & tunc permanebit bona, si ejus non destituerit auxilio. Errat autem quisquis putat, sic à Domino tribui, velut si quis accepto idoneo pignore, pecuniam det: cum Dominus utique, & pignus Spiritus Sancti ipse, quibus vult conferat, & pecuniam suam nummulariis expetendam, sicut ipse loquitur in Evangelio, servorum suorum curae, officioque distribuatur.*

38. Et num.17. *Illam verò Apostoli sententiam, qua dicitur: ergo cujus vult, miseretur, & quem vult obdurat: melius quidem ex persona confirmantis accipitur; quàm si quis non vult ex persona confirmantis accipere, illud sine contentione attendat, quod subsequenter dicitur: an non habet potestatem figulus lutum, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Et cum in utroque vase faciendo figulus cognoverit potestatem, in vase honoris indebitam gratiam Dei miserantis intelligat, & in vase contumeliae debitum iudicium Dei obdurantis, id est deserentis, agnoscat.*

39. Et num.18. *Deus autem obdurare dicitur, non quia ad iniquitatem compellit, sed cum ab iniquitate non eripit: quod quia iustus est, iuste facit. Deo ergo miserante, sine suis meritis homo salvatur, obdurante autem, iuste recipit, quod meretur. Dominus quippe dono bonitatis salvat, iudicio severitatis obdurat.*

40. Et num.19. *Illud etiam, quod vos dicitis: Dominus est enim, qui operatur in vobis & velle, & operari pro bona voluntate: illi autem dicunt, si volueritis, & audieritis me, bona terra comedetis: si utrumque, sicut oportet animus in fide tranquillus acceperit, nulla de gratia, & libero arbitrio quaestio remanebit. Jubet enim Deus homini, ut velit, sed Dominus in homine operatur & velle: jubet, ut faciat, sed operatur & facere. Ideo utrumque beatus jungit Apostolus dicens: cum timore, & tremore salutem vestram operamini. Dominus est enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate. Ut ergo cum timore, & tremore suam quisque operetur salutem, opus est volentis hominis, sed hoc ipsum Dominus operatur in suis, ac per hoc quoniam habet homo liberum arbitrium, audit praecipua, quae faciat: sed ad implenda praecipua liberum arbitrium idoneum nullatenus efficitur, nisi divinitus adjuvetur. Ita fit, ut se operari debere homo cognoscat, dum praecipuum accipit, & Domino se sciat semper omne bonum debere, quod vult, ac facit: quem, teste Apostolo, cognoscat, operari in homine, & velle, & perficere pro bona voluntate: qui suis fidelibus hanc dignatus est gratiam promittere per Prophetam, dicens: Spiritum meum dabo in vobis, & faciam, ut in justificationibus meis ambulatis, & iudicia mea observetis, & faciat. Cum ergo Dominus in homine operari coeperit velle, tunc homo ad Dominum convertitur, & eodem in se operante, unde ipsi placeat, operatur. De Domino enim dicit Apostolus: appetet vos in omni bono, ut faciatis voluntatem ejus, faciens in vobis, quod placeat coram se. Ad vitam quoque in tantum potest homo manum porrigere, in quantum habuerit Dominum protectionem suam super manum dexteram suam.*

41. Et num.22. *Omnes autem praedestinati ipsi sunt, quos vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Qui propterea omnes dicuntur, quia in utroque sexu, ex omni hominum genere, gradu, aetate, & conditione salvantur. Semper quippe voluntas Dei omnipotentis impleretur, quia potestas ejus nullatenus vincitur. Ipse est enim qui omnia quaecumque voluit fecit in Caelo, & in Terra, in Mari, & in omnibus Abyssis, & cuius voluntati nemo resistit. Verum namque est, quod de se testatus est Filius, quia in vivificandis nullum initium humanae voluntatis expectat, sed ipsam voluntatem bonam faciendo vivificat. Hoc in majoribus. Parvulos autem, in quibus necdum potest bona voluntas fieri, solius gratiae facit operatione salvari.*

42. Et num.23. *Liberum verò arbitrium, quod fuit in primo homine sanum ante peccatum, nunc in Filii Dei propria quidem infirmitate conculcitur, sed majore divini muneris gratia sublevatur.*

43. Et num.26. *Vos itaque, dilectissimi Fratres, per gratiam Dei estote stabiles, & immobiles; ac tenentes veram fidem, exhibete Fratribus aliter sentientibus charitatem, nec de aliquo desperetis: quia qui hodie veritatem in aliquo*

quo

quo non agnoscat, potest cras Deo revelante cognoscere. Deo enim subest, cum vult, posse. Sapient.12. Oremus ergo pro eis, ut Dominus operetur in eis. Exhibeamus eis bonam voluntatem, de qua nos possumus habere mercedem: scientes quoniam in conspectu Dei quisquis de numero praedestinatorum fuerit, non peribit, & in omnibus voluntas omnipotentis implebitur, ut per gratiam salvi fiant, & agnitionem veritatis, Domino illuminante, percipiant.

44. Et num.27. In laudem M. P. Augustini sic scribunt. *Præ omnibus studium gerite libros S. Augustini, quos ad Prosperum, & Hilarium scripsit, memoratis Fratribus legendos ingerere. Quorum mentionem beata memoria Hormida Sedis Apostolicae gloriosus Antistes in Epistola, quam consulenti se Sancto Fratri, Confacerdotique nostro Possessori rescripsit, cum magno praconio Catholicae laudis inseruit. Cujus haec verba sunt: de arbitrio tamen libero, & gratia Dei, quid Romana, hoc est Catholica sequatur, & servet Ecclesia, licet in variis libris Beati Augustini, & maxime ad Prosperum, & Hilarium abundè possit agnosci, tamen & in Scripturis Ecclesiasticis expressa capitula continentur. Haec legat Lector, expendat, & judicet, an sit alia Thomistarum sententia.*

45. Quintus sit Joannes II. Papa Epist.3. declarans, Ecclesiam Romanam sequi, & tanquam pretiosum aliquod depositum servare doctrinam S. Augustini in dogmate de gratia, juxta decessorum Pontificum statuta, dicens: *Augustini doctrinam de gratia secundum praedecessorum meorum statuta Romana sequitur, & servat Ecclesia. Sextus sit Felix Papa IV., à quo transmissa fuerunt multa capitula ad gratiam, & liberum arbitrium spectantia, atque ex S. Augustini praesertim doctrina selecta, ad clarissimum virum Caesarium Arelatensem Episcopum, ut legitur in Synodi Arausianae praefatione, & comprobatur Gennadius cap.86. dicens: De gratia quoque, & libero arbitrio edidit testimonia divinarum Scripturarum, & SS. PP. iudiciis munita, ubi docet, nihil hominem de proprio aliquid boni agere posse, nisi eum divina gratia praeveniat. Quod opus etiam Papa Felix per suam Epistolam roboravit, & id latius promulgavit; in Concilio nempe Arausiano, cujus Concilii quot sunt capitula, tot sunt sententiae Catholicae Ecclesiae stabilitae ab isto Summo Pontifice, & à quibus absque praevagationis piaculo nulli fideli recedere licet.*

46. Septimus sit Bonifatius Papa II. Epist.2. ad Caesarium Arelatensem, ejus rogatu confirmans ea, quae in Synodo Arausiana fuerant definita sequentibus verbis. *Indicas enim, quod aliqui Episcopi Galliarum, cum caetera jam bona ex Dei acquirerint gratia provenire, fidem tantum, qua in Christo credimus, naturae esse velint, non gratiae; & hominibus ex Adam, quod dici nefas est, in libero arbitrio remansisse, non etiam nunc in singulis*

misericae divinae largitate conferri: postulans, ut pro ambiguitate tollenda, confessionem vestram, qua vos à diverso fidei rectam in Christo, totiusque bonae voluntatis initium, juxta Catholicam veritatem, per praevenerentem Dei gratiam singulorum definitis sensibus inspirari, auctoritate Sedis Apostolicae firmaremus. Atque ideo, cum de hac re multi Patres, & praeceteris beatae recordationis Augustinus Episcopus, sed & majores nostri Apostolicae Sedis Antistites, ita ratione probentur differuisse latissima, ut nulli ulterius deberet esse ambiguum, fidem quoque nobis ipsam venire de gratia, supersedendum duximus responsione multiplici; maxime cum secundum eas, quas ex Apostolo direxisti sententias, quibus dicit: misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem, & alibi: vobis datum est pro Christo, non solum, ut eum credatis, verum etiam, ut pro eo patiamini; evidenter appareat, fidem, qua in Christo credimus, sicut & omnia bona, singulis hominibus ex dono supernae venire gratiae, non ex humana potestate naturae: quod etiam fraternitatem tuam, habita collatione cum quibusdam Sacerdotibus Galliarum, juxta fidem gaudemus sensisse Catholicam; in his scilicet, in quibus uno, sicut indicasti, consensu definitum, fidem, qua in Christo credimus, gratia divinitatis praevenerente conferri, adjicientes etiam, nihil esse prorsus secundum Deum boni, quod sine Dei gratia aut velle, aut incipere, aut operari, aut perficere possit, dicente ipso Salvatore nostro: sine me nihil potestis facere. Certum est enim, atque Catholicum, quia in omnibus bonis, quorum caput est fides, nolentes nos adhuc misericordia divina praeveneriat, ut velimus, insit nobis cum volumus; sequatur etiam, ut in fide duremus, sicut David Propheta dicit: Deus meus misericordia ejus praevenerit me. Et iterum: misericordia mea cum ipso est. Et alibi: misericordia ejus subsequetur me. Similiter & B. Paulus dicit: aut quis prior dedit ei, & retribuatur illi? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Unde nimis eos, qui contra sentiunt, admiramur, usque eò vetusti erroris adhuc reliquiis praegravari, ut ad Christum non credant Dei beneficio, sed naturae veniri; & ipsius naturae bonum, quod Adae peccato noscitur depravatum, Auctorem nostrae fidei dicant magis esse, quàm Christum, nec intelligant se Dominicae reclamare sententiae dicenti: nemo venit ad me, nisi datum fuerit illi à Patre meo. Sed & B. Paulo simul obistere clamanti ad Hebraeos: curramus ad propositum nobis certamen aspicientes in Auctorem fidei, & consummatorem Jesum Christum. Quae cum ita sint, invenire non possumus, quid ad credendum in Christo, sine Dei gratia, humanae deputent voluntati; cum Christus Auctor, Consummatorque sit fidei. Quapropter affectu congruo salutantes, superscriptam confessionem vestram consentaneam Catholicis Patrum regulis approbamus. Illos autem, qui praecedente fide caetera, sicut indicas, volunt gratiae deputare, sua professione constringimus, ut multò magis do-

no gratia etiam fidem cogantur adscribere, præter quam nihil est boni, quod secundum Deum quilibet valeat operari, sicut Beatus Apostolus dicit: omne quod ex fide non est, peccatum est. Quod cum ita sit, aut nullum bonum gratiæ deputabunt, si ei fidem subtrahere moliantur: aut si quod bonum esse dicunt de gratiâ, ipsa necessariò fides erit gratiæ deputanda. Si enim nihil boni est sine fide, fides autem ipsa venire negetur ex gratiâ; nullum, quod absit, bonum erit gratiæ deputandum. At enim Jacobus Apostolus: omne donum bonum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum, sed & ipsi fatentur, ut dicitis, dona cætera donari per gratiam; ipsa autem bona per fidem subsistere non ambigunt universa. Ipsa ergo necessariò fides erit gratiæ deputanda, à qua bonum, quod gratiæ tribuunt, separare non possunt. His itaque breviter assignatis contra reliquas Pelagiani erroris ineptias, quas illa videtur Epistola continere, quam à quodam tibi mandasti Sacerdote transmissam, respondendum non duximus, quia speramus de misericordia divina, quod ita per ministerium tuæ fraternitatis, atque doctrinam in omnium, quos dissentire mandasti, dignabitur cordibus operari, ut ex hoc omnem bonam voluntatem non ex se, sed ex divina credant gratiam proficisci, cum se senserint id jam velle defendere, quod nitebantur pertinaciter impugnare. Scriptum est enim: præparatur voluntas à Domino; & alibi: scio, quia non possum esse contentus, nisi Deus dederit, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum. Quibus verbis feliciter obtinetur gratia efficax, (& quidem ab intrinseco, ut manifestum ipsâ verborum energia videtur) quam impugnant Pelagiani, eisdemque argumentis stabilitam credidit Summus Pontifex, quibus Thomistæ suam probant sententiam.

47. Octavus sit Joannes II. Epist. 3. ad Senatores, S. Augustini doctrinam amplectens, sic de tanto Doctore loquens: item S. Augustinus, cujus doctrinam secundum Prædecessorum meorum statuta Romana sequitur, & servat Ecclesia. Et infra prædestinationem confitens, hanc probat testimonio D. Augustini. Accedunt & alii Summi Pontifices, quos vultu sæculi hanc nostram doctrinam docentes adoraverunt; & quorum non ingrata nostra Schola recreatur memoria. Adrianus I. in Epist. ad Episcopos Hispaniæ, ubi circa prædestinationis doctrinam ferventior tunc temporis erat contentio: Teneatur ergo prædestinationis veritas à fidelibus cunctis: quia quisquis Divinum non credit in hac prædestinatione consilium, non perveniet ad gloriosum ejusdem prædestinationis effectum. Nicolaus I. qui Concilium Lingonense confirmavit, cujus Acta sunt eadem ac Concilii Valentini. Hic teste S. Prudentio Tricassino Episcopo in suis Annalibus, ita decrevit. Nicolaus Papa Pontifex Romanus de gratia Dei, & libero arbitrio, de veritate geminæ prædestinationis, & de Sanguine Christi, ut pro credentibus omni-

bus fufus sit, fideliter confirmat, & catholicè decernit. Innocentius III., & Innocentius V. æquæ virtutis, ac sapientiæ suffragio notissimi, qui in suis operibus doctrinam gratiæ, & prædestinationis, quam ipsi tenuerant, aperitissimè docent. Cæterum dum horum, & aliorum Summorum Pontificum mentem profequi studio vitandi prolixitatem vetamur, præterire non possumus hæc quatuor augustissima sapientiæ, ac virtutis nomina, in Mundi lucem ad universale Ecclesiæ candellabrum collocata, Clementem VIII. Sixtum V. Alexandrum VII., & Clementem XI.

48. Clemens VIII. quem tot sapientiæ splendoribus radiantem doctrinæ excellentia commendat, Augustini de gratiâ, & libero arbitrio doctrinam amplexus est, ut probat scriptum ab hoc summo Pontifice congregationi de auxiliis exhibitum, in quo præcipua S. Augustini de gratia Christi dogmata ipsius Augustini verbis exponuntur. Hic num. 1. legitur: Secundum Sanctum Augustinum datur duplex adjutorium gratiæ Divinæ. Et num. 2. Duplex gratia operans, & cooperans. Et num. 3. Gratia Dei est, quod quis habeat suos ad bonum. Et num. 4. Secundum Sanctum Augustinum datur gratia efficax, imò efficacissima, nec tamen per eam læditur libertas humani arbitrii. Et num. 5. Hæc gratia habet suam efficaciam ab Omnipotentia Dei, & à dominio, quod summa Divina Majestas habet in voluntates hominum, sicut in cætera omnia, quæ sub Cælo sunt secundum S. Augustinum. Et num. 6. Per hanc gratiam secundum Augustinum agit Deus omnipotens in cordibus hominum motum voluntatis eorum, faciendo ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes. Et num. 7. Hanc gratiam efficacem secundum S. Augustinum infundit Deus in cordibus nostris per operationem Spiritus Sancti innumerabilibus, & occultissimis modis. Et num. 8. Hæc gratia Dei efficax secreta est secundum S. Augustinum. Et num. 9. Hæc gratia efficax secundum S. Augustinum est prævia, non postsequa: datur enim, non quia volumus, sed ut velimus: aded per ipsam efficit Deus, nedum ut operemur, sed etiam ut velimus. Et num. 10. Effectus hujus gratiæ efficacis secundum S. Augustinum est certus, & infallibilis. Et num. 11. Hæc gratia efficax secundum S. Augustinum non inducit fatum, nec efficit propterea Deum acciprem personarum, nec tollit prædicationem, & correptionem, sed cum libertate humanæ voluntatis optimè consistit. Et num. 12. Hæc gratia efficax, cur uni detur, & non alteri, occultioris judicii Dei est. Et num. 13. Hæc Dei gratia necessaria est ad singulos actus. Et num. 14. Hæc gratia nullis meritis nostris redditur, sed gratuita bonitate donatur; nullum enim nostrum bonum meritum illam antecedit. Et num. 15. Donum perseverantiæ est singulare quoddam Dei donum, non omnibus commune, per quod fit, ut perseveret in bono quisque usque in finem. Et in

in celeberrima de auxiliis disputatione nihil opportunius se facturum credidit, quam ut S. Augustini doctrina consuleretur, & juxta ipsius mentem lites componerentur, quia nempè credidit, hanc de gratia controversiam tam altè penetrasse Augustinum, ut nihil ultra desiderandum superesset.

49. Paulus V. eodem zelo, & religionis, ac veritatis spiritu ductus, mortuo Clemente, resolutorium hujus controversiæ processum urgere cœpit, cauteque discussa, auditique Consultorum judicis cum Eminentissimis Cardinalibus die 8. Martii 1606. deliberavit; An ad supremam ferendam sententiam esset procedendum? Ut revera procedendum esse declaravit, haberique jussit 9. vel 10. Congregationes, ut omni diligentia, quæ major desiderari nusquam poterat, de propositionibus damnandis convenirent, in quo per sex menses maxima sollicitudine, ac zelo laboratum fuit. Censurâ inusta propositiones ad 14. referuntur, quarum tres, nempè 12. 13. & 14. ad prædestinationem pertinent. Duodecima censura his verbis concepta erat. Qui dixerit, Deum ab æterno non ita constituisse, proposuisse, prædefinisse, seu prædeterminasse illos omnes, & singulos consensuros, credituros, operaturos, perseveraturos, quicumque in tempore à Deo vocati ad salutem consentiunt, & consentientes credunt, operantur, & perseverant, ut decreto absoluto, id est, quo absolute vult, ut consentiant, credant, operentur, seu perseverent, præordinaverit unicuique eorum dare auxilium gratiæ, cujus virtutem, seu motionem præscit, tam esse efficacem ad subjiciendum sibi liberum arbitrium ejus, cui datur, ut ex ea certum sit, & infallibile, & insuperabile, quod is consentiet, credet, operabitur, seu perseverabit, aut ejusmodi decretum Dei absolutum, seu efficacem motionem libertatem arbitrii tollere, vel ei adversari; errat. Decima tertia sic habebat. Qui dixerit, præscientiam de hominum salute, seu quocumque illorum actu ad salutem pertinente, fundari non in virtute auxilii, seu motionis efficacis ad subdendum sibi arbitrium ejus, cui datur; sed in præviso usu humani arbitrii, pro sua libertate auxilio Dei utentis, vel non utentis: aut hujusmodi præscientiam esse necessariam ad conciliandum inter se auxilium gratiæ Dei, & liberum usum humani arbitrii; errat ponendo in Deo scientiam, quæ nullum prorsus habet, vel habere potest objectum. Decima quarta sic. Qui dixerit, prædestinationem Electorum sic pendere ab ipsorum arbitrio, ut non per efficaciam, seu virtutem auxiliorum, quæ Deus sua prædestinatione decrevit dare, fiat, quod bene iis utantur; sed quia Deus in præscientia sua videns, quibus auxiliis pro sua libertate bene utentur electi, hæc ipsis dare decreverit; errat, in illud incidens, prædestinationem Dei esse ex meritis hominis; ita nimirum ut gratia, qua adjuvantur homines ad consequendum effectum, & finem, ad quem sunt prædestinati, idem iis decur, quia ipsi volunt usu illo sui arbi-

trii, quem pro libertate sua adhibent, non autem ideo velint, quia per gratiam adjuvantur. Rursus Augustinianæ Doctrinæ incitatus studio, cum Romæ Joannis Cassiani opera typis excusa fuissent, ut diabolicum Pelagianæ Hæreseos tumorem elideret, quo tertia decima collatio est resperfa, ne esset ruinæ, & scandali occasio, optimo consilio, quem, contra ipsam Beatus Prosper libellum edidit, cui titulum inscripsit, Contra Collatorem, uno comprehenso volumine, publicare mandavit; ut adjectis hoc S. Prosperi antidoto, aliisque Scholiis, & annotationibus, lectoris animum à quibusvis offensionum periculis tutum faceret. Hanc æternam amoris Augustinianæ doctrinæ de gratia, & libero arbitrio significationem præbens, ut semper Ecclesia in S. Augustini doctrina constans perseveret, etiam Alexander VII. in suo Brevi ad Facultatem Lovaniensem sub die 7. Augusti monet, hortaturque, ut præclarissimorum Ecclesiæ Doctorum Augustini, & Thomæ inconcussa, tutissimaque dogmata sequantur. Non minori fervore, quia eodem horum Summorum Pontificum spiritu ductus Clemens XI., latitantes in foveis suis Janfenistas persequens, toto impetu contra ipsos investus, constitutionem, quæ incipit Unigenitus, quâ veluti ultimo ictu ipsos profterneret, publicavit. At ne quis suspicaretur, per dictam sacrosanctam Constitutionem damnari sententias, atque doctrinas, quas insignes Catholicorum Scholæ absque ullâ censurâ hætenus tenuerunt, tradiderunt; ne malum hoc, quod ab occultis, pravisque seminibus augetur quotidie, & ab ortu suo latius, longiusque distenderetur, Constitutionem edidit Pastoralis Officii datam 5. Kal. Septembris 1718. calumniæ opportunè sequentibus verbis occurrens: Nisi enim excicaret eos malitia eorum, ac nisi diligenter magis tenebras, quàm lucem, ignorare non deberent, sententias illas, ac doctrinas, quas ipsi cam erroribus per nos damnatis confundunt, palam, & liberè in Catholicis Scholis etiam post editam à nobis memoratam Constitutionem sub oculis nostris doceri, atque defendi, illasque propterea minimè per eam fuisse proscriptas. Verùm supercecidit ignis contentions, & emulationis, & non viderunt solem lucidissimæ veritatis. Et decreto suo sub die 18. Januarii 1704. damnavit tanquam impium, blasphemum, nec non fulgidissimo Ecclesiæ lumini, maximoque Doctore S. Augustino, quinimò ipsimet Ecclesiæ, atque Apostolica Sedi injuriosum librum gallicè inscriptum: Vera Ecclesiæ traditio in dogmate de prædestinatione, & gratia D. Launoi: preferens insuper, à Decefforibus suis S. Augustini doctrinam magno semper in pretio habitam, his verbis: Pastoralis sollicitudine, quantum cum Domino possumus, occurrere cupientes, nec non Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, qui ejusdem S. Doctore præexcellam doctrinam magno semper in pretio habuerunt, totoque mentis affectu amplexi fuerunt, lau-

dabilibus vestigiis firmiter inherere volentes, &c.

50. At fileamus omnes. Unum loquamur Benedictum XIII. Jam enim Deus eduxit tanquam lumen justitiam suam, & judicium suum tanquam meridiem, dum Sanctissimus hic Pontifex indefesso pietatis intuitu super Ecclesie vigilans custodia, certissima istius veritatis, sua Constitutione Pretiosus præclarum reddit testimonium, necnon suo speciali Diplomate, *Demissas preces* sub die 6. Nov. 1724., in quo ad novam, & maximam Thomisticæ Scholæ reverentiam sic loquitur: *Magno igitur animo contemnite, dilecti filii, calumnias intentatas sententiis vestris, de gratia præsertim per se, & ab intrinseco efficaci, ac de gratuita prædestinatione ad gloriam sine ulla prævisione meritorum, quas laudabiliter hætenus docuistis, & quas ab ipsis SS. Doctoribus Augustino, & Thoma se haussisse, & verbo Dei, Summorumque Pontificum, & Conciliorum decretis, & Patrum dictis consonas esse Schola vestra commendabili studio gloriatur. Cum igitur bonis, & rectis corde, satis constet, ipsique calumniatores, nisi dolum loqui velint, satis perspiciant, SS. Augustini, & Thomæ inconcussa, turrimaque dogmata, nullis prorsus censuris esse perstricta, ne quis in posterum eo nomine calumnias struere, & dissensiones ferere audeat, sub Canonicis pœnis districte inhibemus.*

51. Hoc, quod zelo Apostolicæ veritatis his litteris declaravit Summus Pontifex, jam tanquam Ecclesiæ Doctor, & Princeps pronuntiat in Bulla Pretiosus data Setiæ anno Incarnationis Dominicæ 1727. 7. Kal. Junii Pontificatus anno 4. Sic §. 41. loquens: *Quum autem silere nos minime deceat de doctrina Angelici Doct. S. Thomæ Aquinatis, cui ipsemet Ordo salubriter insisit, ignoramus planè, quibus illam laudibus pro magnis suis in Ecclesiam meritis extollamus. Satiùs ergo ad absolutum illius præconium putamus commemorare, ipsam ex Salvatoris Crucifixi ore, sicuti piè testatur historia, fuisse probatam, & constanti Summorum Pontificum testimonio Orthodoxis commendatam Populis: Hoc potissimum suis Constitutionibus, & litteris Apostolicis præstiterit Johannes vulgò XXII. in Constit. 20., cujus initium: *Redemptionem misit.* 15. Kal. Aug. anno Domini 1323. Clemens VI. Constit. in ordine: VIII. Idus Febr. 1344. Urbanus V. in diplomatibus: *Copiosus, & laudabilis.* Dat. 10. Kal. Julii, & prid. Kal. Sept. 1368. S. Pius V. xxxvi.: *Mirabilis Deus.* 3. Idus Apr. 1567. Sixtus V. LXXVI.: *Triumphantis.* Prid. Id. Martii 1588. Clemens VIII.: *In quo Nos. Et quantum prodesse.* 22. Nov. 1603.: & *Sicut Angeli...* Paulus V. *Splendidiſſimè.* 17. Dec. 1607., & Alexander VII.: *Litteras.* 7. Aug. 1660., & *Equum verò erat, ut Angelica doctrina tanti Doctoris non vulgaribus efferveret encomiis, qua Solis instar Mandam universum illustrans, uberrima Christiana Ecclesia bona peperit, paritque in dies singulos multiplici fructu,**

*supremo Apostolica Sedis Magisterio adversus quoscumque veteres, ac recentes errores, quos revincit, fidissimè famulans, eadem nos quoque diuturnis, atque assiduis ferè experimentis probè noscentes per alias peculiare nostras litteras incipient. Demissas preces: Dat. 6. Nov. 1724. calumnias ejusdem Angelici Doctoris, & S. Augustini doctrina temerè irrogatas retudimus, & prout rei gravitas exposcebat, auctoritatis nostræ præsidio eliminavimus. Luculentius verò estimationis argumentum in ipsam S. Thomæ doctrinam nunc edituri, quo magis, magisque Prædicatorum Ordo, caterique Orthodoxi, ac veri ipsius Sæctatores ad illius sinceram, & tutam professionem inflammentur, prædictas omnes, & singulas Decessorum nostrorum Constitutiones, Litteras, seù, ut vocant, Brevia, nec non omnia, & singula in eis contenta, suprema, qua fungimur, auctoritate, motu, scientia, & deliberatione præmissis, comprobamus, & rursus quatenus opus fuerit, cum ipsismet editis nuper à Nobis litteris innovamus. Ut autem turbulenti, ac pertinaces tranquillitatis Ecclesiæ Catholice perturbatores desinant Orthodoxam S. Thomæ doctrinam calumniari, ac ne deinceps præposteris, & à veritate alienis interpretationibus Apostolicas ipsas litteras nostras, non sine aperta, ut accepimus, verbis nostris, ac etiam Decessorum nostrorum irrogatâ violentiâ, tam Prædicatorum Ordinem, quàm alios veros illius Aseclas, & Sæctatores incessere audeant, Constit. xcviii., quæ incipit: *Pastoralis Officii, sel. rec. Clem. XI. omnibusque in ea contentis firmiter inherens, sub Divini interminatione Judicii, iterumque sub Canonicis pœnis omnibus, & singulis Christi fidelibus mandamus, ne doctrinam memorati Sancti Doctoris, ejusque insignem in Ecclesia Scholam, præsertim ubi in eadem Schola de Divinâ gratiâ per se, & ab intrinseco efficaci, ac de gratuita prædestinatione ad gloriam sine ulla meritorum prævisione, agitur, ullatenus dicto, vel scripto contumeliosè impetant, ac veluti consentientem cum damnatis ab Apostolica Sede, & signanter à Constit. Lxiv. d. sel. rec. Clement. XI. incipiente Unigenitus, Fansenii, Quæsnellii, & aliorum erroribus, traducant; à quibus S. Thomæ, & vera Schola Thomistica quàm longissimè abest, & absuit, universis tam antiquis, quàm nunc Christi Ecclesiam vexantibus hæresibus, & perniciosis assertis adversans. Damnamus item folia, Theses, & libros antehac typis impressos, vel etiam, quod Deus avertat, imprimendos; in quibus ad procreandam, seu fovendam doctrinam S. Thomæ, Prædicatorum Ordini, aliisque genuina Thomistica doctrina Aseclis invidiam, designata, atque damnata à Nobis calumnie asserivè renovantur, vel in aliam à germanè prædictarum nostrarum litterarum sententiâ, sive Decessorum nostrorum mente, honorifica, atque faventia doctrina Thomistica verba fallacissimè detorquentur. Deum veritatis, & pacis enixè rogantes, ut ad majora gloriae suæ incrementa creditus Nobis Populus non minus tradita à tanto Magistro salutari doctrina, quàm ipsius in-**

innocentium morum, & illustrium virtutum imitatione proficiat.

52. Hæc Sanctissimi Domini nostri Benedicti XIII. feliciter regnantis mens, & judicium. Hoc solemnè approbationis elogio Scholæ nostræ in dogmate de Prædestinatione & gratia commendat doctrinam, qui si in minoribus fuit ejusdem Scholæ Discipulus discendo; jam ad æternum ejus decus est orbis Pater, & Magister docendo. Cesset ergo quorundam immoderata, & abrupta præsumptio, temeritate suâ plebis insipientis tranquillitatem perturbans, ac si honoris, & proprii esset commodi, veritatem istam ab aliorum cogitatione, & affectu sagaci ingenio depellere. Desinant isti malignantis naturæ spiritus ab his calumniis, adulterinisque doctrinis, Thomistica Scholæ pudicitiam corrumpere; cujus fructibus gratulari, & pios triumphos æmulari potius deberent ipsi, quàm garrulis clamoribus veritatem evertere. Justè esse nequeunt, qui veritati, & tot Constitutionum justitiæ adversantur: quibus etsi hæc veritas irrevocabili judicio non fuerit definita, irrefragabilis est tot Summorum Pontificum opinio, quibus hæc de gratia D. Augustini doctrina verior, purior, lucidior ita apparuit, ut meritò dixerit Baronius in not. ad tom 10. cap. 9. *S. Augustini doctrina ulla ex parte impugnari, aut reprehendi non potest sine manifesto viginti, & amplius Pontificum contemptu, & sine singulari S. Sedis Apostolica injuria.*

53. Gloriabitur ergo Thomistica Schola in veritate, securitate, & certitudine hujus doctrinæ. *Necesse namque est, inquit Vincentius Lirinensis Commonitorii cap. 38. omnibus Catholicis, qui sese Ecclesia legitimos filios probare student, ut SS. PP. fidei inhæreant, adglutinentur, immoriantur; prophanas verò novitates detestentur, horrescant, persequantur. Concilio enim Ephesino divinitus placuit, nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacra sibi consentiens SS. PP. tenuisset antiquitas.* Gloriabitur cum Sanctissimo Dño Benedicto XIII., quòd doctrinam de gratiâ per se, & ab intrinseco efficaci, ac de gratuita prædestinatione ad gloriam sine ulla prævisione meritorum, quam laudabiliter hætenus docuit, ab ipsis SS. Doctoribus Augustino, & Thoma, se haussisse, & verbo Dei, Summorumque Pontificum, & Conciliorum decretis, & PP. dictis, consonam esse: & commendabili studio gloriabitur, nec erit vana jactatio, quia revera ex his profundissimis sapientiæ fontibus hausit, & Patrum menti, & dictis est consona ejus doctrina. Insipiens namque esset Scholæ gloriatio, si solùm hanc hauriendam ex ipsis existimasset; ut notat Angelicus Præceptor super illud Apostoli 2. ad Corint. 12. vers. 6. *Si voluero gloriari, non ero insipiens, veritatem enim dicam, ubi Divus Thomas lect. 2. Dicit autem, non ero insipiens, quia gloriabitur de his, quæ habebat. Quando*

enim gloriatur quis de his, quæ non habet, stultè gloriatur. Apocalip. 3. Dicit, quia dives sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis &c. Ergo gloriatio Thomistica Scholæ commendabilis erit, & non erit insipiens, quia veritatem dicit, quòd doctrinam re ipsa hausit à SS. PP., & à D. Thoma, cujus Angelici Doctoris vi, ac veritate doctrinæ, Omnipotentis Dei providentia factum est, ut non solùm innumeræ, quæ vel ipsius ætate, vel antea grassatæ sunt, sed multæ etiam, quæ deinceps exortæ sunt hæreses, confusæ, & convictæ dissiparentur. Gloriabitur, pergens tanti Doctoris opera Sole clariora sine ullo prorsus errore conscripta, quibus Ecclesiam Christi mira eruditione clarificavit, inoffenso pede, decurrere, ac per certissimam illam Christianæ doctrinæ regulam Sacrosanctæ Religionis veritatem, incorruptæque disciplinæ Sanctitatem tueri, ac vindicare. Et tandem gloriabitur, quòd Benedictus XIII. sua Constitutione novum, & æternum credibilitatis præbeat fundamentum. Non ille simplex homo, sed simul Vicarius Christi, Pastor, Pater, & Magister totius Orbis. Non ibi privata, & simplex unius hominis persona, sed persona publica Christi, cui summa potestas Ecclesiæ conjuncta est, ex Apostolatus specula loquitur. Hæc actio est operatio potestatis in hac singulari persona collocata, & quadam speciali ratione à Deo gubernata. Enimverò si Spiritus Sanctus ex promissione Christi Joann. 14. & 16. manet nobiscum in æternum, ut doceat omnem veritatem, quis dubitare poterit, quòd Capiti Ecclesiæ speciali ratione assistat, ut benè in doctrinis approbandis Ecclesiam regat? Hæc sanè suadent maximum hujus doctrinæ credibilitatis motivum, cum non solùm in Benedicto XIII., sed in tot Summis Pontificibus, ut cumulatiſſimè commonstrabimus, legatur veritas ista probata, fulta, roborata, & apertissimè prædicata, & nulli Catholico debeat esse errandi ambiguitas, dum vocem Summorum Pontificum audit, in quibus est: *secura, & præfulgida via, quæ ad veritatem ducit, Amplius enim quærere ignorantium est. qui non facilè percipiunt, ubi tutò conquiescat ratio, vel quid sit Concilium, & Patribus, Summoque Pontifici cum ipsis unum, idemque continentibus, dissentire.*

§. III.

Tertium credibilitatis fundamentum ex antiquitate doctrinæ.

54. **N**ihil novandum, nisi quod traditum est. Hoc proprium Christiana modestiæ, & gravitatis, non sua posteris tradere, sed à majoribus accepta servare, prudenter, & sapienter dixit Vincentius Lirinensis Commonit. cap. 9. quod sanè maximè tenet. in veri-

tatibus à majoribus acceptis, quæ fidei intimæ, vel conjunctæ quodammodo sunt, quæ nempe illustrari, confirmari, non contrariis opinionibus labefactari debent. Sed forsitan dicit aliquis, inquit Auctor iste cap. 27. *Nullus ne ergo in Ecclesia Christi profectus habeatur Religionis? Cui objectioni ipse statim respondet: habeatur planè, & maximus. Sed ita ramen, ut verè profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsa unaquæque res amplificetur, ad permutacionem verò, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Quem profectum immediatè explicat, & dicit consistere in eodem dogmate, eodem sensu, eademque sententia. At forsitan & nobis reponit Adversarii cum eodem Vincentio cap. 39. antiquam SS. PP. consensionem non in omnibus divina legis quæstionibus, sed solum certè, præcipuè in fidei regula magno nobis studio, & investigandam esse, & sequendam. Ita sanè est, sed numquid, ut elegantissimè dicit Ludovicus Thomassinus de Deo, Deique proprietatibus lib. 9. cap. 2. has quæstionulas esse volent, ubi de prædestinatione, & gratia divina, ubi de humana libertate, ubi de salutis humana summa vertitur? His illuminandis totus Augustinus, quantus quantus est, incubuit, & toto insudavit annorum viginti spatio: his Prosper, & Fulgentius; his præcipuè deinceps omnes Antistites, & Scriptores Catholici invigilavere summo studio: his Schola Theologica jam indè à cunabulis suis tota virum contentione lucem aliquam affundere certavit, & certat etiam nunc indefessa, & has esse quæstionulas ajent? Enim verò quid ipsi fidei substantia, vel penitus, vel conjunctius, quam humana libertatis cum divina gratia conciliatio? At qui huc pertinent omnia, quæ vel Augustinus, vel veteriores Patres de prædestinatione, & efficacia gratia disputarunt. An quæstionulas, & quisquillas nauci faciendas garrient, ubi de Scripturæ divina capitum principiorum explanatione, de toto penè Paulinarum Epistolarum contextu, in diversos, & contrarios sensus contorquendo, vel ad unam, sinceramque & Patribus approbatam sententiam vendicando laboratur? Ergo illa quoque hic valeat regula ejusdem Vincentii, ut in interpretandis Scripturis Catholica, Apostolicaque Ecclesiæ sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Valeat utique; cum PP. & Theologorum antiquorum menti inherere, debeat esse certissima, & magis expedita veritatis exquirendæ regula in hac gravissima quæstione. Et maximè cum huic majorum doctrinæ confidens Augustinus pugnaverit contra Pelagianos. Etenim Juliano redarguenti ipsum quòd à præceptorum suorum doctrinam nec minimum discreparet; sic respondet lib. 6. contra Julianum n. 21. *Magnam te mihi putas invidiam comparare, cum dicis, nihil me à meo Præceptore differre. At ego in laudem meam tua sumo convicia, &c. Præceptores meos negare non debeo, qui me ad hoc Joannis Apostoli dictum intelligendum**

suo litterario labore juverunt. Meus Præceptor est Cyprianus, qui dicit, &c. Meus est Præceptor Ambrosius, cujus non solum libros legi, sed verba etiam loquentis audiavi, &c. Ego adversus te, & meam defendo, & illorum fidem, quos palam times habere inimicos, & invitatus pateris Judices. Hæc Augustinus; ex quibus perspicere potest, quòd in dogmate de prædestinatione nihil fideles docere voluit à se excogitatum, vel quod Patribus antiquis adversum crediderit.

55. Etenim si Apostolicas traditiones venerari velimus, ubi expressè in sacris litteris non habentur, alia non apparet via, quàm communis Patrum consensus, quibus, ne quid minus nobis deesset de gloria veritatis, & ad nostram eruditionem de ejus cognitione, Deus contulit Scripturarum scientiam, intellectum, & cognitionem, ut nobis manifestam facerent veritatis claritatem. Ita ad Africanos Episcopos scribit Summus Pontifex Zosimus Epist. 3. *Charitatem vestram tam Apostolicæ Sedis auctoritate, quàm mutua amoris affectione commoneo, ut jam ingenia vestra Sanctarum omnium Scripturarum, quæ secundum traditionem Patrum, atque majorum præcepta sunt, præceptis, observationibusque sufficiant. Quid illic non abundans? Quid non Dei spiritu, & vocibus plenum sit. Nisi libet unumquemque plus sibi credere, suoque de se uti iudicio. Hoc sanè maximè necessarium, dum ad indagandam efficaciam gratiæ quis pervenire desiderat; vel quia humana mens mortalitatis tenebris involuta, ad hoc incomprehensibile accendere aliter non valet: & ut consona, & uniformis præcis Ecclesiæ Patribus, & Magistris fidei sit nostris temporibus doctrina gratiæ, ne gratiam prædicemus, qualem quis sibi fingit, non qualem veritas dicit, & Ecclesia docet.*

56. Conferantur Patrum sententiæ, de quibus plura diximus superius disp. 4. dub. 2. §. 6. qui tametsi diversis temporibus, & locis floruerunt, in eadem permanserunt doctrina: quibus meritò assentiri debemus, & quidquid ipsi uno, eodemque consensu aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse, noverimus, id nobis quoque, & posteris omnibus credendum esse proculdubio intelligamus; cum hæc de gratia doctrina ex animo in animum nobis semper commendata sit. Tot, ac tanta sunt Sapientum testimonia, ut deficeret mihi tempus, si cuncta vellem recensere: undè brevitati studens hæc pauca seligo. D. Gregorius Magnus lib. 11. moral. super Job. cap. 5. *Benè autem subditur, inquit: si incluserit hominem, nullus est, qui aperiat: quia sicut nemo obsistit largitati vocantis, ita nullus obviat justitiæ relinquentis. Includere itaque Dei, est clausis non aperire; obdurare quippè per justitiam dicitur Deus, quando cor reprobum per gratiam non emollit. Cassiodorus super Psal. 50. si à nobis esset bonæ voluntatis initium, nos magis poneremus*

*mus fundamentum, ubi edificaret Dominus; quod certè nulla potest mentis sanitas approbare. Illi obedienter audiunt, quos ipse facit audire. Illi profectus capiunt, qui munus divinitatis accipiunt. Nam post vitiatam humani generis naturam, liberi arbitrii salutiferam partem Dominus tribuit, & operationem ipsius sua pietate concedit. Hæc quidem latius B. Augustinus, hæc doctissimus Hieronymus, hæc Prosper consensu generalitatis divino munere docuerunt. Et ad verba illa Psal. 64. *Beatus, quem elegisti, & assumpsisti, sic illud elegisti, exponit: ut hanc electionem nemo suis meritis applicaret; sicut, &c. Quia nequeunt illuc introire (in atria Domini) nisi quos celestis misericordia dignatur eligere. Et ad illa verba Psal. 92. parata Sedes tua ex tunc; parata, inquit, significat prædestinationem, quia totum in illa veritate consistit, quidquid in administratione mundi venire contigerit.**

57. S. Prudentius Episcopus Trojanus eandem apertissimè docet doctrinam in Epist. ad Hincmarum, & Pardulium, quæ legitur tom. 2. Mauguini p. 6. *Hoc primum, inquit, præcipueque moneo, & postulo, ut doctrinam Beatissimi Patris Augustini omnium absque ulla dubietate undecumque doctissimi, Sanctarum Scripturarum auctoritati in omnibus concordissimam (quippè nullus Doctorum abstrusa earum scrupulosius rimatus, diligentius exquisierit, verius invenerit, veracius protulerit, luculentius enodaverit, fidelius tenuerit, robustius defenderit, effusus disseminaverit) vestri Pontificatus tempore commendo quolibet impuguari non permittatis: quando tanto celestis gratiæ munere donata existit, ut nullo cujusquam conamine ullatenus evelli possit: cum eam, & Apostolicæ Sedis sublimitas, & totius Ecclesiæ Catholica unitas, auctoritate concordissima approbant: adeo ut nullus ei singulariter, verum Universitati Ecclesiæ Catholicæ cum ea, & in ea queat anniti. Et immediatè referens laudes, quibus ornatus, & celebratus fuit Augustinus à Summis Pontificibus Innocentio, Zosimo, Bonifacio, Coelestino, & Sancto Gregorio, addit: *Cum aliqui Gallorum nequaquam prædestinationem perditorum reprehenderint, sed Sanctorum prædestinationi novo colludio derogare maluerint, quorum insana præsumptioni memorabilis idem Augustinus Doctor eximius, petentibus Prospero, & Hilario, orthodoxe respondens, duos libros, alterum de prædestinatione Sanctorum, alterum de bono perseverantia plenissimè, fidelissimèque confecit: in quibus per pauca de prædestinatis ad interitum, quàm plura verò de prædestinatis ad gloriam verissimè disseruit. Hic etiam Episcopus cum interesse non posset ordinationi Ranæ Parisiensis Episcopi, eidem consensum exhibuit, ea tamen conditione, ut se addictum SS. PP. doctrinæ circa gratiam testaretur Episcopus, & specialiter quatuor capita tueri, ac defendere subscriberet; ut constet ex sequentibus verbis: Præsentiam cæteris, atque Legato nostræ Ecclesiæ**

Presbytero Arnaldo mei consensus præsentiam eatenus exhibeo, ut his, qui ordinandus est, Apostolica Sedis omnibus institutis, & Beatorum Patrum Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Sixti, Leonis, Gelasii, Coelestini, Gregorii, Hilarii, Ambrosii, Augustini, Isidori, Primassii, Fulgentii, Gregorii, Hieronymi, Cassiodori, Bedæ, aliorumque adæquè Catholicorum, atque Orthodoxorum virorum scriptis, & dictis, ac specialiter super quatuor capitulis, quibus omnis Ecclesia Catholica adversus Pelagium ejusque Hæreseos sequaces pugnavit, ac vicit... confitendo subscribere, subscribendo confiteri voluerit, ejusmodi ordinationi consentaneum esse profiteor. Sin aliàs, prorsus neque assentior, neque fidelibus Christianis assentiendum suadeo. Primum autem ex quatuor Capitulis est sequens: ut sine ipsa nihil boni nos posse nullatenus aut cogitare, aut velle, aut operari sciamus. Secundum verò: ut Dei omnipotentis altissimo, secretoque consilio credat, atque fateatur, quosdam Dei gratuita misericordia ante omnia secula prædestinatos ad vitam; quosdam imperferabili justitia prædestinatos ad penam; ut id videlicet, sive in salvandis, sive in damnandis prædestinaverit, quod se præscierat esse judicando futurum, dicente Propheeta: qui fecit, quæ futura sunt. Et relatis duobus aliis Capitulis, sic concludit: & licet quadam sint alia, quibus in Pelagio damnatis universuliter Ecclesiæ confesserit, fategerit, atque subscripserit, hæc tamen specialiter adversus eum, ejusque complicem per Apostolicam Sedem, instantia Beatissimi Aurelii Carthaginensis Episcopi, atque Augustini cum aliis 214. Episcopis ab ejus pravissimis sensibus eruta, vindicata, & multis tam Epistolis, quàm libris toto Orbe vulgata, omnis, bodieque gaudet, conficitur, prædicat, & tenet, atque tenebit Ecclesiæ.

58. Beatus Lupus Abbas Ferrierensis in Diocesi Senonensi scribens Hincmaro Archiepiscopo Remensi, ut legitur tom. 1. Mauguini p. 19. sic ait: *Hæc verissima videtur sententia, ut prædestinatio sit in bonis, juxta intellectum doctissimi Augustini, gratiæ præparatio. Prædestinatio autem in malis secundum nostram capacitatem gratiæ subtractio. De quibus idem certissimus Auctor ita sensit: quibus non vult subvenire, non subvenit, de quibus in sua prædestinatione aliud judicavit, ita tamen, ut in utrisque Creator æquissimus inveniat, dum & illis gratiam misericordiæ impertitur, & istis eandem gratiam, quamquam occulto, justo tamen iudicio, non largitur... Cum ergo communiter omnes damnati simus, cujus nostrum vult Deus miseretur, & quem vult indurat; hoc est, in propria duritiâ derelinquit. Miseretur magnâ bonitate, indurat nullâ iniquitate... Nemo tamen opinetur, aut justis, aut reprobis prædestinationis veritate fatalem necessitatem induci, cum in utrisque suspensionem necessitatis libertas voluntatis excludat. Siquidem electi accipientes à Deo & velle, & perficere libenter agunt, undè sempiternum præmium consequantur,*

tur, perverſi autem deſerti ab eodem Deo, non in viti, ſed & ipſi libenter agunt: undè in æternum meritò puniantur. Quis verd, niſi, ut mitius loquar, tardiffimus, ibi aſſerat neceſſitatem, ubi videat regnare voluntatem, vel adjuvam miſericordiã, vel deſertam divino iudicio?

59. S. Remigius Dioceſis ejuſdem nominis Archiepiſcopus in lib. De tenenda immobilitè Scripturæ Sanctæ veritate, & Sanctorum Orthodoxorum Patrum auctoritate fideliter ſectanda, id incunctanter pronunciat. Hæc igitur cum legiſſemus, & adjuvato nobis Fratrum noſtrorum, Deo donante, benè ſtudentium, & rectè intelligentium Collegio, piã, & fideliter attentione ſingula pertractaſſemus, graviter percuſi, & confuſi animo vidimus in eis, & Scripturæ Sanctæ certiffimam veritatem, & Beatiffimorum Patrum, præcipueque S. Auguſtini reverendam, & in omni Eccleſia Catholice receptiffimam auctoritatem novo conatu, & auſu nimis temerario impugnari, & quantum in ipſis fuit, improvidè, atque inſolenter labefactari. Et pag. 205. mentem S. Auguſtini ſcrutatus, & ſecutus, ait: Beatus quoque Antiftes, & glorioſus Confeſſor Fulgentius de hac iudicii in utramque partem præſcientiã, & prædeſtinatione egregium librum ſcribit; qui ſicut & cætera ejus admiranda, & veneranda ſcripta, ſemper ab Eccleſia fideliter receptus, & inter Scriptores Eccleſiaſticos laudabiliter annumeratus eſt. Et nunc neſcimus, quã ratione, immo infidelitate, & contentione ſimul cum Beato Auguſtino abjicitur; & ab eis, qui Catholici videri volunt, tales, ac tanti viri Dei iniquiffimè injuriati, & ſpreti velut quiſquilæ, & purgamenta viliffima conculcantur. Et eſt nimis mirabile, immo horribile, quomodo, ut ſuis adinventioibus, & ineptiis credatur, exigant, cum ipſi Beatiffimos Patres, & Illuſtriſſimos Doctores Eccleſiæ abjecerint. Ac per hoc niſi ſe citius corrigere ſtudeant veriffimè Hæretici iudicari poſſunt, qui fidei, & charitati, & ſinceriffimæ Patrum doctrinæ non communicant, ſed inſuper cum ipſis etiam Scripturæ Sanctæ celeſtem auctoritatem contemnunt. Id iterum expreſſit mirum in modum cap. 9. ubi hanc fuiſſe magni Auguſtini ſententiam præſupponit planè certum, his verbis: Denique de Beati Auguſtini libris, & ſcriptis, in quibus ex neceſſitate nova, id eſt Pelagiana, hæreſis deſtruenda, & fidei Catholice defendende inſtantiffima intentione de natura, & gratia; de gratia, & libero arbitrio; de correptione, & gratia; de prædeſtinatione Sanctorum, & bono perfeverantiã, ac de Baptiſmo parvulorum; juxta profunditatem Scripturæ Sanctæ, & Evangelicæ, atque Apoſtolicæ doctrinæ regulam, multipliciter diſputavit adhuc ipſo vivente, ſicut Proſper, & Hilarius ad eundem ſcribunt, & multò magis poſt obitum ejus propter obſcuritatem rerum, & tarditatem minus intelligentium multiplex querela, maxime intra Gallias exorta eſt. Sed continuò per divina miſericordiã providentiam, & Conciliis, & Statutis Beatiffimorum Patrum, & Decretis, atque au-

toritate Apoſtolicæ Sedis Pontificum ſolertiſſimè ſedata, atque ſanata: ita ut ſtultis, & indiſciplinatis quæſtionibus ſilentium imponeretur, & Sanctiſſimi, ac ſinceriffimi Doctores auctoritas in omnibus Eccleſiis, atque in ipſi Sede Apoſtolica confirmaretur. Denique Beatiffimus Papa Cœleſtinus &c.

60. Eidem ſententiæ adhæſiſſe videntur alia ſapientiæ lumina. Hincmarus in ſuo opere de prædeſt. laudans M. P. Auguſtinum præfertim in libro de prædeſt. Sanctor., ubi referens varia SS. Auguſtini, & Proſperi teſtimonia, ſic habet: Hæc eſt immobilis veritas prædeſtinationis, & gratiæ, velut Apoſtolus ait: elegit nos in ipſo ante Mundi conſtitutionem, prædeſtinans nos in adoptionem filiorum, non quia per nos ſancti, & immaculati futuri eramus, ſed elegit, prædeſtinavitque, ut eſſemus. Fecit autem hoc ſecundùm placitum voluntatis ſuæ, ut nemo de ſua, ſed de illius erga ſe voluntate gloriaretur. Fecit hoc ſecundùm divitias gloriæ ſuæ, ſecundùm bonam voluntatem ſuam, quam propoſuit in dilecto Filio ſuo, in quo ſortem conſecuti ſumus: prædeſtinati ſecundùm propoſitum, non noſtrum, ſed ejus, qui univerſa operatur, uſque aded ut ipſe in nobis operetur & velle: operatur autem ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, ut ſimus in laudem gloriæ ejus. Etenim ex hoc propoſito ejus eſt illa Elektorum propria vocatio, quibus omnia cooperantur in bonum, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt, & ſine pœnitentiã ſunt dona, & vocatio Dei. Et immediatè addit: Talis eſt fides Orthodoxorum de prædeſtinatione Sanctorum. Conſimili voce loquitur Abbas Gilbertus ſerm. 30. ſuper Cantica: Novit Dominus, qui ſunt ejus: ideo moveri non poſſunt ad fremitum Leonis; quia immobili Divinæ notiitiæ continentur ſignaculo. Bonum enim ſignaculum notiitiæ Dei. Notiitiæ, quæ ſecundùm propoſitum eſt, ſecundùm quod vocati ſunt Sancti. Firmum eſt ſignaculum hoc notiitiæ ejus, quia nihil ei deperit. Non tantùm non deperit ei nihil; ſed ipſa ſalvandos parit, ipſa prædeſtinat, ipſa ſignat quos ſuos eſſe velit. . . . Vide duas hujus ſignaculi partes: unam Divinæ tantùm gratiæ, alteram, & libertatis, & gratiæ noſtræ: illam propoſiti, hanc adjutorii. . . . Illa cauſa, hæc eſt illius effectus. Audiendus etiam Abbas Rieſvalencis Adredus Ordinis Cifterciensis in ſuo ſpeculo charitatis, ubi ait cap. 11. Ut opus, quod in nobis, ſive per nos operatur, etiam noſtrum ſit, inclinât voluntatem, ut conſentiamus, ſicque ex ejus gratia merces ſit noſtra. Ut autem ſim volens in bono opere, Deus eſt, qui operatur & velle, ipſum deinde voluntatem excitans ad petendum, ad querendum, ad pulſandum, dat gratiam pro gratia, perficere ſcilicet pro bona voluntate. Poſtremò quia Vita æterna bonorum operum merces eſt, ipſam dans coronat dona ſua, quæ voluit eſſe merita noſtra. Et cap. 15. Cum utroſque parvulos par teneat involutos damnatio: cur ille eligitur, iſte reſpuitur? Audi quare: quia Jacob, inquit, dilexi; Eſau autem odio habui. Injuſtum clamas. Nunquid dicit figmen-

rum &c. Si ergo homo ex vaſis, quæ faciunt, quæ voluerit, deputat bono, quæ voluerit, exponit contumeliæ, nec quiſquam eſt, qui cauſetur injuſtum; tu calumniaris, ſi Deus ex vaſis omnibus juſtiſſimæ contumeliæ expoſitis, quæ voluerit, aſſumat, quæ voluerit, relinquat, quibus voluerit, debitam inferat damnationem.

61. His ſanè nihil amplius requirendum ad certitudinem, probabilitatem majorem, & carentiam omnis falſitatis. Standum auctoritati Scripturæ, SS. PP., & Scholaſticorum doctrinæ. Non unius, aut duorum auctoritatem adducimus, ſed quod omnes uno, eodemque conſenſu apertè, frequenter, & perfeveranter diverſis tenere temporibus. Docibilis ratio neſcit contradicere, repugnare non vult; auctoritatibus SS. PP. fideliter acquieſcit, & tanquam cœleſtibus oraculis diſſentire non audet: cum ne Doctores ſuper Doctores ſimus, Patribus ſacra dogmata, probantibus, & decernentibus obedire juſtum ſit. Quocirca Schola Thomiſtarum doctrinam hanc, veluti paternam quamdam hæreditatem conſervat; & perfeverare vult in doctrina à tot Summis Pontificibus, Conciliis, & Eccleſiæ Patribus tradita: præfertim ubi comperit, Sanctos Auguſtinum, & Thomam, & quotquot ipſos præceſſerunt, incomparabilis doctrinæ viros, in eadem ex Scriptura, Conciliis, & Patribus conſtituiſſe ſententiã; cui conſtantius, tenaciusque nititur, quàm cuiquamque aliorum diverſæ opinionioni. Nihil novatum uſquam, & ſibi pugnans: omnia ſibi apta, & conjugata: docet omnes eadem veritatis lux, quam in Scholis ſuis præſentem, & incommutabiliter ſibi ſimilem venerantur Magiſtram; quod & Diſcipulis ſolatio, & omnibus admirationi eſſe debet. At auctores oppoſitæ ſententiæ, non ſe antiquæ Eccleſiæ doctrinæ propagatores, ſed propriæ ſapientiæ, & ſententiæ venditores ſe jactant, & oſtentant. Scientiam mediã ſcientiam eſſe novam, vel novum, conciliandæ libertatis modum fatentur, Pater Molina hujus novæ Scholæ princeps in concor. q. 14. art. 13. diſp. 53. memb. 2. & Pater Fonſeca, qui q. 6. metaph. ſect. 8. alta illa ſcientiæ mediæ myſteria ſibi ab annis ſupra triginta revelata gloriatur. Et verum omnes dicunt; cum ignorari à nullo poſſit auctor, locus, tempus, cum quibus diſcipulis inceperit, cum quã admiratione Sapientum apparuerit, & ex horum perturbatione quando ad iudicium, & examen fuerit adducta. Nullus eſt qui ignoret, in hac ſtabilenda ſententiã hujus Scholæ Profeſſores non in uno dicendi modo conſtantes ſtetiſſe, ſed paſſim varios, & plerumque ambiguos: quod non dicerem, niſi ipſa familiarium Diſputationum teſtarentur ſcripta. Unde in tanta opinio-num varietate, nihil adhuc noſtris temporibus certum, conſtans, exploratumque legitur. Si fortè fallor, alii iudicent, & quomodò cenſuræ ſubeſſe non vereor. Sed ſive hoc ve-

rum ſit, ſive falſum, non moror. Hoc mihi certum, quòd ſi nova eſt, non in SS. PP. inveſtiganda, ſed in ſuis Auctoribus legenda. Rogo enim; vel ante P. Molinam erat vera in Eccleſia hujus concordie doctrina, vel non? Hoc ſecundum execrabile nimis, quod abſque errore ſuſtineri nequit. Ita ne cœcutiit Eccleſia in cognoscenda vera circa gratiam doctrina? An doctrina, quam ipſi Scholaſtici, & univerſa teſtatur Eccleſia, eſſe rectiffimè in Auguſtino comprehendam, nullus intellexit, vel attendit? An in Auguſtino non ea emicat luce, ut genuinum ipſius ſenſum aſequi non potuerint tot periffimi antiquioris ſævi Theologi, ipſiſque ſolum datum eſt ſapere, & intelligere? Ergo cum hoc incredibile ſit, abſolutè dicendum, quòd ante Patrem Molinam erat vera in Eccleſia circa gratiam, & concordiam cum libero arbitrio doctrina. Quòd ſi ita eſt, ad quid novam pro hujusmodi concordia doctrinam introducere? Secundò: ergo vera, & veriffima erat in Eccleſia doctrina circa gratiam, & concordiam cum libero arbitrio; at nuſquam docuit Eccleſia priſcis temporibus ſcientiam mediã, nec hoc, nec alio nomine expreſſam: ergo hæc eſt inutilis ad concordiam libertatis. Tertio, inquiri de doctrina illa, quæ ante P. Molinam vixit in Eccleſia: dicant, amabo, quanam illa fuerit? An gratiam eſſe ab intrinſeco efficacem, vel alia? Si alia: qualis erat doctrina iſta? Ubi erat oſtendant? Quòd ſi nulla alia poteſt designari, niſi doctrina de gratia ab intrinſeco efficaci, ut tot argumentis probatum dedimus, neceſſe eſt fateri, quòd hæc ſola vera habebatur. Sed quid in his amplius immoror? Doctrinam gratiæ ab intrinſeco efficaciſſimæ habuiſſe initium in primitiva Eccleſia, cunctiſque præteritis ſæculis traditam apertiffimè comprobatur. Quòd modò ſit, & floreat non parùm inter Scholaſticos Viros, ſenſus cum manifeſta evidentiã oſtendit. Quòd ſi conſiderata, ut modò eſt, & propugnatur doctrina iſta, comparatur cum eadem in præteritis ſæculis, & in primitiva Eccleſia, fuiſſe omninò eandem, certiffimè apparebit, nullis unquam ex SS. PP., & priorum ſæculorum Theologis contra ipſam reclamantibus: ergo veriffimam prudenter iudicabitur, cum totum hoc certum, firmumque veriffimilitudinis formet argumentum.

62. Si dicant, quòd ante P. Molinam erat doctrina concordie gratiæ cum libero arbitrio, ſed erat ignota: contra eſt primò: ergo non poteſt probari, quòd fuerit: ergo non debet credi. Secundò: vel ſemper fuit ignota, vel aliquando cognita? Si primò ergo non eſt eadem cum doctrina gratiæ primitivæ Eccleſiæ, quæ omnino nota fuit, & cujus notiitiã per Scripturam, PP., & Concilia clariffimè habetur. Si aliquando fuit nota? Redit argumentum: dicant quando, & quomodò nota fuerit? Ne ſi non dicant, ut non proba-

ta rejici debeat. Deinde: si doctrina gratiæ à suis Auctoribus asserta sensibilis est, & non potest aliter non esse, quomodo possibile est credere, quod eadem doctrina ante P. Molinam fuerit insensibilis, & post eum eadem manens sensibilis facta fuerit. Ulterius: impossibile est, quod aliquis sit certus de primitivæ Ecclesiæ doctrina, nisi certò cognoscat præcisè, & specificè, quænam ipsa sit: ergo, vel ante hoc novum gratiæ systema fuit in Ecclesia cognita, vel nec à Conciliis, nec à SS. PP. Hieronymo, Hilario, Augustino, & D. Prospero fuit usquam perfectè, & specificè scita, & cognita: quod cum absurdissimum sit, quod illustrius argumentum, ut appareat certa ratio, cur hæc doctrina vera sit, & vera esse dicatur? Cum necessariò vera sit doctrina illa, quæ modò est, & semper in Ecclesia fuit: cum in statuendo aliquo dogmate, id statim ponitur ordine primo, quod Ecclesia profitetur, omnique retro tempore professa est; & quod Summi Pontifices, majores, & PP. nostri pro altitudine mysterii semper habuerunt. Tantò enim commendabilior est doctrina, quantò certior ejus antiquitas: quare Tertullianus de carne Christi adversus Marcionem antiquitate doctrinam suam commendat, dicens: *Ego meum dico verum, Marcion suum. Ego Marcionis affirmo adulteratum, Marcion meum. Quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio ei proscibens auctoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præjudicans vitiationem, quod posterius revincetur? In quantum enim falsum corruptio est veri, in tantum præcedat, necesse est, veritas falsum. Prior erit res passio, & materia æmulatione. Alioquin quàm absurdum, ut si nostrum antiquius probaverimus, Marcionis verò posterius, & nostrum ante videatur falsum, quàm habuerit de veritate materiam; & Marcionis ante credatur æmulationem à nostro expertum, quàm est editum: & postremò id verius existimetur, quod est serius post tot, ac tanta jam opera, atque documenta Christianæ Religionis sæculo edita, quæ edi utique non potuissent sine Evangelii veritate.* Hoc, quod Tertulliano fuit invictum, & ineluctabile doctrinæ suæ veritatis argumentum, & nobis est magnum credibilitatis argumentum. Rogo enim Auctores oppositæ sententiæ, an concordiam investigantes majorem evidentiam desiderent? An hoc arcanum secundum creaturæ naturæ intelligentiam metiendum credant, & non secundum sacras paginas, PP., & veterum Theologorum doctrinam disputandum? Quod si ita est, quærat qui velit Augustino, & SS. PP. doctores, sed caveat, ne inveniat præsumptiores.

§. IV.

Solvantur Argumenta.

63. **O**bjicies primò: non potest dari evidentia credibilitatis de eo, quod liberum arbitrium sit compositibile cum gratia

ab intrinseco efficaci physicè prædeterminante, dum circa hoc objectum nequit dari prudens assensus, quo credatur, esse deductum ex Sacra Scriptura, ut communiter à SS. PP. intellecta, & quod ad nos sit Apostolica traditione transmissum; sed nec primum, nec secundum prudenter affirmari potest: ergo nec prudens datur assensus, nec concordia liberi arbitrii cum gratia ab intrinseco efficaci est ex dictis motivis evidenter credibilis. Minor quoad primam partem videtur omnino certa: solum namque ex sensu litterali Scripturæ potest trahi certum, & omnino irrefragabile argumentum, ut docet D. Thomas 1. p. q. 1. art. 10. ad 1. Tum quia litteralis sensus facilius innotescit, ut potè est pervius, & residens in ipsis verbis, qui semper aperte eruitur ex contextu, vel ex antecedentibus, vel ex consequentibus. Tum quia testimoniorum Sacræ Scripturæ ea debet esse vis, ut intelligi debeant in receptissimam proprietatem, & SS. PP. intelligentiam: ergo si sensus litteralis non est omnino certus, sed tantum probabilis pro gratia ab intrinseco efficaci; probabiliter tantum ex Sacra Scriptura, & non certò arguere debent Thomistæ: sed argumentum probabile non fundat evidentiam credibilitatis: ergo ex sensu litterali Scripturæ obscuro pro gratia efficaci, & in quo minimè conveniunt unanimiter SS. PP. oriri nequit evidentia credibilitatis.

64. Similis est argumentatio ad secundæ partis probationem; quia falsissimum est, doctrinam istam esse traditione Apostolica firmatam. Etenim traditio Divina, ut docet Tridentinum sess. 1. in Decreto de Canon. Scripturis, est doctrina illa, quam Christus Dei Filius proprio ore primum promulgavit, & deinde per suos Apostolos, tanquam fontem omnis, & salutaris veritatis omni creaturæ prædicari jussit: sed hæc doctrina gratiæ ab intrinseco efficaci, nec ore Christi fuit revelata, nec ab Apostolis viva voce ad fideles transfusa, aliàs esset doctrina fidei, & ad religionem pertinens, ut verum verbum Dei non scriptum, quod tantæ est auctoritatis, ut æqualem cum Sacra Scriptura vim, & firmitatem obtineat: ergo non potest dici, nec accipi fundamentum ad credibilitatem ex traditione.

65. Secundò, quia admisa, & nunquam concessa traditione ista, nequit esse firmus discursus, dum de traditione certò non constat; nec item quid per eam proponatur, de quibus solum potest Theologus certificari, non per proprium judicium, sed per judicium Ecclesiæ: sed nullum datur judicium Ecclesiæ, hanc esse veram traditionem Apostolicam, declarans, & quod gratiæ ab intrinseco efficaci concordia sit doctrina ex Apostolis ad nos transmissa: ergo hoc deficiente, & deficiente fundamentum credibilitatis, quod ex traditione desumitur.

66. Argumentum hoc efficacissimè urgetur.

tur. Si concordia libertatis cum gratia ab intrinseco efficaci est evidenter credibilis ex duobus illis positis motivis credibilitatis, ex eisdem apparebit evidenter vera, & evidenter possibilis hæc concordia: tum quia, quod est evidenter credibile, est evidenter verum, evidenterque possibile: sicut quod est evidenter scibile, est evidenter possibile. Tum quia, quod est evidenter impossibile est evidenter incredibile, aut non credibile: ergo arguendo ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis, quod est evidenter credibile est evidenter possibile: ergo consequens est, quod si concordia hæc est evidenter vera, evidenterque possibilis, ejus contradictoria debeat esse evidenter falsa, & evidenter impossibilis: sed contradictoria est Adversariorum sententia, quæ prudenter nequit dici esse evidenter falsam, & impossibilem: ergo nec prudenter affirmari potest, quod hæc concordia sit evidenter credibilis.

67. Ut radicibus convellatur omnis scrupulus, ab ejusmodi objectionibus excitatus, breviter animadvertendum, primò, quod evidentia credibilitatis alicujus objecti non est evidentia veritatis talis objecti. Stat enim, esse evidens, dari motiva credibilitatis, quin sit evidens, esse verum illud, quod suadent: quare & rectè componitur, quod sit evidens, dari talia motiva, & quod non sit evidens, ea suadere evidenter assensum, cum ad veritatem assensus evidens apparere deberet motivorum credibilitatis connexio cum veritate objecti, cujus credibilitatem fundant. Non enim idem formalissimè est rem apparere, sive representari ut veram, ac ipsam esse evidenter veram, cum plura represententur, ut vera, quæ tamen in re falsa sunt. Cujus ratio facilius innotescit, si diligenter observetur, quod objectum esse dignum fide, debet sumi restrictè juxta qualitatem illius assensus, cujus dicitur dignum: sic homo ille fide dignus dicitur, & habetur, qui rem non affirmat, nisi maturè perpensam, & de quibus apud ipsum militant gravia fundamenta: ex quo tamen deduci evidenter nequit, ipsum semper loqui in re verum, vel quod omnia, quæ dicit, sint evidenter vera: ergo à subiecto ad objectum translata similitudine illud dicitur fide dignum, quod talibus nititur motivis, ut mereatur assensum prudentem, & firmum: sed dari evidentiam de eo, quod objectum mereatur assensum prudentem, & firmum, non est dari evidentiam de veritate objecti: ergo ex evidentia condignitatis moralis, ut aliqui credatur, nequit argui evidentia objecti.

68. Explicatur hoc. Condignitas moralis non sumitur ab eisdem principiis, à quibus sumitur veritas intrinseca objecti, cum hæc inferatur ex principiis intrinsecis, illa verò ab extrinsecis motivis illius verisimilitudinem evidenter convincentibus. Sed evidentia illa de condignitate morali objecti,

ut credatur, quæ sufficit, ut verè sit, & dicatur credibile, cum, ut prudentissimè credatur, nullam aliam evidentiam desideret, non est evidentia objecti, sed solum ex illa oritur certitudo moralis veritatis, aut possibilitatis objecti: ergo evidentia condignitatis moralis, ut objectum credatur, non deducitur ex evidentia objecti. Secundò animadvertendum est, non esse idem, objectum esse evidenter credibile, & esse de necessitate credendum. Nulla enim evidens credibilitas ad fidem obligat, nisi fuerit legitima auctoritate, aut proximâ fidei regulæ proposita, seu promulgata. Unde stat optimè, quod omnes rationes motivæ ad credibilitatem ex parte objecti inveniantur, quin tamen objectum sit morali necessitate credendum: ubi autem accedat regulæ auctoritas, inducitur moralis necessitas. Ex his jactis principiis facilis est argumenti solutio: quod licet non detur evidentia de eo, quod hæc concordia sit dicta à Deo in Sacra Scriptura, nec similiter quod ad nos vivæ vocis oraculo sit transmissa, ut rectè probat argumentum, datur tamen evidentia condignitatis moralis, ut prudenter credatur, hoc objectum in Scriptura dictum, & ad nos ab Apostolis transmissum: ex quibus motivis, etsi ipsa non sit formaliter credibilis, sed à revelatione; est tamen evidenter credibilis fundamentaliter: hoc est, ante denominationem provenientem à fide, est credibilitas, quæ desumitur ex motivis ad credendum: quod fundamentum non exigit per se connecti cum revelatione, & traditione, sed solum apparenter, & certitudine morali illam infert. Connexio enim cum revelatione & traditione habetur certa, ratione propositionis regulæ ultimò determinantis, sive auctoritatis legitime immediatè proponentis, quam in subiecto nostræ Disputationis adhuc desiderari, manifestum est.

69. Sistendo ergo in solâ rei credibilitate ex motivis prudentis assensus, habemus aptissimum exemplum, quo explicari possit hoc; tum in sanctitate Christiani instituti, tum in miraculis ad fidem inducentibus. Etenim cui evidens fuerit, Sanctitatem Christiani instituti esse immediatè à Verbo Incarnato procedentem, & in scripturis Canonicis pronuntiatam, sanè erit evidens quidquid est propositum per ipsum: si tamen solum evidenter constet de condignitate morali, ut credatur, esse Christianum institutum immediatè à Verbo Incarnato procedens, & quod sit in scripturis canonicis pronuntiatum; non ex hoc ipso fit evidens quidquid est propositum per ipsum. Etiam videre est in miraculis, quorum duplex evidentia dari potest; una quoad sensibilem, & insufficientem mutationem externam, quæ evidenter est mirabilis ipsam videnti, & nescienti causam illius mutationis, ut docet D. Thomas 1. p. q. 105. art. 7. *Miraculum autem di-*

citur, quasi admiratione plenum, quod scilicet habet causam simpliciter, & omnibus occultam; unde illa, quæ à Deo sunt præter causas nobis notas, miracula dicuntur. Alia est evidentia miraculorum quoad supernaturalitatem in eis occultam, nempe circa causam supernaturalem illorum, & intentionem, qua ordinantur in confirmationem fidei: nempe quòd ea, quæ faciebant Apostoli v. g. erant vera miracula, & quòd fiebant in confirmationem doctrinæ, quam prædicabant, & ulterius Deum non posse comprobare miraculis doctrinam falsam. Si miraculorum hoc secundo modo detur evidentia, hæc infert evidentiam veritatis prædictæ: cum non possit evidenter cognosci, unum esse connexum cum alio, quin ad evidentiam talis connexionis sequatur evidens cognitio alterius extremi; si tamen solum constet de miraculis, quæ sunt motiva credibilitatis, ut tactis lumine naturali, & quorum evidenter non cognoscitur nec veritas, nec finis; solum datur evidentia credibilitatis fundamentaliter talis ab huiusmodi signis ostendentibus condignitatem moralem objecti, ut existimetur, esse rem à Deo revelatam, & quæ spectare ad fidem Divinam possit. An autem ad ipsam pertineat, debet determinare legitima Ecclesiæ, seu Romanæ Sedis auctoritas, seu declaratio per modum regulæ immediatæ credendorum, aut fidei. Sic & in præfenti nos dicimus, quòd licet concordia non cognoscatur ex illis motivis credibilitatis credibilis fide Divina, cognoscitur tamen evidenter illam habere fundamentum, ut credi possit, & prudenter existimetur, habere quidquid desiderari potest citra regulæ definitionem.

70. Ad id, quo urgetur argumentum, dicitur, quòd concordia liberi arbitrii cum gratia efficaci ex talibus motivis, nec apparet evidenter vera, nec evidenter falsa, nec evidenter possibilis, nec evidenter impossibilis: patet in objecto opinabili, quòd nec est evidenter verum, nec evidenter falsum: etenim non esse evidenter falsum potest contingere vel per hoc, quòd ut tale non cognoscatur, vel non cognoscatur evidenter, etsi cognoscatur. Sic etiam potest dari evidentia existentie alicujus propositionis, quin constet evidenter de ejus veritate, aut falsitate, dum quis alium loquentem audit, cui etsi constet ab experientia sensibili de ejus assertione, non tamen evidenter constat de veritate, aut falsitate affirmationis. Quod

& communissimè dicitur in omnibus questionibus, quarum dantur opiniones inter se immediatè oppositæ: v. g. quòd idem numero corpus sit circumscriptivè in pluribus locis non est evidenter impossibile, aliàs sententia contraria Thomistis, quæ hujus possibilitatem affirmat, esset evidenter falsa; & tamen illud sic posse esse circumscriptivè in pluribus locis, non est evidenter possibile; aliàs sententia D. Thomæ esset evidenter falsa. Potest ergo duplex contradictorium esse simul probabile, & hoc ratione illius adjecti evidenter: quia licet possibile, & impossibile immediatè opponantur, non tamen cum illo adjecto evidenter: quare absolutè debet negari major, quia licet sententia Thomistarum sit evidenter credibilis, non tamen est evidenter vera, & evidenter possibilis: cum non sit idem, ut diximus, rem esse credibilem, ac esse evidenter veram, & evidenter possibilem: cum veritas, & possibilitas desumantur ex principiis intrinsicis rei, & ex necessaria connexionione, quam res habet cum illis. At credibilitas solum oritur ex principiis extrinsecis rei non necessariò connexis cum illa, sed merè ostendentibus ipsius verisimilitudinem; per quod constat ad primam probationem. Et ad secundam dicitur, quòd ut valeat consequentia ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis, debet procedere ab opposito contradictorio consequentis, ad oppositum contradictorium antecedentis, qualiter non arguitur in præfenti; cum non opponantur contradictoriè duæ propositiones affirmativæ, ut sunt istæ: est credibile; est non credibile, seu incredibile: & illæ aliæ, est impossibile; est possibile; in quibus ly est contradictionem, & oppositionem, quam inter se habent, impedit, ne exerceri possit.

Hic ergo sit hujus Disputationis finis, ne offendant unius tractatus nimia longitudo, quòd si, ut inquit Augustinus lib. 1. de prædest. Sanctior. cap. 20. & diutius fecimus, quàm forsitan vellent hi, propter quos fecimus: hinc ab eis reprehendi parati sumus: dum tamen etsi multò diutius quàm vellent, etsi cum fastidio ac radio intelligentium, fateantur, nos fecisse, quòd fecimus; id est probasse solidissimam esse concordiam liberi arbitrii cum gratia ab intrinseco efficaci, quam omnis Christianorum ætas, ut putamus, confessa est: ad Dei, & Gloriosæ Virginis Mariæ, & Apostolorum Petri, & Pauli, & SS. Augustini, & Thomæ laudem, & honorem. Amen.



DISPUTATIO VII.

De Doctrina Scholæ S. Thomæ ab extraneis imposturis vindicata, occasione à Novatoribus accepta ex Sacrosanctâ Constitutione, quæ incipit Unigenitus anno Incarnationis Dominicæ 1713. 6. Idus Septembris edita.



EMINEM arbitror futurum, qui post explicatam à nobis latius aliquantò, & fortè diffusius Thomistarum doctrinam circa concursum prævium, & ab intrinseco efficacem, hujusque cum libertate concordiam rationem curiosè quærat, cur ad præsentem disputationem pro vindicanda doctrina Scholæ Divi Thomæ circa gratiam ab extraneis calumniis animus applicaverim. Notum omnibus, quòd ò utinam sempiternæ oblivioni dari possit, quosdam Sacrosanctæ Constitutioni, quæ incipit Unigenitus, debitam obedientiam præstare recusantes, excæcitate eos malitia eorum, & diligentes magis tenebras, quàm lucem; incredibili audacia Constitutionem ipsam perversè interpretari, & incessere, pravæque etiam doctrinæ per impudentes calumnias infimulare non erubuisse: quorum novatorum dictæ Constitutioni adversantium calumnias, ac impudentiam exposuit SS. D. N. fel. record. Clemens PP. XI. in Constitutione, seu Pastoralis Monito, incipiente Pastoralis Officii dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1718. Quinto Kal. Septembris Pontificatus anno 18. dicens: Deindè ne quis Christianum Populum seducere pergat inanibus verbis, vos omnes, ut necesse est, monitos volumus, & certos facimus, quòd frustra, & quidem non sine fermento malitiæ, & nequitiæ, istiusmodi homines nobiscum in doctrina Religionis consentire se jactant, dum interim, Heterodoxorum exemplo præeunte, editam à nobis Constitutionem, quam universa Ecclesia veneratione debita complectitur, non modò alienis ab ipso

verborum tenore interpretationibus, sed & aperitis calumniis superinductis, malignè carpere audent, & immanium errorum accusatione perstringere; perindè ac si ipsi soli, aliis Christi fidelibus ubique gentium desipientibus, saperent; ipsi soli, reliquis cæcutientibus, lumen veritatis aspicerent. Non satis errasse Constitutioni se se subicere nolendo; sed insuper nefariæ hujus, quæ adhuc fervet, seditionis Auctores, etiam contra Sedem Apostolicam manifestè caput erigunt, ut astutè Constitutionis declinent fulmen: quòd turpe autoritatis Pontificiæ imminutæ crimen maximum flagitium judicat D. Cyprianus de unitate Ecclesiæ exprobandis discordiam, & fidelibus pacem commendans, dicens: Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis: pejus hoc crimen est, quàm quòd admisisse lapsi videntur; qui tamen in penitentia criminis constituti, Deum, plenè satisfactionibus deprecantur. Hic Ecclesia quaeritur, & rogatur: illic Ecclesiæ repugnat. Hic potest necessitas fuisse: illic voluntas tenetur in scelere. Hic qui lapsus est, sibi tantum nocuit: illic qui Hæresim, vel Schisma facere conatus est, multos secum trabendo decipit. Hic animæ unius est damnum: illic periculum plurimorum. Certè peccasse se hic & intelligit, & lamentatur, & plangit: ille tumens in peccato suo, & in ipsis sibi delictis placens, à Matre Filios segregare, oves à Pastore, sollicitat. At non solum his nostris temporibus tumentes in errore suo remanent plurimi; sed etiam, ut se à crimine purgent, veneranda SS. Augustini, & Thomæ obijciunt nomina, horum sententias corrumpentes, ut turpitudinem erroris, & fraudis rectis ipsorum verbis præpostero animo coaptent; & ut fumum imperitis, & simplicibus faciant, totumque Catho-

tholicum Orbem, mala fide, omnique adhibita arte fallendi, quoniam, Domino eis resistente, pervertere nequeunt, saltem commovere conantur. Horum calumnias detegit, ac ob oculos ponit dicta Constitutio, frequentibus verbis. Præterea, ut pessima causa splendidum patrocinium conciliant, præfatæque Constitutioni majorem undecumque invidiam faciunt, se ab ea suscipienda retardari affirmant, eò quòd suspicentur, per illam damnari sententias, atque doctrinas, quas insignes Catholicorum Scholæ absque ulla censura hætenus tenuerunt, ac tradiderunt. Sic conantur illi dolosis vocibus blandientes, falsaque amicitia cum veris, & Catholicis Thomistis habere consortium; non in veritatis obsequium, & amorem; non ut ad sanam redeant doctrinam; sed ut suo æquivoco Idiomate fraudis ignaros circumveniant: dum è contra, hoc exigente justitia, D. Thomæ Scholæ semper constans in retundendis erroribus, fugandisque Hæreticorum monstris, ad omnem gloriam, & incomparabilis felicitatis admirationem evecta celebratur, ut ipsos efficaciter redarguit Pastoralis Constitutio: *Cum tamen, nisi ab antiquis semitis, Sanctorumque Patrum vestigiis, immo & ab earumdem Scholarum instituto, quod verbis profitentur, re ipsa recessissent, probè remissis deberent, quòd illarum Principes, quorum nomina pertinaciter sua temerè præstulerunt, quemadmodum & cæteri illustriores Ecclesiæ Scriptores suum semper esse duxerunt, ut ab Apostolica Sede discerent, quid credere, quid tenere, quid docere deberent: ut ad illam scripta sua examinanda, & emendanda dirigerent: ut inde lumen Catholicæ Fidei reciperent, ubi non posset Fides ipsa sentire defectum: ut nemo eorum denique sententiam suam adversus Petri auctoritatem defenderet.*

2. Coeterum, ut loquitur Constitutio, in hoc ipso præposito judicio consuetum calumniandi morem non derelinquunt: cujus nos certiores facit D. Cyprianus loco supra laudato loquens de Dæmone novam semper excogitante fraudem, ut sub ipso Christiani nominis titulo fallat incautos: *Hæreses invenit, & Schismata, quibus subverteret fidem, veritatem corrumpere, scinderet unitatem. Rapit de ipsa Ecclesia homines, & dum sibi appropriasse jam lumini, atque evasisse sæculi noctem videntur; alias nescientibus tenebras rursus infundit; ut cum Evangelio Christi, & cum observatione ejus & lege non stantes, Christianos se vocent, & ambulantes in tenebris, habere se lumen existiment, blandiente adversario, atque fullente, qui secundum Apostoli vocem 2. Cor. 11. transfiguratur se velut Angelum lucis, & ministros subornat suos velut ministros justitiæ; asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi, ut dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrantur. Hoc eò fit, Fratres Dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæri-*

*tur, nec Magistri cælestis doctrina servatur. Hæc profundè S. Doctor: nec tractu longo atque argumentis opus est, ut probemus, nostri temporis hæreticos sub ipso Catholici Augustini, & Thomæ nominis fallere incautos. Non est novum ipsis hoc iniquitatis mysterium cælesti Augustini delectari patrocinio. Jansenius librum suum Augustini Jansenii appellavit, quasi solus in ipso loqueretur Augustinus; aut ex solo Augustino loqueretur Jansenius. Bajus damnationem suæ doctrinæ probrosam Sanctæ Sedi judicavit, & credidit, ut scripsit ad Cardinalem Simonettam, quia ipsissima D. Augustini in ipso damnata erat doctrina. Totus meus est Augustinus dixit Lutherus de serv. arbitr. Errorem suum & auctoritatem Augustini firmare voluit Calvinus lib. de prædest. Augustinus adeo totus noster est, ut si mihi confessio faciendâ sit, ex ejus scriptis contentam proferre abundè mihi sufficiat. Suum & aliorum Hæreticorum studia singulare sibi numen deposcunt. Vvicleph apud Valdenses tom. 1. lib. 1. cap. 34. A modernis dissentio, sed cum multis Sanctis antiquis, & specialiter Augustino consentio. Berengarius, ejusque Affectu unius Augustini testimoniis utebantur, teste Guitmundo lib. 3. initio. Serapion Hæreticus in conflictu cum Arnobio juniore lib. 2. damnat hæresis eos, qui vel minimum ei refragarentur. Claudius Taurinensis Iconoclasta apud Hungarum omnes alios SS. PP. rejiciens, adhærere se tamen Augustino profitebatur. Omnes sic transfusum in se ipsos volunt Augustinum, ut à nobilitate Magistri fortiantur æstimationem, vel ut ait D. Gregorius lib. 2. Moral. cap. 15. Ut ea, quæ asserunt, commendare stultis mentibus hominum, quasi de antiquitate possint, antiquos Patres se habere testantur, atque ipsos Doctores Ecclesiæ suæ professionis Magistros dicunt; cumque præsentis Prædicatores despiciant, de antiquorum Patrum Magisterio, falsa præsumptione gloriantur. Hoc quippè est ipsorum commentum & Diaboli, inquit Basilii Magnus Epist. 21. Suam malignitatem sub nomine christiano obtegentis. Ita Quæsnellius quasi sibi proprium vindicare voluit D. Augustinum in explicationis Apologeticæ præfatione anno 1712. dum ait: *Se doctrinam observationibus moralibus expressam hausisse ex SS. Augustino, & Thoma. Et iterum ipse, vel alius ei adhærens in libro, qui inscribitur, Ecclesiastici Epistola, de mente S. Augustini circa auctoritatem Pontificis. Mendax, & yana, sicut aliorum Hæreticorum, hæc Quæsnelli impostura; quæ solum contumeliam, & injuriam Scholæ Thomisticæ, Schisma, & seditionem toti Ecclesiæ respirat, ut suscitatis in rebellionem animis, audax ipsorum insolentia, nebulas effundens lucidissimæ veritati, contra Sedem Apostolicam excandescat. Hoc publicè loquor, quia & publicè sapientes rogare non erubescio; utens ver-**

verbis Cantorum cap. 2. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit. Floruit, & semper florebit Thomistica Scholæ, & florebit magis; cum tanta fuerit inter nos, & ipsos, quanta maxima potest esse studiorum, & doctrinæ distantia; quare nobis maximè & justè timendum, ne hujus vulpinæ astutiæ singularissima perfidia Scholam Angelicam debellet, & robustior facta validius postea doctrinam impugnet; & hæc penitus dissipatâ, ac eversâ, suam, quod enixius fludet, paulatim introducat.*

3. Huc sanè tendit, quòd dum Jansenistæ, & Quæsnellistæ veros se discipulos SS. Augustini, & Thomæ prædicant, tam in ipsos, quàm in Thomistas, velut in communes hostes, malitia ipsorum dissimulationis necia, aperta indignatione, propudiosa improperia jacere audax non veretur. Ab ipso Jansenio profluit odium adversus Thomistarum sententiam, qui tom. 3. edit. 1. Lovaniensis col. 821. ita Scholam Thomisticam infectatur: *Qui medicinalem Christi Salvatoris gratiam sic defendere conantur, ut eam in talem prædeterminationem physicam transforment, omni statui hominum necessariam, magis profecto Aristotelici, quàm Augustiniani sunt: nam talis prædeterminatio sic assera, non solum nullo testimonio ejus (Augustini) probari potest, sed potius universam doctrinam ejus innumeris locis traditam inexplicabili confusione conturbat. Tollit enim differentiam integræ, læsque voluntatis, tollit necessitatem duplicis adjutorii... tollit, obscuratque veram radicem necessitatis gratiæ medicinalis, nec sinit intelligere veram naturam ejus... Denique cogitur inferre non exiguam vim Scripturis Sacris. Et col. 822. Per prædeterminationem physicam... funditus illa doctrina Augustini, & Conciliorum labefactata corrumpit. Et paulò superius: Prædeterminatio destruit potius magnam illam libertatem, & bene vivendi potestatem, quam Augustinus, Pontifices, & Concilia nos in Adamo amisisse testantur.*

4. Aburdus contra D. Augustinum, Egidius Candidus Jansenistarum vindex, & Quæsnelli defensor in Augustino Iprensi vindicato pag. 373. insurgit: *Si alterutrus esset faciendâ optio, an ut sensus librorum S. Augustini Hipponensis in materia liberi arbitrii, & gratiæ Dei, an verò sensus libri Janseniani, juxta Constitutionem Clementinam, Theologia tyronibus ejurandus esset, minus è condemnatione prioris, quàm è posterioris Catholica Christi Ecclesiæ pateretur; nam Augustinus Hipponensis, tum quia non semper æquè in hac materia eruditus fuit; tum quia adversarios binos Manicheos, & Pelagianos è diametro in materia liberi arbitrii repugnantes, stylo suo expugnandos, ac fundendos habuit, aliquando, aut minus cautè, aut minus clarè locutus est, adeoque... in quæstionem, vitilitationemque trahi potest: Jansenius nullo modo. Alius Quæsnelli fautor Elias Dupin in nova sua, & damnata Biblio-*

theca Scriptorum Ecclesiasticorum Hipponensem Antifitem sic describit: *S. Augustinus tam in scripturarum interpretatione, quàm in Theologicis opinionibus sæpe recedebat à præcedentium tramite, ut viam sibi deligeret prorsus novam. Vocari potest in Theologicis Magnus opinator. Eruditionis multò minus ei fuit, quàm ingenii: quia & linguarum ignarus erat, & vix legerat veteres.*

5. Joannes Opstraet in Theologo Christiano p. 2. cap. 4. §. 2. *Multorum utilitati, vel infirmitati non satis accommodatus est S. Thomas; tum quòd quæstiones multas Philosophicas Theologiæ immisceat, tum quòd terminis Philosophicis eas proponat, resolvatque.*

6. Non minus rigidè contra Thomistas Ludovicus Duvaucel, qui Thomistis illudens, ad suum fidum Achatem Quæsnellum scribens anno 1702. 25. Martii, ait: *Non minus certè ego, quàm ille, irascor contra Baccalaureos (id est, juxta detectam clavam, Dominicanos) & indignor: ac partem majorem approbo eorum, quæ de hac re scribit. Nihil intolerabilius mihi videtur, quàm fasciatio, qua supponunt, existere sectam quamdam Jansenistarum, & scholæ suæ interesse, ut id supponatur, ut ab ea se discernant. Et Vvalonius in Epist. anni 1702. 16. Septembris ad Quæsnellum: Homines isti plus nocent veritati, & bonæ causæ, quàm Molinistæ professi. Et idem Petrus de Ligni loco citato. Declaro, inquit art. 2., coram Deo, quòd post Adami lapsum non detur amplius gratia sufficiens: sed solum efficax: quocirca sententia Molinistarum sit Semipelagiana, & damnata in Congregationibus de auxiliis; opinio vero Thomistarum sit mera stultitia, & ineptia. Et art. 6. Quòd prædeterminatio Physica, prout in Thomistarum Scholis explicatur, sit prorsus contraria doctrinæ S. Augustini, & quòd solutiones dari solitæ per sensum compositum, & divisum, atque indifferentiæ judicii, sint mera cavillationes, & trica: quarum ne minimum quidem in Sanctis PP. sit vestigium.*

7. Ubi igitur illa erga sanctissimum, & gravissimum Augustini, & Thomæ nomen proclamata pietas? Ubi erga mirabilem, & egregiam ipsorum doctrinam amor, & benevolentia? Ubi illa certissima Scholæ Thomisticæ observantiæ significatio? Siccine omnium opprimitur, obscuratur, sepelitur gloria? Ergo non Augustini, & Scholæ Thomisticæ honor, & gloria, non illibata SS. PP. doctrina, sed solum tot ignorantæ tenebris ipsorum propria seducta voluntas; vel potius constans deliberati in pertinacia animi libido, maximusque, nusquam satis sanguineis lacrimis deplorandus, præcipientis Ecclesiæ contemptus, struere calumnias & dissentiones serere audet, negans Papæ in dogmatibus & controversiis fidei infallibilem auctoritatem. Novum quidem, cunctisque retro Ecclesiæ ætatibus apud Thomistas inauditum, ut potè contra expressam Angelici Præcepto-

ris doctrinam 2. 2. q. 11. art. 2. ad 3. Postquam autem essent auctoritate universalis Ecclesie determinata, si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, Hæreticus censeretur. Quæ quidem auctoritas principaliter residet in Summo Pontifice, dicitur enim 24. q. 1. Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes fratres nostros, & Coepiscopos non nisi ad Petrum, id est ad sui nominis auctoritatem referri debere. Contra cujus auctoritatem nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis Sacrorum Doctorum suam sententiam defendit. Unde dicit Hieronymus ad Damasum Papam. Hæc est fides, Papa Beatissime, quam in Catholica didicimus Ecclesia, in qua si minus periret, aut parum cautè forte aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri fidem, & Sedem tenes. Si autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me culpæ voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicum, non me Hæreticum comprobabit: quam Angelici Magistri doctrinam firmant omnes antiqui, & moderni Thomistæ non minus sapientiâ, & doctrinâ, quam pietate, ac studio tuendæ religionis illustres, à quibus recesserunt, qui illo ficto Thomistarum nomine gloriantur: quia nempe obscurati erant oculi eorum, ne legerent, ac obscuratæ aures, ne audirent, non sine maximo verorum Thomistarum luctu. Quicumque ergo veraciter se Thomistam credit, hanc S. Doctoris doctrinam totis viribus propugnet, ne fictè obtineat nomen, cum professio & sinceritas doctrinæ, non ex nomine, sed efficaciter insinuetur ex opere.

8. En scribendi absolutissima ratio. His sanè nihil amplius requirendum pro hujus disputationis elucubratione, in defensionem veritatis, & Romanæ Ecclesie, quam amo ut matrem, audio ut Magistram, & adoro ut certissimam viventem fidei nostræ regulam. Si namque pro transmissa sibi fide, & Ecclesie honore pugnare tenentur Catholici omnes, monente, & hortante Apostolo Juda his verbis, v. 3. Deprecans supercervari semel tradita Sanctis Fidei; quanto magis noster Prædicatorum Ordo, quem Ecclesia semper invictum sui juris defensorem, & accerrimum injuriarum ultorem adoptavit, & contra Hæreticorum zizania fortiter noscitur ubique decertasse, ut prælagiit, & futurum ante sentivit Honorius III. in Bulla Confirmationis, ubi sic ad S. Parentem Dominicum: Nos attendentes, fratres Ordinis tui futuros pugiles fidei: quod sic contigisse probavit eventus, ut testatur Leo X. in Brevi dato Romæ die 21. Junii ann. 1518. Pontificatus sui anno 6. Cum inter ceteros operarios, qui ad excolendam vineam Domini Sabaoth vocati sunt, Ordo Prædicatorum magnos & probitatis, & doctrinæ & animarum salutis fructus semper olim attulerit; quotidieque afferre cernatur, deceatque, ut etiam in hac vita pro tot sanctis studiis, honestisque laboribus ab Apostolica Sede, cujus quoque nostris periculosis temporibus pacem, &

dignitatem Ordo idem fortiter tutatus est, spiritualia &c.

9. Verùm his nostris temporibus nova, urget necessitas. Neminem fugit, quod non sine gravi Thomisticæ Scholæ injuria, maximoque Reipublicæ Christianæ scandalo, sparsi sint undique libelli, exquisita ad fallendum arte compositi, Thomistarum doctrinam ream pessimæ Jansenii hæresis accusare audentes: quare consultius, ac prudentius fore credidimus, dictas Quesnelli propositiones ad examen adducere, ne audacius falsa hæc criminatio prævaleat; quamvis à tali calumnia tot Apostolicis diplomatibus plenè sit vindicata, quibus, ut veri Catholici, mentis obsequium præstare debuissent omnes; cum non Scholæ nostræ solum, indebitè loquendo, sed magis Sedi Apostolicæ videantur inferre convitium, cui minus sincero animo obsequuntur illi, qui perperam Ecclesie decreta ad sensus alienos, & extraneos detorqueant. Quid enim est hoc, nisi Apostolicæ Sedis providentiam fallere, pacem Ecclesie subvertere, simplicium, ac pusillorum mentibus imponere, & dominari Ecclesie legibus, ac si ad nutum eorum inverti, ac transformari possent. Quare in triplicem controversiam distributio est præsentis disputationis. In prima infallibilem Summi Pontificis in definiendo potestatem expediatur; ut quod Religionis, & Sedi Apostolicæ contumeliosum, & quæ ad auctoritatis infallibilis Summi Pontificis contemptum inducunt perniciose dogmata, refellam. In secundâ appellationem ad futurum Concilium nullam ac schismaticam ostendam. Hic lectorem ab Emin. Cardinali Cajetano monitum volo, ne putet ponere me falcem in messem alienam; Nam materia ista primò, & principaliter est Theologorum, quorum est Sacra Scriptura & Divina opera scrutari. Secundariò autem, in quantum est in Sacris Canonibus declarata, ad Canonistas spectat. Propter quod graviter errant in hac Canonistis primò deferentes. Oportet ergo virum docilem, utrosque, Theologos, & Canonistas in hac re prospicere, & in suo quemque loco honorando, Theologice primatum dare: utpote quæ ex propriis potest hoc determinare; Canonicum autem jus non nisi ad Theologicam recurrat auctoritatem, scilicet Sacra Scriptura: quæ vera Theologia est. In tertiâ Quesnelli propositiones ad trutinam expendam, ut certa ab incertis separem, & propositionum principia perniciose, documenta scandalosa, christianæ charitati maximè contraria omnibus aperiam. Thomistis, ut ea quæ veritatis sunt, defendant: adversariis, ut audiant, taceant, & desinant insidiari veritati; & ceteris ut præsidio ad legendum habeant, quid de tanta his temporibus concursatione, maximeque, & olim sæpè, & in præsentis contentione, sit constituendum. Verùm id nobis acturis, cum plurimæ hic sese offerant quæstiones, ut lucidius res intelligi possit, non hic integra-

fu-

fusiori stylo condemnationis motiva adducere animus est, cum hoc præfixi hujus disputationis limites minimè patiantur; sed quod in his propositionibus, in quibus expressam, ac reasumptam noscimus doctrinam Jansenii, omnique arte, ac machinatione in ipsis insertam, veneni latet, ut videatur idem Quesnelli sensus, qui prius fuerat Jansenii, quo meritò damnata, & ad tenebras deducta Quesnelli doctrina: erudiente nos Divina gratia, quæ & ad dicendum, & ad Ecclesie vocem audiendam paratum semper animum efformat, ut inquit Augustinus Honorato respondens Epist. olim 140. nunc 260. Deus cognitionem sui nobis præstat, ut per hoc intelligamus, ne hoc quidem nobis esse tribuendum, quod nos scimus Deum, sed eam quoque scientiam illius misericordia tribuamus. At si fortè in hoc scripto quispiam ignorantie error obrepserit, si quid minus providè, vel indiscretè, & à Ca-

tholica Sedis Apostolicæ mente alienum, aut minus conforme his, quæ de hac quæstione, & de quibuscumque aliis per dictam Constitutionem fuerit determinatum, omnia per Christi Vicarium corrigi volo, sicut omnia, prout definita sunt simpliciter, & indubitabili fide tenere, promptè & liberè confiteri; ad exemplum D. Petri Damiani scribentis to. 3. opusc. 5. Nos si quid erravimus, ad Petri magistrum corrigendi libenter accedimus, & retractionis opprobrium non veremur. Hæc est enim illa, ut ita loquar, officina fabrilis, cui mirum is, qui Fabri dicebatur filius, præsidet; ad cuius regulam omnis meritò moneta reducitur; ad cuius restituitur lineam, quidquid aspiam depravatam fuerit, reformatur. Sic & nos, & decretum promulgatum sequimur, & si quid adhuc salubrius in posterum statuendum est, obedientiam profitemur.

DUBIUM I.

De infallibili Summi Pontificis in definiendo auctoritate.

Maxima institutæ quæstionis utilitas, vel ex multitudine Adversariorum cognosci potest, qui in auctoritatis infallibilis Summi Pontificis contentione inducentes, eam totis viribus, summaque animi contentione impugnaverunt ausi sunt. Malum hoc jam à primis Ecclesie sæculis coeperat, sed nunc crevit ejusdem mali infesta cædes, quam ingemiscimus, & dolemus. Undè procurantes, ne magis exurgat, & pullulet hujus doctrinæ venenatae perniciæ, pro veritate, & infallibilitate Sedis Apostolicæ vindicanda, quod ab aliis eruditissimis viris, pluribus, maximisque argumentis demonstratum est, in breves angustias contrahemus.

2. Ad persuadendam veritatem resolutionis hujus, & plenioris ipsius intelligentiam quædam fundamenta spernere opus est. Primum sit contra Eusebianam factionem, revelatâ fronte negantem, regimen Ecclesie fuisse à Christo Domino institutum Monarchicum; sed ex Divino instituto esse Aristocraticum, æquali auctoritate, & mensura in tres Patriarchas distributum, quorum nullus habeat auctoritatem in alterum: Romanumque Pontificem esse solum primum loco, non jurisdictione. Sic illi vaferrimo studio destruere studuerunt in Concilio Antiocheno Privilegium Romanæ Appellationis, statuentes, damnatum à Synodo non posse appellare Romam, sed aliud majus in Oriente Concilium. Hic fuit Eusebii, & sequacium deplorabilis error. Contra hunc Schismaticum, & Hæreticum Eusebianæ factionis errorem, supponimus Christum Dominum ali-quod in Ecclesia visibile Caput constituisse sui Vicarium cum amplissima auctoritate

gubernandi totam Ecclesiam; hoc enim exit regimen optimè ordinatum, ut probat D. Thomas 4. contra Gent. cap. 76. & egregiè declarat. 1. p. q. 103. art. 3. probans, Monarchiam esse præstantiorem regimenis formam: Optima, inquit, gubernatio est, quæ fit per unum, cujus ratio est, quia gubernatio nihil aliud est, quam directio gubernatorum ad finem, qui est aliquod bonum: unitas autem pertinet ad rationem bonitatis, ut Boetius probat in 3. de Consolatione (prosa 2.) per hoc, quod sicut omnia desiderant bonum, ita desiderant unitatem, sine qua esse non possunt; nam unumquodque in tantum est, in quantum unum est: undè videmus, quod res repugnant sua divisioni quantum possunt, & quod dissolutio uniuscujusque rei provenit ex defectu illius rei. Et idè id, ad quod tendit intentio multitudinem gubernantis, est unitas, sive pax: unitatis autem causa per se est unum. Manifestum est enim, quod plures multa unire, & concordare non possunt, nisi ipsi aliquo modo uniantur: illud autem, quod est per se unum, potest esse causa unitatis convenientius, quam multi uniti: undè multitudo melius gubernatur per unum, quam per plures. Relinquitur ergo, quod gubernatio Mundi, quæ est optima, sit ab uno gubernante, & hoc est, quod Philosophus dicit in 12. Metaph. entia nolunt disponi malè, nec bonum pluralitas principatum; unus ergo Princeps, vel sicut legit P. Nicolai, unus esto Princeps.

3. Hoc, quod universaliter est verum, maximè locum tenet in Ecclesia, quæ per Orbem dispersa, ex Christi institutione unum est regnum spirituale, cui & unum propterea Caput præfici debuit. Hoc verè fuit D. Petrus, & quidem solus ex Apostolis: quod in definitionem fidei legimus constitutum in

Concilio Nicæno II. actione 2. approbante Epistolam Hadriani I. ad Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum, in qua sic dicitur: *Per totum Terrarum Orbem primatum obtinet, lucet, omniumque Ecclesiarum Dei Caput existit; undè & ipse B. Petrus Apostolus, Dei Jusu Ecclesiam pascens, nihil omnino prætermisit, sed ubique Primatum obtinuit, & obtinet.* Est communis PP. intelligentia. Ita D. Cyprianus Epist. 40. *Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia: & Cathedra una super Petrum Domini voce fundata.* Et Origenes Hom. 5. in Exod. *Vide, magno illi Ecclesiæ fundamento, & petra solidissimæ, super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur à Domino.* D. Thomas satis, superque id ipsum in 4. dist. 24. q. 3. art. 2. q. 3. ad 1. comprobatur: *Quamvis, inquit, omnibus Apostolis data est communiter potestas ligandi, atque solvendi, tamen, ut in hac potestate ordo aliquis significaretur, primò soli Petro data est.* Et q. 40. in suplem. art. 6. in corp. asserit: *Quòd ubi multa sunt regimina ordinata in unum, oportet esse aliquod universale regimen supra particularia regimina: quia ut dicitur 1. Et bicor. in omnibus virtutibus, & artibus est ordo secundum ordinem finium: bonum autem commune est divinius, quàm bonum speciale; & idè supra potestatem regitivam, quæ consecret bonum speciale, oportet esse potestatem regitivam universalem respectu boni communis; aliàs non posset esse collatio ad unum.* Et idè, cum tota Ecclesia sit unum corpus, oportet, si ista unitas debet conservari, quòd sit aliqua potestas regitiva totius Ecclesiæ supra potestatem Episcopalem, qua unaqueque specialis Ecclesiæ regitur: & idè illi, qui hanc potestatem negant, Schismatici dicuntur, quasi divisores unitatis Ecclesiæ: cum prius in argumento sed contra ex S. Cyrillo potestatem regitivam respectu totius Ecclesiæ in Summo Pontifice agnovisset, dicens: *Præterea B. Cyrillus Episcopus Alexandrinus dicit: ut membra maneamus in Capite nostro Apostolico Throno Romanorum Pontificum, à quo nostrum est querere, quid credere, & quid tenere debeamus, ipsum venerantes, ipsum rogantes præ omnibus: quoniam ipsius est reprehendere, corripere, statuere, disponere, solvere, & ligare loco illius, qui ipsum edificavit: & nulli alii quòd suum est plerumque, sed ipsi soli dedit, cui omnes jure Divino caput inclinant, & Primates Mundi tanquam ipsi Domino Jesu Christo obediunt.* Ubi illud enitescit, quòd una sit Ecclesiæ Catholice nunc per Caput solum, nunc per totum Ecclesiæ Corpus auctoritas. Non alia major, non alia minor, sed una, indiscretaque residet, & in Capite, & in corpore auctoritas.

4. Secundò hic maximè supponendum, Summum Pontificem esse verum B. Petri Successorem, non solum in Romano Episcopatu, sed in Primatu jurisdictionis, quam habuit in tota Ecclesia. Non est assertio ista quæstio indifferens; est Orthodoxum Dogma definitum in Concilio Florentino: *Definimus*

Santam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum Orbem tenere Primatum; & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere; & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, ac gubernandi Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur. Et Martinus V. in Bulla edita in Concilio Constantiensi præcipit, ut suspecti de fide, interrogentur: *An credant, quòd Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit successor D. Petri?* Agnoscens in Pontifice Romano prærogativam Capitis, ac Primatum jurisdictionis in Ecclesia, quòd à nemine Catholico in dubium verti potest; quin potius id firmiter credere tenentur omnes contra Græcos Schismaticos, qui à tempore Photii contendunt, Pontificem Romanum tantum Petro succedere in Romano Episcopatu, minimè tamen in potestate jurisdictionis: quem Græcorum errorem refellit Divus Thomas Opusc. 1. cap. 8., Conciliorum, ac PP. Græcorum auctoritate.

5. Tandem hic diligenter observandum, de fide esse, Pontificem ritè electum esse, Summum Pontificem, seu D. Petri Successorem: cum hæc propositio universalis: *Omnis homo ritè electus ab Ecclesia in Petri Successorem est Summus Ecclesiæ Pontifex*, sit revelata à Deo Ecclesiæ in illis Christi verbis: *Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam; & in illis: Tibi dabo claves Regni Cælorum; & in aliis: pasc oves meas:* quæ ad Petrum, ejusque Successores dicta sunt: ergo & hæc propositio particularis: *Hic numero ritè electus, est Summus Ecclesiæ Pontifex* est propositio revelata; nihil enim aliud est propositio universalis, quàm omnes particulares in ipsa præcontentæ: quare in tantum vera est propositio universalis, in quantum particulares, quæ continentur in ipsa, veræ sunt: sed hæc propositio: *Hic ritè electus est verus Pontifex*, continetur in illa propositione generali, & de ejus continentia in generali, non tantum negativè, sed etiam positivè certi sumus, post acceptationem Ecclesiæ ipsum in verum Pontificem acceptantis, quæ acceptatio est quædam veluti definitio hujus veritatis: *Clemens XI. est verus Pontifex:* cum definitio Ecclesiæ universalis in materia, quæ aliundè revelata est, faciat illam respectu nostri ad fidem pertinere: ergo ad fidem pertinet, & est formaliter, & immediatè revelata hæc propositio particularis: *Hic ritè electus in Successorem Petri est Summus Pontifex.* At licet dicta propositio directè sit immediatè de fide, reflexa tamen non est immediatè de fide, cum non sit de fide, illam esse de fide, ut propugnant gravissimi Theologi. His statutis, resolutionem hanc in duas partes secari

ope-

opere premium est: an nempe Summus Pontifex in doctrina fidei, vel morum possit errare? An ab ejus definitione ad Concilium generale sit appellatio.

QUÆSTIO I.

An Summus Pontifex errare possit in doctrina fidei, vel morum?

§. I.

Statuitur Conclusio, & hujus prima probatio ex Scripturis.

6 **S**ummum Pontificem in decisionibus dogmaticis fidem Catholicam, & mores concernentibus esse infallibilem, est veritas à Christo Domino prædicata, traditione ad nos miisa, Summorum Pontificum, Sacrorum Canonum, & Conciliorum oraculis confirmata, praxi Ecclesiæ servata, innumeris SS. PP. testimoniis roborata, certis Theologicis rationibus à Theologis Scholasticis, & Canonibus invictissimè probata, maximè à D. Thoma 2. 2. q. 1. art. 10. lib. 4. contra Gent. & Opusc. 1. contra errores Græcorum. Quem sequuntur omnes ejus Discipuli. Cajetanus in tract. de auctorit. Papæ. Turrecremata lib. 2. Summa de Ecclesiâ. Gravina de Catholicis præscript. tom. 4. p. 2. disp. 1. Victoria in relect. de potestate Papæ. M. Cano lib. 6. de locis Theologicis cap. 1. Carranza in summa Conciliorum controvers. 3. M. Bañez 2. 2. q. 1. art. 10. Sicut & omnes recentiores videndi apud M. Gonet.

7. Hanc conclusionem evidentissimis argumentis assero; at prima probatio sit ex Scripturis: *Non enim, (ut dicitur Cauf. 24. q. 1.) afferamus stateras dolosas, ubi appendamus, quòd volumus pro arbitrio nostro, dicentes: hoc grave est, hoc leve est: sed afferamus divinam stateram de Scripturis Sacris; tanquam de Theauris Dominicis, & in illa quid sit gravius appendamus.* Hæc ergo probatur primò ex illo Matthæi 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam.* Etenim Redemptor Noster Dominus Jesus Christus Æterni Patris Filius, sempiternum habens Sacerdotium, eò quòd maneat in æternum, teste Apostolo ad Hebr. 7. per resurrectionem suam, elevandusque in Cælum, Principem in terra vicem suam gerentem habere voluit, cui ligandi, solvendi que plenissima inesset potestas, & apud quem robur, firmamentum, & totius Ecclesiæ esset auctoritas, Principem hujus Apostolicæ Arcis constituit Petrum: cum illo interrogante, quem illum esse dicerent homines? Petrus in cunctorum Apostolorum silentio, Dei Filium revelatione Patris intelligens, confestim præsilivit, ac præveniens ait: *Tu es Christus Filius Dei vivi, audire, & ipse meruit: & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ec-*

clesiam meam, & porta Inferi non prævalebunt adversus eam; & quòcumque solveris super terram, erit solutum, & in Cælis, & quòcumque ligaveris super terram, erit ligatum, & in Cælis. Hic promissus Petro totius Ecclesiæ Principatus, quòd erit iaxum immobile, totius operis Christiani compagem, molemque continens, supra quòd Ecclesiastici ædificii altitudo confurget. Hic Christus omni asseveratione affirmat, quòd inferorum portæ, quæ sunt Hæreticorum ora, adversus fidem nunquam prævalebunt, aut evertere illam poterunt. Et tandem hic firmat, quòd fides Ecclesiæ fortis, stabilis, & supra hanc Petram est robusta mole fundata, & contra omnes tempestates, & turbines sæculi immobili, & inconcussa firmitate solidata, ut exponunt SS. PP. D. Basilii lib. 2. in Eunom. *Petrus propter fidei excellentiam Ecclesiæ ædificationem in se ipsum suscepit.* Cyrillus lib. 2. cap. 2. in Joann. *Nec Simon fore jam nomen illi, sed Petrus prædicit: vocabulo ipso commodè significans, quòd in eo tanquam in Petra, lapideque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam.* Euthymius in cap. 16. Matthæi. *Te ponam, inquit, fundamentum credentium, ædificabo super te Ecclesiam meam.* Leo serm. 2. de Anniversario Assumptionis suæ ad Pontificatum: *manet ergo dispositio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine Petra perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit.* Sic enim præ cæteris est ordinatus, ut dum Petra dicitur, dum fundamentum pronunciat, dum Regni Cælorum janitor constituitur, qualis ipsi cum Christo esset societas, per ipsa appellationis mysteria nosceremus. Sed inter omnes audiendus maximè D. Augustinus *Serm. de Sanctis; ideo solus inter Apostolos meruit audire, tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam: dignus certe, qui in ædificandis in domo Dei lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad Regnum.* Est lapis ad fundamentum, ut tantum, tam ingens, tam sublimè, tam immensum Ecclesiæ ædificium collocetur: & tanta divinitus soliditate munitum, ut ipsum nec hæretica unquam corrumpet pravitas, nec superare poterit ejus perfidia. Enimverò si fides nostra ahderet Christo primæ veritati revelanti mysteria; etiam Summo Pontifici, quem sui vices visibiliter gerentem constituit (ne visibilis fabricæ lateret omnino oculis humanis fundamentum) proponenti, & explicanti veritates fidei, fidem ut regulæ haberi voluit. Liqueat ergo, quòd nostræ fidei, & inflexibilis veritatis, perpetuò visibile fundamentum in Petro, & Successoribus ejus, ita firmè est locatum, ut nulla planè in confessione Catholica veritatis ab ipsis definita, & in soliditate Christianæ fidei persistentibus debeat esse de errore hæsitatio, aut de recessu à vera doctrina metus. Enimverò si fallibilis esset auctoritas Summi Pontificis, recedere posset, ut Summus Ecclesiæ Pastor, ab una veritate; sed cum defectu

unius

unius veritatis non stabit lapis ad fundamentum veritatis: ergo vel Christus verum non dixit, vel si verum dixit, impossibilis est in ipso defectus veritatis. Secundò: lapis ad fundamentum veritatis firmat, & certam facit definiendo fidem talis veritatis; sola namque certitudine firma dicitur cognitio: & cum certitudo fidei fundetur in revelatione illius, qui nec fallere, nec falli potest, rogo, an Pontifex fallibilis sit in iudicio fidei, vel non? Si infallibilis: ergo certam nobis veritatem fidei proponit. Si fallibilis, & quomodo poterit esse fundamentum, & firmamentum veritatis? Ergo vel infallibilis est, vel falsa Christi promissio: quod sanè pronunciari nequit. Igitur veritas ista divinæ auctoritatis existit attestatone suffulta; & ego dico tibi. Non, inquit Hieronymus super eundem locum Mathæi, sermone casto, nec nullum opus habente, sed dico tibi, quia meum dixisse fecisse est: quia tu es Petrus, & super banc Petram ædificabo Ecclesiam meam; vel ut Nicolaus Papa scribit Mediolanensibus cap. omnes dist. 22. Non ergo qualibet terrena sententia, sed illud verbum, quo constructum est Cælum, & Terra; per quod denique omnia condita sunt elementa, Romanam fundavit Ecclesiam: Illius certè privilegio fungitur, cujus auctoritate fulcitur. Et supra: illam verò solus ipse fundavit, & supra Petram fidei mox nascentis erexit, qui B. Petro æternæ vitæ clavigero terreni simul, & cælestis Imperii jura commisit: ergo cum hoc testimonio nihil sit firmitus; est enim æterna veritas, quæ nullatenus errare valet; quis fundamentum ab ædificio Ecclesiæ removere audeat? Cui erit negandi libertas, hanc esse firmissimam, & probatissimam Petram in fundamentis Ecclesiæ ad infallibilitatem nostræ fidei constitutam, nunc & in æternum Hæretici factoris expertem?

8. Hanc eandem infallibilitatem designat, & denunciat Augustinus, dum de Petro dicit: est Columna ad sustentaculum: Columna nempe maximi roboris, & infallibilis firmitatis, ne adversus Ecclesiam superba Inferi portæ prævaleant, eaque ruere errando in fide possit. Etenim in Columnâ istâ veritas fidei stat firmata, quæ sola sustinet ædificium, ne Inferi portæ prævaleant adversus eam; quod ponderans D. Thomas in Catena aurea cum B. Cyrillo observat: Quod secundum hanc Domini promissionem Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione hæreticaque circumventionem manet immaculata. Enim verò quomodo firmiter in veritate subsisteret, si in rebus ad fidem & morum doctrinam spectantibus non esset Summi Pontificis definitio infallibilis Ecclesiæ fidei fundamentum; aut posset ipse errare, & deficere definiendo? Periret sanè Ecclesia, & caderet firmamentum: quare dixit Christus Luc. 22. Ego rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua, in proponenda nempe fidei doctrina, quæ ad officium Summi Pontificis, & Christi Vicarii pertinet. Rogavit

pro persona Petri, quam tantum denotat utens pronomine secundæ personæ pro te, fides tua; & cum oraverit pro ipso in utilitatem Ecclesiæ, & pro Successoribus suis rogavit, ut tanquam veri Pontifices nihil contra fidem docerent, & ne evanesceret fides eorum. Ex quo textu Romanum Pontificem ex Cathedra docentem non posse errare efficacissimè arguunt, tam Summi Pontifices, quam SS. PP. Lucius I. Papa, & Martyr in Epist. 1. ad Episcopos Hispaniæ, & Galliæ: Ecclesia, inquit, Romana Apostolica est, & Mater omnium Ecclesiarum, quæ à tramite Apostolica traditionis nunquam errasse probatur, nec Hæreticis novitatibus depravata succubuit, secundum ipsius Domini pollicitationem dicentis: ego rogavi pro te. Felix I. in Epist. ad Benignum, ut in exordio normam fidei Christianæ percepit ab Auctoribus suis, Apostolorum Christi Principibus, illibata manet, juxta illud: ego rogavi pro te. Agatho Papa in Epist. ad Constantinum Imperatorem: Hæc est veræ fidei regula, quam & in prosperis, & in adversis vivaciter tenuit Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei gratiam à tramite Apostolica traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis novitatibus unquam depravata succubuit, quia dictum est Petro, Simon, Simon; ecce Satanas &c. Ego autem rogavi pro te. &c. Hic Dominus fidem Petri non defecturam promisit, & confirmare eum Fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædecessores confidenter fecisse semper, cunctis est agnitum. Leo IX. in Epist. ad Petrum Antiochenum: Nimirum solus est, pro quo ne deficeret fides ejus, Dominus, & Salvator asseruit, se rogasse dicens; rogavi pro te &c. Quæ venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quod hactenus fides Petri non deficit, nec defectura creditur in Throno illius: ergo divinæ gratiæ in Petro ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum cæteris conferatur, ut omnium firmiter certitudo. At quomodo firmaretur certitudo, aut confirmaret ipse Fratres suos in fide nutantes, & vacillantes, si in Throno suo deficere posset veræ fidei definitio? Ergo vel ex hoc solo testimonio definitio Summi Pontificis suscipienda reverenter, amplectenda sincerè, fortiter tenenda, efficacissimè observanda; cum veritas sit, quæ semper inconcussa manet, nec potest corrumpi, nec ullo valet modo in semetipsa variari.

9. Hanc eandem nobis insinuat veritatem Augustinus, dum dicit: Clavis ad Regnum. Hic Petrus in sua persona, Evangelico contextu attentius inspecto, claves accipit, ut Princeps, & moderator totius Ecclesiæ: cum Principatus significetur nomine clavium, ut probat illud Apocalip. 3. Hæc dicit Sanctus, & verus, qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit. Quare Petro concessa est plenitudo potestatis secundum mensuram donationis Christi, ut ef-

esset verum Ecclesiæ caput sub Christo, ejus Vicarius, & Minister, ac si diceret Christus; sicut habeo clavem David, quæ oclusos Cælos aperiturus modò sum, eorumdem Cælorum claves tibi concedam, ut quidquid vice mea solveris super terram, sit solutum & in Cælis; & quidquid ligaveris, ligatum: ut observat D. Gregorius lib. 4. Epist. 32. Cunctis Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica Sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro totius Ecclesiæ cura commissa est. Cujus rationem reddit: ipsi quippe dicitur, tibi dabo claves Regni Cælorum. At cum in supremo controversiarum Judice necessaria sit, non solum auctoritas coactiva in utroque foro, seu talis, ut ei acquiescere teneamur, ejus iudicio nostrum conformando, sed & scientiæ; utramque clavem, & auctoritatis, & scientiæ eidem Christus conferre dignatus est: quatenus per auctoritatem tumentes deprimat, & per scientiam omnes dirigat; ut clave auctoritatis Cælorum januas claudat, abiciatque claviger iste Regni cælestis, quos à suis deviare intelligat doctrinis: & clave scientiæ Arcana Mysteriorum tangat, Scripturarum obscura penetret, erroris convincta argumenta, Hæreticorum fallacias detegat, novitates eliminet, opinionum veritatem omniperpicuitate discernat: mores, omnemque instruat regulam sanctitatis: uno verbo: ad profectum Ecclesiæ collata est scientiæ clavis, ne erret, aut malè eo, quod optimè concessum est, utatur. Quis ergo, hoc attestante Christo, audeat discordiæ furore velanus Petri, & Successorum ejus auctoritati vim inferre? Quis in Apostolicam Sedem injurius & in Summum Pontificem impudentissimus Calumniator contra ejus infallibilem definitionem erroris venena infundere? Quis valeat ejusdem soliditatem evertere, vel perturbare, dum quæstiones in fide difficiles solvit jure suo Summus Pontifex, ligatque proindè suo iudicio, ut id fideles teneant, quod ipse decrevit? Errat sanè, & semitam, quæ ad veritatem inducit, ignorat. Possunt illi Apostolicam Sedem contemnere: possunt apud nos calcaneum elevare: datum à Deo privilegium evertere, vel auferre non possunt, quo Petro dictum est, tu es Petrus &c. Et tibi dabo claves Regni Cælorum, dixit Pascalius Episcopo Pannonitano cap. significasti de elect. & electi Potestate.

10. Novum & validissimum argumentum, quo corroboretur hæc infallibilis Summi Pontificis auctoritas desumitur ex illo Joann. 21. Pasce oves meas; dum Christus oves suas pascendas, regendasque committit Petro, ipsi orbis terrarum demandans curam, ut quas mortifero errore dispersas inveniret, in pacem salutis æternæ congregaret, secundum Domini præceptum per Ezechielem Pastoribus positum cap. 34. revocare errantes, & perditos requirere. At cum actus Pastoralis, ut supra diximus, non scientiam tan-

tum, sed etiam potestatem desideret, ut dicitur capite Decretalis dist. 20. in negotiis definiendis, non solum est necessaria scientia, sed etiam potestas: unde Christus dicitur Petro: quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum, & in Cælis &c. prius dedit sibi claves Regni Cælorum. In altera dedit ei scientiam discernendi inter lepram, & lepram: in altera dans sibi potestatem ejiciendi aliquos ab Ecclesia, vel recipiendi. Hanc Pastoralis actus verissimam potestatem contulit Christus, dicens: Pasce oves meas: ut omnes obedenter attendant, quia D. Petrus, qui in propria sede vivit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem, ut ex Alcuino dixit D. Thomas in Catena aurea ad illud caput Joannis: Pasce oves est credentes in Christo, ne à fide deficiant, confortare, terrena subsidia, si necesse est, subditis providere, & exempla virtutum cum verbo prædicationis impendere, adversariis obsequere, errantes subditos corrigere. Non has, vel illas, hujus, vel alterius Regni oves committit, sed univèrsam Gregem suam; ut sicut erat unum ovile, ipse esset unus Pastor. Nullus est quantumcumque Religiosis, sapientiæ, & dignitatis existat; quamvis spiritualis, & excellens, qui se Christi ovem non gloriatur, ut incunctanter pronunciant SS. PP. Divus Bernardus lib. 2. de consideratione: Cui non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolute, & indiscretè tota commissa sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas? Illius, vel illius Populos Civitatis, aut Regionis, aut certè Regni? Oves meas, inquit, cui non planum non designasse aliquas, sed assignatas omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. D. Leo dicto ferm. 3. de toto Mundo, inquit, unus Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur; ut quamvis in Populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus. Omnes designat Christus; noverat namque Deus, quam prona ad lapsum hominis natura celeriter suo paret affectui. Noverat Dei sapientia, quod cogitationes hominis vanæ sunt, nisi superno illustrentur lumine. Noverat, quod quisquis, etsi in sublimi eruditionis, & sapientiæ positus, suâ præceptis ducitur voluntate; & tandem quod omnes, dum in corpore sumus constituti, plurimis tenebrarum irretimur vinculis, quibus verum, æternumque lumen, ne videamus, impedimur: ergo ut omnium mentium in rebus fidei, ac morum lux una esset illuminativa, viarum Dei ostensiva, dubiorum omnium resolutiva in definiendo; hunc supremum Ecclesiæ Pastorem, qui nec fallere, nec falli posset, Deus magno privilegio in Ecclesiæ bonum concessio, reliquit, ut omnes ipsum loquentem ex Cathedra audiant: in quo sanè infallibilitas supponitur. Etenim auditus fidei necessariò supponit loquentem, cui credat, & certò credat: er-

go fideles ab aliquo, cui certò credendum sit, docendi erunt; sed docendi sunt à Summo Ecclesiæ Pastore, juxta illud *pasce oves meas*: ergo huic ex Cathedra loquenti tenentur certò credere. Vel aliter: dum Pontifex determinat aliquid de fide, vel ipsi fideles credere tenentur, vel non? Si primum: ergo supponitur infallibilitas ex parte loquentis, quia certitudo fidei sine illa esse non potest; immo fides Pontificis ex Cathedra loquentis, erit vera, certa, & infallibilis credendi regula. Si dicatur secundum: ergo Pontifex non erit legitimus Ecclesiæ Pastor; oves enim tenentur sequi vocem Pastoris: frustra que esset à Christo constitutus ut super terram certa definitione omnes pascat, & doceat; quare nec Pastor esset unus, nec ovile unum, cum ipso errorem fidei contrarium decernente, oves quoque, errante Pastore, dispergerentur. Quoniam ergo colore, quàm justa ratione id in dubium revocari potest, quòd cum sit verus Pastor, ipsi præcipuum Pastoris munus deficiat? Nempe discernere bona pascua à malis; omnibus, non solum salutiferæ, ac veræ doctrinæ præbere pabulum, sed & omnes ducere, & reducere de errore ad veritatem, de dispersione ad unitatem, de tenebris revocare ad lucem. Si ergo capitis, & Pastoris universalis munere fungitur; si est animata fidei regula, dirigens actiones, & operationes nostras; si hoc Magisterium reliquit nobis Christus, ut judicet de doctrina, an hæretica, aut devia ullo modo sit, nec ne? Ergo hujus judicio, veritatem consulentes, immobiliter stemus; cum non sit judicium purè humanum, sed in rebus fidei specialiter dirigatur à Spiritu Sancto, ut dixit D. Thomas quodlibet 9. art. 16. *Dico ergo, quòd judicium eorum, qui præsent Ecclesiæ potest errare in quibuslibet, si personæ eorum tantum respiciantur. Si verò consideretur divina Providentia, quæ Ecclesiam suam Spiritu Sancto dirigit, ut non erret, sicut ipse promisit Joann. 14. Quòd Spiritus adveniens doceret omnem veritatem de necessariis, scilicet ad salutem, certum est, quòd judicium Ecclesiæ universalis errare in his, quæ ad fidem pertinent, impossibile est. Unde magis est standum sententiæ Papæ, ad quem pertinet determinare de fide, quam in judicio profert, quàm quorumlibet sapientum hominum in Scripturis opinioni, cum Caiphas, quamvis nequam, tamen quia Pontifex, legatur etiam inscius prophetasse, Joann. 1. Hæc ergo est Sedis Apostolicæ infallibilis definitio. Hæc vera doctrina, quæ prædicanda est, & præcipuè diligenda, fovenda, & fideliter ab omnibus tenenda; cum vi hujus infallibilitatis in Sede Apostolica extra maculam semper est Catholica servata Religio, ut Eusebius Papa scripsit Epist. 3. Episcop. Tusciæ.*

* *

S. II.

Secunda probatio ex traditione, auctoritate Summorum Pontificum, Conciliorum, & SS. PP. desumpta.

11. **Q**uamvis jus divinum in hac re non esset clarissimè expressum, hæc infallibilis Summi Pontificis in rebus fidei, & morum definiendis auctoritas maximum ex traditione accipit testimonium. Non enim Ecclesia huic doctrinæ, aut nova fundamenta jacit, aut novas fabricas addit: sed quam spiritualem, & visibilem ædificationem accepit à Christo Domino, infallibili traditionis testimonio agnitam, sartam, tectam conservat. Quod optimè animadvertit M. Bâñez, cujus verba usurpo, quia melius dicere nequeo. *Quæcirca* (inquit 2.2. q. 1. art. 10.) *arbitror, hanc conclusionem tanquam Apostolicam traditionem esse tenendam. Et quidem, ut talis haberetur ab omnibus fidelibus, nisi à tempore Concilii Constantiensis in agro Domini inimicus homo, idest Diabolus, zizaniam supereminasset. Etenim usque ad illa tempora soli Græci errabant in hac parte. Atque ita D. Thomas in Opusc. citato hunc errorem tanquam Græcorum singularem narrat. Et quidem probatur primò variis Summorum Pontificum testimoniis, quæ tantum valent ad dogmata fidei comprobanda. Sixtus Papa II. creatus anno 257. Epist. 1. ad Gratum Episcopum, quæ refertur cap. Memor. caus. 24. explicans, quòd fides Romanæ Ecclesiæ omnem hæresim destruit, & nullam fovet, sic loquitur. Memor sum, me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere: cujus confessio à Domino Jesu Christo glorificata est: cujus & fides nullam hæresim fovet unquam: sed omnes quidem hæreses destruit. Intellego autem mihi aliter non licere, quàm ut omnes conatus meos ei causa, in qua universalis Ecclesiæ salus infestatur, impendam. Marcellus, qui sedit anno Christi 304. Epist. 1. Episcopis per Antiochiam constitutis scribit, quòd aliud quàm Romana Ecclesia, neque sentire, neque velle permittitur, ut refertur cap. Rogamus caus. 24. Rogamus vos Fratres Dilectissimi, ut non aliud doceatis, nec sentiatis quàm quòd à B. Petro, & reliquis Apostolis, & Patribus accepistis. Ipse enim est caput totius Ecclesiæ, cui ait Dominus, Matth. 16. tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: ejus enim sedes primitus apud vos fuit, quæ postea, jubente Domino, Romam translata est: cui (adminiculante gratia divina) hodierna præsidemus die. Julius Papa, qui Ecclesiam rexit anno 440. apud S. Athanasium Apolog. 2. n. 35. edit. PP. Congregationis S. Mauri pag. 153. tom. 1. An ignoratis, hanc esse consuetudinem, ut primùm nobis scribatur, & hinc quòd justum est, decernatur? Damasus Papa crea-*

crea-

creatus anno 367. in Epist. ad omnes Episcopos Orientales, quam Theodoretus recitat lib. 5. Histor. cap. 10. *Quoniam, inquit, Apostolica Sedi reverentiam debitam charitas vestra distribuit, vobis quamplurimum, carissimi Filii, præstitistis. Et in Epist. 4. ad Episcopos Numidiæ: cuncta, quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad Nos tanquam ad caput, ut semper fuit consuetudo, deferre non desinat. Innocentius, qui Pontificatum adiit anno 402. in Epist. ad Episc. Concilii Carthag. Inquirendo de his rebus, quas omni cum sollicitudine decet, à Sacerdotibus, maxime verò à vestro, justoque & Catholico tractari Concilio, antiquæ traditionis exempla servantes, & Ecclesiasticæ memores disciplina, vestra Religionis vigorem non minus nunc in consulendo, quàm antea cum pronuncietis, vera ratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbatis esse judicium; scientes, quid Apostolica Sedi (cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum) debeatur. Patrum instituta Sacerdotali officio custodientes, non humana, sed divina decrevere sententiã, ut quidquid, quamvis de disjunctis, remotisque Provinciis ageretur, non prius ducerent finendum, nisi ad hujus sedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate, justa quæ fuerit, pronuntiatio firmaretur; indeque sumerent cetera Ecclesiæ, ut de natali suo fonte aqua cuncta procederent, & per diversas Mundi Regiones puri Capitis incorrupta manerent. Zosimus Pontifex creatus anno 417. Epist. ad Hefichium Salonitanum Episcopum: Ad te, inquit, potissimum scripta direximus, quæ in omnium Fratrum, & Episcoporum nostrorum facies ire notitiam. Et infra: sciet quisquis hoc, postposita PP. & Apostolica Sedis auctoritate, neglexerit, à nobis districtius vindicandum, ut loci sui minime dubitet sibi non constare rationem, si hoc putat post tot prohibitiones posse tentari. S. Leo Papa I. creatus anno 440. cap. Manet caus. 24. sic loquitur: Manet ergo Petri privilegium ubicumque ex ipsius æquitate fertur judicium: nec vimia severitas, vel remissio est, ubi nihil erit ligatum, vel solutum, nisi quod B. Petrus aut ligaverit, aut soluerit. Et Epist. 87. ad Episcopos Viennenses cap. Ita Dominus dist. 19. sed hujus muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro omnium Apostolorum Summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi à quodam capite dona sua, velut in corpus omne diffunderet, ut exortem intelligere se divini ministerii esse, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium individue unitatis assumptum, id quòd ipse erat Dominus voluit nominare, dicendo: tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: ut æterni Templi ædificatio mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret: hanc etiam Ecclesiam sua firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas posset oppetere, nec portæ Inferi contra illam prævalerent. Verùm hanc Petri istius sanctissimam firmitatem Deo*

(ut diximus) edificante constructam, nimis vult impia presumptione violare quisquis ejus potestatem tentat infringere, favendo cupiditatibus suis, & id quòd accepit à veteribus, non sequendo. Et in Epist. 84. ad Anastasium Episcop. Thessalonicensem: Sicut Præcessores mei Præcessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ priorum securus exemplum, vices mei moderaminis delegavi, ut curam, quam universis Ecclesiis principaliter ex divina institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis effectus, adjuvares, & longinquis ab Apostolica Sede Provinciis præsentiam quodammodo nostræ visitationis impenderes. Et infra: vices nostras ita tua credidimus charitati, ut in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. S. Gelasius creatus anno 492. in Epist. ad Episcopos Dardaniæ: Cuncta per Mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apostoli jus habeat resolvendi. Ut potè quæ de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Alexander II. anno 1061. scribens Valeriano Episcopo, & Martyri: undè cum omnibus Discipulis parem ligandi, atque solvendi potestatem Dominus daret, Petro pro omnibus, & præ omnibus claves Regni Cælorum se daturum promisit, dicens: tibi dabo claves Regni Cælorum. Felix IV. qui sedit anno 1439. Epist. 1. ad varios Episcopos, inquit: Sanctitatis vestra scripta, quæ ad Sedem Apostolicam misistis, tanquam ad caput, ut inde acciperetis responsa, undè omnis Ecclesia totius Religionis sumpsit exordium, gratanter suscepti &c. Et tandem D. Gregorius Magnus insignis, & acerrimus Pontificæ auctoritatis vindex lib. 1. Epist. 72. ad Gennadium: Ex Concilio, inquit, Numidia si qui desideraverint ad Apostolicam Sedem venire, permitte, & si quilibet eorum via contraducere voluerit, obviato. Et lib. 2. Epist. 37. ad Natalem: Postquam, inquit, ad Beatitudinem vestram, & Decessoris mei, & mea in causa Honorati Archidiaconi scripta directa sunt, tunc contempta utriusque sententia præfatus Honoratus proprio gradu privatus est. Quod si quilibet ex quatuor Patriarchis fecisset: sine gravissimo scandalo tanta contumacia transire nullo modo potuisset.

12. Tot Summorum Pontificum testimonia hic adscriptimus, ut eorum doctrina, & sanctiones, quæ ab omni lingua venerari debent, nobis certam hujus traditionis faciant fidem. Quorum dicta immeritò haberi possent suspecta: cum Romani Pontifices non in propriæ Dignitatis, & Sedis Apostolicæ majorem excellentiam inclinent: non quærunt quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, à quo Sedi Apostolicæ Divinum hoc non errandi impartitum est privilegium, ut tot undique, pullulantes Hæreses posset justè comprimere. Cujus rei optimum, & si nullum aliud suppetere, argumentum est, omnes Catholicos temporibus omnibus illis successivè, eorum dicta, ut ab ore Petri prolata, nulla hæsitatio

N n

tio-

tione suscepisse. Horum ideo Pontificum, quanta sit vis, & auctoritas ad dogmata fidei comprobanda dicitur cap. *Si Romanorum* dist. 19. ex Nicolao Papa scribente Archiepiscopo, & Episcopis per Galliam constitutis. *Si Romanorum Pontificum decreto, ceterorum Opuscula tractatorum approbantur, vel reprobantur, ita ut quod verè Sedes Apostolica probavit, hodiè teneatur acceptum, & quod illa repulit, hætenus inefficax habeatur: quantum potius ea, quæ ipsa pro Catholica fide, pro sanis dogmatibus, pro variis, & multifariis Ecclesiæ necessitatibus; & fidelium moribus diverso tempore scripsit, omni honore debent præferri, & ab omnibus prorsus in quibuslibet necessitatibus, vel opportunitatibus discretione, vel dispensatione magistra reverenter assumi? Quamquam quidam vestrum scripserint, hæc illa decretalia priscorum Pontificum in toto Canonum Codicis corpore esse descripta, & idè inter Canones non assumenda.* Id ipsum scripsit Leo Papa Quartus Episcopis Britanniarum cap. *De libellis*, & Nicolaus Papa Clero Constantinopolitano cap. *Si Decreta*. Et dixit Innocentius Papa cap. *De quibus causis* dist. 19. Ex quibus irrefragabile fit argumentum. Dogma, quod ut fidei Summi Pontifices, quos Deus ad regimen Ecclesiæ constituit, secundum temporum successionem constantissimè tenuerunt, & cujus contrarium, ut errorè, concordissimè refutarunt, id nimirum per Apostolicam traditionem tenet Ecclesiæ: sed quòd supremus Pontifex sit iudex universalis, & publicus, supremus, & irrefragabili auctoritate pollens ad definiendum, ubi controversia circa fidei, & morum doctrinam occurrit, ipsi constantissimè testantur, & docent: ergo ut vera, & fidelis traditio credi debet infallibilitas Summi Pontificis, antiquius ab Apostolorum temporibus hucusque ad nos delata. Ergo quòd Romanus Pontifex Petro & in fidei firmitate, & in finiendis fidei, & religionis controversiis Divino jure succedat, non est res privata alicujus opinionis, non clandestinæ, furtivæque doctrinæ, sed publica Ecclesiæ traditione ad nos transmissa. Quare hæc est una, & eadem per singulas ætatum successiones incorrupta veritas traditione manens, & usque in sæcula sine fine mansura.

13. Secundò probatur Conclusio auctoritate Conciliorum, quorum extant plurima decreta, quibus res ista sancitur. Et quidem primò ex Concilio Nicæno approbante Epistolam Hadriani I. ad Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum, in qua de Romana Sede, ista leguntur: *Per totum Terrarum Orbem Primatum obtinet, lucet, omniumque Ecclesiarum Dei Caput existit unde & ipse B. Petrus Apostolus Dei jussu Ecclesiam pascens nihil omnino perimefcit, sed ubique Primatum obtinuit, & obtinet: si autem Primatum, certè jurisdictionis, & auctoritatis in dubiis aliis omnibus definiendis, ut in quem omnis inferiorum auctoritas, & potestas resolvatur. Alioquin eâ parte prima-*

tum amittet, quia cæterorum etiam congregatorum submittetur iudicio. Quare mihi ad summi Primatus jure ad infallibilitatem regulæ certissima illatio est.

14. Secundum testimonium sit Concilii Chalcedonensis, quod refert D. Thomas in Opusculo contra errores Græcorum in hæc verba: *Veneramus secundum Scripturas, & Canonum definitionem, Sanctissimum antiquæ Romæ Episcopum, primum esse, & maximum Episcopum.* Et infra: *Si quis Episcopum predicatur infamis, liberam habeat sententiam appellandi ad Beatissimum Episcopum antiquæ Romæ: quia habemus Petrum petram refugium, & ipsi soli libera potestate loco Dei sit jus discernendi, secundum claves à Domino sibi datas: & omnia ab eo definita teneantur, tanquam à Vicario Apostolici Throni.* Ac revera in hujus Synodi act. 1. de Leone dicitur. *Apostolicum gubernare Thronum, & Sedes Romana Caput omnium Ecclesiarum.* Et act. 2. cum esset lecta Epistola Leonis, Patres clamaverunt; & anathema qui ita non credit: *Petrus per Leonem locutus est.* Et in act. 3. Romanum Episcopum Dominum nostrum vocant, eique acclamantes, Apostolicum, & universalem appellant: & ejus doctrinam, ut B. Petri amplectuntur, atque universa Concilii dogmata optant, Sedis Apostolicæ auctoritate confirmari. Et cum Leo Dioscorum condemnasset, Synodus ait, *Sanctissimus Archiepiscopus magna unâ cum Beatissimo Petro, qui est petra, & crepido Catholica Ecclesiæ, & ille, qui est recta fidei fundamentum, nudavit eum Episcopatus dignitate.* Et in Epistola Synodali ad Leonem gratulantur Patres, *quòd tantum Antistitem Apostolicæ Sedis, unde Religionis nostræ fons, & origo manat, Dominus dederit.*

15. Tertium testimonium desumitur ex Concilio Constantinopolitano in Epistola Synodica ad Agathonem tunc Romanæ Sedis Antistitem: *Tibi, ut prima Sedis Antistiti universalis Ecclesiæ, quid gerendum sit, relinquimus, stanti super firmam fidei petram.* Et infra testatur, *Hereticos fuisse damnatos ex sententia per sacras vestras litteras de his prius lata: ac demum gestorum omnium confirmationem ab eo postulat.* Agatho quoque in professione fidei, quam probavit eadem Synodus, de Ecclesiâ Romana ait: *Hujus auctoritatem, utpotè Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesiæ, & universales Synodi fideliter amplectentes in cunctis secuta sunt: omnesque venerabiles Patres Apostolicam ejus doctrinam amplexi sunt.*

16. Quartum testimonium desumitur ex Concilio Lugdunensi sub Gregorio X., cujus verba referuntur cap. *Ubi periculum* de elect. in 6. in illis autem ab eodem Gregorio Romanus Pontifex vocatur *Christi Vicarius, Petri successor, & universalis Ecclesiæ Rector.* Tandem ex Florentino in decreto unionis: *Definimus, Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum Or-*

bem tenere Primatum; & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere; & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur. En vox clarissima Conciliorum hanc certitudinis infallibilis gratiam Petri, & Successorum ejus commendans, quæ magni apud omnes esse debet; cum illius Concilii sententia magis tenenda sit; cujus antiquior, & potior extat auctoritas, ut dicitur cap. *Domino Sancto* Dist. 50. En qualiter maximum infallibilitatis donum, cujus publicum iudicium sequi tenetur Ecclesiæ, ex communi Catholicorum sensu affirmat. Ex quo efficax insurgit argumentum. Quod tot Conciliorum antiquissimis decretis, totque Canonicis maximæ auctoritatis Ecclesiæ sanctionibus universa tenet Ecclesiæ, nec à Conciliis institutum, nec humana potestate effici potuit, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur; sed infallibilis Summi Pontificis auctoritas, qua illa, quæ sunt fidei, roborantur, & cujus terminantur iudicio, nec à Conciliis instituta est, nec humana potestas hanc efficere potuit: ergo iudicium in rebus fidei infallibile, dum ex Cathedra loquitur, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur. Minor quoad utramque partem certissima est: Ubi enim in sacris Conciliis instituta legitur ab ipsis hæc irrefragabilis in definiendo Summi Pontificis auctoritas? Ubi, quod magis est, in Sacris Litteris traditur adhuc ipsimet Concilio potestas docendi, pascendi, regendi, ligandi, solvendi, cum Ecclesiæ vocetur semper grex, qui pasci debet? Ulterius: hæc potestas, cum sit supernaturalis, & de jure Divino, illam non habet Pontifex à Prædecessoribus suis, nec à Conciliis Ecclesiæ, sed à Deo, qui est illius causa immediata efficiens, de qua potestate maximè intelligendum est illud ad Rom. 13. *Non est potestas nisi à Deo, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Si enim de sæculari potestate naturalis ordinis jure constituta id verum est; quantum magis de potestate illius ordinis, qui visibilium & conditionem, & ordinem transcendit, supernaturali virtute constituta ab eo, qui dixit: *Tibi dabo claves &c. Pasce oves meas:* ergo cum tot antiquissimis Conciliorum decretis sit stabilita hæc infallibilis auctoritas, id ex Apostolorum traditione necessariò derivatum credi debet. Videatur D. Emmanuel Gonzalez cap. *Majores de Baptismo* rem istam luculenter probans.

17. Ad nostrum tertio argumentum comprobandum multum valet auctoritas SS. PP. à quorum vestigiis, & unitate abfit, ut nos ullatenus recedamus; ne ab ipsis divisi, etiam

ab ipso Domino dividamur. Eò namque majoris auctoritatis eorum doctrina esse videtur, quòd pleniori gratia Sancti Spiritus, & ampliori scientia aliis præcellentes rationi magis adhefisse probantur. Audiendus primò D. Hieronymus ad Damasum cap. *Hæc est fides* caus. 21. *Hæc est fides, Papa Beatissime, quam in Catholica didicimus Ecclesiæ, quamque semper tenuimus: in qua si minus perire, aut parum cautè fortè aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri sedem, & fidem tenes: Si autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me culpæ voluerit, se imperitum, vel malevolam, vel etiam non Catholicam, sed Hæreticam comprobabit.* Et cap. *Quoniam Causa* 24. ad Damasum scribens: *Quamquam igitur tui me terreat magnitudo, tamen invitat humilitas: à Sacerdote victima salutem, à Pastore præsidium ovium flagito. Fatiscat invidia, Romani culmini recedat ambitio. Cum Successore piscatoris, & Discipulo Christi loquor. Ego nullum præmium nisi Christum sequens, Beatitudini tue, id est, Cathedra S. Petri communionem consortior. Super illam petram fundatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit, regnante diluvio. Et quia pro facinoribus meis ad eam solitudinem commigravi, quæ Syriam conjuncto Barbariæ sine determinat, non possum Sanctum Domini tot interjacentibus spatiis à Santimoniam tua semper expetere. Ideoque Collegas tuos Ægyptios Martyres, & Confessores sequor: & sub onerariis parva navicula delitescio. Non novi Vitalem, Miletum respuo, ignoro Paulinum. Quicumque non tecum colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.*

18. Confimili voce loquitur S. Augustinus Doctor ille maximus, in cujus laudem dixit Petrus Cluniacensis Abbas Epist. lib. 6. Epist. 44. ad Eugenium III. Papam: *Verbum memorabile magni Patris; & Summi Ecclesiæ Dei post Apostolos Doctoris Augustini, ad mentem, si fortè excidit, revoco.* Hic ferm. 2. de verbis Apostol. tom. 5. pag. 646. *Inde etiam (scilicet à Sede Apostolica) rescripta venerunt, causa finita est, utinam aliquando finiatur error.* Et Epist. 162. *In Romana, inquit, Ecclesiæ semper Apostolica Cathedra viguit principatus.* Item Epist. 92. ad Innocentium: *Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in Sede Apostolica collocavit, talemque nostris temporibus præstitit, ut nobis potius ad culpam negligentia valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesiâ suggerenda sunt, tacuerimus, quam tu possis, vel fastidiosè, vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Christi, pastoralem diligentiam quæsumus, adhibere digneris.*

19. D. Anselmus lib. de Incarnat. Verbi cap. 1. dedicat librum Urbano Papæ, his verbis: *Domino, & Patri universæ Ecclesiæ in terra peregrinantis Summo Pontifici Urbano frater Anselmus vita peccator, habitu Monachus, si vè*

jubente, sive permittente Deo, Cantuariæ Metropolitæ vocatus Episcopus, debitam subjectionem cum humili servitio, & devotis orationibus. Quoniam Divina Providentia vestram elegit sanctitatem, cui vitam, & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret, ad nullum alium rectius refertur, si quid contra Catholicam fidem oritur in Ecclesia, ut ejus auctoritate corrigatur, nec ulli alii tutius, si quid contra errorem respondetur, ostenditur, ut ejus prudentia examinetur.

20. Adhærent & alii Patres: S. Petrus Chrysologus in Epist. ad Eutychetem: In omnibus hortamur te, frater honorabilis, ut his, quæ à Beatissimo Papa Romanæ Civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam B. Petrus, qui in propria Sede, & vivit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis, & fidei extra consensum Romanæ Civitatis Episcopi, causas fidei audire non possumus. Beda super Matthæum, ut refertur cap. Quicumque caus. 21. Quicumque à bonitate fidei, vel Societatis Petri Apostoli quolibet modo semetipsum segregaverint, tales nec vinculis peccatorum absolvi, nee januam possunt Regni Cælestis ingredi. Theodoretus in suis ad Leonem litteris: Si Paulus præco veritatis, tuba Spiritus Sancti ad magnum Petrum se contulit, ut iis qui Antiochia de legali conversatione ambigebant, explicationem ab illo referret, multo magis nos humiles, & pusilli ad Apostolicam Sedem vestram accurrimus, ut Ecclesiarum remedia à vobis accipiamus. Vobis enim primas in omnibus tenere convenit. Multis siquidem prærogatiis ornatæ Sedes vestra. Etenim alias Urbes ornatæ, vel magnitudo, vel pulchritudo, vel habitatorum frequentia. Nonnullas etiam, quæ his careant, spiritualia quædam dona illustrant. Vestra verò honorum affluentiam omnium largitor dedit. D. Athanasius in Epist. ad Felicem Papam: Ob id vos Prædecessoresque vestros, Apostolicos videlicet Præsules, in summitatis arce constituit, omniumque Ecclesiarum curam habere præcepit, ut nobis succurratis &c. S. Irenæus lib. 3. cap. 3. Maxima, inquit, & antiquissima, & omnibus cognita à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam omnibus fidem per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitate, & malam scientiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentioris principalem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ ab Apostolis est, traditio. Theodoretus in Epist. ad Leonem Papam: Ego, inquit, Apostolicæ vestra Sedis expecto sententiam, & supplico, & obsecro vestram sanctitatem, ut mihi opem ferat justum vestrum, & rectum appellanti iudicium, & jubeat ad vos accurrere, & ostendere meam

doctrinam vestigia Apostolica sequentem.

21. En quomodo SS. PP., orta aliqua in rebus fidei dubitatione, ut ab Hæresicos labe, & periculo essent immunes, semper Sedem S. Petri, tanquam sanæ doctrinæ, ac veritatis regulam, respexerunt, decium amplectebantur, damnatum, & à se damnari profitebantur; quod sanè est efficax argumentum, credidisse Patres, esse certum de fide, dedisse Deum Summo Ecclesiæ Pontifici pretiosum infallibilitatis in definiendo privilegium, ut fidem certam proponeret. Hoc SS. PP. tanto studio fidelibus commendant, ut in omnium fide, ac religione deponerent obligationem credendi definitioni. Hoc assertum irrefragabile est; primò: quia si non esset fidelibus certum, & notum de fide, quòd Deus Summo Pontifici hoc infallibilitatis dederit privilegium, non tenerentur fideles credere illi in iis, quæ docet, vel definit, ut summus Ecclesiæ Doctor, & Pontifex; qui namque dubitat de infallibilitate, non erit certus, quòd non possit errare; ubi enim privilegium non creditur, ibi certitudo fidei esse non potest; cum nequeat esse certitudo fidei nisi pro fundamento statuatur veritas illius, qui fallere non potest secundum promissionem Domini, qui nec falli potest: sed SS. PP. hanc omnibus fidelibus commendant Pontifici ex Cathedra docenti obedientiam: ergo crediderunt ipsi, summum Pontificem esse in definiendo infallibilem. Secundò: insurgit in Ecclesia aliqua nova hæresis. In illa questione fidei ad expediendum difficili, veritatem in illo diversarum opinionum conflictu conquiritur, ad aliquem confugere necesse erit, qui veritatem fidei cum certitudine doceat: obligare enim fideles ad certitudinem fidei habendam, & non dari medium, à quo hanc certitudinem habeant, est penitus incredibile: ergo necesse est, ut quærant Judicem, cujus infallibili dubium hoc terminetur iudicio. Quis ergo erit iste, nisi Summus Pontifex? Ita enim, nec aliter necesse est, ipsos asserere; cum ipsi soli tanquam supremo Christi Vicario commissæ sit ligandi, atque solvendi potestas; cum & hoc tot SS. PP., & Conciliorum testimonio omnibus sit evidens; & cum negare hoc, esset sanè negare, ipsum esse regulam animatam fidei. Rogo modò, an teneantur fideles cum certitudine fidei credere rei definitæ, vel non? Si primum concedatur: ergo agnoscere debent, & credere, esse in ipso tanquam in supremo Ecclesiæ Capite infallibilitatem fidei. Si dicatur secundum: En redit argumentum factum: ergo non ab illo, sed ab alio certitudinem quærent, ut infallibili ejus iudicio dubium terminetur: ne teneantur concedere, quòd credere debent cum certitudine fidei, quòd possit esse falsum, quòd ita impossibile est, sicut & quòd fidei veræ possit subesse falsum. Desinant ergo ab his vanis cogitationibus. Sunt etenim hæc, ne plus dicam, spinosissima, mul-

multisque, & magnis periculis plena. An non hoc Sacra Litteræ docent? An cuiquam dubia esse potest hæc antiqua nobis à Patribus, & Conciliis tradita fides? Non decet, antiquissimam hujus infallibilitatis Pontificiæ traditionem propter supervacaneas rationes, ac disceptationes deferere, vel nimis inquisitionibus humanæ mentis, rem captum excedentem, subjicere, vel in medium exilire, veluti Judices, ut nostro sensu veritatem metientes, in controversiis fidei hanc, vel illam partem defendamus. Necesse etenim est, sapientissimo Deo consiliorum suorum rationes integrè permittere; Scripturis, Conciliis, & PP. hanc summam salutarem decretis Summorum Pontificum obedientiam, prædicantibus, credere: maximè cum à primis Ecclesiæ temporibus infallibilitas hæc in eo veritatis gradu constituta sit, quòd ipsam nec humani ingenii cavillatio, nec Hæreticorum labefactare poterit injuria.

S. III.

Ex auctoritate D. Thomæ, & invictò Sancti Doctoris argumento ultima probatio.

22. **E**T si doctrinæ Scripturæ, & traditionum, necnon Conciliorum, & Sacrorum Canonum decretis, sicut & SS. PP. testimoniis, potiusquam argumentis philosophicis sit inhærendum, non est tamen à Theologo alienum, rationem auctoritati Scripturæ, traditioni, & Conciliorum definitionibus subnectere, atque in subsidium vocare modum illum Scholæ accommodatum, ut religionis, seu fidei, & morum doctrina pertractetur. Sic methodum istam usurpavit Divus Athanasius, teste Photio in Bibliotheca cod. 140. juxta Andréæ Schotti Jesuitæ translationem dicente: *Dialecticis ad hæc usus est argumentis . . . Philosophorum more magnificè prolatis*. Quarè audiendum modò D. Thomas Scholasticorum Princeps; ille Doctor, ut dicit Titelmanus annot. super Psal. 109. *Celeberrimus, omniscius, Theologorum Theologus, Theologorum Coryphæus, Alpha litterarum omnium, omnis litteraturæ delicia, primus, medius, & novissimus Sapientum*: vel ut dixit Poisevinus ejusdem Societatis lib. 13. suæ Bibliothecæ cap. 4. *Pace aliorum Doctorum dixerim: unus D. Thomas instar est omnium; tantam enim lucem suis scriptis Philosophiæ, ac Theologiæ attulit unus, quantum ceteri omnes; nec in hoc arbitror quidquam ex alterius laude detrabi, quia id de D. Thoma dicitur, quod ipsorum quisque, si videret, & adesset, videretur de eodem esse dicturus*. Hanc veritatem probat 4. contra Gent. cap. 76. *Manifestum est, inquit, quòd quamvis populi distinguantur per diversas Dioceses, & Civitates, tamen sicut una est Ecclesia, ita oportet esse unum populum Christia-*

*num. Sicut in uno speciali populo unius Ecclesiæ requiritur unus Episcopus, qui sit totius populi Caput: ita in toto populo Christiano requiritur, quòd unus sit totius Ecclesiæ Caput. Item ad unitatem Ecclesiæ requiritur, quòd omnes fideles in fide conveniant: circa verò ea, quæ fidei sunt, contingit quæstiones moveri: per diversitatem autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservaretur. Exigitur ergo ad unitatem Ecclesiæ conservandam, quòd sit unus, qui toti Ecclesiæ præsit. Manifestum est autem, quòd Christus Ecclesiæ in necessariis non deficit, quam dilexit, & pro ea sanguinem fudit, cum & de synagoga dicatur per Dominum: quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci? Isaiæ 5. Non est igitur dubitandum, quin ex ordinatione fidei unus toti Ecclesiæ præsit. Adhuc nulli dubium esse debet, quin Ecclesiæ regimen sit optimè ordinatum, utpotè per eum dispositum, per quem Reges regnant, & legum Conditores justa decernunt. Optimum autem regimen multitudinis est, ut regatur per unum: quod patet ex fine regiminis, qui est pax; pax enim, & unitas subditorum est finis regentis: unitatis autem congruentior causa est unus, quam multi. Manifestum est igitur regimen Ecclesiæ sic esse dispositum, ut unus toti Ecclesiæ præsit. Amplius: Ecclesia militans ex triumphanti Ecclesia per similitudinem derivatur: unde & Joannes in Apocalypsi vidit Jerusalem descendentem de Cælo: & Moysi dictum est, quòd faceret omnia secundum exemplar ei in Monte monstratum. In triumphanti autem Ecclesia unus præsidet, qui etiam præsidet in toto Universo, scilicet Deus. Dicitur enim Apocalyp. 21. *Ipsi populus ejus erunt, & ipse cum eis erit eorum Deus. Ergo & in Ecclesia militante unus est, qui præsidet universis; hinc est quod Osæ 1. dicitur: Congregabuntur filii Juda, & filii Israel pariter, & ponent sibi Caput unum. Et Dominus dicit Joann. 10. fiet unum Ovile, & unus Pastor. Si quis autem dicat, quòd unum Caput, & unus pastor est Christus, qui est unius Ecclesiæ sponsus, non sufficienter respondet: manifesta est enim, quòd omnia Ecclesiastica Sacramenta ipse Christus perficit; ipse enim est, qui baptizat; ipse est, qui peccata remittit; ipse est verus Sacerdos, qui se obtulit in ara Crucis, & cujus virtute Corpus ejus in Altari quotidie consecratur: & tamen, quia corporaliter non cum omnibus fidelibus præsentialiter erat futurus, elegit Ministros, per quos prædicta fidelibus dispensaret, ut supra dictum est (cap. 74.) Eadem igitur ratione, quia præsentiam corporalem erat Ecclesiæ subtrahitur, oportuit, ut alicui committeret, qui loco sui universalis Ecclesiæ curam gereret. Hinc est, quòd Petro dixit ante Ascensionem: *pasce oves meas, Joan. ultimo; & ante Passionem: tu iterum conversus confirma fratres tuos, Luc. 22. & ei soli promisit: tibi dabo claves Regni Cælorum, ut ostenderetur potestas clavium, per eum ad alios derivanda ad conservandam Ecclesiæ unitatem. Numquid optari potuit quidquam dilucidius?***

23. Sed hoc forte splendidius fiet ex alio ejusdem S. Doctoris luculentissimo testimonio Opuſc. 1. contra errores Græcorum cap. ultimo, ubi postquam S. Doctor statuit, quod Pontifex Romanus est primus, & maximus inter omnes Episcopos, & quod habet in totam Ecclesiam Christi universalem Prælationem; & ipsum habere in Ecclesia potestatis plenitudinem probat sequentibus verbis: *Habetur etiam ex prædictorum Doctorum auctoritatibus, quod Romanus Pontifex habeat in Ecclesia plenitudinem potestatis. Dicit Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in lib. Theſaurorum. Sicut Christus accepit à Patre Dux sceptrum Ecclesie gentium ex Israel egrediens super omnem principatum, & potestatem, super omne quodcumque est, ut ei cuncta curventur, plenissimam potestatem; sic & Petro, & ejus Successoribus plenissime commisit. Et etiam nulli alii quam Petro Christus, quod suum est plenum; sed ipsi soli dedit. Et infra pedes Christi humanitas est, scilicet ipse homo, cui tota æternitas plenissimam dedit potestatem, quem unus trium assumpsit in unitate personæ: transvexit ad Patrem super omnem principatum, & potestatem, ut adorent eum omnes Angeli Dei: quem totum dimisit per Sacramentum, & potestatem Petro, & Ecclesie ejus. Et Chrysostomus dicit ad Consulta Bulgarorum, ex persona Christi loquens. Ter te interrogo, an ames, an ames, an diligas: quia ter me trepidus, & timidus negasti. Nunc autem reditus, ne credant te fratres gratiam, & clavium auctoritatem amisisse, quia amas me, coram ipsis id tibi jam confirmo, quod meum est plenum. Hoc etiam trahitur auctoritate Scripturæ. Nam Dominus Matthæi 16. universaliter Petro dixit: quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis. Ostenditur etiam, quod Petrus sit Christi Vicarius, & Romanus Pontifex Petri Successor in eadem potestate ei à Christo collata. Dicit enim Canon Concilii Chalcedonensis. Siquis Episcopus predicatur infamis, liberam habeat sententiam appellandi ad Beatissimum Episcopum antiquæ Romæ: quia habemus Petrum petram refugium, & ipsi soli libera potestate loco Dei sit jus discernendi Episcopi criminati infamiam, secundum claves à Domino sibi datas. Et omnia ab eo definita, ab eo teneantur tanquam à Vicario Apostolici Throni. Item Cyrillus Hierosolimitanus Patriarcha dicit ex persona Christi loquens. Tu cum sine, & ego sine sine, cum omnibus, quos loco tui ponam, plenè, & perfectè Sacramento, & auctoritate cum eis ero, sicut sum & tecum. Et Cyrillus in libro Theſaurorum dixit, quod Apostoli in Evangeliiis, & Epistolis affirmaverunt in omni doctrina, Petrum esse loco Dei, & ejus Ecclesiam, eidem dantes locum in omni Capitulo, & Synagoga in omni electione, & affirmatione. Et infra, cui, scilicet Petro, omnes jure Divino caput inclinant, & Prælates Mundi tanquam ipsi Domino Jesu obediunt. Et Chrysostomus dicit ex persona filii loquens. Pæſce oves meas, id est loco mei præpositus esto fratrum.*

24. Hæc D. Thomas, cujus doctrina, atque scientia tanto in Ecclesia Catholica honore, & amore convaluit. Hoc pacto, & propriam mentem explicat Sanctus Doctor, & quid confert ad infallibilitatem Summi Pontificis duplici efficacissimo argumento ostendit, & probat: Et quidem primò notum est illud; quod unius potestas est optima regiminis forma, quod D. Thomas, ut principium assumit: est namque evidens ipsi, quod pluralitas principiorum est carentia principii. Hoc egregiè exponit S. Doctor 1. 2. q. 103. art. 3. *Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod Mundus ab uno gubernetur. Cum enim gubernationis Mundi finis sit quod est essentialiter bonum, quod est optimum, necesse est, quod Mundi gubernatio sit optima. Optima autem gubernatio est, quæ fit per unum. Cujus ratio est, quia gubernatio nihil aliud est, quam directio gubernatorum ad finem, qui est aliquod bonum: unitas autem pertinet ad rationem bonitatis, ut Boetius probat in 3. de Consolat. per hoc, quod sicut omnia desiderant bonum, ita desiderant unitatem, sine qua esse non possunt. Nam unumquodque in tantum est, in quantum unum est. En quomodo ex tribus formis regendæ multitudinis optimum, & utilissimum esse Monarchiæ principatum pronunciat, quo unus Princeps Reipublicæ præficatur, & summa potestas gubernativa in una singulari persona constituta est. Rex in Regno unitatem constituit, quia ipse unus est, & ab ipso omnis gubernatio dependet. Ipse utique imperat omnibus; sub illo tanquam sub capite omnia membra unita sunt, quæ immediatè reguntur ab ipso; citò, & rectè providet, & exequitur, nec ab ullo impeditur ejus executio: quare ipse est causa ordinis, quia ipse unus est. In Apibus Princeps unus est, ut dicitur caus. 7. q. 1. eodem cap. & grues unam sequuntur ordine litterato. Imperator unus: *Judex unus Provincia. Roma, ut condita est, duos Fratres simul Reges habere non potuit: & parricidio dedicatur. In Rebecca verò utero Esau, & Jacob bella gesserunt. Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archiepiscopi, singuli Archidiaconi, & omnis Ordo Ecclesiasticus suis Reſtoribus nititur. An non omnis humana societas dividitur in partem gubernantem, & gubernatam? An in quolibet homine sensus non gubernantur à ratione; voluntas ab intellectu, ipseque met intellectus, ut ratio, seu ut discursivus, an non dirigitur ex intellectu, ut intellectus est, qui errare nequit circa prima principia? Hoc apertum est in sacris litteris. Etenim legimus Exod. 18. quod cum cœpisset Populus Dei regi ad formam quamdam Ecclesiasticæ Reipublicæ, sedebat Moyses tanquam caput, & Princeps illius Ecclesiæ ad omnia dubia circa legem respondens: *Quod cum vidisset cognatus ejus, omnia scilicet, quæ agebat in Populo, ait: quid est hoc, quod facis in Plebe? Cur solus Sedes, & omnis Populus præſtolatur de mane usque ad***

ve-

*vesperam? Cui respondit Moyses: venit ad me Populus quærens sententiam Dei. Cumque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me, ut judicem inter eos, & ostendam præcepta Dei, & leges ejus. Auferat quis Pontificis infallibilitatem, & optima hæc gubernii Hierarchia ruet; non enim ad unum caput reducitur, ubi in unâ, & maximâ parte, (nempe doctrinæ) deficiat definitis veritas, & auctoritas. Unde & eodem cap. 18. legitur, quod juserit Dominus in Rationali Summi Pontificis poni doctrinam, & veritatem, cum v. 30. habeatur: *Pones autem in rationali judicii doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingreditur coram Domino; quia nempe ex Cathedra docens prætabat quærentibus fidei veritatem. Etiam in Deuteronomio legitur cap. 28. lex illa generalis: Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & lepram: & judicium intra portas tuas videris verba variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus: sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram: qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israel. Et 2. Paralip. cap. 19. quod ubicumque esset quæſtio de lege, de mandato, de cæremoniis, de justificationibus, dicitur recurrendum esse ad Amariam: *Amarias autem Sacerdos, & Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit. Et Malac. 2. labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est. Et Ecclesiast. 12. verba sapientum sicut stimuli, & sicut clavi in alium defixi, quæ per Magistrorum consilium data sunt à Pastore. Sed inter omnes illustris est textus ille Matthæi cap. 23. super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisei. Omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, servate, & facite.***

25. En quomodo in testamento veteri fideles circa fidem docebantur, & docentibus credere tenebantur. Si ergo Deus in lege veteri gubernavit Populum Hebræum per unum Summum Sacerdotem, quomodo negari potest, quod in Ecclesia institutus sit à Christo Summus Pontifex, ut supremus inter lepram, & lepram Ecclesiæ Judex, qui publica auctoritate polleat ad dirimendas controversias, quæ etiam Religionis pericæpe occurrunt, & quod Ecclesiæ deficiat illa perfectissima gubernandi forma, cum perfectissimè instituta fuerit. Effet Republica Christiana omnium miserima. Nullus esset, cujus curæ commissum esset commune Ecclesiæ

bonum, nulla veritas, nullus ordo. Effet in Ecclesia maxima ordinis perturbatio, cum nullus esset, in quo posent in rebus fidei uniri fideles; nullus primus Judex, vel Summus unus Sacerdos, qui in sententia ferenda, vel solus significaretur habere auctoritatem. Audiendus hic M. Cano disertissime scribens lib. 6. cap. 3. *Nunc autem id solum agimus, Deum post tempora etiam Moyses, quandiu Synagoga futura erat, instituisse Maximi Pontificis unum Tribunal Summum, è cujus judicio privati omnes Cives, ac Judices etiam minores penderent. Quid ergo? Moyses providit Synagogæ, & Christus non providit Ecclesiæ? An volumus, ut his diebus non sit Judex in Israel, sed unusquisque quod sibi videatur bonum, id & faciat, & sentiat? Volumus, inquiunt, Evangelii libertatem. At ne est libertas Civitati, nullum habere à quo regatur? Est libertas navi, sine gubernatore undis, ventoque permitti? Libertas ergo erit, ut quidam ait, nullum esse in Schola præceptorem, nullum in humano corpore caput, nullam mentem in homine, sed solis cupiditatibus turbari, ac misceri omnia, pro libidine. Id verè ne pecudes quidem cuperent, quarum interest pastores habere, à quibus deducantur in pastua, atque in eis defendantur ab injuria ferarum. Non itaque, ut ad propositum revertamur, Domus una sine patre familias, una Civitas sine Rectore, ovile unum sine pastore, uno mortuo Petro, relictum est, sed est aliquis; qui illi in regendi, ac pascendi oves auctoritate succedat. Certè si nulla nobis alia, aut auctoritas Scripturæ, aut SS. PP. aut Conciliorum suppeditaret argumenta, solus hic Angelici Magistri discursus in statuenda hac infallibili Pontificis auctoritate sufficeret, quæ definitionibus Pontificis talem, ac tantam venerationem tribuit, & tribuendam à Discipulis docet.*

26. Non hæc Thomistarum opinio singularitatis accusari potest, quæ tot illustres nacta est apud Theologos, & Canonistas assertores. Audiendus Gersonius tom. 1. pag. 125. *Plenitudo potestatis Ecclesiasticæ completitur in se plenitudinem duplicis potestatis, scilicet ordinis, & jurisdictionis, tam in foro exteriori, quam interiori, quæ circa quemlibet de Ecclesia potest immediatè, & absque limitatione exerceri, clave non errante. Et postea: plenitudo potestatis Ecclesiæ sic proprie sumpta, non potest esse de lege ordinata, nisi in unico Summo Pontifice. Alioquin Ecclesiasticum Regimen non esset Monarchicum &c. Et pag. 158. nullam aliam politiam instituit Christus immutabiliter Monarchicam, & quodammodo regalem, nisi Ecclesiam, & oppositum sentientes de Ecclesia, quod fas non est, esse plures Papas, aut quod quilibet Episcopus est in sua Diocesi Papa, vel Pastor Supremus, æqualis Papæ Romano, errant in fide, & unitate Ecclesiæ, contra illum articulum: & in unam Sanctam &c. Petrus Aliacensis de auctor. Eccles. pag. 887. quia ex hoc confusio sequi poterat, ideo Dominus hoc præ-*

vi-

videns contulit Petro pro se, & suis Successoribus auctoritatem disponendi Ministros Ecclesie, & determinandi jurisdictionem, dicens, *pasce oves meas, id est, sis Pastor generalis, ad quem pertineat dispositio, & Regimen generale ovium, & ovilis &c.* Et ita in Petro fuit ista plenitudo potestatis, quam tamen postea divisim aliis dedit, vocans eos in partem sollicitudinis. Infiniti efsemus in recensendis Auctoribus, qui, unanimi consensu sibi persuasissimum habent, dedisse Christum Petro, & Successoribus ejus quicquid auctoritatis, præcellentiæ, & potestatis erat necessarium ad ædificationem Ecclesie, ad fidei, pietatis, & justitiæ, hujusque corporis sui mystici maximum incrementum; & ad supremum, & immediatum Monarchicum Ecclesie Principatum, quem divino jure institutum, sultumque supra diximus.

27. Hæc prima Angelici Magistri ratio, nobis stravit viam ad secundam, qua probat D. Thomas, esse incommutabilis, vel in Orbis Christianus universus regatur ab uno, qui sit supremus controversiarum fidei Judex, dicens: *Item ad unitatem Ecclesie requiritur, quod omnes fideles in fide conveniant: circa verba, quæ fidei sunt, contingit quæstiones moveri: per diversitatem autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservaretur.* Exigitur ergo ad unitatem Ecclesie conservandam, quod sit unus, qui toti Ecclesie præsit: quibus faudet, Summo Pontifici, tanquam Christi Ministro, ipsius in terra Vicemgerenti, debitum debere omnes, non solum præbere obedientiæ famulatum, sed & esse de fide ejus infallibilitatem: ac si diceret D. Thomas, illud per quod Ecclesia Dei primò, & per se habet unitatem fidei, est ab omnibus fidelibus credendum, cum hanc fidei unitatem necessariò habeat Ecclesia Dei: sed Primatus Romani Pontificis, ejusque infallibilitas in definiendo, est illud, per quod Ecclesia Dei habet unitatem fidei: ergo hæc infallibilitas, & hic supremus Ecclesie Principatus est de fide tenendus. Minorem ratio invictissimè probat, primò: vel enim fideles habent libertatem conscientie, ut possint credere definitioni Summi Pontificis ex Cathedra loquentis, vel non? Si hoc secundum: ergo ipse infallibilis est. Si primum: ergo nec ordo, nec unitas fidei in Ecclesia esset; certissimumque omnibus erroribus aperiretur ostium. Nihil esset certum de doctrina fidei, & morum, dum Catholici sibi ipsis in gravissimis controversiis essent oppositi, diversos Scripturæ Sacræ testimoniis, pro causæ, quam defendunt, studio, affingerent sensus. Quomodo ergo esset fides una? Secundò: Si ex Cathedra loquente Summo Pontifice, singuli fideles possunt credere, quod sibi placet, & contraria credere: ergo non tenentur fideles sequi fidem Summi Pontificis: ergo nec esset una fides in capite, & membris, quia fides Pontificis esset à fide fidelium non solum.

dissona, sed & ipsi positivè contraria. Parum dixi, nec in Summo Pontifice ex Cathedra definiendo, si errare potest, esset vera fides, nec in omnibus illis fidelibus, qui sincerè obtemperarent Constitutioni. Nam fides vera est certa certitudine infallibili; sed in Summo Pontifice non agnoscunt hanc infallibilem certitudinem fidei, cum affirmat, posse errare in definiendo: ergo nec veram fidem in capite Ecclesie necessariò agnoscunt. Non similiter eandem fatentur in fidelibus Constitutioni Pontificiæ obtemperantibus: nam isti credentes sequuntur fidem Summi Pontificis: ergo si non est vera fides in Summo Pontifice, à fortiori & incerta erit fides fidelium Constitutioni credentium; ac per consequens, vel nulla datur in Ecclesia fides in capite, & membris; vel si quæ datur, solum in ipsis datur divisa à capite, & membris. Quo argumento usus est Pelagius Papa cap. Schisma caus. 24. q. 1. dicens: *Sed nec illud eis prodest, quod eos in eisdem litteris, vel ignorantia rationis, vel simplicitate intellectus sui à nostra se communione suspendisse perhibetis. Id ipsum enim magis est propter quod Schismatici sunt, quia non eos diversa sentiendi iudicium, sed quadam apud se delata, sibi tamen incognita metuentes, & contra Apostolicam Sedem temerè credentes, pessima divisit opinio: quod Schisma specialiter esse B. denunciat Augustinus dicens de talibus: Adversus auctoritatem illarum Ecclesiarum, quæ ab Apostolica Sede Epistolas accipere meruerunt, temerè credendo, inmanissimum Schismatis crimen à se propulsare non poterunt. Ad summam, aut illos Ecclesiam esse creditis, & cum duæ Ecclesie esse non possint, nos (quod absit) Schismaticos iudicabit: aut si veram in Apostolicis Sedibus esse constat Ecclesiam, & illos à bonitate divisos cognoscite, & communionis quæstionem esse sublatam, quam veram nisi in unitate constat esse non posse.* Videant ergo illi, quomodo ex positione, & sententia ipsorum emergit grande illud Ecclesie Dei detrimentum, dignèque lugendum, quod in cordibus fidelium orietur deplorabilis ille Clavium Ecclesie contemptus in obedientia Ecclesiasticarum Sanctionum, Sacrarum vilipensio decisionum. Et tandem, quod Deus avertat, Summi Pontificis derideretur auctoritas, & membrorum, & capitis scinderetur unitas. Quod rectè agnovit Petrus Cluniacensis Abbas his ad Innocentium II. Epist. 1. scribens verbis: *Nihil nos à pastore, nihil à Petro, nihil à Christo, quæ omnia in te uno habemus, separare poterit.* Et ad Cælestinum Papam Epist. 18. *ipsos Apostolorum Summos Petrum, & Paulum, immo ipsum Christum in vobis solo se habere gloriabitur Orbis terrarum.*

28. Ex hoc ineluctabili argumento inferitur, quod non solum ipsis Summis Pontificibus deferendus est honor, singularis reverentia, obedientia summa, sed & necessitas obedientiæ, non personæ, sed dignitati; seu potius Deo

Deo in ipso, & per ipsum præcipienti cum reverentia parendum est. Ita D. Thomas citato Opusc. 1 sequentibus verbis. *Ostenditur etiam, quod subesse Romano Pontifici sit de necessitate salutis. Dicit enim Cyrillus in lib. Thesauri: itaque Fratres, si Christum imitamur, ut ipsius oves vocem ejus audiamus, manentes in Ecclesia Petri: & non inflemur vento superbiæ, ne forte tortuosus Serpens propter nostram contentionem nos ejiciat, ut Evam olim de Paradiso. Et Maximus in Epistola Orientalibus directâ dicit: Coadunatam, & fundatam secundum petram confessionis Petri dicimus universalem Ecclesiam secundum definitionem Salvatoris, in qua necessariò salutis animarum nostrarum est remanere, & ei est obedire, suam servantes fidem, & confessionem.* En qualem decretis Apostolicis obedientiam prædicat, & commendat D. Thomas. En qualis de necessitate salutis adhibenda est subjectio, si velimus Ecclesie fervare fidem, & communionem. Nam quomodo ad veritatis originem accedere possunt illi, & in eâ remanere, qui caput non quærent, nec capitis servant doctrinam? Ergo tenentur omnes, & est de necessitate salutis, obsequi Summo Pontifici, nedum in his quæ credenda proponit, sed etiam in doctrinæ morum, & actus nostros accommodando. Quare idem Angelicus Magister eos, qui pertinaciter præcepta Ecclesie contemnunt, & iudicium Summi Pontificis subire recusant, Schismatis reos pronunciat. Ita expressè q. 40. supplementi art. 6. in corp. *Quod ubi multa sunt regimina ordinata in unum, oportet esse aliquod universale regimen supra particularia regimina, quia ut dicitur 1. Ethic. in omnibus virtutibus, & artibus est ordo secundum ordinem finium: bonum autem commune est divinum, quàm bonum speciale, & ideo supra potestatem regitivam, quæ coniectat bonum speciale, oportet esse potestatem regitivam universalem respectu boni communis; aliàs non posset esse collatio ad unum.* Et ideo cum tota Ecclesia sit unum corpus, oportet, si ista unitas debet conservari, quod sit aliqua potestas regitiva totius Ecclesie supra potestatem Episcopalem, quæ unaquæque specialis Ecclesia regitur: & ideo illi, qui hanc potestatem negant, Schismatici dicuntur, quasi divisores unitatis Ecclesie. Et 2. 2. q. 39. art. 1. *Dicendum, quod sicut Isidorus dicit in lib. Ethymo: nomen Schismatis à scissura animorum vocatum est: scissio autem unitati opponitur. Unde peccatum Schismatis dicitur, quod directè, & per se opponitur unitati. Sicut enim in rebus naturalibus id, quod est per accidens non constituit speciem, ita etiam nec in rebus moralibus, in quibus id, quod est intentum, est per se: quod autem sequitur præter intentionem, est quasi per accidens. Et ideo peccatum Schismatis propriè est speciale peccatum ex eo, quod intendit se ab unitate separare, quam charitas facit, quæ non solum alteram personam alteri unit spirituali dilectionis vinculo, sed etiam totam Ecclesiam unitate Spiritus. Et ideo propriè*

Schismatici dicuntur, qui propria sponte, & intentione se ab unitate Ecclesie separant, quæ est unitas principalis. Nam unitas particularis aliquorum ad invicem ordinatur ad unitatem Ecclesie, sicut compositio singulorum membrorum in corpore naturali ordinatur ad totius corporis unitatem. Ecclesie autem unitas in duobus attenditur, scilicet connexionione membrorum Ecclesie ad invicem, seu communicatione: & iterum in ordine omnium membrorum Ecclesie ad unum caput, secundum illud ad Col. 2. *inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, & conjunctiones subministratum, & constructum crescit in augmentum Dei.* Hoc autem caput est ipse Christus, cuius vicem in Ecclesia gerit Summus Pontifex. Et ideo Schismatici dicuntur, qui subesse renuunt Summo Pontifici, & qui membris Ecclesie ei subjectis communicare recusant.

29. Hæc ratio D. Thomæ maximi momenti haberi debet, cum sit illud efficacissimum argumentum, quo D. Cyprianus redarguit omnes resistentes Apostolicæ Sedis decretis, maxime Epist. 55. ad Cornelium: *Quales putas esse eos, qui Sacerdotum hostes, & contra Ecclesiam Catholicam rebelles, nec præmonentis Domini comminatione, nec futuri iudicii ultione terrentur? Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt Schismata, quàm in dæ quod Sacerdoti Dei non obtemperant, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex Vice Christi cogitatur. Cui si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa; nemo adversum Sacerdotum Collegium quidquam moveret; nemo post divinum iudicium post populi suffragium, post Coepiscoporum consensum iudicem se jam non Episcopi, sed Dei faceret; nemo dissidio unitatis, Christi Ecclesiam scinderet; nemo sibi placens, ac tumens seorsum foris hæresim novam conderet; nisi si ita est aliquis Sacrilegæ temeritatis, ac perditæ mentis, ut putet sine Dei iudicio fieri Sacerdotem.* Super quo eruditè notat Jacobus Pamelius ibi n. 27. dicens: *Similes locos habes infra dictis Epistolis ad Rogatianum Episcopum, & Florent. Pupianum; libri item de unitate Ecclesie, ac de zelo, & livore. Et si autem aliis illis locis de se, & Episcopis omnibus loqui videatur, quod nempe omnes hæreses initium suum habuerint ex contemptu Episcoporum, id est, ex ipso Schismate: certè tum hoc loco, tum præsertim initio libri de unitate Ecclesie, de Romano Episcopo solo loquitur. Qui vel unicus locus (ut ibi latius) ita confirmat Episcopi, seu Pontificis Romani primatum, ut non possit magis circumstantiæ textus hoc loco. Quæ arguunt de Romano loqui, & Summo Pontifice, sunt imprimis testimonia præmissa ex Deuter. lib. 1. Reg. Evang. Joannis, & act. Apostolorum, quæ non nisi in Summos Pontifices Judæorum quadrare nemini dubium est, atque adeo aptius ad Summum Pontificem Romanum referuntur. Deinde quod loquatur de uno Sacerdote, seu uno Episcopo in Ecclesia, quam appellationem tum ex Epistola Cornelii su-*

pra 48. tum ex aliis ejus Epistolis, & lib. de unitate Ecclesie Cyprianum satis constat non solere usurpare, nisi de Summo Pontifice. Aperi- tiora sunt D. Cypriani verba, & interpretis consensus manifestior, quam ut negare quis possit, hanc esse certissimam S. Doctoris sententiam.

30. Sed audiendus iterum D. Cyprianus de unit. Ecclesie in eamdem se recipiens sententiam, dum asserit: *Hoc eo fit Fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput queritur; nec Magistri celestis doctrina servatur. Quæ si quis consideret, & examinet, tractatu longo, atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & super istam petram edificabo Ecclesiam meam, & porta Inferorum non vincet eam: & tibi dabo claves Regni Cælorum, & quæ ligaveris super terram, erunt ligata & in Cælis, & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in Cælis. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: pasce oves meas. Super illum unum edificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas.... Hanc Ecclesie unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesie venit, & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?.. Ecclesia quoque una est, quæ in multitudinem, latius incremento fecunditatis extenditur; quo modo solis multi radii, sed lumen unum tenaci radice fundatum: & cum de fonte uno rivus plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copie largitate; unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis à corpore, divisionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: à fonte præci de rivum, præcisus arefcet. Sic & Ecclesia Domini luce perfusa per Orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur: ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivus latius expandit: unum tamen caput est, & origo una, & una Mater, fecunditatis Successoribus copiosa, illius fetu nascimur, illius lacte nutrimur, Spiritu ejus animamur.*

31. Firmat hanc doctrinam unanimis Scholæ nostræ consentio, cujus in hoc dogmate consensus invictum argumentum est, hanc esse verissimam D. Thomæ mentem, quæ Discipulos omnes ad hanc concordiam attulit. Quid ergo? Parva ne in Discipulis de doctrina D. Thomæ, SS. PP. auctoritate firmata currit auctoritas? An qui Discipulorum nomine gloriantur sapientiores Magistro se existimant, ut ejus doctrinam ita aperta prævaricatione corrumpant? An verasunt, quæ in dedecus Apostolicæ auctoritatis astruunt, & falsa, quæ ita solidè S. Doctor

scripsit? Nefas est credere; falsa sunt penitus quæ finistrè scripsere illi, & vera sunt, quæ D. Thomas fideliter Discipulis credenda proponit, ut Discipulorum sicut est una, & incontaminata fides, in ipsis sit una sententia; in his maximè, quæ fidem concernunt, & quæ tam arctè cum ipsâ cohærent.

32. At si quis adhuc discordiæ furore venasus in contrario propriæ opinionis contumaciâ imprudenter detinetur; agnoicat veraciter, quantum necesse sit inherere firmiter immobili Pontificiæ definitionis veritati, obedire humiliter ejus sacræ fundatissimæ auctoritati, claudere, & obstruere auditum indisciplinatæ, & vanissimæ Quesnellistarum falsitati, & Schismaticæ præsumptioni. Mirari enim satis non possum, quod quidam se Angelici Doctoris profiteantur fidelissimos Discipulos, & non vereantur adversus ipsum Romani Pontificis infallibilis definitionis excellentiam disputare; quam divinam Apostolicæ veritatis legem Discipulos docet, ut immobilis in fide sint, & servent unitatem Spiritus in vinculo pacis. Quod si pertinaces in hoc damnabili Schismate, & ab Ecclesia, & à nobis in doctrina separatos esse velint; nec priorem errorem corrigere, pœnitentiam agere, & indulgentiam petere ab eo, qui potest præstare; quod à Schola nostra expulsi sint, non parum nobis gratulandum, sicut & gratulandum Ecclesie dixit D. Cyprianus de unit. Ecclesie: *Gratulandum est, cum tales de Ecclesia separantur, ne columbas, ne oves Christi sava sua, & venenata contagione prædentur. Cohære, & conjungi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluvia cum serenitate, pugna cum pace, cum fecunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas. Nemo existimet, bonos de Ecclesia posse discedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subvertit. Inanes paleæ tempestate jactantur, invalidæ arbores turbinis incursum everuntur. Hos execratur, & percussit Joannes Apostolus dicens: ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis; si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. Hinc hæreses & facta sunt frequenter, & fiunt, dum perversa mens non habet pacem, dum perfida discordans non tenet unitatem. Fieri verò hæc Dominus permittit, & patitur, manente propriæ libertatis arbitrio, ut dum corda, & mentes nostras veritatis discrimen examinat, probatorum fides integra manifesta luce clarescat. O quanta eorum cæcitas! Sed hæc deploranda, non disputanda. Quare dixit S. Augustinus adversus Julianum, demonstrans, Apostolicam Sedem non fuisse lapsam in Zosimo, sed circa fidem esse infallibilem, ac insuperabilem: *Adhuc insuper flagrant audientiam, cum damnari debeant agere pœnitentiam.**

QUÆSTIO II.

An detur locus appellationi à definitiva Summi Pontificis sententia ad Concilium Generale?

Constituto quantum Scripturæ, traditioni, & SS. PP. adversetur opinio negans quod Summus Pontifex sit Ecclesie vera animata fidei regula, & Doctor, Magisterque infallibiliter judicans de doctrina fidei, & morum; subsequitur, ut membrorum alterum hujus disputationis expendamus, an nempe dari possit appellatio in rebus fidei, & morum ab ejus definitivo judicio ad generale Concilium, & hujus auctoritate possit sententia Summi Pontificis retractari, judicari, circumduci? Hæc sanè maximi momenti est quæstio; in cujus argumenti elucidationem multa conferri possent; cum omnia jam sint eliquatissima perspective discussa. Sed cum res hæc sit præcipuum universæ Ecclesie negotium, & cujus sacratissimam capitis firmitatem, Deo edificante, constructam, nimis impia vult præsumptione violare, quisquis hujusmodi recursum, & appellationis remedium tentat; non est, cur otiosè quæstionem istam transcurramus; cum sacratissima Summi Pontificis jura tueri, ac propugnare nostri, & omnium necessario muneri sit; ad exemplum illius celeberrimi Osi Cordubensis Episcopi, qui non dubitans, sed generosè, constanter, & ex Apostolico pectore contra Hæreticos scelerata factionis petulantiam, clamavit ad Sardicensem Synodum: *S. Petri Apostoli memoriam veneremur. In maximam ergo Summi Pontificis venerationem, appellationem ab ejus definitivo judicio esse penitus nullam, contra universalem, & constantem Ecclesie praxim, & ab Ecclesia jurè ut Schismaticam reprobatam evidentibus argumentis demonstrabimus, ut omnis, qui æquo, ac sincero judicio Theologus, & Canonista sit, hoc facile comprehendet.*

S. I.

Nullitas appellationis gravissimis fundamentis declaratur.

ET quidem primò; quia secunda instantia, seu remedium appellationis ad superiorem institutum est, ut iniquitas prioris sententiæ corrigatur, ac reformetur: judicatur ergo, ac reformatur Judex inferior à superiori. En prima nullitas appellationis à Summo Pontifice, cum prima Sedes nullius judicio subjaceat, ut dixit Innocentius Papa caus. 9. q. 3. cap. *Nemo judicabit primam Sedem justitiam temperare desiderantem. Neque enim ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à Populo Judex judicabitur. Et*

Simmachus Papa cap. *Aliorum dict. caus. 9. q. 3. Tu dicas forsitan, omnium animarum talis erit in illa disceptatione conditio: replicabo, uni dictum est: tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam: & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in Cælo. Et rursus patet Sanctorum voce Pontificum, dignitatem. Sedis ejus factam toto Orbe venerabilem, dum illi quicquid fidelium est ubique submittitur: dum totius corporis Caput esse designatur. De hac mihi per Prophetam dictum videtur: si hæc humiliatur, ad cujus fugietis auxilium, & ubi relinquetis gloriam vestram? Et Papa Gelasius cap. *Ipsi sunt dicta q. 3. Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesie ad hujus S. Sedis examen voluerunt deferri: ab ipsa verò usquam prorsus appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeari judicium: nec de ejus unquam præceperunt judicio judicari, sententiamque ejus constituerunt non oportere dissolvi, cujus potius sequenda decreta mandaverunt. Et cap. *Cuncta idem Pontifex Episcopis Dardaniæ. Cuncta per mundum novit Ecclesia, quod Sacrosancta Romana Ecclesia fas de omnibus habeat judicandi: neque cuiquam de ejus liceat judicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est: ab illa autem nemo est appellare permissus. Unde Nicolaus I. ad Michaelem Imperatorem scribens, ut legitur cap. *Nemini causa 17. q. 3. dixit: nemini est de Sedis Apostolicæ iudicio judicare, aut illius sententiam retractare permissum: videlicet propter Romanæ Ecclesie primatum Christi munere in B. Petro Apostolo divinitus collatum. Et constat ex dictis Bonifacii Martyris dist. 40. cap. *Si Papa. Hujus culpas istic redarguere præsumit mortallium nullus: quia cunctos ipse judicaturus, à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à fide devius. Pro cujus perpetuo statu universalitatis fidelium tantò instantius orat, quantum suam salutem post Deum ex illius incolumitate animaverit propensius pendere. Quo ergo jure valida potest esse appellatio ad Concilium generale, cum nemini permissum sit de eo, quod Papa definit, judicare, ve ejus sententiam retractare? Etenim Papa est Vicarius Dei in terris, & idem cum illo in terris tribunal habere creditur: ergo ejus sententia est ultima, & inappellabilis; nequitque ultra procedi, sed tota ipsius causa Dei iudicio reservatur; ut dixit Innocentius Papa cap. *Aliorum caus. 9. q. 3. Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminari: sed Sedis istius Præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio. Voluit B. Petri Apostoli Successores Cælo tantum debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagari in-******

violatam habere conscientiam. Et Anterus Papa cap. *Facta*: ad Episcopos Provinciarum, Bethicæ, & Toletanæ: *Facta subditorum iudicantur à nobis, nostra verò à Domino iudicantur.* Quæ omnia Summorum Pontificum decreta fideles omnes semper osculati sunt. Id constare certò, idque inconcusse retinendum suadet, & confirmatur magis ex excellentia iudicis, & ex iniustitia appellationis. Ex summitate iudicis; nam si à sententia Regis non recognoscens superiorem, nec à sententia lata per ejus Senatum valet appellatio leg. 1. ff. à quibus appell. licet, leg. 1. cod. de sentent. Præf. Prator. leg. Si quis cod. de præc. Imper. offer. quomodo potest agnosci vera appellatio respectu Summi Pontificis; cum in Ecclesia major sit Imperatore, & Regibus tam dignitate, quàm jurisdictione, ut rescriptit Innocentius III. cap. *Solita* de appell. Imper. Constantinopolitano: *Nosse debueras, quodd fecit Deus duo magna luminaria in firmamento Cæli: luminare majus, ut præfset diei, & luminare minus, ut præfset nocti, utrumque magnum, sed alterum majus: Ad firmamentum igitur Cæli, hoc est, universalis Ecclesia, fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas, & Regalis potestas, sed illa, quæ præest diebus, id est, spiritualibus, major est; quæ verò carnalibus minor, ut quanta est inter Solem, & Lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoscatur.* Etiam constat nullitas appellationis ex forma appellandi, quæ sanè arguit defectum potestatis contra supremam Ecclesiæ dignitatem dum insurgunt impiis conviciis, mendaciis, cavillationibus, argumentis fallacibus, diceriis scandalosis: ergo cum fiat ex contemptu Summi Pontificis, nulla est appellatio: impedit namque contemptus iudicis, qui sit à vero contumace, quominus a sententia in contumacem lata appellari possit; nam solum appellationis beneficium conceditur gravato, & oppresso, non verò rebeli, refractario, & contumaci ad iniustitiæ, & iniquitatis defensionem. leg. 1. cod. Quorum appell. non recip. leg. Ex consensu 23. §. final. ff. de appell.

3. Secundò rejicitur hujusmodi appellatio ex formalissimo conceptu appellationis, quæ definitivè importat provocationem inferioris ad superiorem leg. 1. §. Si quis ff. de appell. hæc namque est generalis regula juris, quam scripsit S. Gelasius ad Dardaniæ Episcopos: *Ab inferioribus potior discuti non potest, aut iudicari.* Illegitima ergo, & frivola est appellatio ad generale Concilium; cum generali Concilio superemineat dignitas Summi Pontificis, qui apicem totius Ecclesiæ obtinet, & penes quem à Christo est immediatè hujus potestatis plenitudo, quæ ab ipso, ut ex Cypriano diximus, tanquam à radice ramus, tanquam à fonte rivulus, communicatur, & participatur; quod dogma Catholicum negavit primus infelicissimus Photius miserandi,

& nusquam satis deplorandi Schismatis inter Græcam, & Latinam Ecclesiam Parens, docens, Summum Pontificem subesse Canonibus, posse limites excedere, errare in suis iudiciis; ideòque non esse authentica, & admittenda. Eiusdem erroris fuit Melchius Schismaticus Patriarcha Alexandrinus in Litteris ad Ruthenos: & quorum nefandi prorsus, & ab omnibus anathematizandi erroris reos advertimus, quotquot amantes semper errare, & nusquam in fundamento Apostolico permanere à Summo Pontifice ad Concilium generale provocant.

4. Contra omnes stat sequens discursus. Potestas Summi Pontificis non est in eo limitata, sed plena, & integra, nec in terris Superiorem agnoscit, à quo ejus confirmetur decisio. Ipse utique tanquam Christi Vicario totius Ecclesiæ est attributa spiritualis potestas, Thesauros dividendi, congregandi Concilia, decreta faciendi, infringendi, atque modificandi. In se continet omnium reliquorum potestatem tanquam causa universalis, ut dixit Eminentiss. Cajetanus cap. 7. opusculo citato; & quæ talis est, *Quod si fingendi detur licentia, non potest intelligi alia auctoritas major in Ecclesia.* Est, ut diximus, Christi Vicarius, totius Ecclesiæ Caput, claves Regni Cælorum tenens. Concilium hoc uno Summi Pontificis spiritu, unaque, ac summa Capitis potestate regitur; ita ut Ecclesia sine Papa, ut idem Eminentiss. dixit, sit *Corpus enormiter diminutum, truncum, absque principali membro; ac per hoc non est Corpus universalis Ecclesiæ, quæ perfectum significat; quare Divina Providentia non convenit in tam imperfecto corpore supremam auctoritatem locare, sed magis ipsum à Capite dependere.* Pro quorum omnium majori intelligentia observandum primò, quòd congregari non potest Concilium generale sine ipso, & congregatum, nisi per ipsum potest quid cognoscere: quare si præter voluntatem, & auctoritatem Summi Pontificis congregaretur Concilium, impium, & seditiosum Conciliabulum esset; ut ad suam Romanam Synodum dixit Felix III. *Quoties intra Italiam propter Ecclesiasticas causas, præcipue fidei colliguntur Domini Sacerdotes, consuetudo retinetur, ut Successor Præfulum Sedis Apostolicæ ex persona cunctorum totius Italiæ Sacerdotum, juxta sollicitudinem sibi Ecclesiarum omnium competentem cuncta consiliat, qui Caput est omnium.* Et ad Chalcædonensem Synodum venerabilis Lucentius Esculanus in Apulia Episcopus Legatus, ac Vicarius Magni Leonis: *Dioscorus, cum iudicandi personam non haberet, præsumpsit, & Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est.* Si enim Concilium sine auctoritate Papæ congregatur, ipso jure cassum, & inutile est, ut etiam scripsit Pelagius II. ad Episcopos, qui convenerunt ad Concilium universale vocati à Joanne Patriarcha Constanti-

ti-

tinopolitano, & constat ex cap. *Multis denuo* & cap. *Synodum Episcoporum.* Et cap. *Huic soli.* Et cap. *Nec licuit alicui.* Dist. 17. Remanet merum Conciliabulum, acephalum, & Schismaticum, ut expressè legitur cap. *Clericus* caus. 24. q. 3. *Clericus Hæreticorum, & Schismaticorum tam convivio, quàm sodalitates evitet æqualiter. Eorum conventicula non Ecclesiæ, sed conciliabula appellanda sunt.* Et dict. cap. *Multis.* *Quapropter, ut jam dictum est, rectè non Concilium, sed conventiculum vestrum vel conciliabulum cassatur.* Et Leo IX. *Epist. 6.* ad Michaellem Patriarcham Constantinopolitanum. *Quid hoc monstri est? Frater charissime. Romana Ecclesiæ Caput, & Mater Ecclesiarum membra, & filios non habet? Et quomodo potest dici Caput, & Mater? Credimus enim, propter quod & loquimur, atque constanter profitemur; Romana Ecclesiæ aded non est sola, vel sicut tu putas, una, ut in toto Orbe Terrarum, quacumque natio dissentit superbe ab ea, non sit jam dicenda, vel habenda Ecclesiæ aliqua, sed omnino nulla: quin potius Conciliabulum Hæreticorum, aut Conventiculum Schismaticorum, & Sinagoga Satanae.* Quod & definitum fuit in Concilio Lateranensi sub Leone X.

5. Secundò maximè etiam animadvertendum, quòd nihil firmi dogmatis à Concilio generalibus proficisci potest, quousque à Summo Pontifice approbetur, & quòd solas sibi à Pontifice delegatas causas valet agitare, ac definire. Non enim Christus contulit Ecclesiæ corpori potestatem, ut hæc illam in Petrum, id est in Caput transferret, & immediatè à Petro in Successoribus derivaret. Est enim Ecclesiæ super unum ædificata, de cujus fonte omnis defluit jurisdictio; unitatem tamen in origine servans, unum Caput datur, & origo una, à qua omnis in subiecta membra descendit potestas, quæ à Christo Domino sine medio influit in ipsum, ut dixit Pelagius Papa omnibus Orthodoxis cap. *Quamvis* dist. 21. *Quamvis universa per Orbem Catholica, & Apostolica constituta Ecclesiæ, unus ibi alamus Christus sit: tamen Sancta Romana Ecclesiæ Catholica, & Apostolica nullis Synodis Constitutis cæteris Ecclesiis prælata est: sed Evangelica voce Domini, & Salvatoris nostri primatum obtinuit. Tu es, inquit, Petrus: & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et Nicolaus Papa scribens Mediolanensibus cap. *Omnes eadem* dist. 22. *Omnes sive Patriarchæ cujuslibet apicem, sive Metropolitan Primatus, aut Episcopatum Cathedras, vel Ecclesiarum, sive cujuscumque Ordinis dignitatem instituit Romana Ecclesiæ. Illam verò solus ipse fundavit. & supra petram fidei mox nascentis erexit, qui B. Petro æterna vita clavigero terreni simul, & cælestis Imperii jura commisit.* Quare Concilium summum robur accipit ex confirmatione Pontificis, ut decisum manet cap. *Multis* dist. 17. cap. *In nomine* dist. 24. cap. *Ad Apostolica* de re judic. in 6. Et Sedes Apostolica damnat, & ligat quid-

quid Concilia generalia sine ejus auctoritate decernunt, vel absolvent, ut patet in Ariminensi, & Ephesino II. Mutat etiam quædam à generali Concilio statuta, ut probat Textus ex cap. *Non debet de consensu,* & *afinit.* cap. *Statutum* de rescript. in 6. Quæ cum ita certissimè sint; quænam est ista frivola, ac commentitia appellatio, quam omnia jura reprobant? Si Summus Pontifex est Caput Ecclesiæ, à Domino, & non ab aliis constitutum, an valida erit appellatio à capite ad membra? Si Summi Pontificis auctoritate Concilium regitur, sicut cardine ostium; si ab Ecclesia ad Apostolicam Sedem omnia iudicia referri præcipitur; si ex ipso omnia Ecclesiæ jura dimanant, & ab ipso formantur, & jurisdictionem accipit Concilium; quomodo ad istud provocari potest contra supremam Papæ auctoritatem? Hoc cogitans errorem Photii renovat, & sibi animo fingit aliam potestatem in Ecclesia, quæ non sit particeps illius auctoritatis, ac jurisdictionis à Christo Domino in Ecclesia constitutæ. Jus soli Sedi concessum violare præsumit; unde & honore Ecclesiastico indignus, & Sedis Apostolicæ contempitor judicari debet, ut dixit Romanus Papa cap. *Huic soli* dist. 17.

6. Hoc magis luculenter confirmari potest: nam cum appellatio sit de genere permissorum, debet secundum leges, & Canones procedere, & ex alterutro defectu proclamatur irrita. Ubi ergo hic appellationis ordo legitur constitutus? Vel ex quo jure oritur? Non ex jure Divino; cum nullibi reperiat scriptum, quòd hæc infallibilitas sit concessa Conciliis, sed Papæ, cui soli dictum est, *pasce oves meas.* Non ex jure positivo stabilito à Summis Pontificibus Prædecessoribus; cum totum jus positivum sit submissum Summo Pontifici; nec possit unus Pontifex Successori legem dicere, à qua non possit recedere. Non ex Conciliis generalibus; cum ex ipso, ut diximus, pendeat eorum auctoritas; & potestatem Summi Pontificis nulla Synodus potest derogare, nec ipsi limites ponere, hanc restringere, ac circumscribere: cum restringi, aut limitari non possit nisi à minori potestate; nec à Christo ullibi insinuata sit hujusmodi à Conciliis dependentia, cum illa sit de jure Divino, & Divina, ut dicitur, extra. *Unam sanctam de major. & obed.* Etenim, sicut ordinem rerum naturalium in regimine naturali nemo potest immutare, nisi Deus; ita in hoc spiritali regimine judiciale ordinem immutare nemo potest, nisi Papa, qui gerit vicem Dei in terra. Quod cum certissimum sit, Romani Pontificis auctoritas per interjectas ad generale Concilium appellationes non suspenditur; nam operatio, quæ valida non est, nullum potest operari effectum, ut probat Textus ex cap. *Pastoralis* de appell. cap. *Non solum* dict. tit. in 6. cap. *Per rnas* de sentent. excommunic. Semel namque quòd sententia transit in rem judicatam, nihil

ope-

operatur appellatio ff. à quibus appell. non licet. l. i. §. final. cap. Quoad consultationem de re judic. & l. i. & 2. cod. Quorum appell. non recipi. Qualis ergo est appellatio ista, in qua appellans non eximitur à jurisdictione illius, à quo appellat? In qua gravatus nec minimè levatur, sed incidit in potestatem gravantis? Et in qua appellans damnatur à potestate illius, à quo appellat? Cujus nobile, & eximium tradit testimonium S. Alcimus Avitus Vienneſis Archiepiſcopus in Litteris ad Hormisdam Pontificem, quibus testatur, Nestorium, & Euthychem, qui à Romanæ Sedis judicio ad generale Synodum appellaverunt, damnatos fuisse ab illa ipsa Sede, & ab isto illius Sedis Pontifice, adversus quem uterque provocaverat. Ad quid ergo contentioſa importunitate, & importuna contentione reclamant? Ad quid vocant in causam Orbem terrarum? Nisi ut sibi foveam fodiant, in qua præcipitentur.

7. Hoc sufficientissimum hujus veritatis argumentum, & fundamentum pari fide, ac candore magis perpendamus. Ecquidnam potest esse causa, ut Conciliorum definitionibus tam sincerè, & obedienter acquiescant, & definitioni Summi Pontificis ita constanter refragentur? Eadem ubique est vis, & auctoritas; cum nimiram Concilium Papæ auctoritate regatur; alioquin nulla in Concilio auctoritas; ergo vel abicienda est Conciliorum definitio, vel fideliter, & sincerè complectenda est Summi Pontificis definitio: cum pari auctoritatis pondere hæc infallibilitas à Christo ei commendata sit, & concessa: ergo vel rejicienda est Concilii definitio, vel quidquid à Summo Pontifice ex Cathedra docente datur, fateri tenentur, quod & firma veritate datur, & firma veritate percipi debet.

8. Nec nobis reponant, maximum esse utrobique discrimen; nam dubitari rationabiliter potest, an Summus Pontifex in definiendo res fidei, & morum sufficientem, & debitam adhibuerit diligentiam; esset tamen summæ imprudentiæ reus, qui sibi persuasum haberet, Patres Concilii, non fuisse diligentes, & industrios; ut ab ipsis vera secundum fidem Catholicam procederet resolutio. Sed huic responsioni luculenter, & theologicè occurrit M. Cano lib. 5. cap. 5. *Qui sive Pontificum, seu Conciliorum diligentiam fidei causa finienda in dubium vocant, eos necesse est omnia Pontificum judicia, ac Conciliorum infirmare. Nos igitur scrupulum illum posteriorem, si cui infixus est, aliter ex animo evellimus. Nam Deus suaviter disponit omnia; simulque prospicit, & finem, & media ad finem necessaria. Si enim promitteret cuiquam æternam vitam, non conferret etiam illi bonarum gratiarum actionum, quibus eam vitam consequeretur. Videlicet quos glorificavit, eosdem & justificavit, & vocavit, ut ad Rom. 8. cap. dicitur. Sic omnino, cum Ecclesie fidei firmitatem fuerit pollicitus, deesse*

non potest, quominus tribuat Ecclesie preces, ceteraque præsidia, quibus hæc firmitas confervatur. Nec verò dubitari potest, quòd in rebus naturalibus contingit, idem in supernaturalibus quoque usu venire; ut qui dat finem, det consequentia ad finem. Itaque præstat semper Pontifex, quod in se est, præstatque Concilium, cum de fide pronuntiant; caditque causa, si quis è nostris aliter existimat. Quemadmodum enim, si Christus Petro diceret, ego rogavi pro te, ne deficiat charitas tua; certo certius intelligeretur, diligentiam, curam, vigilias, preces, ceteraque auxilia opportuna illi impetrasse, quæ sunt ad charitatis conservationem necessaria: ita cum dixit, ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua, procul dubio intelligimus, id à Patre suo consecutum, ut quæ ad rectum de fidei questione judicium oportere, ea adessent Petro omnia, sive à Deo, sive ab homine expectarentur, Quòd si Deus in sequentem annum frugum abundantiam polliceretur, ecquid stultius esse posset, quàm dubitare, an ne homines semina terræ mandaturi sint? Certè si seruerint, metent: si non seruerint, non metent. Sed ex Dei pollicitatione colligimus, non solum propitias Cæli conversiones, quibus omnia, quæ terra gignit, uberiora proveniunt, sed agricolarum etiam curas, operas, diligentiam. Non enim frugum abundantia illa promissa, nisi arantibus, seminantibus, laborantibusque continget. Quibus ex rebus facile comprehenditur, cum spiritum veritatis Christus Apostolis, eorumque Successoribus in fidei iudicio promiserit, nihil omnino illis defuturum, quod fidei controversiis finiendis fuerit necessarium. Ac si semel Hæreticis hanc licentiam permittimus, ut in questionem vocent, num Ecclesie iudices eam diligentiam, & curam exhibuerint, quæ opus fuerat, ut quæstio via, & ratione finiretur: ecquis adeo cæcus est, qui non videat, omnia mox Pontificum, Conciliorumque iudicia labefactari? Porro si illud in questionem veniat, nec certis argumentis confirmari possit: at hæc res tamen Theologis constituta sit, ac definita, Concilia quoquo modo se habeant, si à Summo Pontifice confirmata sunt, errare in fide non posse. Quamquam me quidem iudice, absurdum est, ad finem aliquem, nisi per consentanea media, perveniri. Ita nunquam ego admittam, aut Pontificem, aut Concilium diligentiam aliquam necessariam questionibus fidei decernendis omisisse. Id, quod privato cuiquam alteri homini accidere potest, ut nec diligentem navet operam ad disquirendam veritatem, & ut navaverit, integrumque sese in ea re præstiterit, erret adhuc tamen, quamvis error sine culpa sit. Error autem, vel inculpatus, ab Ecclesia Dei longissimè abest. Vix aliud disertius exprimi potest, ut probetur, quàm futile, & vana sit refragantium decretis Apostolicis responsio, quæ non tam infallibilitatem Summi Pontificis infringit, quàm Conciliorum; nam si de diligentia iudicum dubitare licet, semper novum examen, novumque iudicium pro debita adhibenda diligentia postulabitur.

Igi-

Igitur concedi debet, quòd definitioni Pontificiæ nihil eorum deesse potest, quod ad rectum, verumque Ecclesie iudicium necessarium est: Nam etsi Summi Pontificis sufficeret auctoritas, prudentes, & doctissimos viros ad consultum hujus necessariæ indagacionis advocat, ut plurimorum iudicio, & consensu res geratur, & injusta perverſorum hominum querela sopiatur.

9. Invenient ne ipsi unum antiquitatis exemplum, quo probent aliquem novum errorem damnatum à Pontifice, non habitum pro errore? Aut quòd illi determinationi Pontificiæ non acquiescentes, non continuo Hæretici à Catholica Ecclesia habiti sint? An invenient, quòd Summus Pontifex ex Cathedra loquens in dirimendis fidei controversiis aliquando erraverit? Quòd in suis Pontificibus ad quodlibet erroris diverticulum declinaverit Ecclesia? Ipsa potius ab omni hæresi nunc usque conservata est illibata, & omnes à recto fidei tramite quoquo modo deviantes, per Summos Pontifices ad rectitudinem revocat. Testis hujus veritatis Theodoretus in Epist. 116. ad Renatum Presbyterum: *Habet Sanctissima illa Sedes Ecclesiarum, quæ in toto Orbe sunt, principatum multis nominibus, atque hoc ante omnia, quòd ab hæretica tabe immunis mansit, nec ullus contraria sentiens in illa sedit, sed Apostolicam gratiam integram conservavit.* Hoc namque est Divinum Sedis Apostolicæ privilegium, quòd nunquam erraverit in fide, sed errantes semper revocaverit ab hæresi ad rectam fidem; cum è contra legatur, errasse Concilia generalia, etiam præſidentibus Legatis Apostolicis. Erravit Concilium Ephesinum II. Euthicherem absolvens, & Favianum condemnans. Erravit & Synodus Quinisexta quoad calibatium Sacerdotum, & Sabbati jejunium can. 13. & 15. Erravit & Ariminensis expuncta voce *Consubstantiali*, & filium similem Patri affirmans. Erravit & Concilium Basileense, & alia plurima, quæ videri possunt apud Eugenium Lombardum de *superiorit. Papæ* §. 10. In quo ergo potest meritò esse suspectus Summus Pontifex, ut temerè ejus spernant iudicium, & ab ipso provocent ad generale Concilium? Cum id privativè spectet ad illius infallibilitatis privilegium, ut definitum legitur cap. *cuncta* caus. 9. q. 3. ut scribit Gelafius Papa Episcopis per Dardanium constitutis. *Cuncta per Mundum novit Ecclesia, quòd Sacrosancta Romana Ecclesia fas de omnibus habeat iudicandi. . . Sed nec illa præterimus, quòd Apostolica Sedes sine ulla Synodo præcedente, & solvendi quos Synodus iniquè damnaverat, & dammandi nulla existente Synodo quos oportuit, habuit facultatem; & hoc nimirum pro suo principatu, quem B. Petrus Apostolus Domini voce & tenuit semper, & tenebit.* Ad quid Ecclesiam per omnia conturbare festinant scriptis, injuriarum maledictionibus plenis, postulantem generalem Synodum, & à Summo Ponti-

fice necessariò concedendam, cum ad hæresis damnationem sufficiat Apostolica Sedes, nec opus sit Concilio generali, fueritque perpetuus Ecclesie usus, controversiam fidei solius Apostolicæ Sedis iudicio posse, ac debere finiri, ut probat Epistola S. Flaviani ad Sanctum Leonem; his verbis: *Commotus itaque, Sanctissime Pater, in his omnibus, quæ ab eo præsumpta sunt, & ab ea, quæ in nos, & Sanctissimam Ecclesiam facta sunt, atque fiunt, pro consueta fiducia fiducialiter age, secundum quòd Sacerdotio competit, propriamque faciens communem causam, & Sanctam Ecclesiarum disciplinam, simul decernere damnationem adversus eum regulariter factam, & per propria scripta dignare, confortare autem, & piissimè, & Christi amantissimè nostri Imperatoris fidem. Causa eget solummodo vestro solatio, atque defensione, qua debeat consensus proprio ad tranquillitatem, & pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis, quæ surrexit, & turbæ, quæ propter eam factæ sunt, facillimè destruentur, Deo cooperante per vestras sacratissimas litteras. Removebitur autem & Concilium, quod fieri divulgatur: quatenus nequaquam Sanctissima ubique turbentur Ecclesie. Quod sufficeret sanè, ut respiciant, & confundantur calumniam facientes infallibili Summi Pontificis auctoritati.*

10. Audiant & D. Augustinum lib. 4. ad Bonif. cap. ultimo. *Quid Congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? Quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi Congregatione damnata sit, cum potius rarissima inveniantur propter quas damnandas necessitas talis extiterit; multoque sint, atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt; atque inde per cæteras terras devitanda innotescere potuerunt. Verùm istorum superbia, quæ tantum se extollit adversus Deum, ut non in illo velit, sed potius in libero arbitrio gloriari; hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis resistente, pervertere nequeunt, saltem commovere conantur: cum potius vigilantia, & diligentia pastoralis post factum de illis competens, sufficiensque iudicium, ubicumque isti Lupi apparuerint, conterendi sint, sive ut sanentur, atque mutantur, sive ut ab aliorum salute, atque integritate vitentur.* Et lib. 3. contra Julianum cap. 3. *Vestra, inquit S. Doctor, apud competens iudicium communium Episcoporum, modò causa finita est: nec amplius vobiscum agendum est, quantum ad jus examinis pertinet, nisi ut prolatam hac de re sententiam cum pace sequamini, quòd si nolueritis, à turbulenta, vel insidiosa inquietudine cobibeamini. Quare stupet S. Hieronymus, decreta Summi Pontificis minus religiosè servari, & quòd possit esse aliquis, qui ab antiqua fide difcedens, ejus irrefragabili auctoritati audeat hostiliter, & pertinaciter resistere. Miror, inquit lib. 2. contra Ruffinum, quomodo Episcopi receperint, quòd Sedes Apostolica condemnavit.* Tan-

11. Tandem rejicitur ad Concilium Generale provocatio ex dolo, & astutiâ appellationis, qua nempe subdole, cautè, & fraudulenter provocant, ut interjectis hujusmodi ad Concilium Generale appellationibus, impediatur causæ cognitio, nihilque innovetur, appellatione pendente, resque in suspenso maneat. Horum appellantium fraudem, & dolum notavit D. Thomas 2.2. q.69. art.3. dicens: *Alio modo aliquis appellat causa differenda morè, ne contra eum justa sententia proferatur: & hoc est calumniosè se defendere, quod est illicitum, sicut supra dictum est.* Etenim serò medicina paratur, cum mala per longas invaluerit moras. Hæc ergo illorum mens; hæc maxima ipsorum in arrodendâ Apostolica Sede hujuscemodi recurrit contumacia; ut effrænes, penèque intolerabiles, majorique audacia, adversus Summum Pontificem insurgant, fasque sit luxuriare, & indulgere suo quemque iudicio, & infidelitatem suam dolo dissimulare silentio. Quare si Summus Pontifex in generale Synodum consentiat; aut generali Concilio ipsi interesse nolunt vocati, vel rem differre quotidie, ac Synodum procrastinare intentant, ut suæ interim uniuersique potestati relinquatur. Quibus Nestorius comminationibus, insectationibus, callidis, & pravis machinationibus usus non est, ut suam insaniam confirmationem redderet? Quæ pro obtinendo Concilio Generali non est aggressus? Et tamen cum ad instantiam Theodosii Imperatoris in dictum esset à Cælestino Papa Concilium Generale; os suum Patribus Concilii ostendere non ausit, Romanæ Ecclesiæ iudicium fugit, ut scripsit Summus Pontifex ad Constantinopolitanam Ecclesiam: *Quis petitionem Synodi crederet Synodo absfuturum? Campum ad certamen exposcit; Sacerdotale postulat, cui non erat adfuturus, examen.* Eusebiana factio Romanas appellationes aliquando approbavit; at ter per Julium Romam evocati Eusebiani, noctu, & insalutato Pontifice fugiunt, ut de ipsis scripsit ad omnes Ecclesias Sardicensis Synodus *in itinere Sardicensi certis in locis Conciliabula in modum Synodi inter se habuerunt, & fœdera cum interminationibus confecerunt, ut ubi Sardicam pervenissent, minime se in iudicio sisterent, aut in eundem locum cum sacra Synodo convenirent; sed mox ubi eò pervenissent, & perfunctoriâ specie adventum suum ostentassent, raptim inde aufugerent.* Etiam Pelagiani, (ut Lutheranos & alios omittam, qui à Pontifice ad Ecclesiam appellarunt,) ulteriorem audientiam postularunt; at cum orthodoxæ Christianæ fidei veritas per unum Summum Pontificem est discutienda, Apostolica Sede semel oraculum effundente, respondit Augustinus, *causa terminata est: nam post factam definitionem error finiendus est; cum fides una, atque irrefragabilis sit; & quod meruit abscindi, nusquam Ecclesia admittit retractari; damna-*

tis, non examen iudicii, sed solum poenitentia remedium præstans. Ergo ubi sententia definitiva pronunciata est, improba refugia repellenda sunt, ne pertinaci animorum contentione, & turbetur Ecclesia, & destruat communis Populi ædificatio. Pedem ergo sistant, & terminos jam ab Ecclesia constitutos non transgrediantur. Inappellabilis est Summi Pontificis in rebus fidei, & morum sententia, quam ut Successor Petri, & Vicarius Christi pronunciat, & cuius ministerio Spiritus Sanctus totius falsitatis fragmenta reprobat. Toto corde potius, seu vera cordis credibilitate, & oris sincera professione hujus extremi, & peremptorii iudicii auctoritas, & potestas est amplectenda; non simulatione ficta, seu velamine veritatis, ut verè quis cum Hincmaro Remensi Episcopo confiteri possit, quod ipse in Epistola ad Carolum Regem: *Et si divinis, & authenticis Scripturis, & Catholica, atque Apostolica Ecclesia, Sanctæque Romanae Sedis fides, & orthodoxorum Patrum sensibus, qui eidem Sanctæ Matri Ecclesiæ præfederunt, & qui ab eadem Apostolica Sede Romana nobis in Cavone recipiendi dati sunt, sensum nostrum in eisdem Capitulis expressum concordari, demonstrare potuerimus, agere veraciter, humiliter, & devotè studebimus. Quia aliorum ad stipulandum nostræ Catholicæ intelligentiæ sensum sententias recipere, nec proferre volumus: cum constet, illud esse verum, atque Catholicum, quod ipsa Mater omnium Ecclesiarum, & universalis Ecclesiæ duxerit adprobandum.* Quod replicat de prædest. cap.4. *sequimur autem, quæ Catholica, & Apostolica nos docet Sancta Romana Ecclesia, quæ nos in fide genuit, Catholico lacte aluit, uberibus Cælo plenis ad solitum cibum nutrit, disciplina orthodoxa ad perfectum virum perduxit, atque in doctrinali Cathedra fautore, & adiutore Domino sublimando constituit.* Sic Scriptura, sic Rex Regum Christus, sic omnia veneranda Concilia, & Summorum Pontificum Apostolica decreta promulgant. Nimirum solus est Petrus, pro quo se rogasse Dominus aserit, qui confirmavit corda Fratrum variis concutienda fidei periculationibus, sicut usque nunc confirmare non cessat.

§. II.

Aliud ex praxi Ecclesiæ à Conciliis appellandi Romam, & Sanctæ Sedis absque Generali Synodo damnandi hereses, sumitur argumentum.

12. **Q**uantum universus Orbis de Sanctæ Sedis infallibili auctoritate in causis fidei terminandis consenserit, fidem faciunt tot Historiæ Ecclesiasticæ monumenta, quibus exploratissimum est, ad nullum alium, ultimò referri posse, & debere, ubi quid primum

in fidei dogmate ambigitur, quam ad Romanum Pontificem, cui Deus divina providentia fidem custodiendam, & Ecclesiam suam regendam commisit, ut eleganter dixit B. Petrus Damianus lib.3. Epist.1. *Petrum præceteris mortalibus de toto Terrarum Orbe conditor Orbis elegit, cui Cathedram Magisterii principaliter in Ecclesia tenere perpetuo privilegii jure concessit; ut quisquis divinum aliquid, ac profundum nosse desiderat, ad hujus præceptoris oraculum, doctrinamque recurrat &c.* Quid ergo mirum si Sacerdos licet sanctitate conspicuus, licet eloquiis divinis vehementer instructus, ad Apostolorum Principis magisterium misit, ad quem etiam Angelus docendi gratia primitias Gentium Cornelium destinavit? *Paulus quoque, qui non ab hominibus, sed ab ipso Christo, & Deo Patre fuerat factus Apostolus, atque ab Auctore sapientia sufficienter instructus ad Petri tamen Magisterium venit; & non in transcurso, sed per plurimos dies apud eum in celesti Schola permansit ... Dignum ergo fuit, ut ad Sedem illius vestra sancta prudentia solvendam dirigeret questionem, ad quem & ignarus fidei vir angelicus mittitur, & à quo Apostolus etiam, qui jam à Deo instructus fuerat plenius eruditur.* Sic ad Cathedram Magisterii Ecclesiæ, & ad hujus Doctoris oraculum, doctrinamque provocare fideles ex toto Orbe terrarum, credentes omnes, tutissimè, & catholicè se amplecti, quod Sedes Apostolica tenet, & tenendum decernit. Clamant authentica documenta, quibus redargui possunt Novatores hoc jus appellationis Apostolicæ Sedi negantes.

13. Et quidem primò certissimum esse debet, appellationes Episcoporum ad Romanam Sedem viguisse in Africa: in illa nempe felicissima Provincia, quæ fuit S. Petri fundatio, & semper fuit sub obedientia Romani Patriarchatus, ut scripsit S. Papa Innocentius ad Decentium Eugubinum Episcopum: *Manifestum est, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulasque interjacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos Venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus Successores constituerunt Sacerdotes. Aut legant, si in his Provinciis alius Apostolorum invenitur, aut legitur docuisse.* Hoc jus Apostolicæ Sedis in Africa clarissimis testimoniis, atque exemplis probari potest. Appellatio S. Flaviani adversus Generalem totius Ecclesiæ Synodum est sublime, ac eximium Romanæ appellationis testimonium. Hic enim Constantinopolitanus Episcopus appellationem emisit, post latam adversus se à Dioscuro Patriarcha Alexandrino Præsidente, Oecumenicæ Synodi sententiam ad solum Romanum Pontificem Leonem; ut constat ex hujus Summi Pontificis litteris ad Imperatorem Theodosium: in quibus affirmat, eum appellasse ea appellatione, quam approbant, & præscribunt Sacri Canones. Privatus Lamberitanus Episcopus à nonaginta-

Episcopis ob gravissima damnatus crimina, appellavit Romam, & accessit ad S. Fabianum Summum Pontificem; in quo factò luculenter advertit Franciscus Hallier Episcopus Cabillonensis lib.4. de Hierarchia Ecclesiastica: *Ad quid Romani Pontificis iudicio iterum damnarentur, qui ab Africanis damnati essent, nisi ejus sententia potuissent absolvi?* Antonius primus Fusalensis Episcopus Synodaliter damnatus provocavit ad S. Bonifacium, teste S. Augustino Epist.262. Novatus apud Afros Episcopus appellavit ad S. Cornelium, ut scribit S. Cyprianus Epist.49. Helladius Thercentis Episcopus per primam Silviam Metropolita, & Eutherius Thyanenensis Episcopus Metropolita per secundam Cappadociam appellarunt ad Sixtum III. Pontificem Magni Leonis antecessorem suo & aliorum nomine, adversus Concilium Ephesinum, tunc ab ipsis rejectum, & improbatum. Zosimus Papa Romanus recurrentem ad se Apianum admittit, justificavit, & ad Africanam Synodum misit cum litteris commendatitiis, quibus acceptis, non restitit Synodus Voto Romani Pontificis. Sed quid alia commemorem? Infiniti effemus in his exemplis referendis: satis sit dicere, quòd cum inferiori Clero nullus esset appellationi locus; semper tamen potuit in materia fidei Romam appellare, tanta namque erat Sanctæ Sedis auctoritas, ut scripsit Zosimus Carthaginensi Synodo his verbis: *Tantum Petro Apostolo Canonica antiquitas super sententias omnium voluit esse potentiam, & ipsa quoque Christi Dei nostri promissio, ut & ligata solveret, & soluta vinceret.*

14. Hanc in Summis Pontificibus plenissimam appellatæ causæ ad Summum Tribunal evocandæ, retractandæ, ac definiendæ potestatem agnovit Antiochena Sedes, ut probat dictum Juvenalis Hierosolymæ Episcopi in Ephesino Concilio adversus Joannem Antiochiæ Patriarcham, Synodali evocationi parere detrectantem: *Oportebat, Joannem confestim accurrere ad Apostolicam Sedem Magnæ Romæ nobiscum confidentem, apud quam mos est ex Apostolico Ordine, & traditione, ut ipsa Sedes Antiochena dirigatur, & iudicetur.* Sic Pentapolitana Ægyptiacæ Diæceos Provincia suum Patriarcham Dionysium prophani dogmatis suspectum detulit S. Dionysio Pontifici. Nestorium S. Cælestino Pontifici detulit S. Cyrillus. Accusatus etiam fuit apud S. Leonem à Clericis Alexandrinis Diocorus. Etiam Orientales Episcopi, & Patriarchæ in causa fidei, & ob causas Canonicas appellarunt ad solum Romanum Pontificem, ut appellavit Joannes Patriarcha Alexandrinus, cujus postulatorium libellum primus suscepit Felix Pontifex, ut constat ex litteris, quibus per Vitalem, & Misenum vocavit Acacium ad suum Tribunal: *Superveniens Frater, & Coepiscopus noster Joannes fugatus ab Hæreticis pervasoribus Sedis Alexan-*

xandrinæ, libellum nobis, quem sanctæ memoriæ Prædecessori meo paraverat porrigendum, ingessit. Quem morem majoris sui beatæ memoriæ Athanasii exemplo, & priorum nostrorum non potuimus refutare. Hoc ipsum lucidè testatur Gelasius in litteris ad Dardaniæ Episcopos, in quibus habet inter cætera: Sed nec ista præterimus, quod Apostolica Sedes frequenter more Majorum, etiam sine ulla Synodo præcedente, & absolvendi, quos Synodus iniquè damnaverat, & damnandi, nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctæ memoriæ quippè Athanasium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absolvit. Sanctæ memoriæ nihilominus Joannem Constantinopolitanum Synodus etiam Catholicorum Præfulum certè damnaret, quem simili modo Sedes Apostolica, etiam sola, quia non consensit, absolvit. Itemque sanctæ memoriæ Flavianum, Pontificum Congregatione damnatum, pari tenore; quoniam sola Sedes Apostolica non consensit, absolvit, potiusque qui illic receptus fuerat, Dioscorum secundæ Sedis Præfulum sua auctoritate damnavit, & impiam Synodum non consentiendo sola submovit, ac pro veritate, ut Chalcedonenfis Synodus fieret, sola decrevit, in qua Pontificibus innumeris, qui latrocínio corruebant Episcopis, veniam poscentibus sola concessit, & in sua perfidia permanentes nihilominus sua auctoritate prostravit, quam Congregatio, quæ illic pro reparanda veritate congregata fuerat, est secuta. Quoniam sicut id, quod primò Sedes non probaverat, constare non potuit, sic quod illa censuit judicandum, Ecclesia suscepit. Hæc fuit perpetua Orbis, & Ecclesiarum illarum fiducia, consuetudo, ac praxis, ad omnia retractanda, & finienda, & ad totum docendum Orbem, minimè requiri Generale Concilium, sed definitivum Romanæ Sedis sufficere iudicium, ut omnis dubietatis scrupulus tollatur. Dignum namque est, ibi refarciri damna fidei, ubi non potest fides sentire defectum; ab eo iudicium accipere, qui caput est Ecclesiæ, cui Christus Ecclesiam commisit, & cuius fidei incumbunt universi fideles.

15. Fulget præterea eadem praxis in Catholicissima Galliarum Ecclesia, cujus intermeratam fidem, & Sedis Apostolicæ obsequium commendat Joannes Pontifex in Epistola ad Stephanum Parisiensem Episcopum dicens: Relatio nimis implacida nostrum nuper turbavit auditum, quod Parisiis, ubi fons vivus sapientiæ salutaris abundanter hucusque scaturit, suos viros limpidissimos fidem patefacientes Catholicam usque ad terminos Orbis diffundens, quidam errores in præjudicium ejusdem fidei de novo pullulasse dicuntur. Volumus itaque, tibi-que auctoritate presentium districtè præcipiendo mandamus, quatenus diligenter facias inspicere, vel inquirere à quibus personis, & in quibus locis errores hujusmodi dicti sunt, & scripti. Primus ergo hujus Romanæ appellationis in-

Gallia testis, & assertor sit S. Leo Epistola ad Viennensis Provinciæ Episcopos dicens: Nobiscum fraternitas vestra recognoscit Apostolicam Sedem, pro sui reverentia, à vestra etiam Provinciæ Sacerdotibus, innumeris relationibus esse consultam, & per diversarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, appellationem casarum, aut retractata, aut confirmata fuisse iudicia. Et hunc tramitem, semper inter Majores nostros, & benè tentum, & salubriter custoditum, Hilarius Ecclesiarum statum, & concordiam Sacerdotum nobis presumptionibus turbaturus excessit: ipsius quoque Beatissimi Petri reverentiam verbis arrogantioribus minuendo, cui pascendarum ovium cura specialiter mandata est. En quomodo agnoscit in Gallia plenissimam definiendæ, ac retractandæ aliorum sententiæ Summi Pontificis auctoritatem, quorum innumera sunt appellationum exempla juxta perpetuam Galliarum Ecclesiæ praxim, & quod appellationis prosequendæ auctoritas sit immediatè à Christo Summo Pontifici attributa, cui pascendarum ovium, mandavit specialius curam. Sed rem variis exemplis, & incorruptis testibus confirmemus. Appellavit ad Sedem Apostolicam Rotardus Episcopus, ut constat ex cap. Arguta caus. 2. q. 6. ubi Nicolaus Papa in Remensem Archiepiscopum invehitur, qui eum appellans ad Apostolicam Sedem damnare ausus est, ita dicens: Arguta sapientia tua (uti- nam in bono) accepto fomite iudicii materiam depositionis adversus Rotardum assumpsit, & ab itinere Apostolicæ Sedis removit, & continuam Apostolicam Sedem appellans damnavit, & carcerali custodiæ mancipavit, & infra. Privilegia tamen Apostolicæ Sedis vos oblivioni tradere nullo modo debuissetis, quibus venerandi Canones iudicia totius Ecclesiæ ad hanc deferri jubent, & infra: hoc quippè nos in Rotardo idcirco noveritis operatos, ut privilegia Sedis Apostolicæ, quæ malè à vobis violata esse videbantur, auctoritate Apostolica, & Canonica Patrum deliberatione pristino tandem ingenio, & proprio decorentur honore. Hunc tramitem, semper inter majores, & benè tentum, & salubriter custoditum secutus est Maximinus Treverensium Antistes, qui Sancto Pontifici Julio suasit, ut in Sanctum Athanasium, aliosque Orientales ad ipsum appellantes, plena suæ Sedis auctoritate in ipsos uteretur. Provocavit ad Sedem Apostolicam S. Britius Turonensis Episcopus, ut testatur Sanctus Gregorius Turonensis Episcopus in Francorum Historia lib. 2. cap. 1. Appellarunt Sedem Apostolicam Heros, & Lazarus Galliani Episcopi, ut constat ex litteris Zosimi ad Africanos Episcopos. Accurrit Romam Abaelardus à Concilio Senonensis ad Innocentium Papam, ut constat ex Epistola 189. ad eundem. D. Bernardi inter fragmenta Nicolai Pontificis legitur Epistola ad Herardum Turonensem Episcopum, qua Christophorum ad se appellans declarat innocium. In-

Ep-

Epistola ad Suedionensem Synodum affirmat idem Pontifex, Rhemenes à degradato Episcopo Ebbone ordinatos Clericos, non ad se solum, sed etiam ad suos Antecessores Leonem IV. ac Benedictum III. appellasse. Provocavit & Honoratus ad Sedem Apostolicam, de cujus appellatione agit S. Gregorius Epist. 14. 15. 16. & 17. Et tandem Epist. 8. ad Michaellem Augustum affirmat, ex omni terrarum Orbe plura millia hominum Sedem Apostolicam accedere. Sic semper Gallicana Ecclesia fuit, uti Religione fervens, ita & Sedis Apostolicæ observantissima.

16. Hoc evidentè insuper evincitur, & plenissimè elucet, si & plura alia collustrentur ejusdem Galliæ documenta, maximè suorum Regum, qui pro amplitudine, & auctoritate Sedis Apostolicæ decertarunt; præcipientes, causas fidei ad Sedem Apostolicam transmitti, cujus peremptorio denique terminarentur iudicio. Aderit primus Philippus Pulcher, qui anno 1310. ad Clementem V. scripsit: Absit à Regia perennitate, in quaestione fidei quidquam, quod vestra sanctitas, maxime Sacro approbante Concilio, deciderit, in aliquod unquam dubium revocare. Concinit per omnia Carolo Magno, qui in Epistola ad Elipandum hanc Sedis Apostolicæ auctoritatem venerat, dicens: Ad Beatissimum Apostolicam Sedem Pontificem de hac nova intentione, quaterque direximus missos, scire cupientes, quid Sancta Romana Ecclesia Apostolicis edocta traditionibus de hac respondere voluisset inquisitione. . . . Post hanc verò correptionem, sive admonitionem Apostolicæ auctoritatis, si non respiciatis ab errore vestro, scitote, omnino vos pro Hæreticis haberi: quia nefas credidit, non obsequi Summo Pontifici, & alibi veritatem querere, dum hæresis ab ipso damnatur. Caroli obedientiam commendat Hadrianus ad Episcopos Galliæ, & Hispaniæ dicens: Quoniam ferventi succensus zelo fidei Carolus Magnus ea, quæ contraria orthodoxæ fidei Hispaniarum de consensu allata sibi persensit, nostris curavit summa pernicitate obrutibus præsentari: B. Petri amore feliciter obstrictus, non renuit illi honorem debitum exhibere &c. Ex auctoritate Sedis Apostolicæ, pro causa siquidem orthodoxæ fidei, æquum, ratumque duximus respondendum: eos ne respiciant, desinit, à gremio Ecclesiæ alienos, & ultrici cum sequacibus suis vindicta plestendos. Sic in memoriam D. Petri honoravit Gallia Sanctam Romanam, & Apostolicam Sedem, ut quæ omnibus Populis est Religionis Mater, ipsi esset Magistra veritatis. Sed quò prisca tempora altiùs revolvuntur, eò sæpiùs, clariùs, validiùsque id confirmatur. Etenim rogatus Imperator Valentinianus à Summo Pontifice Leone, ut ipsum ejus Regia adjuvaret auctoritate contra contumacem Hilarii in Sedem Apostolicam, & avitam Gallicanæ Ecclesiæ praxim, inobedientiam; legem tulit Impe-

ator, asserens, hunc fuisse morem, & praxim Gallicanæ Ecclesiæ, dicens: Hæc cum hætenus inviolabiliter fuerint custodita, Hilarius contumaci ausu inclita quadam præsumenda tentavit. Nec id Gallicanis Episcopis contra veterem consuetudinem liceat. Quam veterem consuetudinem sequentibus verbis profitetur. Et erat quidem ipsa Papalis sententia per Gallias etiam sine Imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis auctoritati in Ecclesiis non liceret? Sed nostram quoque præceptionem hæc ratio provocavit, ne ulterius Hilario, nec cuiquam alteri liceat præceptis Romani Antistitis obviare. En qualis erat temporibus illis decretorum Summi Pontificis observantia. Nulla ad futurum Concilium appellationis umbra; in omnibus erat perfecta obedientia. Quare & Imperator Honorius inobedientes, Sede Apostolica damnatos, perpetuo anathemate devinctos declaravit, ut testatur Possidius in vita S. Augustini cap. 18. dicens: Hoc tale de illis Ecclesiæ Dei Catholicæ prolatum iudicium, etiam piissimus Imperator Honorius, sui eos legibus damnatos, inter Hæreticos haberi debere, constituit. Id ipsum clamat, & confitetur Justinianus Imperator in Epistola ad Joannem Papam scripta anno Domini 533. his verbis: Reddentes honorem Apostolicæ Sedi, & vestrae sanctitati: quod semper nobis in voto fuit, & est (ut decet Patrem) honorantes vestram Beatitudinem, omnia, quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinavimus ad notitiam deferre vestrae Sanctitatis, quoniam semper nobis fuit magnum studium, unitatem vestrae Apostolicæ Sedis, & statum Sanctarum Dei Ecclesiarum custodire; quæ hætenus obtinet, & incommotè permanet, nulla intercedente contrarietate. Itaque omnes Sacerdotes universi Orientalis tractus & subijcere, & unire Sedi vestrae Sanctitatis properavimus. In presenti ergo, quæ commota sunt, quamvis manifesta, & indubitata sint, & secundum Apostolicam vestrae Sedis doctrinam ab omnibus semper Sacerdotibus firmè custodita, & prædicata, necessarium duximus, ut ad notitiam vestrae Sanctitatis perveniant. Nec enim patimur quidquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum, & indubitatum sit, quod movetur, ut non etiam vestra innotescat sanctitati, quæ caput est omnium Sanctarum Ecclesiarum. Per omnia enim (ut dictum est) properavimus, honorem, & auctoritatem crescere vestrae Sedis. En qualem summam profligandæ hæreseos, atque universalem definiendi auctoritatem absque generali Synodo in Summo Pontifice agnoscit piissimus Imperator: cui respondit Summus Pontifex.

17. Inter claras sapientiæ, ac mansuetudinis vestrae laudes, Christianissime Principum, puriore luce tanquam aliquod sidus irradiat, quod amore fidei, quod charitatis studio, edocti Ecclesiasticis Disciplinis, Romanae Sedis reverentiam conservatis, & ei cuncta subijcitis, & ad ejus deducitis unitatem, ad cuius auctorem, hoc est, Apostolorum primum, Domino loquente

praeceptum est, pascite oves meas, quam esse verè omnium Ecclesiarum caput, & Patrum regulam, & Principum statuta declarant, & pietatis vestrae reverendissimi testantur assensus. Patet igitur, in vobis impletum fore, quod Scriptura loquitur: per me Reges regnant, & potentes scribunt iustitiam. Nihil est enim, quod lumine clariore praefulgeat, quam recta fides in Principe: nihil est, quod ita nequeat occasui subjacere, quam vera Religio: nam cum Auctorem vitae, vel luminis utraque respiciant, rectè & tenebras respiciunt, & nesciunt subjacere defectui. Quamobrem, gloriosissime Principum, votis omnibus exorabitur divina potentia, ut pietatem vestram in hoc ardore fidei, in hac devotione mentis, in hoc integre Religionis studio sine defectu sui in longiora tempora conservet. Hoc enim & Sanctis credimus Ecclesiis expedire: scriptum est enim, labiis regis Rex: & iterum cor Regis in manu Dei est, & ubi voluerit, inclinabit illud: hoc est enim quod vestrum firmat Imperium, hoc quod vestra Regna conservat. . . . Et infra: liquet igitur, Imperator gloriosissime, ut lectionis tenor, & legatorum vestrorum relatio patefecit, vos Apostolicis eruditionibus studere: cum de Religionis Catholicae fide ea sapitis, ea scripsistis, ea protulistis, ea populis fidelibus publicastis, quae (sicut diximus) & Sedis Apostolicae doctrina, & S.S. PP. veneranda decernit auctoritas, & nos confirmamus in omnibus. Opportunum est ergo voce proclamare prophetica: tibi abundet Caelum desuper, & effundant montes jucunditatem, & colles latitia letabuntur. Insuper ibi refractarios Apostolicis decretis describit Summus Pontifex. Soli enim professionibus nostris adversantur, de quibus divina Scriptura loquitur, dicens: posuerunt mendacium spem suam, & mendacio operis speraverunt: & iterum, qui secundum Prophetam dicunt Domino: recede à nobis; vias tuas scire nolumus, propter quod Salomon dicit per semitas propriae culturae erraverunt, colligunt autem manibus infructuosa. Hac est igitur vera vestra fides, hac certa Religio: hoc beatae recordationis (ut diximus) Patres omnes, Praesulesque Romanae Ecclesiae, quos in omnibus sequimur, hoc Sedes Apostolica praedicavit hactenus, & inconcusse custodivit: huic confessioni, huic fidei quisquis contraditor extiterit, alienum seipsum à sancta Communione, alienum ab Ecclesia iudicabit esse Catholica. En Justinianus auctoritatis Sedis Apostolicae vindex, pravas, & falsas doctrinas, & quid his aditum, causam, occasionemque aperire possit, ejus auctoritate sola, omni studio, omni conatu avertere studens. Etiam Constantinus fuit hujus Apostolici juris acerrimus vindex. Donatistas ad se provocantes remisit ad Papam Melchiamdem; lectisque eorum appellationis litteris, pleno ore respondit: Petitis à me in saeculo iudicium, cum ego ipse Christi iudicium expectem. Irà excaudit Imperatoris Constantini pietas, propter Donatistarum appellationem, & exclamavit: O rabida furoris audacia, sicut in causis Geni-

lium fieri solet, appellationem interposuerunt; ut refert optat. Milevit. lib. 1. Ita pusillimi Imperatores Ecclesiae fidem custodire, disciplinam diligere, Canones venerari, se Sacerdotalibus causis non immiscere, & ad pestiferam haereseos debellationem ad Sedem Apostolicam remittere studuerunt, liberum ei obortae altercationis remittentes iudicium; ut à quibus proficiscuntur institutae doctrinae, ab eisdem discordis eruditionis repugnantia solveretur. Quibus satis evidenter constare videtur, qualis fuerit illorum temporum praxis, & quod nusquam in illis temporibus, nec spes, nec suspicio invocandi Generale Concilium, nec interponenda ex animo contumaciae fuerit.

18. Luculentum in eam adhuc rem, id est Gallicanae Ecclesiae praxim, argumentum exhibent ejusdem Christianissimi Regni testes alii. Et quidem dubitare ne quisquam potest, quod M. Fr. Natalis Alexander Regni Galliarum doctrinam probe intellexerit, & quod in id desudaverit, ut cardinem istum tam difficilis quaestionis elucidaret? Hic tantus Sorbonae discipulus, & Magister fatetur, nullam fuisse praecis temporibus appellationis ad Concilium generale vestigia; quod hoc penitus ignorabat illorum temporum disciplina. Ita disert. 12. in 3. Saeculo. Denique si res fidei visa est; non fuit necessarium universae Ecclesiae Concilium, ut inexcusabiles essent Africani, & Orientales, qui Haereticos baptizabant: Siquidem non excusantur, qui errorem contra fidem à Sede Apostolica damnatum pertinaciter propugnant, etiam ante Concilii Oecumenici celebrationem, ut in causa Pelagianorum videre est, quibus spem Concilii generalis ademit Sanctus Augustinus. Eiusdem opinionis, & sensus est Ludovicus Thomassinus, qui sententiam oppositam inauditam in Gallia testatur disert. 18. in Synodo Romano anni 532. ubi contra adversarios nostrae sententiae insurgit; dicens: Suos ergo ipsimet confitentur natales, scilicet nuperos, & limites, valde angustos, si Ecclesiastica antiquitatis, & universalitatis ratio ineatur. Scholam, non Ecclesiam Parisiensem, aut ut ipsis largiamur, quod ad libitum sumunt, Gallicanam, non Catholicam: post Constantiense demum Concilium, non ante sensisse ita affirmant, nec sponte ed, sed vi quadam delatam, cum non aliter ex Schismatis illius pestiferi laqueis extricari se posse arbitrarentur: cum ad dubios, vel spurios Pontifices fas esset eam sententiam coarctare. Prius autem, vel ipsi non dissimulant inauditam hanc fuisse in Ecclesia Christi constitutionem Pontificis, & Concilii, Capitis, & Corporis. Et ne quis in hanc sententiam perflare credat Scholam Parisiensem, sed potius constantissime oppositam tueri, luculentissimum Petri Aurelii adfert testimonium, qui p. 1. pag. 249. de libello Richerii disserens, sic loquitur: Quod Sorbonae partem maximam, & eam, quae in facultate dominetur, Richeriano libello astipulari faciunt, non iudicio loquuntur, sed

sed odio, & malevolentia instinctu; cum ex tota rei hujus ab initio serie clarissime pateat, eam paucis semper placuisse, praesertim ut in tam numerofo cætu. Quod ex eo perspicere licet, quia nullum unquam existit decretum facultatis, quo doctrina ista, seu expressè, seu tacitè tribuatur auctoritas, &c. Contra nemo nescit, Richerium ipsum, ex quo doctrinam suam non probari vidit, à conventibus facultatis perpetuo recessisse, ne quempiam offenderet. Et mox: accedit quod & Richerius ipse palam professus est, omnes ejus libelli propositiones, earumque expositiones Sanctae Sedis Apostolicae, & Ecclesiae Catholicae, ac Romanae iudicio subjicere, paratumque emendare, quidquid emendandum iudicaretur. Haec ejus delatio, & olim ab ipso edita, & nuper apud Eminentissimum Richerium Cardinalem Sanctae Romanae Ecclesiae renovata, & extremo spiritu, quem catholice emisit, apud Confessorem confirmata, & ad hoc Illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis jussu vulgata, quantosvis errores vulgare potuit. Et ad majorem rei confirmationem adducit censuram Theologiae Facultatis Parisiensis anno 1644. quae damnantur quaedam propositiones in quantum infallibilitatem Ecclesiae universali in nullo alio statu, quam in solo Concilio Oecumenico congregatae tribuunt, ut temerariae, ipsi Ecclesiae injuriosae, & haereticae. Quam sanè censuram omnium animis insculpi vellem. Videndi sunt & alii Doctores Galli, Mavelerus Doctor Sorbonicus de Monarchia Eccles. lib. 3. cap. 10. ibi: Quintum denique, inquit, ac postremum de principis privilegium illud est, de quo hinc quaestio vertitur, quod supra tetigimus, contra quod ridicula fiunt à quibusdam, Schismaticorum partes, sua partim malitia, partim imperitia foventibus, objectiones, nonnullaque ad suam confirmandam rebellionem exempla producantur; quae à doctissimo nostra aetatis Theologo viro sanctissima vita valde eruditè refutata, & explosa, studiose Lector videre poterit. Tot sacris Ecclesiae decretis, Canonibusque, veluti Divini Sancti Spiritus oraculis ritè consideratis, iustoque ratiocinio, Theologicaeque sapientiae trutinatis examine, quam justè spirituale anathematis gladium, contra provocantes à Pontificis Monarchiae iudicio ad futurum Concilium, à Sanctissimis Sedis Apostolicae Praesulibus evaginatum fuisse credere debemus. Andreas Duvallius de suprema Róm. Pontif. in Eccles. potest. p. 4. q. ult. ait: Maneat itaque hoc ratum, & constans, omnem à Summo Pontifice ad Concilium, sive futurum, sive praesens, appellationem esse prorsus illicitam: idque sive Papa sit infra, sive supra Concilium, cum rationes allatae in utraque sententia concludant. Dices, Princeps, & Respublicas graviter nonnunquam conqueri, se à Pontificibus graves injurias pati, nullumque ad has depellendas, efficacius remedium esse, praeter provocationem ad Concilium generale. Respondeo, non licere propterea ad Concilium provocare. Etiam Honoratus Tournely Sacrae Facultatis Parisiensis Doctor, Socius Sorbonicus, Re-

gius, & emeritus Professor, Sacrosanctae Cappellae Regii Palatii Parisiensis Canonicus, ejusdemque Facultatis Syndicus tract. de grat. art. 1. q. 3. Et verò cum aequalis sit Ecclesiae, seu dispersa, seu in Concilio coacta infallibilis auctoritas, par & aequalis debetur ejus definitioni mentis obedientia. Necessè verò est vivere semper, ac subsistere in Ecclesia Tribunal certum, ac vivam quamdam regulam, qua enata circa Religionem controversiae finiantur, ac terminentur: aliàs, quò amabo, res fidei tandem reciderent, si expectanda foret Concilii plenarii forte tam longè distita, tam operosa, & molesta Congregatio? Quae enim interim foret vivens, ac spirans regula fidei? Quis controversiarum finis? Nullus. Unicuique laxaretur, quidquid vellet, sentiendi licentia: quanta inde in Ecclesia Christi confusio, perturbatio quanta? Maimburg in tractatu historico de praerogativis Ecclesiae Romanae. Charles de libert. Ecclesiae Gallicanae tom. 1. lib. 4. cap. 6. tom. 2. lib. 8. cap. 14. tom. 3. in observat. ad Epist. Episcopi Tornacensis. Liber gallico idiomate impressus anno 1719. Monumentum, seu memoria contra appellationem à Bulla Unigenitus ad futurum Concilium interpositam anno 1717. Sed piis, sapientibus, & prudentibus hoc potest, & debet sufficere, ut agnoscant, hanc esse antiquam, & perennem Galliae, & Ecclesiae Catholicae fidem, non alio, quam Romani Pontificis momento, & pondere res fidei definiri, ipsiusque magisterio ligandi, solvendique in Coelo, & in Terra potestatem, dono Christi inviolabili, incumbere.

19. Alterum ejusdem veritatis desumitur fundamentum ex eo, quod Haereses multae sola Summi Pontificis auctoritate, nullo generali Concilio sint invictè profligatae. Etenim Sancta Apostolica Sedes sanctae fidei veritatis munita armis, & à Divino fonte lucis, & clarissimo origine bonitatis salutaribus perpetuo satiata fluentis; & horrendis, atrocibusque haereseum obsistit monstris, & melliflua veritatis Catholicae pocula ad omnium salutem omnibus per Orbem ministrat. Etenim quas non à primis temporibus usque ad nostra tempora, Summorum Pontificum iudicio, & non judiciali Concilii generalis auctoritate, confixas, ac profligatas legimus haereses? Fidem faciunt tot historiae Ecclesiasticae monumenta, quò dum nova fuit haeresis, iudicanda, ac definienda fuit à Sede Apostolica. Origenistas damnavit Anastasius, ut constat ex Epist. 3. ad Joannem Hierosolymitanum, & fidem facit D. Hieronymus in Epist. ad Pammachium, & in Apolog. advers. Rufinum. Quartodecimani pronuntiatum sunt Haeretici sine Concilio generali à Victore Pontifice, ut affirmat Eusebius lib. 5. cap. 2. & 3. Jovinianistarum haeresis extirpata fuit à Siricio Pontifice Maximo. Posttrati fuerunt Priscillianistae decreto Leonis Papae I., ut constat ex Synodo Bracarenfi prima, in qua haec Lucretius Metropolitae Brac-

carensis testatur: *Et tempore, quo in his Regionibus nefandissima Priscillianæ Secta venena serpebant. B. Papa Urbis Romæ Leo, qui quadragesimus ferè existit Apostoli Petri Successor, per Turibium Notarium Sedis suæ, ad Synodum Gallicæ contra impiam Priscilliani Sectam scripta sua direxit. Cujus etiam præceptio Carthaginenses, & Tarraconenses Episcopi, Lusitani quoque, & Bethici, facta inter se Concilio, regulam fidei contra Priscillianam hæresim cum aliquibus Capitulis conscribentes, ad Baleonium, tunc hujus Bracharensis Ecclesiæ Presulem, direxerunt.* Anabaptismum ab Afris inductum proscripsit Stephanus Papa. Ita S. Augustinus lib. 3. de Bapt. cap. 23. Fulminibus Petri disjecta Macedonianorum infana, & hæretica deliramenta à S. Damaso fuere. Eutychem damnavit Magnus Leo, ut constat ex ejus Epistola ad S. Flavianum: *Accepimus libellum Eutychem Presbyteri, qui se queritur immeritò communionem privatum.* Monothelitarum hæresi obstitit Sedes Apostolica; quæ sicut Ecthesis Heraclii proscripita fuit à Severino Papa, teste Baronio ad annum 639. nec non & Gilberti Porretani ab Eugenio III. Nestorii Exegeses, atque Epistolas, & tradita in ipsis dogmata definitivè damnavit S. Cælestinus, ut scripsit Avitus Viennensis Episcopus ad Hormisdam Papam: *Eutychem igitur, Nestoriique damnatio, quos jam dudum per Beatissimos Prædecessores Sanctæ Sedis vestra calcavit auctoritas, ad notitiam jam pridem nostram, Apostolicæ ad nos diligentia provisione perlata est.* Macedonianos, Arrianos, & Iconomachos à Sede Apostolica damnatos fuisse nemo nisi rerum Ecclesiæ ignarus ambiguit. Apollinaris hæresis damnata fuit per Damasum Papam, ut constat ex Epistola Joannis Patriarchæ Antioch. ad Rufum Archiepiscopum Thessalonicensem, quæ legitur in 3. p. Ephesini Concilii. *Beatissimus Damasus Apollinarium Vitalem, ac Timotheum hæreticos gradum movit.* Hæresim Berengarii damnavit Leo IX. Damnata & fuit hæresis Petri Abaelardi ab Innoc. II. Animas plenè purgatas illicò videre Deum, non expectato die Judicii, Benedictus XII. absque generali Concilio, ut fide certum declaravit. Adversus Pelagium stetit Innocentius I., & huic Sancto Pontifici talis profligatæ hæreseos laudem adsignat Gennadius in Cathalogo Virorum illustrium: *Innocentius Urbis Romæ Episcopus scripsit decretum Occidentalium, & Orientalium Ecclesiarum adversus Pelagianos datum: quod postea Successor ejus Zosimus latius promulgavit.*

20. Sed quid præca tempora altiùs revolvuntur? Dum nostris temporibus, ubi novæ exortæ sunt hæreses, semper ad Papam factus est recursus, ut ipse potissimum adversus novum dogma confurgat, & introductores pravitatis digno anathematis jaculo confodiat. Definivit Sixtus Quartus contra Petrum Oxoniensem: Pius V., & Gregorius VIII. contra Michaellem Bajum. Damnavit Innocen-

tius X. quinque celeberrimas Jansenii propositiones, & eas hæreticas declaravit, & anathemate inuñit; & ejus Constitutio fuit ab Alexandro Papa VII. confirmata Constitutione, *Ad sanctam*, sub die decimalexta mensis Octobris 1656. Innocentius XI. sub die 3. Septembris 1687. damnavit sua Constitutione, *Ad abolendam*, 68. propositiones Michaelis de Molinos; & nonnullas earum hæreticas declaravit. Alexander Papa VIII. sub die 24. Augusti anno 1690. duas damnavit propositiones, quarum alteram declaravit hæreticam. Innocentius Papa XII. suo speciali Brevi, dato sub die 13. Martii anno 1699. damnavit 23. propositiones contentas in libro, Parisiis ann. 1697. impresso, cui titulus: *Explication des Maximes des Saints sur la vie intérieure*, eas declarando temerarias, scandalosas, malè sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas.

21. Huic semper infallibili innixus auctoritati stetit Orbis universus, ut elegantissimè scripsit noster eruditus Hispanus Melchior Cano de locis Theologicis lib. 6. cap. 7. *Ad Romanam porrò Sedem Episcopos Ecclesiarum in causis quibuscumque gravissimis provocasse, ab illius ore fideles fidei semper oracula petiisse, illius judicium Catholicos omnes in Religionis controversiis expectasse, illius denique vim, & auctoritatem sacra omnia efflagitasse Concilia, adeo certum, & manifestum est, ut sim ego ineptus, si velim ostendere. Quibus ex rebus, quoniam negari non possunt, constat, & efficitur id, quod quarimus argumentum, quo ex multis, magnisque haud facillè quis dixerit aliud, aut evidentius, aut certius. Si enim legum Christi interpret nullus sanior est, quam perpetuus Ecclesiæ usus; Ecclesia verò in fidei, religionisque questione, ac ceteris gravissimis controversiis non ad Antiochenum, Alexandrinum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Mediolanensem, Parisiensem, Coloniensem, Toletanum, aut Bracharensem Episcopos, sed ad Romanum omni semper ætate recurrit: quis dubitet, hunc esse, quem, ut Successorem Petri, ita quoque doctrinæ Apostolicæ magistrum, questionumque de fidei iudicem habemus? Nam si aliquem ejusmodi post Petrum, Ecclesia instituenda, atque in veritate continenda reliquit Christus, nimirum aut hic est, aut nullus est: quippe cum de aliarum Ecclesiarum Episcopis nulla quæstio sit, quin non fuerint loco Petri, universalis Ecclesiæ Doctores, Pastoresque à Deo dati. Romanus igitur Episcopus, Ecclesiæ usu interpretante, ille est, cui Dominus in Petro ait, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves Regni Cælorum; & quodcumque solveris, &c. Ac rursum: *Pasce oves meas: Et iterum: ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu confirma fratres tuos. Quid? Quod ipso etiam rerum experimento comperimus, Christi de Petro, & Successoribus vaticinia in Ecclesia Romana manifestius impleri? Hanc enim constat, fixam, & immobilem, orbe etiam toto omni illam machina-**

rum genere quatiante, in fide, & auctoritate Petri permanisse. Non minus disertè Scriptores Galli, & Canonum, & morum, & dogmatum Patriæ amantissimi. Hugo de Sancto Victore de Sacram. lib. 2. cap. 43. *Papa dicitur, quia Pater Parrum: Universalis dicitur, quia universæ præest Ecclesiæ. Hic quoque Apostolicus appellatur, quia Principis Apostolorum vice fungitur. Ejus officium est, &c. Canones etiam pro tempore ad utilitatem Ecclesiæ promulgare, vel immutare, &c. Totam Ecclesiam vice Christi gubernare. Itaque Papa vicem, & locum Christi tenet, Episcopi Apostolorum.* Petrus Blefensis Epist. 99. *Ad Urbanum Papam: Dominus Dei, quæ in lapide adjutorii super fundamentum Apostolicum stabilita est, à Petro, & Successoribus ejus formam semper eruditionis, & statum incoluntatis accepit. Quod enim stipiti rami, quod Capiti membra, quod radii Soli, quod Fonti rivuli, hoc Apostolicæ Sedis eminentia debent Ecclesiæ omnes, quas ubique terrarum Religio fundavit.* Petrus Cellensis lib. 6. Epist. ultim. *Est auro locus, in quo constatur, & habet argentum venarum suarum principia, Sedem Petri, & Curiam Romanam, quæ claves Cæli principaliter tenet. Hæc Sedes Petri, id est, petra, in qua Moyses residet, videlicet Lex Dei immaculata, convertens animas, fragosa quæque Hæreticorum Conciliabula elidit, atque allidit, profundas vocum novitates refecat, & rescindit, superflua confodit, & jugulat, hiantia & clyptica complet, & illustrat.*

22. Sed inter tot eruditissimos Gallicæ Theologos addamus Petrum de Marca ordinarium Sacri Concistorii Consiliarium, & in supremo Navarræ Senatu Prædicem; sic ille lib. de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, sive de concordia Sacerdotii, & Imperii: *Confutatur communis opinio, quæ docet, præcipuam libertatum regulam hanc esse, ut Concilium Oecumenicum superius Romano Pontifice dicatur. Quamvis hæc sit Scholæ Gallicanæ sententia, non est una ex libertatibus Gallicanis. In foro perinde est, si Summus Pontifex æquo, vel superiori jure cum Conciliis utatur. Ubi id tantum expenditur, an nova rescripta noceant Ecclesiæ Gallicanæ. Lib. 4. cap. 7. in Synopsi. Et mox: Solet à plerisque pragmaticis hoc ferè præcipuum constitui libertatis Gallicanæ theorema, Concilium Oecumenicum superius esse Summo Pontifice: unde sequatur, nihil à Sede Apostolicæ Præsulibus tentari posse, quod Synodorum generalium definitionibus adversetur, &c. Attamen si cum bona Magistrorum venia, id quod sentio, liberè profiteri liceat, existimo libertates Ecclesiæ Gallicanæ hoc axioma non omnino niti. Qui Romani Pontificis odium in has libertates concitant, id præcipuè urgent, eas alia ratione consistere non posse, quàm Apostolicæ Sedis dignitate in eo maxime imminuta, quod Pontifex Concilii generalis auctoritati subiciatur. Et cap. 17. n. 4. *Primus omnium, qui appellatione usus est ad futurum Concilium, prodit sese apud Historicos Fridericus II. Imperator. Qui ad Concilii**

cognitionem evocatus à Gregorio IX., & ab Innocentio IV. Thaddæum Legatum ad Concilium Lugdunense misit anno 1256. Hic post exceptiones Friderici propositas, cum ferendam viderit ab Innocentio depositionis sententiam, appellavit pro eo ad Concilium proximè futurum generalius. Et paulò supra: *perstricto obiter dissidio Bonifacii VIII. & Philippi Pulchri: tunc Guillelmus de Plesejano, ut se tutum à Bonifacii censuris præstaret, futurum Concilium generale appellavit, & futurum Papam Catholicum, & Sedem Apostolicam.* Et mox ait: *Hanc novam rationem in Ecclesiam invectam, ab iis, qui se Romanæ Curia censuris premi existimabant; scilicet appellationem à Papa decreto ad futurum Concilium. Novam dixi, quia nunquam in Ecclesia admissa fuit provocatio à Papa ad Concilium: licet aliquando remedio quodam extraordinario Sedis Apostolicæ judicium in majori Synodo instauratum fuerit. Quod illi facillè concedent, quibus perspecta est antiqua disciplina. Dilucidissima sunt hæc, ex quibus consecrata, & trita majorum vestigiis itinera designantur, juxta antiquissimam Gallicæ praxim. Appellationi locus non erat. Nulla damnatis suppetebat ratio, ut Summi Pontificis oraculo resistere possent. Principes super S. Petrum, & ejus Apostolicam Cathedram nihil ausi sunt constituere. Ad perimendas hæreses subinde pullulantes non alio quopiam utebantur oraculo, nisi Summi Pontificis. Nefas erat dicere, quòd erat in potestate hominum ad Concilium provocare. Tantum deferebat Orbis definitionibus Apostolicæ Sedis, quas ut regulam indeclinabilem fidei venerabatur.*

23. Hæc cum certissima sint, ad quid inordinatè ab hoc supremo, & inappellabili iudicio provocare? Maxime contra constantem Regni praxim, cujus traditioni non assentiuntur appellantes, sed solum electioni voluntatis, & intelligentiæ suæ. Novis vetera subvertunt, & nova potius condunt, quàm accepta retinent: parum dixi, accepta perdunt, & religiosè præsumunt. Ecquis enim negare potest, quòd Hæreticis zizaniis imminentibus, sufficiat Apostolica Sedes, nunc, & per universum tempus ad mendacium convincendum, impietatemque reprimendam, & corrigendam? Numquid totus jam penè terrarum Orbis per Catholicam fidem Christo incorporatus, tam longo sæculorum tractu ignoravit, erravit, nescivit, quid credere de Apostolicæ Sedis auctoritate deberet? An in his definitionibus proponendis, ut necessariò credendis, potuit per tot annos Sedes Apostolica falli, & fallere Ecclesiam? Cum qua verax Pater, veritas Filius, & veritatis Spiritus Sanctus perpetuò mansit. Error namque, cui non resistitur (ut dixit Innocentius dist. 83. cap. Error) approbatur: ergo, cum hoc impossibile sit, evidens est, quòd illius definitionibus dogmaticis ad omnibus Catholicis Fidelis, & humilis obedientia exhiberi debeat.

24. Hoc mihi evidentissimum est. Nam si non fidei obsequio, & ut fide certa amplectenda est definitio Summi Pontificis: ergo quod ab ipsis definitum est, indifferenter purè nobis traditum est: modò sic: quod indifferenter traditum est, aut totum suscipi, aut totum rejici potest; sed plura à Sede Apostolica definita sine Concilio generali rejicienda esse, non concedent adversarii, nisi apertè Hæretici sint; ergo invicta, ac ratione cogente totum ab ipsis suscipiendum est. Nam dicant, amabò, quo lumine innotescere poterit nobis, ubi sit, aut ubi non sit definitionibus Ecclesie adhibenda fides? Si nobis repontant cum Duvallio p.2. q.2. de infallibilitate Romani Pontificis, quòd, ut aliquod dogma tamquam hæreticum habeatur, non esse necessariam Concilii generalis celebrationem, sed sufficere Summi Pontificis condemnationem unà cum acceptatione totius Ecclesie per Orbem diffusa. Licet enim Decretum Pontificis, quatenus ab eo solo promanat, de fide non sit, cum ejus in discernendo infallibilitas fide Catholica minime constet, ut supra declaravimus: nihilominus si hæc condemnatio ab universali Ecclesia licet diffusa, & non coacta in Concilio approbetur, jam nemo citra fidei detrimentum ei potest contradicere. Est enim de fide, Ecclesiam non tantum ut congregatam in Oecumenico Concilio, sed ut diffusam per orbem errare non posse.

25. Sed absit, ut constitutum à Christo in terris ordinem, & exquirendæ mentis, ac lucis ipsius, quas nobis reliquit, vias non sequamur. An Episcopis plus fidei adjiciendum est, quàm Summo Pontifici, qui est Episcopus Episcoporum, Pater Patrum Ecclesie, Doctor Christianorum à Deo constitutus, & quem Episcopi universi Orbis, ut ordinarium sibi Magistrum audire debent? Ergo nulla ab Episcopis fieri potest inquisitio judicialis veritatis rei definitæ; cum & ipsimet Episcopi fideles, & obsequentes teneantur esse; eorumque captivari debeat in obsequium fidei intellectus, ut obsequatur ratio auctoritati; cum fides ex auditu sit.

26. Secundò, ab infallibili solùm, & majori auctoritate definitivum judicium solvi potest: ergo cum inferior Papa sit quælibet alia universorum Episcoporum consentio, sitque suprema omnium Petri Sedes, fidei, & unitatis Ecclesiasticæ Caput, cujus Præsidi concessa est potestas, & gratia præcipua confirmandi fratres; internam animi fidem, certamque fixam ejus decretis obedientiam adhibere necesse est, etiam si non sint ab Ecclesia diffusa per Orbem confirmata. Quis namq; Doctor supra Ecclesie Doctorem? Quis audeat esse Judicem supra Judicem Ecclesie à Deo constitutum? Quandonam à condito sæculo auditum est, quòd judicium Summi Pontificis auctoritatem habeat à consensu Inferiorum; quòd Oves velint pascere Pastorem, judicare Judicem, legem dare Legislatori. Non ergo ratio est in ordine ovium constitu-

tis, quæ supra ipsos sunt, quaerendi, & ambiendi; ut obliviscentes proprii ordinis; membra capitis hujus se esse minime cogitantes, legem velint ponere capiti, aut proprio judicio, aut dubis, imperitiisque forsitan cogitantibus improbare, quod auctoritate infallibili est definitum.

27. Tertio. Tantam in Ecclesia obtinet Summus Pontifex potestatem, quanta ad unitatem Ecclesie conservandam est necessaria; sed ad hanc unitatem retinendam necessaria est infallibilitas in definiendo independens ab acceptatione Ecclesie: ergo de fide est, hanc potestatem independentem à consensu Episcoporum esse à Christo ipsi concessam. Nam quomodo aliter fides indivulsa semper nexibus in omnibus membris constricta, & complicata poterit retineri? Non enim jam fides una erit; sed tot erunt fides, quot voluntates quot Episcoporum veratiliam huc illuc mutationes in sui dogmatis, vel defensionem, vel damnationem consurgentes: tot erunt fides, quot Doctorum in alia, & alia propeffiones, rem definitam pro cujuslibet capto, vel libito intervertentes: ergo cum fides una sit, nulla certissimè fides erit, ubi tot Episcoporum fides possunt esse, si ab ipsorum examine, & assensu auctoritatem accipit definitio Summi Pontificis.

28. Rem clarissimè explico. Sit, ut modò est, per Constitutionem *Unigenitus* dogma definitum, cui definitioni aliqui resistent Episcopi, reliquis constitutionem sincerè, ac fideliter amplectentibus. In hac hypothefi impossibilis videtur universalis Ecclesie consensus, non solùm Ecclesie per orbem diffuse, sed nec in Concilio generali congregatæ. Etenim qui ita apertè refragantur Constitutioni, ipsos sanè ad appellationem movere deberet aliqua (saltem iudicio eorum) ne temerè, & imprudenter dicantur resistere, perspicua, clara, & prorsus indubitata ratio, aut ex Scripturis, aut ex traditione desumpta, cui immobiliter adhererent; & vi cujus immobiliter certum, ac sibi persuasum haberent oppositum rei definitæ: ergo nusquam poterunt inter se convenire Pontificie infallibilitatis assertores, ac refragatores. Hæc consequentia est evidens; nam primi fidem certam, minimèque ipsis ambiguam habent de infallibilitate Papæ in definiendo, cui etiam immobiliter adherent: Ergo cum fides inclinet ad resistendum omni contrario suo, ut docet D. Thomas 2.2. q. 1. art. 4. ad 3. & q. 2. art. 3. ad 2. & de Merit. q. 14. art. 4. ad 3. & art. 10. ad 1. & 11. ad 3. constanter, & catholice resistent refractariis Constitutioni: Ergo nusquam ejusdem fidei vinculo colligati remanere poterunt: & cum in hoc dissidio dissonet utriusque partis fides, & fides juxta Apostolum una sit, nulla certissimè, existente tali dissidio, si vera est illorum opinio, fides erit. Quid ergo periculosus; & miserabilis, quàm tot tunc fides existere, quot

vo-

voluntates; quòd fides à Sede Apostolica scribatur, ut volumus; aut ita, ut volumus, intelligatur. Etenim cum secundum Deum fides una sit, excidimus ab ea fide, quæ sola est: & dum plures sunt, fateri est necesse, ut nulla sit.

29. Quarto. Fiat Synodus generalis ad refractariorum instantiam, ut constet de assensu totius Ecclesie. Quid faciendum in illa Synodo, cum alii sint refractarii, alii assertores auctoritatis Pontificie? Vel existimant illi, majorem Episcoporum partem assentientium Constitutioni necessariò esse requisitam, ut infallibilis sit definitio, vel putant aliam minorem partem ipsis sufficere posse, quæ favet ipsis, contradicentibus aliis? Si primum: quo jure, aut qua veritate Constitutioni refragantur modò, cum à majori Episcoporum parte jam sit humiliter, & obedienter acceptata? Si secundum: ergo meliori jure pars major opposita ipsis credere poterit, quod est acceptatio requisita ad infallibilitatem definitionis, etiam resistentibus illis; nec non æquius judicare poterunt, esse injustam, & Schismaticam illorum resistentiam.

30. Quintò: Nam quæ perspicua, clara, & indubitata ratio esse poterit, quæ ipsos revocet à credendo, quæ Summum Pontificem, & viros eruditissimos ad Consultum hujus necessariæ indagationis non revocaret à definiendo? Ex quo sic interrogo? An ille, qui promissit fidem non defecturam Petro, & confirmandi ceteros dedit facultatem, minus sollicitus sit de mediis, quibus aut de more humano, aut in inspiratione Divina utrumque sit implendum? Ergo si nulla occurrit Pontifici definiendi ad oppositum ratio, nulla prorsus potest esse fidelibus, et si Episcopis ad denegationem obedientiæ. Quare meritò dixit Imperator Marcianus decreto post Concilium Chalcedonenfe pronunciato: *Remota est de Orthodoxa Christianorum lege contentio. Tandem remedia culpabilis erroris inventa sunt. . . . Cesset igitur jam profana contentio. Nam verè impius, atque sacrilegus est, qui post tot Sacerdotum sententiam opinioni suæ aliquid tractandum reliquit; extrema quippe dementia est, in medio, & perspicuo die commentitium lumen inquirere: qui enim post veritatem repertam aliquid ulterius discutit, mendacium querit.*

31. Et tandem in hujus prætenfi juris res fidei examinandi discussione, aliquod ab ipsis assignari debet talis concessionis irrefragabile privilegium: quale ergo erit hoc? An huic Pontificio juri ulla ætas, ulla auctoritas derogavit? An revincta antiquorum Canonum vinculis est, aut potest esse potestas Summo Pontifici à Christo concessa? An privilegium ab Ecclesia concessum dici potest illud, quod ab Ecclesia concedi nequit, cum infallibilitatis privilegium sit proprium, & minimè alteri communicabile? An privilegium, & specialis gratia appellari potest diminuta infra Concilium Pontificis dignitas, quæ si

est in aliquo Regno inferior, & in omnibus gentibus inferior esse debet? An contra potestatem Summi Pontificis prævalere potest quælibet consuetudo? Radicitus est evellenda perniciofa consuetudo, ut scripsit Nicolaus Papa Ignatio Rhemenfi Archiepiscopo cap. Mala dist. 8. *Mala autem consuetudo non minus, quàm perniciofa corruptela abjicienda, & vitanda est: quæ nisi citius radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab impiis assumitur: & incipiunt prævaricationes, & varia presumptiones celerrimè non compressæ, pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuo celebrari. Etenim veritati, & rationi consuetudo est postponenda, ut ibidem legitur cap. Veritate: plane quis dubitet, veritati manifesta consuetudinem cedere; nam veritati consuetudo est postponenda, quantumvis vetusta, quantumvis vulgata: & usus, qui veritati est contrarius, est abolendus. Quare contra eos, qui veritate revelata, consuetudini immobiliter adherent, sic cap. Qui contempta pronunciat Augustinus, in lib. de Bapt. parvulor. *Qui contempta veritate presumit consuetudinem sequi, aut circa Fratres invidus est, & malignus, quibus veritas revelatur: aut circa Deum ingratus est, inspiratione cujus Ecclesia ejus instruitur. Nam Dominus in Evangelio, ego sum, inquit, veritas. Non dixit, ego sum consuetudo. Itaque veritate manifestata, cedat consuetudo veritati. Revelatione igitur facta veritatis, veritati cedat consuetudo: quia & Petrus, qui circumcidebat, cessit Paulo veritatem prædicanti. Igitur cum Christus veritas sit, magis veritatem, quàm consuetudinem sequi debemus. Et cap. Frustra. Consuetudinem nobis objiciunt; quasi consuetudo major sit veritate: aut non sit in spiritualibus sequendum, quod melius à Spiritu Sancto revelatum est. Et cap. Consuetudo. Consuetudo sine veritate vetustas erroris est: propter quod relicto errore, sequamur veritatem: quia . . . veritas valet, & invalescit, & vivit in æternum, & obtinet in sæcula seculorum. Ignosci potest simpliciter erranti: sicut de seipso Paulus Apostolus dicit: qui prius fui blasphemus, & persecutor, & injuriosus: sed misericordiam merui, quia ignorans feci. Post inspirationem verè, & revelationem veritatis factam, qui in eo, quod erraverat, perseverat prudens, & sciens, jam non in venia ignorantia peccat. Presumptione enim quadam nititur, cum ratione superetur. Et tandem cap. Finali: si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putaverit: sed quid prius, qui ante omnes est, Christus prior fecerit: neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem: cum per Esaiam Prophetam loquatur Deus, & dicat: sine causa colunt me, mandata, & doctrinas hominum docentes. Alienissima sunt hæc omnia ab eorum opinione, qui pertinaciter resistent decretis Sedis Apostolicæ; qui fidei definitionibus vim inesse, à solo jactant haberi fidelium consensu, & non ab infallibili Sedis auctoritate. Sedis Apostolicæ discipuli minimè sunt, qui hujus sen-**

Q q q

ten-

tentiam sequi se nolle aperte profitentur; nec illi qui subtili tectas calliditate veritas, & sub Religionis obtentu, ad inobedientiam dissimulationem, objectiones opponunt: quod in Monachis Siciliae lugebat Summus Pontifex Hormisdas his verbis: *Beati Pauli monita non tacentes: noli verbis contendere, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. Sed quando virus, quod viscera penetravit, evellitur? Quando corda male sibi credula, veritatis obtemperant instituti? Quando induit obedientiae humilitatem opinionibus suis vallata superbia? Quando acquiescant paci, contentionum studiis assueti sola certamina amantes, de Religione captare, & mandata negligere? Una perniciosa cura propositi, rationi velle imperare, non credere: contemptores auctoritatum veterum, novarum cupidi quaestionum; solam putantes scientiam rectam viam qualibet conceptam facilitate sententiam; eo usque tumoris elati, ut ad arbitrium suum totius Orbis putent inclinandum esse iudicium. Nec in numero fidelium deputantes sequaces traditionis paternae, si suae viderint cedere nolle sententiae; docti crimina serere, obrectationum venena componere, integrum Ecclesiae corpus odisse... Et pro obedientia obstinationem pertinacis amare superbiae. Non illos posuimus monitis, non mansuetudine, non auctoritate comprimere.*

§. IV.

An provocatio à Summo Pontifice in rebus fidei, & morum ad Concilium Generale sit practice probabilis?

Licet rerum retrogestarum monumenta revolventibus, illis tot efficacissimis argumentis, quibus probatam dedimus auctoritatem Summi Pontificis, certissima debeat esse pars negativa, quam à sensu, fide, moribusque suis ferè universa confirmat Ecclesia; affirmativae tamen quidam averfis vestigiis insisterent videntur. Ita Joannes Gersonius: *Si dicatur, quod potest à Papa fieri appellatio ad Concilium Generale Pisanum, & Constantiense, quod hoc nullo modo liceat: & allegant jura pro se valde, sicut eis videtur, expressa. Sed constanter nunc asseritur, quod est haeresis damnata per Constitutionem Concilii Constantiensis. Sic ille tom. 2. pag. 348. Quod & repetit tom. 1. pag. 127. posuerunt isti Papalem auctoritatem supra Concilium, aut saltem non imparem; est autem certum apud eos, quod par in parem non habet imperium. Benedictus autem Deus, qui per hoc Sacrosanctum Constantiense Concilium illustratum divinae legis lumine, dante ad hoc ipsum vexatione presentis Schismatis intellectum, liberavit Ecclesiam suam ab hac pestifera, perniciosissimaque doctrina, qua semper*

manente, perseverasset semper Schisma nutritum ab ea. Id ipsum propugnat Almainus lib. de potest. Eccles. cap. 15. Conclusio est, quam tenent Doctores omnes Parisienses, & Galli, quod potestas Papa est subiecta potestati Concilii. Consentit eidem sententiae Joannes Major de auctorit. Eccles. duo sunt modi oppositi dicendi, quorum unus tenet, Papam esse supra Concilium Generale. Hunc modum aliqui Cardinalium tenuerunt, & tenent communiter Thomista, & Romae, ut asseritur, nulli fas est oppositum tueri. Alium modum semper nostra Universitas Parisina à diebus Concilii Constantiensis imitata est; sic quod in ea, qui praedictam viam tenuerit, in campo cogitur eam revocare. Et infra: nostra facultas à diebus Concilii Constantiensis, in quibus plures exercitatos habebis Theologos, quam in duobus, vel tribus Regnis, sic hanc partem fovet, quod nulli licuit asserere oppositum probabile.

33. Sed haec doctrina, & infelix opinio, quae sententiam oppositam improbabilem, & schismaticam dicit, est desperata mentis resolutio, praecipitans auctores suos, & aliorum fidelium corda trahens in apertam animarum suarum ruinam; quod efficacissimè plurimis, maximisque argumentis demonstrabimus, non nostro sensu, aut praesumptione, sed manifestissimis Ecclesiae Oraculis, antiquissimis, & maximae auctoritatis Sacris Canonibus, luculentissimis Theologorum testimoniis, uno sensu constanter opinionem affirmativam schismaticam, & haeticam declarantibus. Mirari etenim satis non possum, quod numerus ille Doctorum superexcedens Theologos, qui in duobus, vel tribus Regnis haberi possunt, determinatum praebet illi opinioni assensum, ut illam habeat pro regula suae prudentis operationis. Poterit sane minor esse aliorum Regnorum Theologorum multitudo, quae ab Auctore isto, ut vulgaris turba contemnitur, quia nempe pauciores; at facilis est his illa Augustini responsio, qua usus est S. Doctor contra Julianum lib. 6. cap. 1. *Frequentius est iter nostrum, quod antiquius; quia Catholicum est: vestrum vero tantò minus frequens, quanto magis novitium, quia Haeticum.*

34. At iterum dico, non est haec celeberrima toto Orbe Parisiensis universitatis doctrina. In hoc erravit ille, cum ex dictis satis superque constet, quod sit merus abusus, qui cepit post magnum Schisma, ut & ipsi fatentur; cuius rei fidem facit Pius II. in sua Constit. publicata die 18. Januarii 1459. vocans ipsam Execrabilem, & pristinis temporibus inauditam, ac tempestate sua introductum abusum: sic huiusmodi appellationem nominat. Unde non contra nobilissimum tanti nominis caetum, sed contra refractarios, hunc pessimum abusum sustinentes, insurgo, ostendens, esse doctrinam purè schismaticam. Et primò efficacissimè probatur assertum ex Constitutione Julii II. quae incipit *Suscepti regiminis*, data

Ro-

Romae 1. Julii anno 1509. innovantis Constitutionem Pii, qui declaravit schismaticos appellantes à Papa ad futurum Concilium; cuius haec sunt verba. *Nos igitur, quàm detestanda sit eorum perversitas, attendentes, qui propriis innixi commodis, & nefariis cupiditatibus mancipati, salubria decreta Patrum, & Superiorum iussa spernentes, inconsutilem Christi tunicam scindere, aut etiam scissionis causam praebere contendunt, & Ecclesiae unitatem dividere, praedicta Sanctae Sedis Apostolicae principatum tollere, & contra tot Sanctorum Patrum, & Sacrorum Conciliorum decreta temerè, & damnabiliter magna audacia venire non erubescunt, & contra facere non verentur, asserentes inter cetera, consulentes, persuadentes, determinantes, seu determinationi huiusmodi interressentes sola consilii praestazione, seu persuasione, deliberatione, aut determinatione, quod aliquibus casibus à Romano Pontifice, seu ejus sententia, vel decreto ad futurum Concilium Generale appellari possit dicta Pii praedecessoris Constitutione non ligari, nisi in ipsa actuali appellatione, & illius interpositione, vel Scripturae compositione se immiscuerint: ne de cetero tali assertione se excusare, ac tale quid in posterum praesumere impune valeant, opportunam tam inmani, & periculoso morbo medelam adhibere volentes, hac generali, & in perpetuum valitura Constitutione ex certa nostra scientia, & potestatis plenitudine, de venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Consilio promulgata, sancimus, Constitutionem Pii praedecessoris praefatam, tam citra, quàm ultra montes, & in Ultramontanis partibus quoad omnes tam Ecclesiasticas, quàm Saeculares personas etiam regali dignitate, ac Cardinalatus honore fulgentes, Capitula, Universitates, Communitates, & Collegia, Congregationes, & Synodos, ac Parlamenta valuisse, valere, & perpetuè valituram declaramus, cum suppletionem solemnitatis cujuslibet, etiam publicationis omissemus, cujus in illa edenda, vel publicanda defectus praetendi posset, quae juxta illam fieri requirebatur, eamque ex praeterito nunc, & in posterum inviolabiliter observari mandamus: ipsius violatores cujuscumque dignitatis existant, poenitis, & censuris in eadem expressis quocumque tempore subiacere statuentes, contraria consuetudine, seu potius corruptela, non obstante: decernentes, & declarantes, ultra poenas impositas (quas ipso facto dictos violatores, & contravenientes incurrere volumus) ipsos, & eorum quemlibet pro veris, & indubitatis Schismaticis, & inconsutiles tunicae Domini nostri Jesu Christi violatoribus, & dissipatoribus, ac de Catholica fide male sentientibus habendos, & reputandos, poenisque Canonice, & Legalibus contra tales impositis subiacere, & cum Dathan, & Abiron partem, & damnationem habere. Ex qua Constitutione sic appellantes in crimen haereticis incidere existimat Cardinalis Alban. de potest. Papae, & Concil. p. 2. n. 82. An ergo haec est illa improbabilis, & schismatica opinio,*

quam Doctor Ecclesiae hac sua infallibilis auctoritatis Constitutione docendam, & sequendam fidelibus proponit? An non potius appellantes à Pontifice ad Concilium Generale ut Schismatici, & Haeretici centri debent ex vi ejusdem Constitutionis? Maxime, cum, ut nefaria hujus doctrinae pestis ex omni Christiana ditione deiceretur, hoc ipsum damnatum fuerit, & oppositum definitum in Concilio Lateranensi sub Leone X. celebrato, simul reprobante sententiam, quam de superioritate Concilii supra Papam Constantiense, & Basileense Concilia tulerant, eo quod maximè in hoc decreto erraverint: *Nec enim, ut dicit Illustrissimus Arauco de statu civili disp. 4. diff. 1. n. 7. Inconvenit, Concilium, aliàs initio sui legitime congregatum, in progressu in errores prolabi, aut quàm accedat Summi Pontificis confirmatio, ac approbatio. Et ita sanè est, quod Concilium errare potest, prout aliàs erravit, ut cap. De puellis, & cap. Placuit, & cap. Tria 36. q. 2. & ut notat Abbas in cap. Significasti n. 3. de elect. Et ideo licet universale Concilium Ephesinum II. extirpandae haereticis gratia fuerit legitima auctoritate congregatum, & nihilominus Leo Papa minimè probavit ejus definitionem; immo in sequenti Chalcedonensi Concilio, tanquam haeticam damnavit, ut refert Card. Turrecrem. in cap. Anastasius dist. 19. & in summa de Ecclesia lib. 2. cap. 100. Damnatum & fuit hoc à Sixto IV. anno 1483. cujus decretum iussit Ludovicus Galliarum Rex publicari, & promulgari, teste Raynaldo ad annum 1483. quod ut sanctum, & justum laudant Maymbourg, & Charles locis supra citatis. Quid ergo? En Generale Concilium, cui Summus Pontifex verus, & indubitatus praesidebat; quod & recipi ab omnibus debet, cum negari ab ipsis minimè possit, esse infallibilis auctoritatis, hujusque decretum de fide immutabile esse; & tamen rem istam definit: ergo potius improbabilis, & schismatica est illorum opinio, cum fidei definitiones à Conciliis Generalibus hauriendas esse ipsimet fateantur. Quare justissimè appellantes à Papa ad futurum Concilium Generale excommunicationis vinculo innodati declarantur Bulla Coenae Can. 2. cuius tenor est: *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos cujuscumque sexus, gradus, seu conditionis fuerint; Universitates vero, Collegia, & Capitula, quocumque nomine nuncupentur, interdicimus, ab ordinationibus, seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium, ad universale futurum Concilium appellantes; nec non eos, quorum auxilio, vel favore appellatum fuerit. Si ergo infallibilis veritatis Ecclesiae regula, ex sibi promissa Spiritus Sancti assistentia, schismaticam, falsam, & improbabilem, perpetuo anathemate devinctam sententiam oppositam declarat, nullum fat firmum stare potest fundamentum pro ejus probabilitate, jam oppo-**

Qqq 2

sitæ

fitæ sententiæ veritate infallibiliter comper-
ta. Ergo cum in oppositum detur definitio
convincens, ipsam subesse falso, ut assertio
falsa, penitus è Scholis evanuit.

35. Audiant D. Thomam 2.2. q. 11. art. 2.
ad 3. *Postquam ea essent auctoritate universalis
Ecclesiæ determinata, si quis tali ordinationi
perniciter repugnaret, Hæreticus censeretur.
Quæ quidem auctoritas principaliter residet in
Summo Pontifice. Dicitur enim 24. q. 1. Quo-
ties fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes Fra-
tres nostros, & Coepiscopos, non nisi ad Petrum,
id est, ad sui nominis, & honoris Auctorem re-
ferre debere. Contra cuius auctoritatem nec
Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis Sa-
crorum Doctorum suam sententiam defendit.
Unde dicit Hieronymus ad Damasum Papam &c.
Et q. 10. de potent. art. 4. ad 13. ubi pro La-
tina Ecclesia adversus Græcorum querimonias
ita decernat: sicut autem posterior Synodus po-
testatem habet interpretandi Symbolum à priori
Synodo conditum, ac ponendi aliqua ad ejus ex-
planationem, ut ex prædictis patet: ita etiam
Romanus Pontifex hoc sua auctoritate potest,
cujus auctoritate sola Synodus congregari potest,
& à quo sententia Synodi confirmatur, & ad
ipsum à Synodo appellatur. Quæ omnia patent
ex gestis Chalcedonensis Synodi. Nec est neces-
sarium, quod ad ejus expositionem faciendam
universale Concilium congregetur, cum quando-
que id fieri prohibeant bellorum dissidia; sicut in
sexta Synodo legitur, quod Constantinus Augu-
stinus dicit, quod propter imminenti bella univer-
saliter Episcopos congregare non potuit. Sed
tamen illi, qui convenerunt, quadam dubia in fide
exorta, sequentes sententiam Agathonis Papæ,
determinaverunt, scilicet quod in Christo sint
duæ voluntates, & duæ actiones. Et similiter
Patres in Chalcedonensi Synodo congregati, se-
cuti sunt sententiam Leonis Papæ, qui determi-
navit, Christum esse in duabus naturis post Incar-
nationem.*

36. Id æquè perspicuum facit D. Thomas
4. contra Gent. cap. 76. *Ad unitatem Ecclesiæ
requiritur, quod omnes fideles in fide conveniant.
Circa verò ea, quæ fidei sunt, contingit quæstio-
nes moveri; per diversitatem autem sententia-
rum divideretur Ecclesia, nisi in unitate per
unius sententiam conservaretur. Exigitur ergo
ad unitatem Ecclesiæ conservandam, quod sit
unus, qui toti Ecclesiæ præsit: manifestum est
autem, quod Christus Ecclesiæ in necessariis non
deficit, quam dilexit, & pro ea sanguinem suum
fudit, cum & de Synagoga dicatur per Domi-
num, quod ultra debui facere vinea mea, & non
feci? Isa. 5. Non est igitur dubitandum, quin ex
ordinatione Christi unus toti Ecclesiæ præsit. Et
infra: Hinc est, quod Petro dixit ante Ascensio-
nem: pasc oves meas, Joann. ultim. & ante
Passionem: tu iterum conversus confirma Fra-
tres tuos, Luc. 22. & ei soli promisit: tibi dabo
claves Regni Cælorum: ut ostenderetur potestas
clavium per eum ad alios derivanda ad conser-
vandam Ecclesiæ unitatem. Super quem tex-*

tum D. Thomæ dicit Ferrariensis: *ex prædi-
ctis constat, vanum esse, & à fide Christiana alie-
nam opinionem dicentium, Concilium, & Eccle-
siam esse supra Papam, & ipsum Papam ab Ec-
clesia auctoritatem habere, tanquam ab ipsa in-
stitutum.*

37. Vindicat iterum auctoritatem Sedis
Apostolicæ D. Thomas, mentemque suam
aperit Opusc. contra errores Græcorum di-
cens: *Ostenditur etiam, quod Petrus sit Christi
Vicarius, & Romanus Pontifex Petri Successor,
in eadem potestate ei à Christo collata. Dicit
enim Canon Concilii Chalcedonensis. Si quis
Episcopus predicatur infamis, liberam habeat
sententiam appellandi ad Beatissimum Episcopum
antiquæ Romæ; quia habemus Petrum petram
refugium, & ipsi soli libera potestate loco Dei sit
jus discernendi Episcopi criminati infamiam se-
cundum claves à Domino sibi datas. Et infra:
& omnia ab eo definita, ab eo teneantur tanquam
à Vicario Apostolici Throni. Item Cyrillus Je-
rosolimitanus Patriarcha dicit ex persona Chri-
sti loquens. Tu cum sine, & ego sine sine, cum
omnibus, quos loco tui ponam, plenè, & perfectè
Sacramento, & auctoritate cum eis ero sicut sum,
& tecum. Et Cyrillus in lib. Thesaur. dicit,
quod Apostoli in Evangeliiis, & Epistolis affirma-
verunt in omni doctrina, Petrum esse loco Dei,
& ejus Ecclesiam, eidem dantes locum in omni
Capitulo, & Synagoga in omni electione, & affir-
matione. Et infra: cui, scilicet Petro, omnes iure
divino caput inclinant, & Prælates Mundi tan-
quam ipsi Domino Jesu obediunt. Et Chrysostomus
dicit ex persona Filii loquens: *Pasce oves
meas, id est, loco mei propositus esto Fratrum.*
Et immediatè post declarans, ad Summum
Pontificem pertinere determinare ea, quæ
sunt fidei, sic docet. *Ostenditur etiam, quod
ad dictum Pontificem pertineat, quæ fidei sunt
determinare. Dicit enim Cyrillus in lib. The-
sauri: ut membra maneamus in capite nostro Apo-
stolico Throno Romanorum Pontificum, à quo
nostrum est querere, quid credere, & quid tenere
debeamus. Item Maximus in Epistola Orienta-
libus directâ dicit: omnes fines Orbis, qui Domi-
num sincerè receperunt, & ubique terrarum Ca-
tholici veram fidem confitentes, in Ecclesiam
Romanorum tanquam in solem respiciunt: & ex
ipsa lumen Catholicæ, & Apostolicæ fidei reci-
piunt. Nec immeritò: nam Petrus legitur
primò perfectam fidem esse confessus, Domino re-
velante, cum dixit Matth. 16. Tu es Christus
Filius Dei vivi. Unde & eidem Dominus dicit;
ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua.
Et ulterius: *Pater etiam, quod ipse Patriarchis
Prælati existat, ex hoc quod Cyrillus dicit,
quod ipsius S. Apostolici Throni Romanorum Pon-
tificum solius est reprehendere, corrigere, sta-
tuere, solvere, disponere, & loco illius ligare,
qui ipsum edificavit. Et Chrysostomus super
Act. Apostolor. dicit, quod Petrus est vertex
Sanctissimus Beati Apostolici Throni, pastor bonus.
Item etiam hoc patet ex auctoritate Domini di-
centis Luc. 22. Tu aliquando conversus confirma***

Fra-

*Fratres tuos. Hæc D. Thomas. Nusquam hic
mentio appellationis ad futurum Concilium.
Hæreticos nominat pertinaciter resistentes
auctoritati Summi Pontificis. Ad hanc so-
lam attingere statuit articulos omnes, eis-
que contrarios ut falsos, & à Catholica fide
devios reprobare, & quod ejus decretis fem-
per accessit consensus universalis Ecclesiæ.
Ad quid ergo ad istam tanti Doctoris abo-
lendam doctrinam, qui Discipulorum nomi-
ne falsò gloriantur omnem lapidem movent?
Hæc est contradictio pervicax, quæ imperat
ipsis, ut non aliud credant, dum clarissimæ
huic S. Doctoris renuunt acquiescere senten-
tiæ.*

38. Præclare etiam D. Bonaventura lib. 1.
dist. 11. art. 1. q. 1. Græcorum superbiam, &
incredulitatem notans, & causam Latinorum
de Processione Spiritus Sancti propugnans ait:
*Quia cum reputarent se scitulos, & vocati non
fuerint, noluerunt profiteri, quod non erat per
eos inventum... Suam sententiam defendere
ausi sunt, & auctoritati Ecclesiæ Romanæ obvia-
re: & ideo facti sunt Hæretici, quia negant fidei
veritatem: & Schismatici, quia recesserunt ab
Ecclesiæ unitate: potest dici, sicut dicit Ansel-
mus, quod novum edidimus, quod quidem facere
potuimus. Quia Romana Ecclesia plenitudinem
potestatis à Petro Apostolorum Principe accepe-
rat, in quam nulla Patrum sententia nec inter-
dictum ponere, nec arctare potuit, nec ei præju-
dicare, nec ligare eam ad aliquid. Et rursus:
similiter dicunt nos Schismaticos, quia à nobis
incipit divisio: cum enim hoc vellemus asserere,
nolumus eos vocare. Et ad hoc responderi potest
pro Latinis, quod eos vocare non fuit opportu-
num, quia Ecclesia sine eis hoc poterat &c. Et
quia erat periculosum, quia quod pro certo
habendum erat, periculum erat ducere in du-
bium.*

39. His concinit Alensis q. 43. memb. 4.
*Quoniam igitur & necessitas cogebat, & ratio
nulla prohibebat, & vera fides hoc admittebat,
fiducialiter asseruit Latinus, quod confitendum,
& credendum esse cognoscebat. Quod autem qua-
ritur, quare hoc Græcorum Ecclesiæ consensu
factum non est? Respondemus, quia nimis erat
Latinis difficile Græcorum Episcopos ad consu-
lendum de hac re colligere, nec erat necesse, un-
de non dubitabant in quæstionem adducere. Quæ
enim Ecclesia est, quæ per amplitudinem unius
Regni dilatatur, cui non liceat aliquid secun-
dum rectam fidem constituere, quod in Conventu
populi utiliter legatur, aut cantetur? Quantò
magis licet Romanis hoc constanter proferre, in
quo gentes, & omnia Regna, quæ Latinis utun-
tur litteris, pariter concordant.*

40. Angelici Magistri doctrinam tenent
omnes ejus Discipuli. S. Antoninus 3. p. tit. 23.
cap. 3. affirmat, quod qui privilegia Romanæ
Sedi à Christo tradita auferit, hæreticus est.
Et ibi §. 1. inter hujusmodi privilegia supre-
mam numerat potestatem, quam habet re-
spectu Concilii universalis. Quod probat tota

dist. 17. ex caus. 2. q. 6. cap. *Ideo huic Sanctæ
Sedi. Franciscus à Victoria relect. 4. de po-
test. Pap. & Concil. n. 5. dicens, sententiam
Gersonis Cancellarii Parisiensis de auctoritate
Papæ parum differre à Schismate. Eminentis-
simus Cajetanus Opusc. de Auctor. Pap. cap.
6. §. De prima ergo: etsi, inquit, de Ecclesiæ
universali sic sumpta (nempe sine capite, id
est sine Papa omnino) intelligatur, quod habet
immediatè potestatem à Christo; & quod ipsa re-
presentatur per universale Concilium, erratur
errore intolerabili. Videndi Turrecremata
Summa de Ecclesiâ cap. 47. & sequentibus.
M. Banez 2.2. q. 1. art. 10. cum aliis Recen-
tioribus. Ad stipulantur P. Suarez de fid. lib. 4.
cap. 34. Bellarminus lib. 2. de Conciliis cap.
17. Eminentissimus Cardinalis Sfrondatus in
suo Regali Sacerdotio lib. 2. §. 12. sub n. 3.
Scortia ad Constitutiones Pontificias Epith.
38. Theore. 106. & Epith. 166. Theorem. 411.
Hæc est tot eruditissimorum virorum mens,
qui nihil aliud laborarunt magis, quam ut
Ecclesiæ vigentem suo ævo de Sedis Apo-
stolicæ auctoritate doctrinam nobis suo in-
victo munitam testimonio consignarent.*

41. Sed rem accuratius ponderemus.
Non enim aliter cogitari potuit hæc auctori-
tas omnibus retro sæculis. Nam si appella-
tioni datur locus: ergo Summus Pontifex non
est Christi in terris Vicarius, cum à iudice
per Christum constituto ejus vices immediatè
gerenti nefas sit dicere, quod detur appella-
bilis sententia. Ergo non esset caput univer-
sali Ecclesiæ, omnium fidelium pastor, &
Magister; cum ejus iudicium subiceretur
reformationi alterius iudicis. Ergo duplex
daretur Ecclesia, quæ appellat, & à qua ap-
pellatur. Quis in hoc schismaticam, atque
hæreticam petulantiam non agnoscat? Dum
altare contra altare erigentes Apostolicæ Sedis
destruunt auctoritatem: quod schismatico
pronunciavit Pontifex Pelagius cap.
Schisma 24. q. 1. dicens: *Adversus auctori-
tatem illarum Ecclesiarum, quæ ab Apostolica
Sede Epistolas accipere meruerunt temerè cre-
dendo, immanissimum Schismatis crimen à se
propulsare non poterunt. Ad summam, aut illos
Ecclesiam esse creditis, & cum duæ Ecclesiæ esse
non possint: nos (quod absit) Schismaticos judi-
cabitis: aut si veram in Apostolicis Sedibus esse
constat Ecclesiam, & illos ab unitate divisos cog-
noscite, & communionis quæstionem esse subla-
tam, quam veram nisi in unitate constat esse non
posse: quod & pluribus textibus probat Jacoba-
tius lib. 10. quia nempe conatur auferre privile-
gium capitis, & principalitatis, quod est in
Papa: ut in cap. Rogamus 24. q. 1. & in cap.
Non decet 12. dist. & cap. Præceptis ea dist. &
aliis similibus. Item quia conatur auferre pri-
vilegium plenitudinis potestatis, quæ est in so-
lo Romano Pontifice, ut in cap. Decreto. Et cap.
Qui se scit 2. q. 6. & in cap. Ad honorem de auctori-
rit. & usu Pallii & cap. Proposuit de concess.
Præb. Ulterius, quia conatur auferre privile-
gium*

gium superioritatis Papæ ad Concilium, quia Papa dat robor Conciliis, ut in cap. *Significasti* de elect. Tandem conatur auferre privilegiū, quod à nullo iudicatur nisi à Deo, ut in cap. *Nemo* & cap. *Altorum* & cap. *Facta* q. 5. & cap. *Si Papa* 40. dist. ergo redarguenda est ut Schismatica huiusmodi appellatio: quare Ennodius Ticinensis Episcopus grassationes Euty-chianorum in Oriente lamentatus diū, sic tandem ait: *Proinde Fratres, manentem in supernis Petrum, & adhaerentem B. Petro tenete sententiam; quia nos munda Ecclesiæ, & non habentis maculam optamus unitatem.*

42. Secundò: cum præsepè non debeat, nec possit generale Concilium congregari, hac admiffa appellatione, quæ non accenderetur flamma discordiæ? Qualis non impacata audiretur dissensio? Errores, nemine obfistente, crescerent; fidelium membra confunderentur ad invicem; omnes in situm sibi crederent spiritum veritatis; & quidquid propriarum opinionum suggereret contumacia, hoc statim contenderent esse Spiritus Sancti oraculum, quod omnes subditi audire tenerentur. Effet ergo maxima inter Fideles contentio; destrueretur, & non esset constans Spiritus veritatis; non esset in pacis vinculo unitas, nec perpetua, ac inconcussa charitas. Hæreses omnes impunè grassarentur, & non haberet Ecclesiæ extra Concilium potestatem Hæreticos coercendi. Redderetur nobis statim incerta plurimorum Hæresum facta condemnatio, cum plures non sint per Concilium generale damnatæ, sed solum per Romanæ Ecclesiæ iudicium, & decretum: quinimmo ipsa etiam decreta generalium Conciliorum, quorum verba multoties aut malitia, aut ignorantia hominum huc illuc distrahuntur, nullius auctoritate iuxta legitimum sensum firmari valerent. Sic in derisum inimicorum verteretur Ecclesiæ. Quod fermè totum disertissime ponderat Pii citata Constitutio sequentibus verbis: *Inolevit abusus, ut à Romano Pontifice Jesu Christi Vicario, cui dictum est in persona B. Petri, pascere oves meas, &c. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis, &c. ad futurum Concilium provocare præsumant, quod quantum sacris Canonibus adversetur, quantumque Reipublicæ Christianæ noxium sit, quisquis non ignarus iurium intelligere potest. Namque (ut alia prætereamus, quæ huic corruptelæ manifestissime refragantur) quis non illud ridiculum iudicaverit, quod ad id appellatur, quod nusquam est, nec scitur, quando futurum sit? Pauperes à Potentioribus multipliciter opprimuntur, remanent impunita scelerata, nutritur adversus primam Sedem rebellio, libertas delinquendi conceditur, & omnis Ecclesiastica disciplina, & Hierarchicus Ordo confunditur.* Quæ ergo est magis certa Schismatica pravitas; dum Fideles in sensu suo abundantes, eam detestantur doctrinæ veritatem, quam Apostolica Sede roboratam agnoscit ferè tota universalis Ecclesiæ? Ad quid appel-

latio? Cujus appellationis temeritatem, satis redarguit S. Leo loquens de Sectatoribus Eutychetis dicens: *Quæ patefacta sunt quaerere, quæ perfectæ sunt retractare, & quæ sunt definita convellere; quid aliud est, quàm de adeptis gratiam non referre, & ad interdita arboris cibum mortiferos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere? . . . Detestandum ergo nobis est, perseveranterque vitandum, quod fraus hæretica nititur obtinere; nec in aliquam disceptionem pe, & plenè definita revocanda sunt, ne ad arbitrium damnatorum ipsi de his videamur ambigere, quæ manifestum est per omnia Prophetis, & Evangelicis, & Apostolicis auctoritatibus consonare.*

43. Tertiò: si inter Patres, convocato Concilio, exoritur controversia, ut lis, & quæstio finiatur, ad alicujus auctoritatem provocandum erit; cum & Judex in Ecclesiæ debeat esse, & profligandi erroris, & fidei faciendæ una debeat esse ratio, una potestas, una veritas, una & regula fidei. Quis ergo erit Judex ille ad exquirendam perfectissimam, & accuratissimam veritatis controversiæ fidem? Non Summus Pontifex ex Cathedra docens; cum ab ipso fiat appellatio, & consequenter incertum foret ejus iudicium. Non Concilium generale; cum Patres supponantur inter se dissentientes, & discordantes: ergo in ancipiti, & incerto penderet fides Ecclesiæ; non esset vera, certa, infallibilis, & omnibus nota fidei regula. An non est hoc apertissima, ac prævaricatoria Sedis Apostolicæ irreverentia? An non est negare, quod S. Petrus perpetuò in firmamento Ecclesiæ luce veritatis irradiet? Hoc sanè statuere est, quod Ecclesiæ Hæresim fovet; quod ipsa, hæc insurgente discordiâ, firma, & immobilis non persistat: ergo evidens est, quod semetipsum à Sede Apostolica segregantes spiritum, fidei non habent, quod & ipsi in unitate hujus spiritus, quo sunt omnes Catholici inconcussa societate, & communionem connexi, minimè sunt; quia in partem solum esse volunt; nam quomodo potest ipse cum aliquo convenire, qui cum corpore ipsius Ecclesiæ, & cum universa fraternitate non convenit? Quomodo autem possunt duo, vel tres in nomine Christi colligi, quos constat à Christo, & ejus Evangelio separari? Ut dicitur cap. *Alienus* caus. 24. q. 1.

44. Quartò: demus ipsis (quod nunquam concedam, & Deus avertat) quod causa fidei sit iudicanda ultimò ab universali Ecclesiæ, & quod detur appellatio ad Concilium generale: hoc sanè poterit esse, si nova sit exorta Hæresis, neque hæcenus ab Ecclesiæ damnata; at ubi Hæresis nova non est, ubi Constitutio Sedis Apostolicæ errorem damnans est, ut iustissima, à tota Ecclesiæ acceptata, transitque in rem iudicatam, quodnam est hujus appellationis fundamentum? Sed errores Constitutione *Unigenitus* damnati, ab eodem Janfenii fonte, ac radice derivantur, ut modò videbimus; & Constitutio

In-

Innocentii X. fuit iussu Regis Christianissimi in Gallia publicata, & eo, quo par erat, reverentiæ, & obedientiæ sensu admiffa, non solum ab aliis Galliæ Universitatibus, sed & ab ipsâ Facultate Parisiensi, quæ æquissimum, & ad omnes juris regulas accuratissimè exactum Sedis Apostolicæ de quinque Janfenii propositionibus iudicium declaravit; decreta expulsionis à suo ordine adversus rebelles, ac contumaces ferens: sicuti & in Belgio, imposita etiam fuit lex iis omnibus, qui ad aliquod seu Civile, seu Ecclesiasticum munus promoveri cuperent, ut propriâ syngrapha, ac iuramento testarentur *se obsequentes esse S. R. Ecclesiæ, & S. D. N. Innocentio X. Pontifici Romano, & acceptare debitam obedientiam Constitutionem Urbani, in qua damnatur, & prohibetur liber Janfenii.* Ad quid ergo sententiam damnationis latam lacerare, aut huiuscemodii appellatione eludere? Rogo enim: vel fideliter amplexi sunt Constitutionem Innocentii X. contra Janfenii Hæresim, hancque sincerè, & studiosè detestantur, vel non? Absit hoc secundum; nam apertè essent Hæretici, & ab avita Majorum suorum fide, & doctrina discederent: ergo pro suo in tuenda religione studio primum concedi debet. Quod si ita est, quænam modò urget repugnantia, ut eâ Majorum suorum fide imbuti Constitutioni *Unigenitus* debitum mentis non præstent obsequium? Quanto meliori iure præsentem Constitutionem observantiâ debitâ colere deberent, si error idem proferbatur, & modò est à Constitutione Apostolica prostratus, quem illi ipsi ejuravere, & modò omnes ejurare tenentur.

45. Quintò: quæ non ex huiusmodi appellatione insurgunt absurda? Nam si appellationi locus est, qui à Summo Pontifice damnati sunt, ut Hæretici, absolvi possent à generali Concilio, cujus iudicium reformare possent: ergo desinente Pontifice, malè possent fideles eligere credibilia, ut de Hæreticis notat D. Thomas 2. 2. q. 11. art. 1. Secundò sequitur, quod falsum posset subesse fidei, quod nefas est dicere, ut probat D. Thomas 1. p. q. 1. art. 8. & q. 13. art. 12. & 2. 2. q. 1. art. 3. & q. 4. art. 5. & q. 10. art. 2. ad 3. & 3. p. q. 46. art. 2. ad 4. cum res à Summo Pontifice definita posset, ut falsa, à Concilio generali reformari. Tertiò: permiffus esset error usque ad definitionem Concilii; & de rebus fidei non esset æqualis certitudo, cum certiore velint ipsi definitionem esse Concilii definitionem Summi Pontificis, cujus oppositum apertè docet D. Thomas in 3. d. 29. art. 2. ad 1. Et tandem fides credentium non esset æterna, & immutabilis, variareturque substantia, & fundamentum totius spiritualis ædificii. Quid ergo magis Schismaticum, injuriosum Ecclesiæ, propudiosum auctoritati Sedis Apostolicæ dici, aut excogitari potest? Cum hoc sit confiteri, quod Ecclesiæ credens auctoritati infallibili Summi Pontificis, pos-

sit aliquando demergi in nefandum hæresis barathrum; illa nempe quæ a portis inferi nusquam pro Dei permissione vincitur; & quod in Synodo generali tetris erroris umbris obscuratus, & obtenebratus videri possit Sol Ecclesiæ, Præsidentis in Concilio, ut luminare majus, declarans in Concilio, Summo Pontificem errasse in definiendo.

46. Tandem injustitiæ, & temeritatis maximæ, admiffa hac appellatione, redargui potest & Summus Pontifex; nam si talia sunt fidei iudicia, quæ postea revocari possunt, revocato hoc iudicio verificaretur, quod Summus Sacerdos mundum, leprosum fecerit, alligans eum, qui insons erat: quod ut injustum maximè reprobatur cap. *Quomodo* caus. 11. q. 3. Quid etiam injustius? Quàm ut hæreticum denunciare, qui aliquando ab Ecclesiæ posset absolvi: cum iudicari non debeant incerta, & dubia, ut constat ex cap. *Nomen* caus. 2. q. 1. *Nomen Presbyteri præterea non ausus sum de numero collegarum ejus vel suppressere, vel delere, ne Divina pietatis potestate, sub cuius examine causa adhuc pendet facere videretur injuriam, si illius iudicium meo vellem iudicio prævenire: quod nec in negociis secularibus Judices faciunt, quando ad majorem potestatem dubitatio refertur, ut pendente relatione aliquid audeant commutare.* Quæ sanè temeritas iudicandi non ei, qui iudicatur, sed in maximum Sedis Apostolicæ dedecus vertetur, cum temeritas iudicandi non ei, qui iudicatur, sed Judici noceat, ut dicitur cap. *Temerarium* caus. 11. q. 3. *Temerarium iudicium plerumque nihil nocet ei, de quo temerè iudicatur, ei autem, qui temerè iudicat, ipsa temeritas necesse est, ut noceat, &c.* cap. *Quid obest homini.* Videant ergo ipsi, an hujus temeritatis, & injustitiæ redargui possit à Catholicis Sedes Apostolica, dum major ipsis amor nominis, & honoris hujus Sanctæ Sedis, & zelus Religionis incumbit? Videant, an probabilis possit dici opinio illa, quæ sic audet temerare Sedem Apostolicam, Divinis institutis obniti, Majorum suorum consuetudinem, observatamque praxim adulterare? Videant, an probabilis sit illa opinio, in cujus positione nulla Sedis Apostolicæ reverentia, nulla pietas, nulla Patrum, nulla Majorum suorum veneratio avitarum traditionum, & Sacrorum Canonum summus respectus; cujus sequaces sunt fulmine excommunicationis percussi; & ejusdem opinionis auctores à Sedis Apostolicæ communionem suspensi? Non illi auctoritatem Sanctæ Sedis diligunt, sed se ipsos; non veritatem, sed perceptas opiniones suas. Sunt, & volunt esse suæ tenaciores voluntatis, quàm veritatis. Unde Sedes Apostolica appellantes execrata, & detestata est. Magnus Papa Leo Euty-chianos Alexandrinæ Ecclesiæ Legatos, nec ad aciem usque salutationis admiffit. S. Stephanus Papa, & Martyr Legatos Episcopos S. Cypriani circa baptismum errantis nec ad sermonem col-

colloquii saltem communis admittit, & omne illis apud Fideles interdixit hospitium. Agapetus Antimi Constantinopolitani Patriarchæ præsentiam sprexit, eumque ad salutandum suscipere noluit. De Græcorum Episcopis sibi circa tria famosa Capitula obedire detrectantibus, ad omnem Ecclesiam scripsit Vigilius Pontifex: *Eos ulterius non permittimus esse nostræ communionis participes, nec ad spectus eorum oculi nostri receperunt.* Pyrrhus Euty-chianus Constantinopolitanæ Ecclesiæ Antistes convictus à S. Abbate Maximo, & confusus humiliter supplicavit: *Hoc unum & solum rogo, primum quidem, ut merear Apostolica delubra, magis autem ipsos Apostolorum Principes adorare.* Deinde verò, *ut liceat Sanctissimum Papam in faciem videre, eique libellum eorum, quæ absurdè gesta sunt, tradere.* Cui S. Maximus, ac Gregorius Patritius responderunt: *Quando tua propositio bona est, atque utilis, scifiat.* Tunc Pyrrhus ex Africa Romam venit, & S. Maximus pergit: *In hanc celeberrimam Urbem Romam cum Pyrrhus venisset nobiscum, promissum implevit, damnavitque impiæ Ecthesios dogmata, ac se per rectam professionem cum Sancta Ecclesia conjunxit.* Sic inobedientes suis decretis Sedes Apostolica indignè tulit, ut refert Lupus de *Romanis appellat.* cap. 7. Et meritò sanè; nam dicant, amabò, qui à Sede Apostolica ad Concilium generale provocant, qualem ipsi in rebus fidei Summi Pontificis potestatem agnoscunt? Si namque ad res fidei, & morum non sufficit ejus auctoritas, sed necessaria est Synodus Oecumenicæ: ergo solum Papæ competet plena auctoritas denunciandi ante damnatum per aliquam generalem Synodum; quòd nempe sit executor sententiæ latae adversus auctores hæreseos, & ejus complices; sed hæc auctoritas communis est omnibus Episcopis: ergo non aliam agnoscunt auctoritatem, quàm illam, quæ Episcopis convenit. Quòd falsissimum est, & derogans Sole clariori Sedis Apostolicæ dignitati; cui non circumscriptam, diminutam, sed plenissimam definiendi potestatem dedit Christus; & quæ nec falso, nec pravo dogmate quemquam fefellit, nec ab aliqua hæresi, à Summo Pontifice falli potest; cum non ipsum permetteret Spiritus Sanctus in talem erroris foveam collabi. Verum supervacaneum duco de iis, quæ tam aperta turpitudine laborant, tantaque facilitate redargui possunt, omninò curare. Sit ergo certum, quòd tam ad totum Concilium generale integrum, & perfectum, utpote constans ex capite, & membris, quàm ad Summum Pontificem, immutabili Divino

privilegio spectat de controversiis fidei ir-reformabili judicio judicare; ita quòd Summi Pontificis in definiendo auctoritas, nec à Concilio generali dependet, nec à consultatione, aut Concilio cujuscumque alterius, nec ab acceptatione fidelium. Est independens à Concilio; nam si fides Pontificis penderet à consensu Concilii, & non è contra Concilii fides à fide Petri; ipse non confirmaret Fratres suos, sed confirmaretur ab eis. Non dependet à consultatione, seu consilio cujuscumque alterius; aliàs esset ejus auctoritas imperfecta, cum non accedente consensu, maneret suspensa, expectans conditionis eventum. Non tandem ab acceptatione Fidelium pendet; nam eo ipso, quòd à summo Pontifice res, ut fide credenda, proponitur, quilibet fidelis obligatur ex fide assentiri; cum constet eo ipso, esse rem à Deo revelatam, & consequenter fide Divina credendam; unde Deo specialiter dirigente, vel Summus Pontifex non definit, aut si definiat, verum pronuntiabit, assimarique debet prudentissima ejus definitio; quia tunc procederet ex aliqua prudentissima ratione, aut Deo specialiter movente; semperque ejus postulato media oratione auxilio; etenim exaudita fuit efficax Christi Domini oratio, ut non deficeret fides ejus. Quare suprema Hispaniæ Inquisitio, cujus inexpugnabilis custodia ad Regni securitatem à Deo, & Sede Apostolica est concessa, contra errores decertans, decreto edito anno 1683. sequentes proscripsit propositiones: *Papa in decidendis articulis, qui pertinent ad fidem, non est infallibilis absque consensu Ecclesiæ.* Et istam: *Concilium est supra Papam.* Primam dixit erroneam esse, & hæresi proximam. Secundam erroneam, & Schismaticam pronuntiavit. Hoc attentè legentes legitimum reor comper-turos; non quòd nostris laboribus quidquam deferendum censeamus; sed quòd aliàs dispersa veritatis argumenta objicienda oculis collegerimus. Quos etiam Pelagii II. verbis convenimus, ad Episcopos scilicet ab Ecclesia separatos: quia nempe falso credebant, nullam fuisse trium Capitulorum proscriptionem, ipsaque derogari auctoritati Concilii Chalcedonenis: *Si cum studio charitatis quæ à nobis scribuntur cum timore sollicitè, vigilanterque relegeris, facile sentietis, quantum sit periculum pro superfluis questionibus, & Hæreticorum defensione Capitulorum tandem ab universa Ecclesia separari.* Sed à Viris diffidii ad materiæ controversiam, seu ad id, quòd damnatum est in propositionibus Quesnelli convertamur.

DU-

DUBIUM II.

Utrum æquissima sit contra propositiones Paschalis Quesnelli, quæ ad tractatum de gratia pertinent, Sedis Apostolicæ sententia?

EO tandem instituti nostri perventum est, ut eum præcipuum articulum ex his, qui tota hac disputatione circumferuntur, diligentius pertractemus; ac nempe justum fuerit Ecclesiæ judicium contra Quesnellum, quo nempe Summus Pontifex Clemens XI. Constitutione *Unigenitus* pullulantis erroris novitatibus resistens, pro anti-quissima fidei veritate, omnes & singulas respectivè propositiones in dicta Bulla præcon-tentatas damnavit his verbis: *Falsas, captiosas, malè sonantes, temerarias, Ecclesiæ, & ejus praxi injurias, neque in Ecclesiam solum, sed etiam in Potestates sæculi contumeliosas, sedi-tiosas, impias, blasphemias, suspectas de hæresi, ac hæresim ipsam sapientes, necnon hæreticis, & hæresibus; ac etiam Schismati faventes, erroneas, hæresi proximas, pluries damnatas, ac de-mum etiam hæreticas, variasque hæreses, & pot-issimum illas, quæ in famosis Jansenii propositio-nibus, & quidem in eo sensu, in quo hæc damnatæ fuerunt, acceptis, manifestè innovantes, respecti-vè, hæc nostræ perpetuè valitura Constitutione de-claramus, damnamus, & reprobamus.* Has omnes propositiones infallibili judicio damnat Pon-tifex; cujus decreto, quo nempe causa finita fuit, cum contenti deberent esse omnes Ques-nelli Affectæ, contra probatam de hac re, sententiam, turbulenta, & insidiosa iniqui-tate, ad novum examen provocare audent; non agnoscetes, quòd in plurium hæresum, maxime Jansenii damnationem simul ipse in-currat Quesnellus, qui Jansenii erroribus suam communionem miscuit. Ejusdem nam-que hæresis, ejusdem erroris, ejusdem teme-ritatis, ejusdem scandali est illius dogma, ac dogma Jansenii; quare cum jam damnatam, in illo hæresim renovet, necesse erat, ut & eadem recideret in Quesnellum justa lance sententia. Quis enim neget, quòd apertè hæ-retici sint, qui damnatam sententiam se-quantur? Dicitur enim caus. 24. q. 1. cap. *Quod autem: Omnis enim Hæreticus, aut jam damna-tam hæresim sequitur, aut novam confingit: qui verò hæresim jam damnatam sequitur, ejus dam-nationis se participem facit.* Quare cum Aca-cius absque Synodali auctoritate ab Aposto-lica Sede damnatum quereretur, contra eum Gelasius Pàpa scripsit, dicens: *Acacius non est factus inventor novi erroris, sed veteris imita-tor: atque ideo non erat necessarium, ut adver-sus eum nova sententia prodiret, sed antiqua tantummodo renovaretur. Factus sum itaque executor veteris constituti, non promulgator novi.* Quicumque enim in hæresim semel damnatam labitur, ejus damnatione se ipsum involvit. Un-

de cap. *Majores* resolvit Summus Pontifex, minime retractandum esse, quòd semel con-tra unamquamque hæresim est ab Ecclesiæ statutum. Sic ille ad Episcopos Dardaniæ: *Majores nostri Divina inspiratione cernentes ne-cessariò præcaverunt, ut quòd contra unamquam-que hæresim coacta semel Synodus pro fidei com-munione, & veritate catholica, atque Apostolica promulgasset, non sineverent, novis post hæc retrac-tationibus mutilari, ne pravus occasio præbere-tur, quæ medicinaliter fuerant statuta, pulsandi: sed auctore cujuslibet insania, ac pariter er-rore damnato sufficere judicaverunt, ut quisquis aliquando hujus erroris communicator existeret, principali sententia damnationis ejus esset obstri-ctus. Sic Sabellium damnavit Synodus, nec fuit necesse, ut ejus Sectatores postea damnarentur, sed pro tenore Constitutionis antiquæ, qui vel pravitatis illius, vel communionis extiterint participes, universalis Ecclesiæ duxit esse refu-tandos.*

2. Hæresis est centuplex illa hydra erro-ribus, & plagis suis crescens, non aliud in-crementum obtinens, quàm ut pluries Vati-cani conquassetur fulminibus. Quòd elegan-tissimè scribit S. Ambrosius lib. 1. de fide, cap. 3. *Da veniam, Sancte Imperator, si ad ipsos verba converto. Sed quem potissimum legam, Eudoxium, Eunomiumve, an Arrium, vel Etium ejus Magistros? Plura enim nomina, sed una perfidia impietate non dissonans, sed cogita-tione discreta. Cur enim secum nolint convenire, non intelligo. Eunomii personam diffugiunt Ar-riani, sed ejus perfidiam asserunt, impietatem exequuntur. Ajunt enim prodidisse effusius, quæ Arrius scripserat. Magna cœcitate effu-sio. Auctorem probant, executores refutant. Itaque nunc in plures sese divisere formas. Alii Eudoxium, alii Eunomium, vel Etium, alii Pal-ladium, vel Demophirum, atque Ausentium, vel perfidia ejus hæredes sequuntur, alii diver-sos. Numquid divisus est Christus? Sed qui eum à Patre dividunt, ipsi se scindunt: & ideo quo-niam communiter adversus Ecclesiam Dei, qui-bus inter se ipsos non convenit, conspirarunt, communi nomine hæreticos, quibus respondendum est, nominabo. Hæresis enim velut quædam hy-dra fabularum vulneribus suis crevit. Sic Ba-jus, Jansenius, Quesnellus plura sunt nomi-na, sed dogmatis una perfidia; unum est do-gma, sed nec dissimile fraude, nec ab ejus impietate dissonans: & cum quolibet, quo exoriatur tempore, semper sibi simile surgat, uno, eodemque opprimi debet Ecclesiæ ful-mine, quo ante justè contritum evanuit.*

3. At cum ex propositionibus damnatis

Rrr

mul-

multæ sint ad diversos tractatus pertinentes, nempe de Lectione Scripturæ Sacræ, de Divinorum officiorum celebratione, de dilatione absolutionis, & reconciliationis poenitentium, de impiorum oratione, de timore poenarum, de Ecclesia, de legibus, de afflictionibus, ac persecutionibus fidelium, juramentis, & de excommunicatione; quarum impugnationes parum lucis ad argumentum, quod versatur, afferre possunt; ideo nos, qui sedula, vigilantique investigatione veritati inquirendæ circa efficaciam gratiæ studemus, omiſſis illis, pressius, & diligentius examinabimus omnes, quæ ad gratiam pertinent, quippe non satis liquet veritas, nisi ex mendacii confutatione; nec lux aliàs magis radiat, quàm ex comparatione tenebrarum. At non examinabuntur eo ordine, quo in laudata Constitutione adnotantur, sed redactæ ad propriam classem, ut cuilibet nota sit absurditas propositionum, æquissimum Ecclesiæ iudicium, abusus, & iniquissima eas adhuc defendentium petulantia: quod tribus sequentibus §§. explicatum dabimus. In primo explicabuntur propositiones, in quibus negat iustis volentibus adimplere præcepta Dei gratiam, qua possibilia fiunt, & illas, quibus denegat etiam peccatoribus gratiam sufficientem ad bonum faciendum, & vitandum malum. In secundo omnes, in quibus nullam agnoscit resistibilem gratiam. In tertio demum illas, quibus in Deo voluntatem non admittit, nisi efficacem, infallibilem, & infrustrabilem; immo & gratiam necessitantem: quamvis satius foret confosas semel decretis Apostolicis propositiones ad novam disputationem minimè revocare: ne venenata dogmata afflatu pestifero aliis sint in ruinam; ut de erroribus Euthychetis scripsit Ferrandus Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus in Epist. ad Anatolium Romanæ Ecclesiæ Diaconum: *Post Epistolam B. Leonis Papæ, & salubria Chalcedonensis decreta Concilii, sancte frater Anatoli, non indiget Euthychetis olim damnata perfidia pleniore disputatione convinci. Sepultus ergo jaceat in cineribus suis nefanda hæreseos profanus inventor. Semel illum fulmine anathematis judicantium Sacerdotum percussit auctoritas: quid opus est iterum cadaver exanime gladio veritatis interfici? Doctrinam simul carentem lumine rationis, perpetui silentii carcer abscondat. Interdum pessima dogmata, dum quasi expugnanda proferuntur, veneno pestifero simplicium corda perturbant. Satis est ita nescire, fidemque Catholicam suppositis profanis novitatibus inviolabilem custodire: manentibus in pristina firmitate, quæ sunt etiam Synodalibus roborata definitionibus.* Non ergo pleniori disputatione perfractarios convincere est animus. Hoc sanè minimè decens, nec expediens. Satis clarum, quod est definitum, & determinatum; ut per novas disputationes, seu alias altercationes, vel aliter quomodolibet in dubium, non oporteat ulterius revocare.

Ubi de excelsio gloriæ suæ Throno residens loquitur Summus Pontifex, nihil valet hominum scientia, nihil Magistrorum eruditio; nihil Universitatum nobilissima ingenia; sola Summi Pontificis infallibilis auctoritas super omnes est, universa evacuat. Æquum igitur est habere ratum, quod tantus Pontifex infallibili, ac irrevocabili iudicio declaravit. Quare solum per modum instructionis, quoad aliquos salutiferæ, procedimus; ut sincerum veritatis lumen videant, & orthodoxa doctrina clarius exponatur ipsis, eorumque error argumentis Theologicis refutetur.

S. I.

Proponuntur Propositiones, quibus iustis conantibus, & volentibus negat gratiam, qua Dei præcepta sint ipsis possibilia.

- Prop. 2. *Jesu Christi gratia, principium efficacis boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum: absque illa, non solum nihil fit, sed nec fieri potest.*
3. *In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das, quod præcipis.*
4. *Ita Domine; omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.*
5. *Quando Deus non emollit cor per interiorum unitionem gratiæ suæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.*
6. *Discrimen inter Fædus Judaicum, & Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto vero Deus peccatori dat, quod jubet, illum sua gratia purificando.*
7. *Quæ utilitas pro homine in veteri fædere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ vero felicitas non est admitti ad fædus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?*
8. *Nos non pertinemus ad novum fædus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.*
9. *Gratia Christi est gratia suprema, sine qua consistere Christum numquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.*

AD harum propositionum intelligentiam supponendum, quod in hoc totius Quesnellianæ pestis virus reconditur, quod Jansenii Episcopi Iprensis sequens vestigia, sufficientem gratiam pro virili à naturæ lapsæ finibus exterminare intenderit; cum nec in consequentibus, & in antecedentibus, aut universis ejus propositionibus appareat quidquam, unde gratia sufficiens ab-

efficaci distincta ab eo unquam agnita cognoscatur. Et quod magis est in suis scriptis post damnatas Propositiones, quo plenius ejus protervia dignoscitur, solum cavillationibus, subdolis, & circuitibus variis restitit Sacrosanctæ Unigenitæ definitioni. In perniciem ergo animarum Jansenii erroribus studens, & Sacrosanctæ Sedis Apostolicæ contra Jansenium Constitutiones contemnens, hanc solum ideam gratiæ proponit; quod nempe gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare; quod non est aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis, ac facientis quod jubet; quod est vox illa Patris, quæ homines interiorius docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum; quod nihil aliud est, quàm ejus omnipotens voluntas; quod hanc ideam Deus nobis in omnibus suis scripturis tradit; quod vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi à nobis obediri, & obeditur, imperat, & omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt. Et tandem, quod gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpotè quæ est operatio voluntatis omnipotentis, sequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & resuscitantis Filium suum. Hanc sibi universalem finxit ideam gratiæ; cum omnes ejus Propositiones sint indefinitæ, & omnes in materia doctrinali æquivalent universali. Nullam ergo gratiam sufficientem agnoscit. Etenim gratia sufficiens, quæ vera Christi gratia est, non est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare. Non est voluntas omnipotentis Dei jubentis, ac facientis quod jubet; vel vox illa Patris, quæ homines interiorius docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum, vel gratia, quæ vult sibi à nobis obediri, & obeditur, imperat, & omnia fiunt; & qua loquitur tanquam supremus Dominus. Et tandem non est gratia sufficiens gratia illa fortis, potens, suprema, invincibilis operatio voluntatis omnipotentis, sequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & resuscitantis; quod tot repugnat Sacrarum Scripturarum oraculis, definitionibus Apostolicis, SS. PP. & Conciliorum testimoniis: quare exclusa gratia sufficiente, justè Ecclesiæ fulmine percussæ sunt omnes ejus Propositiones.

5. Et quidem primò propositio secunda, cujus ex dictis facilis, & clara redditur expositio, apertè rejicit omnem gratiam sufficientem, & solum agnoscit gratiam efficacem: quod sanè exprimit vox ista, *principium efficacis*; etenim efficaciam dicta de gratia, nominat gratiam efficacem, ut ipsa naturalis verborum significatio naturaliter representat; sicut & efficaciter probat communis, & usitatus in Scholis loquendi modus. Hanc ergo efficacem gratiam, & efficacem ab intrinseco necessariam agnoscit ad omne opus bonum, & quidquid sit, an loquatur de omni opere bo-

no meritorio, vel de omni opere bono moraliter, quod vires naturales non excedit, & quod sine tali divinæ gratiæ munere operari potest homo, ut explicat D. Thomas q. 24. de verit. art. 12. & cum eo consentiunt omnes Theologi; hoc tamen certissimum est, quod hanc efficacem gratiam ita necessariam agnoscit, quod *absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest*: ergo in eo, qui caret gratia efficaci nulla datur alia gratia sufficiens ad non peccandum, & ad sinceram mandatorum possibilitatem conciliandam.

6. Explicat satis clarè hanc secundam Propositionem tertia; dum dicit: *In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das, quod præcipis.* Quibus negationem gratiæ sufficientis ad implenda præcepta iterum repetit, solum gratiam efficacem admittens, quæ Deus dat actum ipsum, quem præcipit, vel ipse solus operatur observantiam Præcepti; & consequenter, si gratia efficax, aut victrix deest, quæ det id, quod præcipit, deesse gratiam quæ possibilia sint præcepta Dei. Non enim dicit, in vanum præcipis, si non das media gratia sufficiente potestatem ad id ipsum, quod præcipis; hic namque Catholicus sensus maxime distat ab illius positione, nullam agnoscens gratiam sufficientem distinctam ab efficaci: quare sensus germanus, & ab ipso intentus est, observantiam mandatorum solum per efficacem gratiam, & non per sufficientem esse possibilem; ita quod apud ipsum verissimum est dicere; ideo aliquid est possibile, quia præcipitur; quæ æquivalet huic; homini impossibile est servare mandata Dei, & in tantum servari possunt, in quantum, cum Deus præcipit, dat ipse, quod præcipit: sic Deum injustum faciens Legislatorem, & in vanum præcipere affirmans, dum non dat gratiam efficacem, quæ det quod præcipit.

7. Id ipsum non minori claritate elucescit in quarta, quæ expressè affirmat, observantiam mandatorum expectari solum debere à Deo, operante Deo in nobis; quasi nos liberè non cooperaremur operanti Deo; quæ operatio Dei, cum non sit per gratiam sufficientem, sed per efficacem, quam victricem, invincibilem, effectricem, supremam, & omnipotentem agnoscit, falsum penitus est apud ipsum dicere: *Ideo aliquid à Deo præcipitur, quia est possibile*; cum præceptum non supponat per prius virtutem, & potestatem, vi cujus res præcepta sit possibilis: unde posse benè velle, deficiente efficaci gratia, est juxta ipsum impossibile. Hic est propriissimus harum trium Propositionum sensus obvius, & quem juxta communem modum loquendi, verba exhibent. Non tanquam res diversas fieri à posse fieri contradistinguit; ad utrumque requirit principium efficax, quo circa, excludit adjutorium sufficiens distinctum ab adjutorio efficaci: cum nihil juxta ipsum homo facere per gratiam possit, quod semel non fiat, & quod Deus non operetur in ipso, cum

præcipit. Quare sit evidens, quod non affirmat in Propositionibus istis meram negationem actus, sed negationem potestatis simpliciter talis. Quæ enim, amabo, est potestas illa quæ in istis Propositionibus negatur? Non potestas consequens: ineptus quippe esset sensus Propositionis, magisque ridicula adversativa, qua utitur, absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest: quod esset idem, ac dicere: absque illa non solum nihil fit, sed nec fit: quod æquè ridiculum est, ac si quis de causa, aut principio efficaci, ut quid maximum, ita pronunciaret: absque illo, non solum non datur effectus, sed nec est: ergo non potestatem actui conjunctam negat solum Quesnellus, sed potestatem antecedentem, ut exinde inferat, ut verus Jansenii Discipulus, non solum absque gratia nihil fieri, sed & deficere potestatem; Deum in vanum præcipere, si non dat id ipsum, quod præcipit, cum exclusa gratia efficaci non sit alia potestas sufficiens ad adimpletionem: nullum quippe juxta ipsum datur auxilium, nisi quod cum effectu certissime connectitur, vel nisi quo Deus potenter, fortiter, insuperabiliter, indeclinabiliter in nobis operatur.

8. At quæ non ex utriusque positione insurgunt inconvenientia? Quid enim magis Catholicæ fidei contrarium, quam quod homo careat auxilio necessario ad adimpletionem præcepti, & quod homo justus solum illud bonum possit operari, quod Deus vult efficaciter ipsum operari, & quod si non operatur, est, quia Deus non vult, ipsum operari? Cum omnis ejus potestas non proveniat, nisi à gratia efficaci infallibiliter conjuncta cum actu. Multipliciter & alia inevitabilis fluit ex hoc systemate absurditas, de quo plura diximus disp. 1. dub. 2. & disp. 6. dub. 1. §. 2. Et quidem apertè contraria est Scripturis Sacris; dicitur enim Prover. 1. vers. 20. *Sapientia foris prædicat, dat vocem suam: in capite turbarum clamitat, in foribus portarum Urbis profert verba sua, dicens: usquequo parvuli diligitis infantiam, & stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupient, & imprudentes odibunt scientiam? Convertimini ad correptionem meam: en proferam vobis Spiritum meum, & ostendam vobis verba mea. Quia vocavi, & veniistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis.* Et Eccles. cap. 15. v. 11. *non dixeris: per Deum abest, quæ enim odit, ne feceris.* Et cap. 51. v. 31. *appropriate ad me indocti, & congregare vos in domum disciplinae. Quid adhuc retardatis? Et quid dicitis in his? Anima vestra siviunt vehementer. Aperui os meum, & locutus sum, comparate vobis sine argento, & collum vestrum subjicite jugo, & suscipiat anima vestra disciplinam, in proximo enim invenire eam.* Et Matth. cap. 22. v. 3. *& misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, & volebant venire. Iterum misit alios servos, dicens: dicitis invitatis, ecce prandium meum pa-*

ravi, tauri mei, & altitia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias, illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam. Et 2. ad Corint. cap. 6. v. 1. *hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Et ad Rom. 10. v. 21. *expandi manus meas tota die ad populum non credentem, & contradicentem.* Et Apocalip. 3. v. 20. *ecce sto ad ostium, & pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi.* Et act. 7. v. 51. *vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Videantur & alia Sacræ Scripturæ oracula disp. 6. dub. 1. §. 2. Quibus omnibus constat, quod mediis auxiliis sufficientibus plena tribuitur præcepta servandi potestas.

9. Adversatur insuper Sacris Conciliorum Oraculis; Tridentino sels. 6. de justific. cap. 11. dicens: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & peccare quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Et iterum: *nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti debet, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia.* Et rursus: *qui autem diligunt, ut ipsemet testatur, servant sermones ejus, quod utique cum divino auxilio præstare possunt. . . . Quo fit, ut justii ipsi ed magis se obligatos ad ambulandum in via justitiæ sentire debeant, quod liberati jam à peccato, servi autem facti Deo, sobriè, justè, & piè viventes proficere possint per Christum Jesum, per quem accessum habuerunt in gratiam istam: Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* In contra similiter est Concilium Coloniense anno 1536. p. 7. c. 32. dicens: *Nemo hic excusationem prætexat; cum Deus semper stet ad ostium pulsans, nimirum per internum, & externum verbum commonens, ut convertatur à via sua pessima.* Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap. *Firmiter: si post suspensionem Baptismi quispiam relapsus fuerit in peccatum, per veram penitentiam semper potest reparari.* Concilium Senonense Can. 5. *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio, cum illa sit in promptu.* Concilium Valentinum III. sub Lothario anno 855. asserit: *Nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt; sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis, vel merito originali; vel etiam actuali permanserunt, quæ sanè probant, esse fide certum, quod justis nulla sunt impossibilia præcepta, & quod nusquam deest illis gratia sufficiens, qua possibilia fiant.* Quandoquidem quantumvis homo pondere peccatorum prematur, vitiisque usque ad profundum mergatur; dum tamen viator est, non illi negat misericordia Dei potestatem orandi: nam fidelis est qui dixit: *Amen dico vobis, quidquid orantes petitis credite, quia accipietis, & fiet vobis.*

10. Repugnat & hoc perversum Quesnelli dogma non solum SS. Augustini, & Thomæ Doctrinis, sed & communi omnium SS. PP. consensui. Et primò Angelico Magi-

gistro 4. sentent. dist. 17. q. 1. art. 1. quæstionum. 2. dicens: *Vocatio est duplex: quædam exterior. . . quædam verò interior; & hæc quandoque quidem non pertingit ad finem suum ex vocati defectu: & hæc vocatio nihil aliud est, quàm instinctus, vel motus ad bonum à Deo immixtus. Quandoque autem pertingit ad finem, quando scilicet, quis audit vocantem, & venit ad Christum.* En vocatio interior, instinctus, vel motus ad bonum à Deo immixtus, verè sufficiens, & ob vocati resistentiam suam ultimum non obtinens effectum: qui si expressè à D. Thoma non vocatur *sufficiens*, in re tamen talis est. Nec opus habebat S. Doctor id exprimere, cum nondum exortæ fuissent chimericæ cavillationes hominum, contra quos procedimus. Cum autem dixerit *ex vocati defectu*, satis significavit sufficientiam ex parte Dei, quæ ad finem pervenisset, nisi per homines stetit. Unde eundem sensum non semel tradit, absque expressionibus ad intantum tunc impertinentibus: utitur enim modo loquendi M. P. Augustini, ut videre est 1. 2. q. 109. art. 10. ubi ad 3. inquit: *Dicendum, quod sicut Augustinus dicit lib. de natur. & grat. cap. 42. homo in primo statu accepit donum, per quod perseverare posset, non autem accepit, ut perseveraret: nunc autem per gratiam Christi multi accipiunt, & donum gratiæ, quod perseverare possunt, & ulterius eis datur, quod perseverent.* Et sic donum Christi est majus, quàm delictum Adæ: ubi S. Doctor contradistinguens auxilium sine quo potest quis perseverare, ab illo quo de facto perseverat, clarissimè exprimit auxilium sufficientem distinctum ab auxilio quo actu perseverat, quod secundum omnes est efficax. Et iterum de corrept. & grat. cap. 12. docet S. Doctor, hæc duo adjutoria distinguenda esse: aliud namque est adjutorium, sine quo aliquid non fit, & aliud est adjutorium quo aliquid fit. Primum vocat adjutorium possibilitatis, & pluries adjutorium quo, gratiam actionis, quod efficax est, dans ipsum agere. Videantur quæ supra diximus dicta disp. 6. dub. 1. §. 1. n. 13. diffusè de mente D. Augustini: quibus tamen placet alia superaddere testimonia, in quibus mentem suam circa gratiam sufficientem luculenter explicat. Hanc apertè exhibet lib. de Spirit. & litter. cap. 34. dicens: *Consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire propria voluntatis est.* Et lib. de peccator. merit. cap. 34. *habet peccator concupiscentiam, cum qua pugnat, eamque, Deo adjuvante, superaret, si non in vacuum gratiam ejus susciperet.* Et lib. 1. ad Simp. q. 2. *nemo credit non vocatus, sed non omnis credit vocatus.* Et infra: *noluit Esau, & non cucurrit; cucurrisset, nisi, vocatione contempta, reprobis fieret.* Et tract. 53. in Joann. agenda sunt gratiæ, quia data est potestas: orandum, ne succumbat infirmitas.

11. Concinit universus SS. PP. Chorus expressè affirmans, quod ipse Deus, qui dat præcepta vivendi, ita præcipit, ut præmium

fit constitutum parentibus, quia poterant non parere, si vellent; & non parentibus poena, quia poterant parere, si vellent. Sic D. Gregorius lib. 33. moral. cap. 20. *Ideo nequaquam celestis patriæ præmia aterna percipiunt, quia ea, dum promereri poterant, ex libero arbitrio contempserunt.* D. Damascenus lib. 2. de fid. cap. 27. *potestatem habet refranare appetitum, & ipsum sequi. . . mera arbitrii potestate malitiæ inventor effectus.* Id ipsum affirmant S. Dionysius (nam pro nobis adhuc Dionysius est) lib. cælest. Hierar. cap. 9. S. Hilarius lib. 1. de Trinit. S. Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromat. S. Chrysost. homil. 7. super Joann. & Serm. 16. super Epist. ad Rom. Videantur & alii SS. PP. citati disp. 1. dub. 2. §. 2. n. 19.

12. Proscripta, & damnata est hæc Quesnelli doctrina renovans damnatam Jansenii propositionem primam, quæ est origo, & fundamentum totius ejus de gratia systematis. Etiam immani, & pernicioso Calvini, & Lutheri se implicat errore, qui non formidarunt asserere, nedum difficilem esse legis Evangelicæ observantiam, sed impossibilem prorsus esse, etiam justis, ut cumque Spiritu Dei adjuventur, sine efficaci gratia: quorum error damnatus fuit in Concilio Tridentino loco supra citato. Etenim Calvinus in Antidoto Conc. Trid. ad sels. 6. affirmat, *motum Spiritus Sancti sic esse efficacem, ut fidem semper gignat: deceptosque fuisse Patres Concilii Tridentini ait lib. 2. instit. cap. 3. §. 10. quod motum nobis offerre somniant, qui mediam electionem nobis relinquat.* Et alibi: *gratiam voluntatem movere, non qualiter multis sæculis traditum est, & creditum, ut nostræ postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari, sed illam efficaciter efficiendo.* Hujus Doctrinæ consentiunt omnes ejus Discipuli. Kemnitius exam. Concilii Trid. sels. 6. Can. 4. & 5. Paræus lib. 1. de grat. & liber. arbitr. lib. 2. Ferrarius Orthodox. cap. 13. Ita affinis est Quesnelli doctrina erroribus aliis ab Ecclesia execratis.

13. At si rationem hujus quis investigare velit, in promptu est: nam si, ut præceptum impleri posset, necessarium esset, quod ipsemet Deus daret id, quod præcipit, & omnia solum possibilia essent ei, cui omnia possibilia faceret, eadem operando in illo: ergo Deus justus, & bonus denegans gratiam illam efficacem, & effectricem immediatè in homine illius, quod præcipit, irrationabiliter aliquid præciperet. Nullus ad impossibile obligatur, nec alicui imputatur crimini, quod tali impossibili præcepto non pareat. An reus erit culpæ, qui pedibus truncus accedere non potest, quod ipsi præcipitur? An & reus erit homo in tenebris positus, dum pervia non potest esse oculis ejus lux hæc materialis, quod non videat, etsi imponeretur ipsi præceptum videndi? Absit, ut eam fingas in Deo injustitiam, quod homines hoc inexorabilis necessi-

statis vinculo obligentur ad non obediendum. Uterius: Deus denegans gratiam sufficientem, qua possibilia fierent præcepta, fallax, & mendax esset in verbis suis. Numquid enim paratissimus dici potest cuicumque subvenire, ad ostium pulsare, excitare, pellicere, atque terrere, largius auxilia sufficientia, quibus à peccato resurgere possint, hominibus offerre, denegando ipsis gratiam illam sufficientem, qua proxima, integra, & omnino expedita ad ejus adimpletionem constituitur potestas? Hoc sanè est ab infinita sua pietate perquam alienum. Nulla esset Dei pietas, & misericordia; sola hominibus esset desolatio, & desperatio, quibus deesset gratia illa sufficiens, qua possibilia fiant præcepta. Quare absolutè de fide tenendum, Deum omnibus hominibus justis auxilia sufficientia dare, quibus præcepta possibilia ipsis sint, ut toties Scriptura clamat Deuteronomii cap. 30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum; nec in Cælo situm, ut possis dicere: quis nostrum valet ad Cælum ascendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare positum, ut causeris, & dicas: quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos usque deferre: ut possimus audire, & facere, quod præceptum est? Sed juxta te est sermo valdè in ore tuo, & in corde tuo.* Et Ecclesiast. cap. 31. v. 10. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit.* Et Proverb. cap. 4. v. 11. *Viam sapientiæ monstrabo tibi; ducam te per semitas æquitatis: quas cum ingressus fueris, non ardebuntur pedes tui, & currens non habebis offendiculum.* Et Matth. cap. 10. v. 18. *Fugum meum suave est, & onus meum leve.* Et tandem ad Corinth. cap. 10. v. 13. *Tentatio vos non apprehendat nisi humana, fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* In quibus manifestè exprimitur gratia illa sufficiens, quibus & fiunt præcepta possibilia, & quòd Deus in vanum non præcipit, etiam si non det, quod præcipit, operando in illo. Sed cum hæc debeant esse inter Catholicos certissima, refractarii factis luminis habent: unde & nos ad sequentes propositiones transeamus.

14. Novus & perniciosissimus error insurgit in propositione quinta, nempe quòd quando Deus non emollit cor per interiorum unctiorem gratiæ suæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inserviunt; nisi ad illud magis obdurandum. Hic nullam cum Jansenio agnoscit gratiam cor hominis emollientem, nisi efficacem; illam nempe, de qua dixit Augustinus de Prædest. SS. cap. 8. *Quòd à nullo corde respicitur, ideoque tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur: ergo quibus deficit illa efficacissima gratia, non solum præcepta impossibilia sunt; sed quòd magis est, mediis exhortationibus, & gratiis*

exterioribus redditur magis obduratus, quòd sanè blasphemiam sapit. Quid enim magis adversum bonitati Dei, quàm quòd exhortationes, & gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum? Ac si forsitan idem esset, gratias istas exteriores suo carere effectu, ac solum inservire ad obdurationem, & mentis cæcitatem perpetuò obfirmendam. Numquid tot, tantaque Christi amoris erga Judam argumenta: illius ad pedes prostratus lavare ipsum, eumque suo corpore, & sanguine pascere, fuerunt majoris obdurationis augmentum, & non amoris signum? An lex, Incarnatio, Sacramenta, exempla Christi, & Sanctorum, verbum Dei scriptum, & traditum, omnia fidei nostræ documenta, exhortationes, totque aliæ gratiæ exteriores inserviunt magis ad indurandum cor hominis, præstantque indurationem, quoties interior efficacis gratia illis conjuncta non fuerit? Hoc maxime adversatur Scripturæ dicenti Psal. 18. v. 8. *Lex Domini immaculata convertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis. Justitiam Domini recte latificantes corda, præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Et Isai. 28. *Sola venatio intellectum dabit auditui.* Et Jer. cap. 23. v. 28. *Propheta, qui habet somnium, narret somnium: & qui habet sermonem meum verè: quid paleis ad triticum dicit Dominus? Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram? Et Proverb. cap. 6. v. 23. *Quia mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplina.* Et Matth. cap. 5. v. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est.* Et cap. 18. v. 15. *Si autem peccaverit in te Frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum; si te audierit, lucratus eris Fratrem tuum.* Et Paulus ad Rom. 7. v. 7. *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces.* Et v. 12. & 13. *Itaque lex quidem sancta, & mandatum Sanctum, & justum, & bonum: Quòd ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit.* Et 2. ad Timoth. cap. 3. v. 16. *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* En qualiter Deus tot exterioribus auxiliis, exhortationibus, Sanctorum exemplis, flagellis à Deo inflictis, aliisque externis gratiis excitat homines ad respiciendum, ac salutariter operandum.*

15. Sexcenta & alia poterant adduci Sacræ Scripturæ testimonia; sed placet iterum Deum loquentem audire per Ezechielem cap. 33. v. 7. *Et tu, Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel, audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis ei ex me. Si me dicente ad impium: impii morte morietis, non fueris*

locutus, ut se custodiat impius à via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem annunciantem te ad impium, ut à viis suis convertatur, non fuerit conversus à via sua, ipse in iniquitate sua morietur: porro tu animam tuam liberaisti. Quis credet, quòd hæc Prophetæ prædicatio, quòd hæc exterior gratia nata sit, ut impius non convertatur à viis suis, sed ut in iniquitate sua moriatur; quòd Deus ad ejus conversionem utatur medio, quòd sine gratia illa efficaci, seu interiori unctiōe animæ, solum est conducens ad indurandum, & ut magis à præceptis Dei discedat? Hoc sanè impium, erroneum, & blasphemum est, duritiam peccatoris Deo affingens, ipsiusque causam Deum constituens. Quis ergo credet, quòd obcæcatio, & induratio, seu quòd motus animi humani inhærentis malo, & averfi à divino lumine, sint effectus gratiarum exteriorum, quarum Deus est causa, cum solum peccatum sit causa obcæcationis, ut docet D. Thomas 1. 2. q. 79. art. 3. Et super Joann. 12. lect. 7. An peccator justè conqueri poterit de Deo, quia nempe Deus mediis his gratiis exterioribus est causa suæ obdurationis? An Prædicatoribus ipsum à via iniquitatis removere conantibus adscribi potest major peccatoris impietas? An errat, & reus erit majoris indurationis proximus, qui adimplens præceptum correptionis fraternæ, corripit proximum? An vanum erit hujusmodi præceptum, si quis nesciat, Fratrem, quem corripit, esse divinæ efficacis gratiæ unctiōe unctum? Nihil sanè magis scandalosum, & piis Catholicorum aures offendens. Ergo sicut vitari debent occasiones peccandi, & proximorum scandali, sic & fideles à prædicatione desistere tenerentur; & gratia efficaci carentes fugere deberent exhortationes, & gratias omnes exteriores; abstinere deberent à concionibus, à lectione piorum librorum, à sacrificio Missæ, à visitationibus Ecclesiarum, à pietatis colloquiis, & bonorum exemplis: uno verbo; ab omni virtutis exteriori adminiculo, cum nihil, nisi ad illud magis obdurandum inserviret. Quo sanè nihil magis horrendum, magis Dei bonitati derogans, nihilque ad peccatorum duritiam obfirmendam aptius excogitari potuit.

16. Non difficile, & operosum est errorem propositionis auctoritate SS. PP. clarissimè ostendere. Audiendus inter omnes Divus Bernardus serm. de multipl. ultim. verb. Dei, exponens illud: *Beati qui audiunt Verbum Dei; & custodiunt illud, sic loquens: Vultis nosse, quàm beati? Primum quidem sanans in auribus animæ, vox Divina conturbat, terret, judicatque: sed continuò, si benè adverteris, vivificat, liquefacit, illuminat, mundat. Denique & cibus noster est, & gladius, & medicina, & confirmatio, & requies, resurrectio, & consumatio nostra. Nec miretis, quòd Verbum Dei inveniat, omnia in omnibus esse,*

quantum spectat ad justificationem: siquidem, & futurum est omnia in omnibus ad clarificationem. Audiatur & illud peccator, & conturbabitur venter ejus à voce illa, carnalis anima contremiscet, omnia namque secreta cordis rimatur, atque judicat sermo vivus, & efficacis cordium, atque cogitationum perscrutator. Undè, & licet mortuus in peccato, si audieris vocem Filii Dei, vires; sermo enim, quem loquitur, spiritus, & vita est. Si cor tuum induratum est, memento Scripturæ dicentis Psal. 147. *Et emittet verbum suum, & liquefaciet ea: & item Cantic. 5. Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est; si tepidus es, & evomi jam formidas, non discedas ab eloquio Domini, & inflammabit te, quia eloquium ejus ignitum valdè: quòd si tenebras ignorantia plangis, diligenter audi, quid loquatur in te Dominus Deus, & erit lucerna pedibus tuis Verbum Domini, & lumen semitis tuis. At fortassis tantò amplius doles, quantò clarius peccata etiam minima illuminatus agnoscis, sed sanctificabit te Pater in veritate, quæ est utique sermo ejus, ut inter Apostolos audire merearis Joann. 15. jam vos Mundi estis propter sermonem, quem loquutus sum vobis. Si consistunt adversus te castra, & prælium tentationis insurgit, arripe gladium Spiritus, quod est Verbum Dei, & in eo faciliè triumphabis; quòd si forte (ut est certaminis consuetudo) contigerit aliquando vulnerari, mittet Verbum suum, & sanabit te, & eripiet te de interitionibus tuis, ut in te quoque impleatur, quod ait Centurio, cujus fides tam manifestè commendatur Matth. 8. Domine, inquit, dic tantum Verbum, & sanabitur Puer meus; sed etsi titubas, adhuc consistere, & clama Psal. 17. *mei autem moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, & in verbis suis confirmabit te, ut experimento discas, quoniam verbo Domini Cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* En qualiter gratia exterior, seu verbum Dei sonans in auribus animæ, vivificat, liquefacit, & illuminat. En quomodo est gladius, & medicina, confirmatio, & requies. En quomodo mortuus in peccato audiens verbum Dei vivit, ignorantia tenebras plangit. Quis ergo dicat, hanc esse majorem peccatoris indurationem? Confans, & perpetua est hæc omnium SS. PP. sententia. Videndi S. Anselmus super Epist. ad Rom. cap. 6. S. Cyrillus Alexandrinus super Joann. lib. 9. cap. 23. D. Gregorius Pastor. p. 3. cap. 28. & lib. Moral. cap. 33. D. Hieronymus super Epist. ad Galat. lib. 2. cap. 14. D. Chrysost. super Epist. ad Roman. cap. 7. & ad Galat. cap. 4. Et super Joann. cap. 10. Homil. 60. Et super 21. Matth. Homil. 40. Divus Ambrosius super Luc. lib. 3. cap. 3. super Epist. ad Rom. cap. 1. & ad Corinth. Epist. 2. cap. 4. super Psal. 118. v. 93. D. Gregorius Nazianzenus Disc. 1.*

17. Sic Scripturas, & SS. PP. doctrinam evertit Quænellus suis perverfis thesibus; necnon & egregiam doctrinam SS. Augustini, & Thomæ. Hanc exterioris gratiæ ad anima-

rum salutem utilitatem ostendit Augustinus de grat. Christi cap. 8. dicens: *Et hæc ostendatur legis utilitas, quoniam quos facit prævaricationis reos, cogit confugere ad gratiam liberandos, & ut concupiscentias malas superent adjuvandos.* Et infra expressè aserit, quod *Lex adjuvat, in quantum tamen etiam lex adjuvet, adjungit, & dicit (Apostolus) sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.* Itaque *lex, inquit, Pedagogus noster fuit in Christo Jesu ad Galat. 3.* Si ergo Pedagogus noster est in Christo Jesu, minimè inservit ad magis indurandum. Quod & iterum exprimit cap. 13. his verbis: *Hæc gratia, si doctrina dicenda est, terè sic dicatur, ut alius, & interior leam. Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos, qui plantant, & rigant extrinsecus, sed etiam per se ipsum, qui incrementum suum ministrat occultus, ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam imperiat charitatem, notentur illa verba non solum per eos, quibus clarissimè exprimit, quantum prædicatio juvet ad animarum salutem.*

18. Rursus lib. 1. de diversis quæstionibus ad Simplicianum n. 9. in hæc verba Apostoli: *Si autem quod nolo, hoc facio, consentio legi, quoniam bona est ad Rom. 7. v. 16.* Augustini verba sunt: *Hoc enim non vult, quod & lex: nam hoc vetat lex: consentit ergo legi, non in quantum facit, quod illa prohibet, sed in quantum non vult, quod facit. Vincitur enim nondum per gratiam liberatus, quamvis jam per legem & noverit se malè facere, & nolit. Quod verò sequitur, & dicit: nunc autem ego jam non operor illud, sed id, quod in me habitat peccatum; non ideo dicit, quia non consentit ad faciendum peccatum, quamvis legi consentiat ad hoc improbandum. Loquitur enim adhuc ex persona hominis sub lege constituti, nondum sub gratia, qui profectò trahitur ad malè operandum, concupiscentia dominante, atque saliente dulcedine peccati prohibiti, quamvis ex parte notitiæ legis hoc improbet.* Hæc Augustinus: non ergo lex obscuratorem facit, & peccatum, sed notificat. Non gratiæ exteriores, & exhortationes peccatum causant, sed ostendunt, dum Deum monent quærere adiutorem internum. Non inserviunt, ut obdurationem per se producant, quod impium & scandalosum esse, supra diximus.

19. Tandem audiendus est idem S. Doctor lib. de corrept. & grat. cap. 5. *Quod enim vult pro se fieri, qui corripitur non vult, & dicit: Orde potius pro me, ideo corripendus est, ut faciat etiam ipse pro se. Dolor quippe ille, quo sibi displicet, quando sentit correptionis aculeum, excitat eum in majoris orationis affectum: ut Deo miserante, incremento charitatis adjutus, desinat agere pudenda, & dolenda, & agat laudanda, atque gratanda: Et cap. 6. Corripitur ergo origo damnabilis, ut ex dolore correptionis volentis regenerationis oriatur.... Qui si corre-*

ptione compunctus salubriter ingemit, & ad similia bona opera, vel etiam meliora revertitur: nempe hic apertissimè utilitas correptionis apparet. En correptionis utilitas, quæ non ad indurationem tendit, sed salubriter adhibetur, & proficit, ut peccati sui quemque poeniteat. Idem docet Augustinus serm. 26. super Psal. 118., & super Psal. 57. & 59. & super Psal. 154.

20. Nec nobis opponant S. Augustinum dicentem de spirit. & litter. cap. 19. *Nemo ergo Christianorum aberrat ab hac fide, quæ solo Christiano est, ne quisquam cum verecundatus fuerit dicere, per nos ipsos fieri nos justos, non hoc in nobis operante gratia Dei, quia videt hoc à fidelibus, & piis ferri non posse, cum dicitur: ad hoc se convertat, ut dicat ideo sine operatione gratiæ Dei nos justos esse non posse, quia legem dedit, quia doctrinam instituit, quia bona præcepta mandavit. Illa enim sine adjuvante spiritu proculdubio est littera occidens; cum verò adest vivificans spiritus, hoc ipsum intus conscriptum facit diligi, quod foris scriptum lex faciebat timeri.* Et ibidem cap. 28. *Nec istam inscriptionem, quæ justificatio est, poterat efficere in Judæis lex in tabulis scripta, sed solum prævaricationem.* Et idem Augustinus serm. 163. de verbis Apostoli. *Nam vis videre, quid valeat sine spiritu adjuvante littera jubens? Virtus autem peccati lex: quia subintravit, inquit, lex ut abundaret delictum. Quid est, ut abundaret delictum? Quia ubi gratia non erat, auxit prohibitio desiderium: & cum quasi de propria præsumitur virtute, factum est grande vitium.* Et contra Adversarium legis, & Prophetarum lib. 2. cap. 11. *Ipsæ enim & Prophetarum Deus, qui mandata sancta, & justa, & bona, superbis tamen non de ipsius gratia, sed de sua virtute fidentibus, non quibus viverent, sed quibus morerentur, ut convincerentur, dedit.* Et Epist. 217. ad Vitalem cap. 3. n. 11. *Opus est hoc gratiæ, quam qui accipiunt, doctrinæ salutari Scripturarum Sanctarum, & si fuerint inimici, sunt amici, non opus ejusdem doctrinæ, quam qui audiunt, & legunt sine gratia Dei peiores ejus efficiuntur inimici.* Et de grat. Christi cap. 8. *Hinc itaque apparet, hanc eum gratiam confiteri, quæ demonstrat, & revelat Deus, quid agere debeamus, non qua donat, atque adjuvat, ut agamus: cum ad hoc potius valeat legis agnitio, si gratiæ desit opitulatio, ut fiat mandati prævaricatio: ubi enim non est lex, ait Apostolus, nec prævaricatio: & concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret; non concupisces: ac per hoc usque adeo aliud est lex, aliud est gratia, ut lex non solum nihil proficit, veram etiam plurimum obsit, nisi adjuvet gratia.* Et lib. 83. qq. q. 66. *Ubi ergo non est gratia liberatoris, auget peccati desiderium prohibitio peccatorum.*

21. Hæc enim, & alia S. Doctoris testimonia labore inutili ad finem à quiescillo intentionum studiosè congeruntur; quæ similes namque expressiones S. Doctoris suum habent sensum proprium; debent enim figuratè intelligi, ut

ut sensus sit, quod lex non facit, sed notificat, non se habet per se, & ut causa indurationis, sed ut occasio; quod lex non est data ad mortem, vel propter transgressiones faciendas, sed propter ostendendas. Ita quidem est, quod lex sine gratia nihil prodest, sed non ad damnationem: quod peccatori plurimum obest, non quia in obdurationem influat, sed quia reum malitiæ ipsum arguit, & probat. Littera occidit, non sic quod occisio sit per legem, magis obdurando, sed metonymicè incursum occisionem aperiendo. Sic seipsum explicat Augustinus exponens phrasim Apostoli ad Rom. 4. *Lex iram operatur; ubi enim non est lex, nec prævaricatio, quam sic interpretatur, hoc autem dixit, quia ira Dei major est in prævaricatore, qui per legem cognoscit peccatum, & tamen facit.* Sic lib. de grat., & liber. arbitr. cap. 10. Illud quod dixit Apostolus 1. ad Corinth. 15. *Virtus peccati lex.* Sic lib. 6. Oper. imperfect. contra Julianum cap. 41. explicat: *Ecce quomodo est virtus peccati lex; minus enim operatur peccatum, quando prævaricationem nondum operatur, quia lex nondum data erat: ubi enim lex non erat, nec prævaricatio. Et tandem illud ad Rom. 7. Peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam, ipsemet Apostolus explicat versic. 13. dicens: quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem, ut fiat supra modum peccans per mandatum. Quod sanè probat, non legem, non gratiam exterioriorem, non præceptum sanctum & justum, non exhortationes bonas, cœteraque operæ pietatis inservire ad magis obdurandum, sed propriam peccatoris malitiam, obdurationem, & iram Dei operari; illa verò solum notificare.*

22. At si vis totius hujus Augustinianæ doctrinæ compendium, audi D. Thomam 1. 2. q. 98. art. 1. ad 2. *Dicendum, quod lex dicitur occidisse, non quidem effectivè, sed occasionaliter ex sua imperfectione, in quantum scilicet gratiam non conferebat, per quam homines implere possent, quod mandabat, vel vitare, quod vetabat; & sic occasio ista non erat data, sed sumpta ab hominibus: unde & Apostolus ibidem dicit: occasione accepta peccatum per mandatum seduxit me, & per illud occidit. Ex hac etiam ratione dicitur, quod lex subintravit, ut abundaret delictum, ut ly ut, teneatur consecutivè, non casualiter, in quantum scilicet homines accipientes occasionem à lege, abundantius peccaverunt, tum quia gravius fuit peccatum post legis prohibitionem, tum etiam quia concupiscentia creavit. Magis enim concupiscentiam, quod nobis prohibetur. Quod iterum explicat art. 2. Respondendo dicendum, quod lex vetus à bono Deo data est, qui est Pater Domini nostri Jesu Christi. Lex enim vetus homines ordinabat ad Christum dupliciter. Uno quidem modo testimonium Christo perhibendo: unde ipse dicit Luc. ultim. Oportet impleri omnia, quæ scripta sunt in lege, & in-*

Psalmis, & in Prophetis de me. Et Joann. 5: Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit. Alio modo, per modum cujusdam dispositionis, dum retrahens homines à cultu idolatriæ, concludebat eos sub cultu unius Dei, à quo salvandum erat humanum genus per Christum: unde Apostolus dicit ad Galat. 3. priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat. Manifestum est autem, quod ejusdem est disponere ad finem, & ad finem perducere, & dico, ejusdem per se, vel per suos subditos. Non enim Diabolus legem tulisset, per quam homines adducerentur ad Christum, per quem erat ejiciens, secundum illud Matth. 12. Si Satanas Satanam ejicit, divisum est regnum ejus. Et ideo ab eodem Deo, à quo facta est salus hominum per gratiam Christi, lex vetus data est.

23. Sed iterum S. Doctorem audiamus q. 99. art. 2. ad 3. *Dicendum, quod sicuti Augustinus probat in lib. de spirit. & litt. etiam littera legis quantum ad præcepta moralia, occidere dicitur occasionaliter, in quantum scilicet præcipit, quod bonum est, non præbens auxiliium gratiæ ad implendum.* Hæc D. Thomas: quibus docet, quod lex, idemque de exterioribus gratiis, non per se, & effectivè, sed occasionaliter ad damnationem concurrunt; non occasione, quæ sit ab ipsa lege, sed solum ex malitia hominis, Diabolo, & concupiscentia instigante, in occasionem criminis detorqueute ipsam legem. Ita sanè est, quod non esset peccatum, si non esset lex, nec major induratio peccatoris, si deficerent gratiæ exteriores: sed numquid ex eo deduci potest: ergo lex est causa peccati, & obdurationem causant exteriores gratiæ? Hæc proculdubio consequentia reprehensibilis est, quæ multoties instari in adversum potest. Non esset peccatum, si non existeret Deus, quem creatura offenderet; nec peccatum imputabile ad culpam in statu naturæ lapsæ, sicut nec Angelis malis, deficientibus auxiliis sufficientibus: non ulterius peccaret homo, si Deus ipsum non crearet; nec induratus perseveraret homo in peccatis, si Deus non conservaret ipsum: ergo existentia Dei, gratia sufficiens, creatio hominis, ejus conservatio, sunt causa peccati, & ejus obdurationis? Absit hoc. Sunt enim hæc maxima Dei dona, & beneficia utilia, & proficua, quæ nusquam dici possunt causa peccati.

24. Hoc Catholico sensu referta sunt omnia S. Doctoris volumina. Idem docet 1. 2. q. 100. art. 12. q. 107. art. 1. sed præcipuè videndus serm. Dominic. de Pasch. Domini, loquens de verbo Dei, cujus 8. utilitates refert; quarum prima est, quod ab omni morbo sanat, Sap. 16. *Non herba, neque malagma, sed sermo tuus, Domine, qui sanat omnia.* Et Psal. 106. *Misit verbum suum, & sanavit eos.* Secunda, quia animum mundat ab omnibus iniquitatis, Joann. 11. *Fam vos mundi estis propter sermonem, quem loquutus sum vobis;*

Tertia, quia mentem lætificat, Jerem. 15. *Factum est verbum Domini in gaudium, & lætiti- am cordis mei.* Quarta est, quia tota Trinitas in corde hominis inhabitat, Joann. 14. *Siquis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansi- onem apud eum faciemus.* Quinta, illuminat, Plal. 118. *Declaratio sermonum tuorum illumina- rat.* Sexta in bono conservat, Sap. 16. *Sermo tuus, Domine, eos, qui in te confidunt, conserva- rat.* Septima, liberat à morte æterna, Joann. 8. *Siquis sermonem meum servaverit, non videbit mortem in æternum.* Octava, per- ducit ad æternam vitam, & gloriam, Joann. 6. *Domine, ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognovimus, quia tu es Christus filius Dei vivi.* Quid in hoc S. Do- ctoris testimonio dilucidius, quàm exhorta- tiones, & verbum Dei non esse ad obdura- tionem peccatoris, sed quòd Deus his exte- rioribus gratiis erudit hominem, & ipsum cogitatione veritatis illuminans, & amoris ejus delectatione succendens, ut mens erigatur, & reformetur? At hoc non vidit Quesnellus. Quid manifestius, in Scriptura, vel magis in SS. PP. conspicuum? At hoc non vident ejus Asteclæ; adhuc eos fugit, & si omnem indu- striam, & ingenii acumen ad defensionem Quesnelli per tot annos applicent, volentes magis adversus Scripturam, PP., Augustinum, & Thomam, sentire cum Luthero Epist. ad Galat. cap. 5., & in præfatione. veter. testamenti; & cum Calvino lib. 2. instit. cap. 5. §. 4. & cap. 7. & §. 26. & 10. id ipsum propugnantibus; vel cum Janenistis, quorum doctrina huic Quesnelli propositioni maximè affinis damnata fuit ab Alexandro VIII. *Gratia sufficiens est perniciofa, adeo ut possit qui- libet peccare: à gratia sufficiente libera nos, Do- mine;* cum ex illa propositione ad præsentem Quesnelli sit consequentia. O magnitudo er- roris! O malitiæ turpitudinis!

25. In duobus sequentibus propositioni- bus absurdissimum, & maximum inconve- niens legitur. Reviviscit namque iterum Jan- senii error, dum de veris, & fidelibus loquens, hoc statuit discrimen inter foedus Judaicum, & Christianum, quòd in illo Deus exigit fu- gam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia, in isto verò peccatori Deus dat, quòd jubet, illum gratia sua purificando. In quibus manifestum est, quòd juxta Quesnellum exigebat Deus fugam pec- cati, & implementum legis à peccatore, quòd ex defectu auxiliorum sufficientium erat illi absolutè impossibile; quæ est prima, & tertia Janenii propositio: nullumque aliud Quesnellum inter utrumque foedus agnoscere discrimen, nisi quòd in isto peccatori Deus dat, quòd jubet, illum gratia sua purificando; & cum ista in suis principiis sit gratia efficax; & medio tollitur denuo gratia sufficiens. Quin etiam subdescendens, hoc ipsum non- solum, sed quid deformius in septima profe-

quitur: non enim ut in sexta loquitur solum- de peccatoribus, sed universim de justis, & peccatoribus veteris legis, quos esse absque aliqua gratia propria impotentia relictos affirmat, dicens: *Quæ utilitas pro homine in veteri foedere, in quo Deus illum reliquit ejus propria infirmitati, imponendo ipsi suam legem?*

26. Sed ut videatur, quàm longè in dictis propositionibus à recto veritatis tramite devius, & remotus discedat; & quænam odio- sa, erronea, ac hæretica ex dicta propositio- ne deducantur, hic præsupponenda est do- ctrina D. Thomæ 1. 2. q. 98. art. 1. quòd lex vetus bona est, cum data fuerit ad propriam Judæorum virtutem, sicut & proprius effe- ctus cujuscumque legis est bonus facere eos, quibus datur: undè inquit D. Thomas supra q. 92. art. 1. *Manifestum est, quòd hoc sit proprium legis, inducere subiectos ad propriam ipso- rum virtutem. Cum igitur virtus sit, quæ facit bonum habentem, sequitur, quòd proprius effectus legis sit bonus facere eos, quibus datur, vel sim- pliciter, vel secundum quid. Est ergo fide cer- tum, legem veterem esse bonam.* Quod tes- tatur Scriptura ad Rom. 7. *Lex quidem san- cta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum.* Et rursus: *Consentio legi, quoniam bona est.* Et 1. ad Timoth. *Scimus, quoniam bona est lex, & Plal. 18. Lex Domini immaculata.* Erat namque rectæ rationi consona, prohibens concupiscentiam, & ea peccata, quæ contra rationem sunt; ut docet D. Thomas dict. q. 98. art. 1. *Dicendum, quòd absque omni dubio lex vetus bona fuit. Sicut enim doctrina ostenditur esse vera ex hoc, quòd consonat ratio- ni: lex autem vetus rationi consonabat, quia concupiscentiam reprimebat, quæ rationi adver- satur, ut patet in illo mandato: non concupisces proximi tui, quòd ponitur Exod. 20. Ipsa etiam omnia peccata prohibebat, quæ sunt contra rationem: undè manifestum est, quòd bona erat. Et hæc est ratio Apostoli ad Rom. 7. Con- delector, inquit, legi Dei secundum interiorem hominem. Et iterum: *Consentio legi, quoniam bona est.* At non tantum bona erat, sed etiam utilis fuit Populo, cui data fuit; valebat enim, ut se peccatores agnoscerent, dicente Paulo ad Rom. 3. *Per legem cognitio peccati.* Et cap. 7. *Peccatum non cognovi nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces.* Erat utilis, ut intelligerent opus sibi esse Salvatorem, & ut ad ejus adventus desiderium ardentè excitarentur: sicut plu- res Patres veteris testamenti desiderasse le- guntur. *Voluit & Deus talem legem dare, quam suis viribus homines implere non possent: ut sic dum homines præsumentes de se, peccatores se invenirent, humiliati recurrerent ad auxilium gratiæ, ut dixit D. Thomas art. 2. ad 3. Erat tandem utilis, ut Populus ille contineretur in officio saltem metu pœnarum, & disponeretur ad altiorem doctrinam, juxta illud Deut. 19. *Ut audientes ceteri morem habeant, & ne- quaquam talia audeant facere; & ut per eam-***

ma-

maximè venirent in cognitionem legis Evan- gelicæ, & Christi, unde ad Colofs. 2. dicitur, *quæ sunt umbra futurorum, Corpus autem Chri- sti.* Et ad Hæbr. 10. *Umbra habens lex futu- rorum bonorum.*

27. At cum bonorum aliud perfectum sit, & aliud imperfectum; etenim perfecta- bonitas est in his, quæ ad finem ordinantur; unde perfectum bonum erit, quòd per se est sufficiens inducere ad finem: sicut & imper- fectum bonum erit, quòd operatur aliquid ad hoc, quòd perveniatur ad finem, non ta- men sufficit ad hoc, quòd ad finem perducatur: Hinc fit, quòd licet lex vetus utilis maximè sit, est imperfecta. Cujus rationem assignat Di- vus Thomas dict. q. 98. art. 1. dicens: *Finis autem legis Divinæ est perducere hominem ad finem felicitatis æternæ: qui quidem finis im- peditur per quodcumque peccatum, & non solum per actus exteriores, sed etiam per interiores: & ideo illud, quòd sufficit ad perfectionem legis hu- manæ, ut scilicet peccata prohibeat, & pœnam apponat, non sufficit ad perfectionem legis Divi- næ, sed oportet, quòd hominem totaliter faciat idoneum ad participationem felicitatis æternæ, quòd quidem fieri non potest, nisi per gratiam Spiritus Sancti, per quam diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ legem adimplet. Gratia enim Dei vita æterna, ut dicitur ad Rom. 6. hanc autem gratiam lex vetus conferre non potuit, reservabatur enim hoc Christo: quia ut di- citur Joann. 1. *Lex per Moysen data est: gratia, & veritas per Jesum Christum facta est; & inde est, quòd lex vetus bona quidem est, sed imperfe- cta, secundum illud ad Hæbr. 7. nihil ad perfe- ctam adduxit lex: Quare oppositum fuit error Simonis Magi, Marcionitarum, Manichæo- rum, & aliorum Hæreticorum non agno- scentium bonitatem legis.**

28. Est verò & aliud animadvertendum, quid diversissimum esse, quòd lex Moysis non liberaverit Judæos ab illa impotentia, in qua erant, observandi legem, præbendo nem- pè ex vi sua, vel ex opere operato effectum jus- tificationis; aliud verò, quòd Deus exigeret ab ipsis fugam peccati, & observantiam præ- ceptorum, relinquendo illos in illa impoten- tia: primum absolutè verum est; cum re vera lex vetus fuerit infirma ad effectum justifica- tionis conferendum ex vi sua; cum nec ex vi legis essent debita gratia interiores, quibus data fuit potestas ab observantiam legis; sed ex misericordia Dei, & intuitu meritorum Christi Domini: quare nemini alio modo po- terat conferri justitia. Undè dixit Apostolus, *nihil ad perfectum adduxit lex: hoc est, lex nullum virtute sua adduxit ad justificatio- nem.* At secundum est omninò falsum, cum collata fuerit eis gratia ad observantiam leg- is, juxta illud S. Augustini lib. de spirit. & litter. cap. 19. *Lex data est, ut gratia quaerere- tur; gratia data est, ut lex impleteretur.* Et Di- vus Thomas dicto art. 2. ad 4. *Dicendum, quòd quamvis lex vetus non sufficeret ad salvan-*

*dum homines, tamen aderat aliud auxilium à Deo hominibus simul cum lege, per quòd salvari poterant, scilicet fides mediatoris, per quam justificati sunt antiqui Patres, sicut etiam nos justificamur: & sic Deus non deficiebat homini- bus, quin daret eis salutis auxilia. Quod antea dixerat art. 1. ad 3. *Fugam legis servari non poterat sine gratia adjuvante, quam lex non da- bat: dicitur enim; non est volentis, neque cur- rentis, scilicet velle, & currere in præceptis Dei: unde in Psal. dicitur: viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum, scilicet per donum gratiæ: ergo si hæc dilatatio cordis fit per donum gratiæ charitatis, & exigitur, ut ju- gum legis servari possit, non potuit jugum legis servari sine gratia adjuvante.**

29. Hoc luculenter, & urgentissimè con- firmari potest ex causa impositionis legis Po- pulo Judaico; & ex fine legis impostæ. De- cebat namque, ut Populus, ex quo Christus erat nasciturus, quadam singulari prerogati- va sanctificationis polleret præ reliquis gen- tibus, ac Deo magis consecraretur; juxta illud Exod. 19. *Eritis mihi in peculium de cun- ctis Populis.* Quod eleganter docet D. Tho- mas art. 4. dictæ quæstionis 98. *Deus igitur, & legem, & alia beneficia specialia illi Populo exhibuit propter promissionem eorum Patribus factam, ut ex eis Christus nasceretur. Decebat enim, ut ille Populus, ex quo Christus nasciturus erat quadam speciali sanctificatione polleret, secundum illud, quòd dicitur Levit. 19. *Sancti eritis, quia ego Sanctus sum.* Et iterum: ad primum ergo dicendum, quòd quamvis salus fu- tura per Christum esset omnibus gentibus præpa- rata: tamen oportebat, ex uno Populo Christum nasci, qui propter hoc præ aliis prerogativam habuit secundum illud Rom. 9. quorum, scilicet Judæorum, est adoptio Filiorum Dei, & testamen- tum, & legislatio, quorum Patres, ex quibus Christus est secundum carnem. Idemque repe- tit art. 5. seq. *Lex vetus, sicut dictum est, data est Populo Judæorum, ut quamdam prerogati- vam Sanctitatis obtineret propter reverentiam Christi, qui ex illo Populo nasciturus erat.* Et ad secundum: *Dicendum, quòd homo quantò Deo magis conjungitur, tantò efficitur melioris conditionis: & ideo quantò Populus Judæorum erat strictus magis ad divinum cultum, dignior aliis Populis erat: undè dicitur Deuteron. 4. *Quæ est alia gens sic inclita, ut habeat cæremo- nias, justaque judicia, & universam legem?* Si ergo Populus Judæorum dignior erat aliis po- pulis, quantò magis ad divinum cultum, & universæ legis observantiam erat strictus: si lex statuta fuit ad ejus specialem sanctifica- tionem, quomodo credibile est, quòd saluta- re gratiæ sufficientis beneficium, quòd ex Dei misericordia non deficit hominibus, ipsi deficeret? An legem posuit, ut Judæos à veritatis via subverteret, & non ut subverfos revocaret ad Dei agnitionem, & revocando ad vitam converteret? An Deus Judæis man- datum tribuit, per quòd ad perfectionem**

transiret, cujus adimpletio esset impossibilis? An ipsis jucunda, decoraque esset laudatio, quod in ea impotentia essent à Deo relictī, ad fugam peccati, & implementum præcepti? Hoc sanè ab omni veritate alienissimum est. Et maximè inspecto sine legis, qui fuit sanctificatio Populi Judaici, ut expressè affirmat D. Thomas 1.2. q.107. art.2. his verbis: *In veteri autem lege duo possunt considerari, scilicet finis, & præcepta contenta in lege. Finis verò cujuslibet legis est, ut homines efficiantur justī, & virtuosī; ut supra dictum est: unde & finis veteris legis erat justificatio hominum, quam quidem lex efficere non poterat. Cujus & egregium habetur testimonium Deuteron.4. v.1. 5.6.7. Et nunc Israel audi præcepta, & judicia, quæ ego doceo te, ut faciens ea, vivas. . . . Scitis quod docuerim vos præcepta, atque justitias sicut mandavit mihi Dominus Deus meus: sic facietis ea in terra, quam possessuri estis, & observabitis, & implebitis opere. Hæc est enim vestra sapientia, & intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc, dicant: en populus sapiens, & intelligens, gens magna. Non est alia Natio tam grandis, quæ habet Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis observationibus nostris: ergo cum factores legis fuerint electi, & prædestinati in peculium Domini, incredibile est, ipsis defuisse gratiam necessariam ad consecutionem finis à Deo intenti: quod ita certum & exploratum credidit M. Medina 1.2. q.98. art.2. ut dixerit hæc conclusio est certa secundum fidem Catholicam.*

30. Ut certum ergo debet in præsentī supponi, fuisse gratiam sufficientem tempore legis datam ex fide Christi vires exhibentem, ut præcepta essent possibilia: quo supposito statim ruit propositio Quesnelli, quæ hunc pessimum errorem fovet, supponens, nullam ex veteri fœdere hominibus fuisse utilitatem, sed potius in plena impotentia esse relictos, & quod tam infelix fuerit Populi electi conditio. Hic etenim est verus, & germanus sensus propositionis damnatæ. Non enim propositio loquitur de Spiritu ipso veteris fœderis proprio, quod nempe Judæi se ipsis, & ex conditione legis veteris infirmi, & impotentes, divinam gratiam, legisque implendæ potestatem, virtute, & efficacia ipsius antiqui fœderis non acceperint: sed expressè loquitur de eo, quod erat in veteri fœdere, scilicet de eo, quod Deus exigebat in illo, nempe fugam peccati, adimpletionem præceptorum, in sensu composito impotentia, & defectus potestatis ad illorum observantiam. Quare in propositione septima exclamat: *Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propria infirmitati; imponendo ipsi suam legem? Quæ illatio ex ejus errore exactissima est. Etenim quæ utilitas in illo fœdere, in quo Deus impossibilia jubet, impotentique est homo ad ei obediendum? Quæ utilitas pro homine, dum in toto illo fœdere ipsi deerant auxilia, ut faceret, & ut peteret,*

quod non poterat, & ut adjuvaretur, ut posset? Quæ utilitas in illo fœdere, in quo Judæi præceptis obedire non poterant, & in quo Deus non poterat dici Salvator? Hæc est infelicitas hujus propositionis miserabilis impotentia.

31. Rejicienda ergo venit hæc doctrina Quesnelli ex Sacra Scriptura dicente Isaia cap.1. *Levami, mundi estote, auferite malum cogitationum vestrarum. . . . Si fuerint peccata vestra, ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Et cap.5. *Quid est, quod debuisti ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas? Et cap.65. Expandi manus meas tota die ad populum non credentem, & contradicentem. Et Osee cap.13. v.9. *Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum.* Et Ezech.18. *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à via sua, & vivat? . . . Quare moriemini domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus: revertimini, & vivite.* Et cap.33. *Vivo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur à via sua & vivat: convertimini, convertimini.* Et Matth.13. v.37. *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare Filios tuos, quemadmodum Gallina congregat Pullos suos sub alas, & noluisti? Et Luc.18. v.21. *Hæc omnia custodivi à juventute mea. Et Act.7. v.51. *Dura cervice, & incircumcisus cordibus, & auribus vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos.* In quibus omnibus Scriptura testatur, in fœdere judaico & Deum exegisse à Judæis implementum legis, & præparasse auxilia sufficientia; quibus plures resistenterunt. Non potuit Deus plus facere in beneficium vineæ electæ. Nolens ipse mortem, sed conversionem, expandit manum ad populum non credentem. An hoc est populum in sua impotentia reliquisse quoad fugam peccati, & implementum legis? Hoc sane totum falsò, & contra manifestam Scripturæ vocem clamat Quesnellus. Ipsum convincit errantem in ista lethifera, Judæisque insuperabili conversionis impotentia Concilium Milevitanum II. *Quapropter si & ante tempus legis, & tempore ipso legis justos Patres ex fide viventes non possibilitas naturæ infirmæ, & indignæ, ac vitiatæ, & sub peccato venundatæ, sed Dei gratia per fidem justificabat, & nunc eadem in apertum jam veniens revelata justificat: anathematizet ergo Pelagius Scripturam suam, ubi contra eam, etsi non per contumaciam, tamen per ignorantiam disputat.* Et Araucanum II. Can.25. *Secundum superscriptas Sanctorum Scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc Deo propitiante & prædicare debemus, quod per peccatum primi hominis inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi****

nisi gratia eum, & misericordia divina prævenierit. Unde in Abel justum, & Noe, & Abraham, & Isaac, & Jacob, & omnem antiquorum Sanctorum multitudinem, illam præclaram fidem, quam in ipsorum laudem prædicat Apostolus Paulus, non per bonum naturæ, quod prius in Adam datum fuerat, sed per gratiam Dei credimus fuisse collatam. Et Tridentinum sess.6. cap.11. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & adjuvat ut possis: cujus mandata gravia non sunt, cujus jugum suave est, & onus leve.*

32. At cum Novatores isti ingens erroris sui sibi præsidium imaginentur in Sanctorum Augustini, & Thomæ doctrina; ut certissimè constet, quàm invictè utriusque S. Doctoris lumine pertinax eorum error vincatur, audiendus D. Augustinus lib.3. ad Bonifac. cap.4. n.6. *Quibus ita se habentibus ex his etiam illa, quæ deinceps nobis objiciunt, referuntur. Quis enim Catholicus dicat, quod nos dicere jactitant, Spiritum Sanctum adjutorem virtutis in veteri testamento non fuisse. Et n.11. Eadem igitur fides est, & in illis, qui nondum nomine, sed re ipsa fuerunt antea Christiani; & in istis, qui non solum sunt, verum etiam vocantur, & in utrisque eadem gratia per Spiritum Sanctum: unde dicit Apostolus: habentes autem eundem Spiritum fidei, secundum quod scriptum est, credidi, propter quod locutus sum, & nos credimus propter quod loquimur. Et n.13. ad Pelagianos objicientes, Spiritum Sanctum adjutorem virtutis in veteri testamento non fuisse, respondet: *Tempore veteris testamenti Spiritum Sanctum in eis, qui etiam tunc secundum Isaac promissionis Filii erant, non solum adjutorem, quod isti suo dogmati sufficere existimant, verum etiam largitorem dicimus, fuisse virtutis, quod isti negant, libero eam potius arbitrio tribuentes, contradicentibus illis Patribus, qui sciebant ad Deum veraci pietate clamare, diligant re Domine virtus mea. Idem repetit tract.3. in Joann. *Quis dedit legem? Ille dedit legem, qui dedit & gratiam. Sed legem per servum misit, cum gratia ipse descendit. Et unde facti erant homines sub lege? Non implendo legem. Qui enim legem implet, non est sub lege, sed cum lege: qui autem sub lege est, non sublevaratur, sed premitur à lege: omnes itaque homines sub lege constitutos, reos facit lex, & ad hoc illis super caput est, ut ostendat illis peccata, & non tollat, lex ergo jubet, dator legis miseretur in eo, quod jubet lex. Conantes homines implere viribus suis, quod à lege præceptum est, ipsa sua temeraria, & præcipit præsumptione ceciderunt. Et quoniam suis viribus legem implere non poterant, facti rei sub lege imploraverunt liberatoris auxilium, veniat Medicus, & sanet agrotos. Medicus quis? Dominus Noster Jesus Christus.***

33. Hoc iterum expressè docet lib.1. ad Simplicianum q.1. n.10. *Noluit ergo Esau, & non cucurrit; sed si voluisset, & cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei etiam velle, & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta*

reprobis fieret: ergo fuit in potestate Esau vocem Dei vocantis audire, & non contemnere; & consequenter non ex impotentia, sed ex ejus despectu reprobus factus est. Consimili voce loquitur contra Faustum lib.19. cap.18. discrimen inter Sacramenta veteris legis, & præcepta Decalogi his verbis statuens: *Hæc præcepta sunt morum; illa sacramenta sunt promissorum: hæc implentur per adjuvantem gratiam; illa per redditam veritatem: utraque per Christum, & illam semper gratiam donantem, nunc etiam revelantem; & hanc veritatem tunc promittentem, nunc exhibentem.* En per Christum legem impletam; quia implet promissa, cum lex facta est veritas à Christo exhibita; implet præcepta, cum lex à Christo facta est gratia in novo testamento revelata, sed semper à Christo donata: ergo à Christo fuit etiam donata gratia in veteri testamento. Non ergo spectantes ad fœdus judaicum fuerunt relictī in sua impotentia, & omni gratia interiori destituti.

34. Sed mens D. Augustini evidentiori lumine cernitur contra duas Epistolas Pelagianorum cap.4. ubi acriter insurgit contra calumniantes ipsum, quod in ea fuerit aliquando sententia, Deum in fœdere judaico exegisse fugam peccati, & implementum legis, relinquendo Judæos in sua impotentia. Quare sic clamat: *Quis Catholicus dicat, quod nos dicere jactitant, Spiritum Sanctum adjutorem virtutis in veteri testamento non fuisse? Ubi manifestè declarat, se nunquam objectum tenuisse, & docuisse. Et re vera ita est; cum semper immobilis fuerit in hac doctrina; quare dicit term.148. de temp. *Spiritu opus est, ut lex possit impleri.* Et de Spirit. & litter. cap.26. exponens illud Apostoli: *Non auditores, sed factores legis justificabuntur, ita loquitur: Sic intelligendum est, factores legis justificabuntur, ut sciamus, aliter eos non esse factores legis, nisi justificentur: ut non justificatio factoribus accedat, sed ut factores legis faciat: ergo falsum, & absonum est Quesnelli positum discrimen inter fœdus judaicum, & Christianum, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia; in isto verò Deus peccatori dat, quod jubet, illum sua gratia purificando. Quis enim credit, Judæos non credidisse, quia credere non poterant? Hoc potius verissimum est, quod non credentes, ideo non crediderunt, quia credere noluerunt: ergo fuit in ipsis vera Dei gratia hoc posse largiens; sicut intulit Augustinus lib.2. de Actis cum Felice cap.5. adversus Manichæos negantes liberum arbitrium. Dicebant illi, legem à Deo datam servare noluisse: ex quo insurgit Augustinus, & arguit, fuisse in ipsis veram potestatem ad implementum legis, his verbis: *Qui enim servare legem non vult, in potestate ejus est, si velit. Non enim dixit, non potuerunt, sed noluerunt: hoc***

hoc ergo, quod in eorum voluntate est, ut nolint, peccatum est certè sine ulla necessitate: ergo & eadem irreprehensibilis potest contra Quesnellum efformari consequentia; qui cum negare non possit, quòd in fœdere Judaico resistentes Spiritui Sancto credere noluerunt, ex hoc ipso sit evidens, in eis fuisse veram gratiam, qua in potestate eorum esset credere, si voluissent.

35. Discrepat hæc infanda Quesnelli assertio à doctrina Angelici Præceptoris 1.2. q.98. art.1. ad 3. Et art.2. supra citatis. n.29. In quem S. Doctoris locum ita notat Glosa marginalis P. Joannis Nicolai: *Heccine illa gratia impediens, quam Fansenius lib.3. de grat. Salvatoris cap.8. datam Judæis fuisse vult. Tab monstrum!* Rem etiam clarissimè illustrat D. Thomas ad Rom. 4. lect. 2. apertè ostendens, quòd per Incarnationem, Passionem, & Mortem Christi gratia quidem uberior derivata sit, & communicata Sacramentis, revera tamen fuisse datam gratiam ad fugam peccati, & implementum legis, his verbis: *Et ideo melius dicendum est, quòd circumcisio ex ipso opere operato non habet virtutem effectivam, nec quantum ad remotionem culpæ, neque quantum ad operationem justitiæ, sed erat solum justitiæ signum, ut hic Apostolus dicit; sed per fidem Christi, cujus circumcisio signum erat, auferebatur peccatum originale, & conferebatur auxilium gratiæ ad rectè agendum.*

36. Hoc & iterum signanter docet in aliis locis 3. p. q.70. art.4. explicans, quomodo & si lex non dabat gratiam adjuvantem, composibilis erat cum gratia. Sic enim habet in corpore articuli: *In Circumcisione gratia conferebatur, non ex virtute Circumcisionis, sed ex virtute Passionis Christi, cujus signum erat Circumcisio.* Sicut igitur gratia justificans erat cum Circumcisione, non ex, seu vi, & virtute Circumcisionis, ita gratia actualis erat cum lege, non ex lege, seu vi, & virtute legis. Et explicans illud Apostoli cap.3. ad Galat. *Quoniam in lege nemo justificatur, ait: id est, per legem: aliqui tamen spiritualiter vivebant in lege, sed hoc non erat ex ea, sed ex fide mediatoris.* Ex quibus omnibus certum, & inconcussum sit argumentum, esse de mente D. Thomæ, Judæos accepisse gratiam sufficientem, & in ipsis non fuisse voluntatem nudam, & inermem absque omni gratia sufficiente, in sua impotentia relictam: cujus Angelici Magistri doctrinam sequuntur omnes ejus Discipuli. Eminentissimus Cajetanus dicens: *Conditio tertia hinc consequens est, quòd homo sub lege relinquebatur sibi ipsi, utpotè non adjutus interno dono divinæ gratiæ. Nec per hæc intelligas, novitiè, quòd Judæi ante Christi adventum sub lege existentes, caruerint gratia, quoniam hoc non dicimus; sed intellige, quòd ex illo statu non habebant gratiam, sed habebant gratiam, qui illam habebant, ex participatione status novi revelandi per Christum. Participabant autem statum novi testa-*

menti fide, & devotione ad mediatorem Dei, & hominum Messiam. Et M. Alvarez disp.17. de auxiliis n.3. de Judæis loquendo, ait: *Habuerunt gratiam verè sufficientem, per quam converti potuerunt, & fructus dignos penitentia facere, alias non reprehendisset Dominus, quòd eos non produxerint.* Consentiant & alii Thomistæ, qui limpidißima Angelici Magistri doctrina venenum hujus propositionis destruant, atque proscribunt. Videantur M. Lemos lib.4. p.1. cap.9. Arauxo de necess. grat. art.10. Bolivar de grat. Dei dub.12. Eminentiss. Aguirre disert.123. sect.5. M. Ferre de grat. Dei q.6. sect.2. Illustris. Godoy disp.44. PP. Salmanticensis disp.2. de necess. grat. dub.6. Bancel tract.4. q.4. art.25. obj.5. & art.3. §.6. obj.1. diffusè admodum, atque nervosè in universali hoc propugnans. Cornexo tom.1. tract.2. disp.2. dub.8. arg.2. Qui omnes constanter propugnant, quòd licet in fœdere veteri gratia sufficiens non fuerit ex vi, ac virtute legis, fuit tamen tempore legis cum ea, & donata ex fide Christi. Nihil ergo magis remotum à sensu utriusque S. Doctoris, nihil alienius à mente Discipulorum ejus, & communi Theologorum sententia: sed & nihil magis repugnans SS. PP. doctrinæ, quæ legem sanctam, & mandatum sanctum, & bonum prædicat; per quod nempe reconciliaretur homo Deo, reformaret se ipsum, rationabiliter viveret, custodiretur à culpa, acquireret meritum, habilitaretur ad gratiam, per modum cujusdam dispositionis, dum retrahens homines à cultu idolatriæ, concluderet eos sub cultu unius Dei, à quo salvandum erat genus humanum per Christum. Consultò brevitatè causa eos omitto. Videndi tamen S. Anselmus super Epist. ad Rom. cap.6. S. Cyrillus Alexandrinus super Evang. Joann. lib.9. cap.23. D. Hieronymus Epist. ad Galat. 1.2. cap.14. D. Gregorius Pastor. p.3. cap.28. & lib. moral. cap.37.

37. At tenuis fuit Quesnello tot SS. PP. auctoritas. Partes amplecti maluit Janfenii doctrinam propositionis expressè tradentis lib.1. de grat. Salvat. cap.11. *Consilium Dei reformando Judæorum populo saluberrimum indanda lege fuit, non ut per gratiam sufficientem, quæ adesset ipsis, eam observando rectè viverent, quòd eos nondum posse præsciebat, sed ut multitudine præceptorum, quæ per legem implere non poterant, eorum superbia frangeretur.* Qui scopus Dei tantum abest, ut sufficientem gratiam observandæ legis Judæis affuisse supponat, ut potius è contrario convincat, nullo modo eis adfuisse. Id incunctanter pronunciat lib.3. de grat. Christi Salvat. cap.5. *Ex his sufficienter demonstrari puto, esse quemdam sub lege statum, sub quo generaliter, paucis exceptis, Judaica natio ante Salvatoris adventum fuit, in quo non solum non dabatur gratia sufficiens implendi id, quòd jubebatur, multò minus gratia sufficiens ad salutem; sed è contrario talis gratia latenti*

ac

ac scopo Dei capitaliter repugnabat. Et in fine Capitis: *Hæc gratia verò sufficiens, quamvis per Salvatoris adventum jam revelata sit, multis tamen deest etiam in nova lege Christianis, sed sub veteri testamento, quo tegebatur, penè toti Judaica nationi, paucis exceptis, defuit.* Hoc approbat, & clarius exprimit dicto lib.1. cap.8., quòd inscripsit: *Secundus effectus legis, reddere præcepti observationem difficilior sine gratia, propter incrementum concupiscentiæ.* Inscriptumque similiter legitur Caput nonum his verbis: *Tertius effectus legis, graviolem ruinam asserre, arctiusque concludere hominem sub peccato.* Cui doctrinæ ita immobiliter adhæret, ut oppositum quoddam fabulæ genus judicet ibidem lib.3. cap.6. dicens: *Profectò nihil aliud fuisse testamentum illud perspicuum est, nisi magnam quamdam quasi comediam, quæ non tam propter se ipsam, quam propter id, cui præfigurando serviebat. Quo nihil magis horrendum, erroneum, & scandalosum dici potest. Sed quid mirum, cum doctrinam hæc hauserit ille ex impio Hæreticorum puteo. Tradita fuit prius ab Hæreticis, ut videre est in contra Remonstr. in specim. Amstelodamensi art.57. dicentibus: Judæi, quibus Christus prædicabat, non poterant se convertere, aut credere, nunquam etiam ipsis sufficiens gratia data est, qua ad conversionem, aut salutem pertingerent.* Lutherus in Epist. ad Galat. cap.5. *Nunquam etiam ipsis sufficiens gratia data est. Quòd plus conantur homines satisficere legi, hoc magis transgrediuntur.* Et tom.3. p. prefat. in vetus testamentum affirmat: *Legem datam esse; scilicet ad revelandas, & augendas spirituales transgressiones.* In eodem est errore Calvinus lib.2. instit. cap.5. §.4. cap.7. §.2.6. & 10. Fuit hæc doctrina damnata ab Alexandro VIII. propositione 5. *Pagani, & Judæi nullum omnino accipiunt à Jesu Christo influxum, adeoque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficiente.* Est hæresis ista ipsamet propositio, quam damnarunt Summi Pontifices S. Pius V., & Gregorius XIII. definitiva hac sententia: *Deum homini nihil impossibile, præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cum sit Pelagii: meritò ergo tot justissimis momentis ad tenebras deducta est hæc Quesnelli propositio. Quis enim (ut exclamat Augustinus lib.3. de liber. arbitr. cap.16.) Non clamat stultum esse, præcepta dare ei, cui liberum non est, quòd præcipitur facere, & iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere; & has injustitias, & iniquitates miseri non intelligunt Deo se adscribere.*

38. Nec minus reprobis est octavæ propositionis sensus, in qua Quesnellus Janfenianæ hæresis involutus erroribus, in eodem promulgando errore suberrat: etenim non solum rejicit ab antiquo fœdere potestatem obtinendæ salutis, sed & ipsam relegat à novo fœdere in omnibus non habentibus gratiam efficacem, dum asserit: *Nos non pertinemus*

ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis, id quòd Deus nobis præcipit. Unum certissimè supponit, gratiam bonorum operum effectricem ita esse novi fœderis propriam, quòd nulli hujusmodi gratia toto antiqui fœderis tempore data fuerit. Ex quo nec Moyses, nec cæteri antiqui Patres, & Prophetae acceperunt gratiam, per quam operaretur Deus in cordibus eorum mandatorum, & præceptorum obedientiam, quòd sanè est penitus Hæreticum. Ulterius, positivè affirmat, quòd exprimit ipsa propositio, nos non pertinere ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus tantum ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quòd Deus nobis præcipit; quæ propositio æquivalet huic: *Ratione hujus novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quòd Deus nobis præcipit, pertinemus ad novum fœdus: & quia datur in nobis hæc gratia, ad novum fœdus pertinemus.* Prima pars Catholica veritas est, quam D. Thomas explicat 1.2. q.106. toto art.1. & art.2. in corp. dicens: *Quòd sicut dictum est ad legem Evangelii duo pertinent: Unum quidem principaliter, scilicet ipsa gratia Spiritus Sancti interiorius data: & quantum ad hoc nova lex justificat: Unde Augustinus dicit in lib. de Spirit. & litter. ibi, scilicet in veteri testamento, lex extrinsecus est posita, qua injusti terrentur: hic, scilicet in novo testamento, intrinsecus data est, qua justificarentur. Aliud pertinet ad legem Evangelii secundariò, scilicet documenta fidei, & præcepta ordinantia affectum humanum, & humanos actus. Et quantum ad hoc lex nova non justificat. Unde Apostolus dicit 2. ad Corinth. 3. Littera occidit, spiritus autem vivificat. Et Augustinus exponit in lib. de Spirit. & litter. quòd per litteram intelligitur quælibet scriptura extra homines existens etiam moralium præceptorum, qualia continentur in Evangelio. Unde etiam littera Evangelii occideret, nisi adesset interior gratia fidei sanans.* Et sub eisdem terminis, quibus utitur propositio id ostendit ad 3. dicendum, quòd legem novam, & veterem unus Deus dedit, sed aliter, & aliter. Nam legem veterem dedit scriptam in tabulis lapideis, legem autem novam dedit scriptam in tabulis cordis carnalibus, ut Apostolus dicit 2. ad Corinth. 3. Proinde sicut Augustinus dicit in lib. de Spirit. & litter. litteram istam extra hominem scriptam, & ministracionem mortis, & ministracionem damnationis Apostolus appellat; hanc autem scilicet novi testamenti legem ministracionem spiritus, & ministracionem justitiæ dicit, quia per donum spiritus operamur justitiam, & à prævaricationis damnatione liberamur.

39. At pars secunda, quòd nempe solum, ratione talis gratiæ sumus participes novi fœderis, & non alterius gratiæ, hoc est penitus falsum, & contra D. Thomam eadem q. art.2. ad 2. *Gratia novi testamenti etsi adjuvet hominem ad non peccandum, non tamen ita confirmat in bono, ut homo peccare non possit; hoc enim per-*

pertinet ad statum gloria. Et ideo si quis post acceptam gratiam novi testamenti peccaverit, majori poena est dignus, tanquam majoribus beneficiis ingratus, & auxilio sibi dato non utens. Nec tamen propterea dicitur, quod lex nova iram operatur, quia quantum est de se sufficiens auxilium dat ad non peccandum. Quid autem, (ut rectè observat Glossa in margine) nisi actualis gratia ei data, qui tamen peccat? Nam si habitualis tantum intelligatur, illusoria esset ratiocinatio S. Thomæ, qui sine actuali habitualem non sufficere docet infra. In quo explicat Angelicus Magister excellentiam, & prerogativam novæ legis supra veterem: quod posterior nihil ex se ipsâ gratiæ contulit, prior verò gratiam omnibus tribuit in pluribus efficacem, in omnibus sufficentem, quibus ad novum foedus pertinent; etsi cœlestibus auxiliis Divinæ gratiæ bonorum operum effectricis non occupentur.

40. Hinc ineluctabili, & exactâ consequentiâ inferitur, quod peccatores, efficaci gratia destitutos, penitus à novo foedere rescindit Quæsnellus, & ad foedus Judaicum, relinquendo illos in sua observandæ legis impotentia, remittit: cum tamen adsit gratia sufficiens, spes remissionis peccatorum, poenitentia, quibus participes fiunt novi foederis; & in Symbolo Apostolorum credere jubeamur remissionem peccatorum. Non sufficit ipsis fides, quæ per peccatum non extinguitur, ut docet Tridentinum sess. 6. cap. 15. Can. 28. ut ad novum foedus pertineant: non præcepta, non documenta, non Sacramenta, ut novi foederis sint participes, contra Divum Thomam dicta q. art. 1. ad 3. Dicendum, quod nullus unquam habuit gratiam Spiritus Sancti, nisi per fidem Christi explicitam, vel implicitam. Per fidem autem Christi pertinet homo ad novum testamentum: unde quibuscumque fuit lex gratiæ indita, secundum hoc ad novum testamentum pertinebant. Et expressius ad primum: Dicendum, quod in Scriptura Evangelii non continentur, nisi ea, quæ pertinent ad gratiam Spiritus Sancti, vel sicut dispositiva, vel sicut ordinativa ad usum hujus gratiæ: sicut dispositiva quidem, quantum ad intellectum per fidem, per quam datur Spiritus Sancti gratia, continentur in Evangelio ea, quæ pertinent ad manifestandum Divinitatem, vel Humanitatem Christi. Secundum effectum verò continentur in Evangelio ea, quæ pertinent ad contemptum Mundi, per quem homo fit capax Spiritus Sancti gratiæ. Mundus enim, id est, amatores Mundi, non potest capere Spiritum Sanctum, ut habetur Joann. 14. Usus verò spiritualis gratiæ est in operibus virtutum, ad quæ multipliciter Scriptura novi testamenti homines exhortatur. Quid ergo magis injuriosum fidei, Sacramento Baptismatis, præceptis, exhortationibus, & articulo fidei remissionis peccatorum excogitari potuit, quam Quæsnelli error?

41. Ulterius: Infantes participes novi foederis agnoscit Ecclesia, & si capaces non

sint novæ illius gratiæ, quæ in nobis operatur, quod præcipit Deus; at & isti exclusi à novo foedere juxta Quæsnellum, cum non faciant, quod Deus præcipit. Synodus generalis Constantiensis sess. 8. damnavit hunc articulum 15. Joannis Wicleff: Nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali: At Catholicum credit Quæsnellus hoc deterius, & execrabilius dogma, quod non solum dignitatem Episcopalem amittant, sed & quod ejiciendi sunt à novo Ecclesiæ foedere, cum in illo statu peccati careant gratia, qua Deus operatur in nobis. In quo sanè in errorem incidit Pelagianorum, peccatores ab Ecclesiæ societate eliminantes, ut refert S. Augustinus lib. de Hæresibus ad Quod vult Deum, ubi errorem istum sequentibus verbis refert, ac refellit: In id etiam progrediuntur, ut dicant, vitam justorum in hoc sæculo nullum omnino habere peccatum, & ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici, ut sit omnino sine macula, & ruga: quasi non sit Christi Ecclesia, quæ in toto terrarum Orbe clamat ad Deum, dimitte nobis debita nostra. Quarè S. Doctor non à novo foedere excludit omnes, in quibus Deus non operatur quod præcipit, sed Hæreticos, & Schismaticos, qui se ab Ecclesia segregant, ut constat ex ferm. 3. de Agar, & Jsmabel, ubi ipsos expressè à novo foedere excludit, & Ecclesia, dicens: Ejice Hæreses, & filios earum: non enim hæredes erunt Hæretici cum Catholicis. Sed quarè non erunt hæredes? Nonne de semine Abraham nati? Et quomodo Baptismum Ecclesiæ habent? Baptismum habent: hæredem faceret semen Abraham, nisi ab hæreditate superbia excluderet. Eodem verbo nasceris, eodem Sacramento, sed ad eandem hæreditatem vitæ æternæ non pervenis, nisi ad Ecclesiam Catholicam reverteris fueris. Ex semine Abraham nasceris, sed filius ancillæ foris propter superbiam &c.

42. Horrendæ sanè sunt consequentiæ illæ, quas fides reprobatur, & quas intellectus in sensu plano hujus propositionis, prout jacet, consequitur. Sed iterum apparet occultum venenum præcipui, & solemnissimum Jansenii dogmatis, quod pro virili studet Quæsnellus effutire. Excludit in propositionibus antecedentibus à veteri foedere gratia sufficiens, ipsam in ista relegat à novo foedere, ut sit penitus eliminata, & de medio sublata gratia sufficiens pro omni foedere; verumque similiter sit, quod in utroque foedere ad merendum, & demerendum omnis sit adempta libertas; ut deficiente auxilio efficaci præcepta fiant absolutè impossibilia. In quo hæreticum Jansenii dogma, iterum in anathema Ecclesiæ recidit: Quoniam quantalibet arte fallaciæ Spiritus perditionis armetur, sancto gladio Spiritus principalis, & detegitur, & necatur: ut dixit Gelasius III.: quod magis perspicuum fiet sequentibus propositionibus.

Quid

1. Quid aliud remanet anima, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?
26. Nulla dantur gratiæ, nisi per fidem.
27. Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.
28. Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.
29. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.
32. Jhesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est electos, de manu Angeli exterminatoris.
33. Prob! Quantum oportet bonis terrenis, & sibi metipsum renunciassè, ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jhesum ejus amorem, mortem, & mysteria, ut facit S. Paulus dicens: qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.
38. Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia liberatoris.
39. Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum, virium, nisi ad se vulnerandum; est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.
40. Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.
41. Omnis cognitio Dei etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire nisi à Deo: & sine gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.
42. Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei; sine hoc nihil, nisi impuritas, nihil nisi indignitas.
48. Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum sine fidei lumine, sine Christo, & sine charitate?

43. Facile est, insubstantiam, & falsitatem harum propositionum detegere, cum omnes sint inter se connexæ; idemque sub diversis terminis sonent, & eundem ad animarum perniciem nutrant errorem: ex quo & eadem odiosa, & hæretica sequuntur consecutaria, toties ex propositionibus Jansenii deducta. Negat in omnibus illis Quæsnellus in statu naturæ lapsæ verum adjutorium sine quo non distinctum ab efficaci, constituens potentiam proximè, adæquatè, & integrè potentem ad actus supernaturales Deo adjuvante eliciendos, ex quo ineluctabili consequentia sequitur, non solum quod peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia Salvatoris, sed quod sine tali adjutorio nihil remanet animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi generalis impotentia ad laborem, & omne opus bonum supernaturale,

ut omnis operis boni potestate spoliata manens, pecciter non possit, relinquendaque sit in illo miserabili statu, ut portet, & sentiat confusione sua onus peccati, ipsius terribili necessitate se agnoscens, nullamque ipsa esse potestatem ad bonum, sed solum ad omne scelus fatali necessitate perficiendum. Quomodo enim homo humilis convertetur ad Dominum, si in ipso tantum remanet superba potestas? Quomodo Deum quæret, si omnis cognitio Dei, etiam naturalis, sine gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum orationis, gratitudinis, & amoris? Quomodo Deum orabit, qui gratia carens efficaci fingitur orare non posse? Quomodo adimplere præcepta poterit, dum absque gratia efficaci Divinorum præceptorum possibilis obedientia hypocrisis est, & falsa justitia? Quomodo Deum quæret, qui absque gratia efficaci ad nihil potest, nisi ad suam condemnationem? Uno verbo: Quomodo poterit aliquod bonum, dum voluntas, quam gratia efficax non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum; dum est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum, dum nullum est opus bonum sine amore Dei, nec quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, nisi peccatum, sine fidei lumine, sine Christo, & sine charitate: cum absque gratia efficaci nihil sit homo, nisi impuritas.

44. Hoc est hæreticum Quæsnelli dogma in his propositionibus præcontentum, merito fidelium mentes confundens, affligens, & faucians, damnatamque tam Jansenii, quam Baii perniciem iterum ad lucem revocans. Et quidem primò, si peccator non est liber, nisi ad malum sine gratia Salvatoris, quam solum efficacem agnoscit Quæsnellus, & ea deficiente nihil aliud remanet, nisi generalis impotentia ad omne opus supernaturale, ommissio actus præcepti non est imputabilis ad culpam homini hanc efficacem gratiam non habenti; nam ommitteret carens omni potestate ad actum præceptum, & consequenter necessaria esset ommissio: sicut & necessaria esset adimpletio præcepti: cum gratia efficax esset necessitans, inferens actum, absque omni potestate proxima, & expedita ad actum oppositum: quod damnatum fuit à Summis Pontificibus Pio V., & Gregorio XIII. in Michaele Bajo prop. 66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. Et 67. Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessariò facit. Ulterius: observantia illa præcepti, ex defectu potestatis non esset dirigibilis per legem; cum lex solum dirigat, & modum imponat agentis, ut operetur; sed dum agens est ad unum determinatum, absque potestate proxima, & immediata ad actum oppositum, inutilis, & vana est hujusmodi directio: ergo adimpletio nequit esse prudenter dirigibilis per legem:

T t t

Quo-

Quomodo ergo credi potest omisio illa peccaminosa? Videantur quæ supra diximus disp. 1. dub. 2. per totum, nè frequenter Lectorem fatiget repetitio.

45. Sed dices, quod hæc impotentia, non est antecedens, sed consequens, & voluntaria, saltem in causa, nempe in peccato originali, ut docere videtur D. Thomas 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1. dicens: *Auxilium quibuscumque datur, misericorditer datur; quibus autem non datur, ex justitia non datur in pœnam præcedentis peccati, saltem originalis, ut dicit Augustinus lib. de corrept. & grat. Nempe cap. 11.* Nam hæc est vana, & frigida responsio, quæ occluditur omnibus argumentis supra positis dicto dub. 2. §. 3. n. 29. Etenim peccatum actuale debet esse sic liberum, quod vitari possit: undè impotentia, quæ homini non est voluntaria in causa, ex voluntate propria, non est absolutè consequens, sed omninò antecedens, & minimè imputabilis ad culpam; sed impotentia orta ex negatione auxiliorum sufficientium in pœnam peccati originalis, non esset ex propria personali voluntate: ergo æstimari debet impotentia antecedens. Secundò, quia licet hoc effugium subsisteret in casu non remissionis peccati originalis, minimè tamen in his, in quibus peccatum præsupponitur remissum: ergo remissio peccato originali, impotentia ex defectu auxiliorum sufficientium constituentium potestatem proximè, & immediatè expeditam, esset antecedens, & non merè consequens. Quarè meritò proscripita est prima Jansenii propositio. Hæc est mens D. Thomæ loco supra citato: Nusquam enim, nec ibi, nec alibi docuit, esse imputabilem ad culpam homini carenti auxiliis sufficientibus omissionem actus præcepti; sed semper est constans in eo, quod ad peccatum originale requiritur potestas personalis; quarè in casu denegationis auxiliorum sufficientium propter peccatum originale, denegatio potestatis antecedentis haberet rationem pœnæ, non culpæ; ut expressè docet 2. 2. q. 10. art. 1. in corp. & ad 1. his verbis: *In illis, qui nihil audierunt de fide, infidelitas non habet rationem peccati, sed magis pœnæ: quia talis ignorantia Divinorum ex peccato primi Parentis consequuta est.*

46. Sed revertamur ad sensum obvium propositionum, quæ in unum collimant finem, nempe in negationem gratiæ sufficientis, quæ manifestissimè apparet reflectendo super ipsas; quæ sane ineluctabili consecutione inferuntur ex negatione gratiæ sufficientis. Etenim si Deus hominibus confert, aut præparat auxilia sufficientia voluntate illa generali, & antecedenti, qua vult omnes homines salvos fieri; evidens est, quod datur gratia, quæ non est ex fide, & quod fides non est prima gratia, & fons omnium gratiarum, quod negat 27. propositio. Sicut & quod prima gratia, quam Deus concedit peccatori, non est peccatorum remissio, ut intendit propositio

28. Est similiter evidens, quod extra Ecclesiam est aliqua gratia, quod negat propositio 29. & tandem quod homo non est in illa generali impotentia faciendi omne opus bonum: ergo, cum hoc consequens negetur ab ipso in omnibus prædictis propositionibus, ex negatione consequentis arguendo ad negationem antecedentis, evidens est, quod nullam agnoscit in illis Quesnellus gratiam sufficientem, quæ conferatur à Deo, vel infidelibus, vel aliis, sive hæreticis, sive peccatoribus.

47. Hoc compertissimum fiet, observando, quod Quesnellus in propositionibus 38. & 40. loquitur de gratia actuali supernaturali; cum sermo sit de gratia præveniente omnem liberi arbitri dispositionem, quam non prævenit gratia habitualis, quæ mediis dispositionibus hominis adulti recipitur in anima: & quia loquitur in illis de gratia, quæ est in peccatoribus, aut in peccato existentibus, quæ sanè non est gratia habitualis, quæ non est in illis. Etiam hæc actualis gratia, de qua loquitur, est simpliciter supernaturalis: quia loquitur de gratia Salvatoris, & de gratia Christi, quæ indubiè supernaturales sunt. Quare propositio 44. asserit: *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor, quo nos ipsos, ac Mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.* Et propositio 46. *Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt.* Et 47. *Obedientia legis profuere debet ex fonte; & hic fons est charitas: sed in his propositionibus certissimum est, loqui de gratia supernaturali, & de actibus, quibus homo tendit in Deum Auctorem supernaturalem, qui supernaturales sunt; ergo & de eadem gratia supernaturali actuali loquitur in omnibus præcitatæ propositionibus; quod nempe illa deficiente, quod remanet animæ, est generalis impotentia ad omne opus bonum; quod extra Ecclesiam, nulla conceditur; quod peccator non est liber nisi ad malum sine illa; & quod nihil aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum.*

48. En quomodo duplici Catholico dogmati resistit in omnibus his propositionibus. Non solum negat, quod Christus fuerit mortuus pro omnibus hominibus, sed & asserit, quod Pagani, Judæi, & Hæretici nullam ex meritis Christi receperint gratiam. *Etenim nulla est gratia nisi per fidem, fidesque est prima gratia, & fons omnium aliarum, ut statuit propositio 26. & 27. ergo quibus non est fides concessa, nec altera actualis conceditur gratia: sed in Paganis, Judæis, & Hæreticis nulla est fides: ergo nec ex meritis Christi aliqua gratia supernaturalis eis oblata, vel concessa.* Quod damnatum fuit ab Alexandro VIII. anno 1690. proposit. 4. *Dedit semetipsum pro nobis*

bis oblationem Deo non pro solis electis, sed pro omnibus, & pro solis fidelibus. Et propositione 5. *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à Jesu Christo influxum, adeoque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficiente.*

49. Sed non solum Paganis, Judæis, & Hæreticis omnem gratiam sufficientem negat, sed & omnibus peccatoribus; nam prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio, ut asserit propositione 28. & propositione 48. dum dicit: *Quid aliud esse possumus nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum sine fidei lumine:* ergo pro priori ad peccatoris justificationem nulla ei conceditur gratia; & consequenter nec gratia sufficiens; quod sanè hæreticum est; cum juxta fidem adulti non justificentur nisi mediis dispositionibus præcedentibus remissionem peccati, & ad gratiam suscipiendam requiratur conversio animæ ad Deum juxta illud Zachar. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Vid. Trid. sess. 6. de justif.

50. Maximè hoc ipsum apparet ex prima & 48. propositionibus, in quibus negat omnibus carentibus gratia habituali auxilia sufficientia, ut redire possint ad viam salutis; non enim essent in hujusmodi impotentia, si instructi essent auxiliis sufficientibus: ergo peccatoribus nullus relinquitur pœnitentiæ locus, nec ut resipiscant, & pœnitentiæ agant: frustra que dixit Deus Ezech. 18. *Convertimini ad me, & agite pœnitentiæ ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis ad ruinam iniquitas.* Et Luc. 13. *Nisi pœnitentiæ egeritis, omnes similiter peribitis.* Hoc enim est maximum clementiæ, & misericordiæ Dei argumentum, quod si culpa offenditur, pœnitentiæ placatur. Quare D. Joannes hortabatur Discipulos Joann. 1. 2. dicens: *Filioli mei hæc scribo vobis, ut non peccetis, sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Quomodo ergo fideles si post gratiam acceptam lapsi sunt, iterum poterunt à peccato revocari, & ad Deum reverti, si in illis remanet generalis impotentia ad omne opus bonum? Ergo negatur peccatoribus locus pœnitentiæ, quod fuit hæresis Novatianorum, ut narrat S. Augustinus in lib. de hæres. *Ad Quod vult Deum hæres. 31. tom. 6. fol. 41. vocans eos Catharos, dicens: Cathari, qui se ipsos isto nomine, quasi propter munditiam superbissimè, atque odiosissimè nominant, secundas nuptias non admittunt, pœnitentiæ denegant: Novatum sectantes hæreticum; unde etiam Novatiani appellantur.* Nefas ergo est dicere, quod peccatores, & extra Ecclesiam se transferentes, & ab ovili Christi recedentes, nullam habeant gratiam ad pœnitendum.

51. Hoc sanè, quod magnum, validissimumque est argumentum, amplius confir-

mare placet. Etenim primum omnium hoc consideratione dignum est, respectu infidelium; si namque nulla dantur gratiæ nisi per fidem, & extra Ecclesiam nulla conceditur gratia, ut dicitur proposit. 26. & 29. ergo infidelibus, & Judæis impossibilis est Ecclesiæ ingressus; cum ad ingressum requiratur gratia, & extra fidem nulla sit gratia. Ulterius: si verum est, quod dicitur proposit. 40. sine gratiæ nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem: ergo infideles, & Judæi, quibus deficiente fide, deficit gratia, nihil nisi ad suam condemnationem facere possunt, & consequenter, omnia ejus opera sunt peccata: Quam doctrinam anathematizavit Alexander VIII. proposit. 8. *Neceste est, infidelem in omni opere peccare; & proposit. 11. omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.* Quæ doctrina advertatur D. Augustino lib. 1. ad Simplicianum q. 2. probanti ex verbis Sacræ Scripturæ: *Quomodo enim credent ei, quem non audierunt? Et quomodo audient sine predicante? Vocationem Dei præcedere fidem, his verbis: Nisi ergo vocando præcedat misericordia Dei, nec credere quisquam potest.* Et exponens verba Exod. cap. 33. *Miserebor, cui misertus ero, & misericordiam præstabo, cui misertus fuero, hanc Catholicam veritatem patefacit, dicens, cui misertus erit Deus, ut eum vocet, misericors miserebitur.* Ecce Dei misericordia, infidelem vocans, qui est extra Ecclesiam ad credendum, & gratiam sufficientem tribuens, ut credere possit. Videndus D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 4. illud luculenter explicans, quia infidelitatis peccatum, etsi tollat gratiam gratum facientem, non tamen totaliter corrumpit bonum naturæ. Unde in corpore articuli concludit: *sicut enim habens fidem, potest aliquod opus committere in actu, quem non refert ad fidei finem, vel venialiter, vel etiam mortaliter peccando; ita etiam infidelis potest aliquem actum bonum facere in eo, quod non refert ad finem infidelitatis.* Et cum sibi in contra objiceret illud ad Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide peccatum est, & ibi Glossa: omnis infidelium vita est peccatum, quod sanè est præcipuum Quesnelli, sicut fuit Jansenii fundamentum; respondet his verbis ad primum: Quod illud omne, quod non est ex fide, peccatum est, est intelligendum, vel quia vita fidelium non potest esse sine peccato, cum peccata sine fide non tollantur. Vel quia quidquid agunt ex infidelitate peccatum est: unde ibidem subditur, quod omnis infideliter vivens, vel agens vehementer peccat.* Nota illud, infideliter vivens, seu agere ex infidelitate; si namque operatur sine fide contrariè, seu ex fine contrario fidei, peccatum est: non tamen sine fide præcise, sub qua solum asserimus, posse effici aliquod bonum opus. Etenim si fidesdirigit intentionem respectu finis ultimi supernaturalis, lumen etiam rationis potest dirigere intentionem respectu alicujus boni connaturalis.

52. Et sanè quis unquam credet peccasse obfetrices Ægyptiorum liberando infantes mafculos à morte? Quis peccasse Cyrum Persarum Regem readificando suis sumptibus Templum Hyerofolimis? Quis peccasse Regem Asuerum in tot bonis operibus, gratiis, & beneficiis, quibus affecit Judæos? Quis peccasse Raab liberando legatos ex Populo Israel misos? Absit error iste, ad quem accedunt propositiones Quæsnelli 45.46.47.49. 50.51.52.53.54.55.56.57.58. & 59. In quo nihil immorandum nobis esse video, cum sit perverfum dogma, quod certè omnis sensus humanus quantulacumque ratione subnixus, maximèque Christianus abhorret.

53. Ulterius: si in illa generali impotentia remanet peccator carens omni auxilio supernaturali, quo constituatur proximè, & expeditè potens in ordine supernaturali; nihilque operari potest nisi ad suam condemnationem: Ergo amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat, quod est propositio 45. ergo nihil aliud esse possumus nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum, sine fidei lumine, sine Christo & sine charitate, ut legitur propof. 48. Ergo frustra clamamus ad Deum, Pater mi: si Spiritus charitatis non est ille, qui clamat, ut dicitur prop. 50. Ergo totum deest peccatori, quando ei deest spes; & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei: ut dicitur propof. 57. Ergo oratio impiorum est novum peccatum, & quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium, quod affirmat propositio 59. Quæ omnia ipse concedit; at simul ea refero, ut manifesta fiat errorum ejus connexio, & ex contexturâ eorumdem crescat horror; quippe qui horrenda sunt dictu, plique Catholicorum offendunt aures, & ex quorum positione nova incredibilia sequuntur absurda. Si enim absque gratia nihil remanet in homine peccatore nisi peccatum: ergo peccatum erunt dispositiones ad gratiam recipiendam, quod expressè damnatum est à Tridentino sess. 6. Can. 7. his verbis: *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quantò vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tantò eum gravius peccare, anathema sit.* Et meritò, cum dispositiones ad gratiam, ut enumerantur à D. Thoma pluribus locis sint motus fidei in Deum; motus timoris fervilis, quamvis non ferviliter, quo quis metu poenæ à peccatis retrahitur, motus spei, quo quis, spe veniæ consequendæ, format emendandi propositum; quæ omnia esse peccata erroneum est.

54. Secundò. Si nihil remanet nisi impuritas: ergo impuritas erit fides, quæ in peccatore remanet, sicut & spes sine charitate; ut definitum est in Tridentino sess. 6. Can. 28. Quod est expressè contra D. Petrum Act. cap. 15. dicentem: *Fide purificans corda*

eorum; ut resolvit D. Thomas 2.2. q. 7. art. 2. ubi inquit, Utrum purificatio cordis sit effectus fidei? In corpore dicens, quòd impuritas uniuscujusque rei consistit in hoc, quòd rebus vilioribus immiscetur. Non enim dicitur, argentum esse impurum ex permixtione auri, per quam melius redditur; sed ex permixtione plumbi, vel stanni. Manifestum est autem, quòd rationalis creatura dignior est omnibus temporalibus, & corporalibus creaturis. Et ideo impura redditur ex hoc, quòd temporalibus se subjicit per amorem. Aqua quidem impuritate purificatur per contrarium motum: dum scilicet tendit in id, quod est supra se, scilicet Deum. In quo quidem motu primum principium est fides: accedentem enim ad Deum oportet credere, ut dicitur Hebr. 12. Et ideo primum principium purificationis cordis est fides, quæ purificatur impuritas erroris, quæ si perficiatur per charitatem formatam, perfectam purificationem causat. Insuperque deducitur, quòd fides informis est indignitas, cum tamen sit verum Dei donum, ut probat D. Thomas 2.2. q. 24. art. 12. ad 5.

55. Et tandem. *Si peccator non est liber nisi ad malum sine gratia liberatoris, nec aliquid amare potest nisi ad suam condemnationem, ut legitur propof. 38. & 40. nulla in ipso potestas expedita, & proxima ad bonum nedum meritorium, sed nec etiam morale, quod est damnatam Lutheri, Calvini, & Baii perniciem iterum ad lucem revocare, quam anathematizarunt S. Pius V. & Gregorius XIII. in propositionibus 28. Liberum arbitrium sine gratia Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet. Et 29. Pelagi anus est error dicere, quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum. Et 35. Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est. Et 39. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati. Et quam damnavit Alexander VIII. propof. 8. Necesse est, infidelem in omni opere peccare. Et 11. omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est. Et 12. quando in malis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides.*

56. En qualiter ex errore isto Quæsnelli tam exotico oritur tanta hæresum eluvies: ecce effectus harum propositionum doctrinæ, supra quam meritò cecidit S. Matris Ecclesiæ maledictio; quæ non novum Quæsnelli systema, sed potius Jansenii judicari debet, totam hanc doctrinam expressè tradentis lib. 3. de stat. natur. laps. cap. 14. his verbis: *Indubitatum esse in doctrina Christi, & Ecclesiæ, nullum opus bonum ne quidem moraliter ab humano arbitrio posse fieri, nisi per gratiam, non quamlibet, sed fidem, liberetur: ac proinde ante fidem, non sit ei liberum, à peccato, dum hic, & nunc agere meditatatur, abstinere: sed quocumque se verterit, quadam humanis viribus insolubili peccandi necessitate teneatur.* Et lib. 3. de grat. Christi Salvatoris cap. 11. *Fides prima est gratia, cum ante fidem in homine infideli, ne quidem esse*

esse possit ipsa prima cupiditas, seu voluntas boni; sed hæc per ipsam gratiam fidei inspirari debeat. Quare supervacaneum duco in his, quæ tam aperta turpitudine laborant, tantaque facilitate redargui possunt, amplius immorari; unde ad id, quod damnatis hæc propositionibus cognatum est, convertamur.

S. II.

Examinantur Propositiones, in quibus Quæsnellus nullam gratiam interiori resistibilem à voluntate agnoscit, sed solum irresistibilem verè necessitantem.

9. *Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.*
10. *Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare.*
11. *Gratia non est aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis, quod jubet.*
14. *Quantumcumque remotus à salute sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet, ut se dedat, accurrat, sese humiliet, & adoret Salvatorem suum.*
15. *Quando Deus mandatum suum, & suam eternam locutionem comitatur unctiōe sui Spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.*
16. *Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit omnipotentii.*
17. *Gratia est vox illa Patris, quæ homines interiorius docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum, quicumque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus à Patre.*
18. *Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper offeri fructum suum.*
19. *Dei gratia nihil aliud est, quàm ejus omnipotens voluntas: hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis.*
20. *Vera gratiæ idea est, quòd Deus vult sibi à nobis obediri, & obeditur, imperat, & omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt.*
21. *Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpotè quæ est operatio voluntatis omnipotentis, sequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & resuscitantis Filium suum.*
22. *Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu, demonstratur illicò nobis in Incarnatione, veluti in fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum misericor-*

dia, & gratia, quæ omnes ita gratuita, atque ita dependentes à Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.

23. *Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, quæ creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.*
24. *Iusta idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei, & Jesu Christi in sanandis corporibus solo nutu suæ voluntatis, est imago idea, quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ, in sanandis animabus à cupiditate.*
25. *Deus illuminat animam, & eam sanat aquè, ac corpus sola suæ voluntate; jubet, & ipsi obtemperatur.*

57. **S**ub unica trutina examinandas suscipimus omnes istas propositiones, quia in omnibus patentissimè iterum se prodit virus idem læthiferum Janseniani systematis. Nullam in his agnoscit Quæsnellus sufficientem gratiam, & resistibilem, distinctam ab efficaciter adjuvante. Omnem gratiam proficitur ab intrinseco efficacem, omnem irresistibilem, & fatalem voluntati inducentem necessitatem. Hanc generalem, & universalem gratiæ ideam clarissima voce prædicat; quòd nempe est gratia Dei suprema, quæ parit obedientiam, quam petit; qua Deus vult sibi à nobis obediri, & obeditur; quòd gratia in sui formalissimo, & essentiali conceptu facit homines venire ad Jesum Christum; quòd nihil est aliud, quàm ejus omnipotens voluntas, qua Deus imperat, & omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi summissa sunt; ita ut quantumcumque remotus à salute sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet, ut se dedat, accurrat, sese humiliet, & adoret Salvatorem suum. Hæc est verissima (ut illi putant) idea gratiæ, quam nobis proponit propositionibus 9. 11. 14. 15. 17. 20. Et propof. 19. esse ideam illam gratiæ, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus Scripturis suis. En quomodo in omnibus his propositionibus gratiam ab intrinseco efficacem agnoscens, aliam sufficientem effectu suo carentem excludit à vero, formalissimo, & essentiali conceptu gratiæ; cum tamen tot gravissimis rationum momentis, auctoritate perspicua Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & SS. PP. fulcitis toto tractatu gratiam istam sufficientem esse veram Christi gratiam, etsi non cum effectu conjunctam, demonstraverimus, doctrinamque hanc vulgarissimam esse inter Patres, & Concilia, in Scripturis evidentissimam, & ex fidei nostræ elementis indubitatisimam. In hoc ergo turpiter in his propositionibus deceptus est Quæsnellus.

58. Et quidem in prima evidens est ejus hallucinatio. Non enim gratia sufficiens est gratia suprema, cum qua nunquam Christum ab-

abnegamus; sed solum gratia, sine qua confiteri Christum nunquam possumus. Ipsa est quae solum constituitur potens proximè, expeditè & immediatè, ut supra explicavimus, operari in ordine supernaturali, non tamen essentialiter, & semper est cum suo effectu conjuncta, ut Scriptura clamat Proverb. 1. v. 20. *Vocavi, & renuistis: extendi manum meam; & non fuit, qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis.* Et Matth. 22. v. 13. *Miser vocare invitatos ad nuptias, & volebant venire.* Unde Apostolus 2. ad Cor. cap. 6. v. 1. *Exhortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Quod quæ apertissimè inculcat Tridentinum sess. 6. cap. 13. *In Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratia defuerint, sicut capit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere:* ergo dum Quesnellus unicum Dei auxilium statuit, sine quo confiteri Christum nunquam possumus, & cum quo nunquam illum abnegamus, non agnoscit veram Christi gratiam ab efficaci distinctam, quæ Deus potentiam veram agendi conferat, vocet, excitet, cui que, aut assentire, aut resistere possumus.

59. In eundem errorem labitur propositio 11. dum dicit: *Gratia non est aliud, quam voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis, quod jubet;* in qua rursus veram gratiam sufficientem distinctam ab efficaci rejicit, cum gratia purè sufficiens non faciat, quod Deus jubet, sed adjuvat, ut possumus, sicut loquitur Tridentinum sess. 6. cap. 5. quod & luculenter docet M. P. Augustinus Conc. 4. in Psal. 188. exponens illud, *Viam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas,* his verbis: *præcepisti quidem tu, sed utinam, quod præcepisti, fiat mihi. Ubi audis, utinam, vocem optantis agnoscere, & agnita voce optantis deponere superbiam præsumptis. Quis enim se dicat optare, quod sic habet in arbitrii potestate, ut nullo indigens adjumento id possit efficere? Ergo si optat homo, quod præcipit Deus, ut det ipse, quod præcipit, rogandus est Deus: quibus verbis egregiè Deum præcipientem, & jubentem, ab ipso adjuvante, & dante potestatem ut implere possumus, distinguit; etenim postquam donavit posse ad id, quod præcipit, iterum rogandus est Deus, ut det ipse, quod præcipit: ergo falsum est, quod gratia Dei nihil aliud sit, quam voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis, quod jubet, & si in hoc consistit ejus formalissimus conceptus, evidens est, quod nullam sufficientem gratiam agnoscit Quesnellus ab efficaci distinctam. Sed in multis hic à vero aberrat Quesnellus; non enim ipsa gratia etiam ab intrinseco efficax est voluntas omnipotentis Dei; cum voluntas Dei etiam ut immediatè terminata ad nostrum velle, non sit id, quo Deus voluntatem nostram movet ad volendum; nec quo voluntas nostra movetur ad agendum. Certum quippe est, quod Deus,*

dum efficienter agit, ut agamus, dum movet effectivè, ut moveamur, quid creatum causat interius in principio, quod movet, ut moveatur, dicente D. Thoma 1. p. q. 51. art. 2. ad 1. *Agens in quantum agens non recipit aliquid, sed in quantum agit motum ab alio, sic recipit aliquid à movente:* quod ut certissimum tam in rebus Philosophicis, quam Theologicis principium agnoscit D. Thomas, dicta 1. p. q. 106. art. 5. 1. 2. q. 109. art. 1. De verit. q. 14. art. 5. Et super cap. 10. Epist. ad Rom. lect. 2. ergo aliquid creatum à Deo productum, intus in homine infusum debet esse id, quo voluntas humana movetur, dum agit, & ab actu primo transit ad actum secundum; in quo transitu se movet intrinsecè; sed voluntas Dei est quid extrinsecum voluntati creatæ: ergo gratia, qua intrinsecè movetur, non est formalissimè voluntas Dei. Ulterius: non solum affirmat propositio, quod gratia sit voluntas omnipotentis Dei; sed quod non est aliud, quam voluntas omnipotentis Dei, jubentis, & facientis, quod jubet, quæ propositio in sensu obvio intellecta significat, non dari gratiam nisi ad opera præcepta; quod sanè hæreticum est; cum ex eo inferatur, quod nec ad consilia Evangelica, nec ad alia perfectionis opera non præcepta, & ad quascumque virtutes exercendas, dum homo præcepto non astringitur, nulla sit gratia: cum tamen omnis actus bonus salutaris, et si non præceptus, omnis volitio, & cogitatio salutaris, quæ ad pietatem pertinet in nobis à Deo sit; & non esse nisi per Jesum Christum, hoc sine cunctatione credimus.

60. Eodem errore deceptus labitur Quesnellus prop. 14. & 15. quibus asserit, quod *quantumcumque remotus à salute sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari sua gratia, oportet, ut se dedat, accurrat, sese humiliet, & adoret Salvatorem suum, sicut & quod quando Deus mandatum suum, & suam æternam locutionem comitatur unctioe sui Spiritus, & interiori vi gratia sua, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.* Hæ sanè propositiones intellectæ de gratia ab intrinseco efficaci Thomistarum verissimæ sunt: immo scientiæ mediæ defensores in hac parte nobilicem convenire, quis inficiabitur? Quacumque enim ratione gratia Dei efficax agnoscitur, efficaciam ejus motus accurrentis voluntatis in omnium sententia dignoscitur. Cum certum sit, quod si Deus sua efficacissima gratia, quantumcumque rebelle, obstinatum, & à salute remotum cor tangat, obdurationem omnem expellit; & auferendo cor lapideum, & donando carneum, illud trahit ad se: ut dixit Augustinus lib. de corrupt. & grat. cap. 14. *Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in Cælo, & in Terra omnia quacumque voluit, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse quod vult: quandoquidem de ipsis hominum voluntatibus quod vult, cum vult, facit: habens* sine

sine dubio humanorum cordium, quod placuerit inclinandum, omnipotentissimam potestatem. Et subdit iterum: *Si ergo, cum voluerit Deus Reges in terra constituere, magis habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas: quis alius facit, ut salubris sit correctio, & fiat in corrupti corde corruptio; quibus verbis ostendit S. Augustinus, non purè omnipotentem, sed omnipotentissimam esse Dei potestatem, ad inclinanda, quod ipse voluerit, hominum corda media efficacissima sua gratia. De quo plura diximus disp. 4. dub. 3. §. 5. & disp. 6. dub. 3. §. 1. At in sensu Quesnelli universalis, & illimitata locutio propositionem utramque hæreticam reddit; non enim ad cujuscumque hominis salutis divinæ gratiæ fulgorem obstinatus peccator, semper accurrit, (id enim Quesnello est, oportet) sese humiliat, & adorat Salvatorem suum; cum ultra lumen ab intrinseco efficax, detur etiam aliud ab ipso distinctum inefficax, & sufficiens, cui peccator resistit, & non se humiliat, persistit in tenebris, & non accurrit, secundum carnem sapit, & non adorat Salvatorem suum: cujus suppeditant nobis tam Scriptura, quam Patres probationes complurimas, ex quibus evincitur interiori huic sufficienti lumini hominum resistentia. Etenim Deus quando comitatur mandatum suum interiori gratiâ, ut dicitur Isaia 5. *Expectat, ut faciamus uvas, & facimus labruscas.* Et Psal. 94. *hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, quibus verbis ostendit Psalmista Regius, quod licet Deus se videndum exhibeat lumine salutari gratiæ suæ interioris, vocati renuimus, & inspirationem ejus abjicimus. Audiendus super hæc verba Augustinus in expositione hujus Psal. 94. Ergo hodie, si vocem ejus audieritis à plebs mea, à plebs Dei. Alloquitur plebem suam Deus, non solum illam plebem suam, quam non repellit, sed etiam omnem plebem suam. Loquitur enim in angulo utriusque parietis, id est, in Christo Prophetia loquitur, & Populo Judæorum, & Populo Gentium. Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Aliquando enim audistis vocem illius per Moysen, & obdurastis corda vestra. Per Præconem locutus est, quando obdurastis corda vestra. Per se nunc loquitur, mollescant corda vestra. Qui Præcones ante se mittebat, ipse venire dignatus est. Ore suo hic loquitur, qui loquebatur per ora Prophetarum. Hodie ergo, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. En qualiter Deus omnes vocat, ad omnium gentium aures intonat; tam externis auribus corporis, quam internis mentis sua eloquia ingerit; internam gratiâ omnes docet, & vocat; cui tamen multi, avertentes se à salute, cujus via, quantum est ex parte Dei, est omnibus aperta, resistunt.**

61. Hanc interiori divino lumini resistentiam explicat Concilium Colon. anno 1536. p. 7. cap. 32. *Quamquam nemo convertatur ad Dominum, nisi tractus per Patrem: attamen*

nemo hic excusationem prætexat, quod non trahatur; quod ille semper stet ante ostium pulsans, nimirum, per internum, & externum verbum commonens, ut convertatur à via nostra pessima. Consentiant SS. PP. D. Chrysof. homil. 7. in Joann. *Illuminat omnem hominem. . . illuminat profectò, quantum in ipso est, si qui autem sponte sua mentis oculos aciem dirigere noluerunt, non ex luminis natura in tenebris præstiterunt, sed ex malitia sua, qui sponte tanto se dono indignos reddiderunt.* D. Augustinus 1. 2. de pec. merit. cap. 17. *Cum voluntate humana, gratia adjuvante divina, sine peccato in hac vita homines possint esse: cur non sint, possem facile, ac verissimè respondere: quia homines nolunt.* Et 1. de Gen. contra Manich. cap. 3. *Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium, & temporalium se ad ejus præcepta servanda convertunt: quod omnes homines possunt, si velint; quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc Mundum.* Consimili voce loquitur Auctor libri secundi de vocat. Gent. cap. 29. *Universitati hominum ita multiplex, atque ineffabilis bonitas Dei consuluit semper, & consulit, ut neque ulli pereuntium excusatio suppetat de abnegatio sibi lumine veritatis, neque cuiquam sit liberum de sua justitia gloriari.* Quibus verbis apertissimè docent, dari aliud lumen interius sufficiens distinctum ab illo efficacissimo lumine, quod non est tantæ efficacitatis, ut peccator ejus viribus cedere oporteat, quod cum neget Quesnellus, in Jansenii errorem collapsus est.

62. In prop. 17. idem error manifestius apparet: pro cujus intelligentia maximè observandum, quod Deus in nobis existens loquitur ad cor, & ad mentem; utrumque sua voce interiori docens; hanc illuminando, illud adjuvando, ut eleganter explicat Divus Thomas, exponens illud Joann. cap. 6. *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, his verbis lect. 6., ut ostendat quomodo Deus homines faciat participes Divinæ Sapientiæ, & cognitores veritatis: Filius ergo tradit nobis doctrinam, cum sit verbum; sed Spiritus Sanctus doctrinam ejus nos capaces facit. Dicit ergo (ille vos docebit omnia) quia quicumque homo doceat extra, nisi Spiritus Sanctus interior det intelligentiam, frustra laborat; quia nisi Spiritus adsit cordi audientis, otiosus erit sermo Doctoris (Job. 31.) inspiratio omnipotentis dat intelligentiam: & in tantum, quod etiam ipse Filius, organo humanitatis loquens, non valet, nisi ipsomet interior operetur per Spiritum Sanctum. Sed attende quod (supra 6.) dicit: omnis, qui audit à Patre, & didicit. Hic expendit, quid sit, quia non discit, non docente Spiritu Sancto, quasi ille, qui recipit Spiritum Sanctum à Patre, & Filio, ille Patrem cognovit, & Filium, & ad eos venit. Facit autem nos scire omnia, interior inspirando, dirigendo, & ad spiritualia elevando. Sicut enim, qui*

qui habet gustum infectum, non habet veram cognitionem de saporibus, ita & qui infectus est amore Mundi, non potest gustare Divina, secundum illud (1. ad Cor. 2.) animalis homo non percipit. Hæc dicitur D. Thomas internam, & externam locutionem explicans, & quod non sufficit vox Filii extra pulsans ad aures, nisi ipse interius operetur per Spiritum Sanctum.

63. At cum Deus operans intus in hominum cordibus non solum trahat ad Christum efficaciter homines, sed etiam ultra efficaciam sufficienter moveat, excitet, vocet; utraque motio necessariò agnoscenda est: efficax, qua homines accedunt ad Christum, & interior sufficienter ab illa efficaci distincta, ut constituitur intrinsecè potens accedere, ut resolvit D. Thomas 1. ad Cor. cap. 2. lect. 2. dicens: *Quod verè nullus potest venire trahens à Patre. Nam sicut grave per naturam non potest per se sursum ferri, nisi trahatur ab alio; ita cor humanum, ex se ad inferiora tendens, non potest sursum elevari, nisi trahatur. Si verò non elevatur, non est defectus ex parte trahentis, qui, quantum in se est, nulli deficit; sed propter impedimentum ejus, qui non trahitur. Aliter autem, quantum ad hoc pertinet, possumus loqui de hominibus in statu naturæ integræ, & aliter in statu naturæ corruptæ. Nam in natura integræ non erat aliquod impedimentum prohibens ab hac trahitione. Unde tunc omnes homines hujus trahitionis poterant esse participes. Sed in natura corrupta omnes per impedimentum æqualiter prohibentur ab hac trahitione, & ideo omnes indigent trahi. Deus autem omnibus ad trahendum manum porrigit, quantum in se est: & quod plus est, non solum attrahit manum recipientis, sed etiam averfos à se convertit, secundum illud, Thren. ult. Convertite nos Domine, & convertemur. Et (in Psal. 84.) secundum aliam litteram: Deus in convertens vivificabis nos. Ex quo ergo Deus paratus est dare omnibus gratiam, & ad se trahere, non imputatur ei, si aliquis non accipiat, sed ei, qui non accipit. En Deus paratus dare omnibus gratiam, & ad se trahere. En trahitio sufficienter, qua sursum elevatur homo, ut possit accedere ad Christum. Trahere Dei semper adest; quia nemini hanc sufficientem gratiam negat; cui si homo non deficiat, efficax gratia præstò adest: trahi verò ex parte hominum multoties deficit; quia Deo sufficienter juvanti, vocanti, excitanti resistunt. Unde meritò concludit D. Thomas, quod fides docet; id est, quod hominibus venire nolentibus imputatur ad culpam. Sed expressius ad ipsum repetit, exponens illud Joan. 6. Omne, quod dat mihi Pater, ad me venit, & eum, qui venit ad me, non efficiam foras: ibi D. Thomas lect. 4. Sciendum est, quod ipsum credere nostrum est nobis ex dono Dei (Ephes. 2.) Gratia enim estis salvati per fidem, & non ex vobis, Dei enim donum est. (Philipp. 1.) Vobis datum est, ut non solum in illum credatis, &c. Dicitur autem, quandoque Deus Pater dare Filio*

homines credentes, sicut hic: omne, quod dat mihi Pater, &c. Quandoque Filius dat Patri, sicut illud (1. Cor. 15.) cum tradiderit regnum Deo, & Patri. Ex quo intelligimus, quod sicut Pater dans non adimit sibi regnum, ita nec Filius. Pater autem Filio dat, in quantum facit hominem verbo suo adherere (1. Cor. 1.) Per quem, scilicet Patrem, vocati estis in societatem Filii ejus. Filius verò tradit Patri, in quantum verbum est manifestativum ipsius Patris (infra 17.) Pater manifestavi nomen tuum hominibus. Sic ergo dicit: Omne, quod dat mihi Pater, ad me venit: id est, qui in me credunt, quos Pater mihi facit adherere ex dono suo. Sed dicit foris aliquis, quod non necessarium est, quod aliquis dono Dei utatur: multi enim respiciunt donum Dei, qui non utuntur eo. Quomodo ergo dicit: Omne, quod dat mihi Pater &c. Ad quod dicendum est, quod in datione ista, non solum intelligitur habitus, qui est fides, & hujusmodi, sed etiam interior instinctus ad credendum. Quid autem facit ad salutem, totum est ex dono Dei. Sed restat quæstio; quia si omne, quod dat Pater Christo, ad eum vadit, ut ipse dicit, illi soli ad eum vadunt, quos Pater dat ei; non ergo debet imputari illis, qui non vadunt, cum non dantur ei. Ad quod dicendum, quod non imputatur eis, si absque auxilio Dei ad fidem venire non possunt, sed hoc ei imputatur, qui non venit, quia impedimentum præstat, quod non veniat, avertens se à salute, cujus via; quantum in se est, omnibus est aperta. Est ergo evidens juxta D. Thomam, quod illi, qui nullatenus esset doctus à Patre, carens utique omni interna gratia docente, & vocante, non venire minime imputaretur ad culpam, quia Deus impossibilia non jubet; & nullus damnabiliter peccat in eo, quod necessariò facit, ut est de fide certum contra Lutherum, Calvinum, Bajum, & Jansenium.

64. Quod cum ita sit, jure optimo damnata, & proscripita est Quæsnelli propositio; non ea parte, qua asserit, quod gratia esse vox illa Patris, quæ homines interior docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum; quæ in sensu Thomastico, loquendo solum de intrinseca efficacia Divinæ trahitionis, verissima est, & cujus veritatem ostendit D. Thomas, exponens verba illa Joannis: Omnis, qui audit à Patre, & didicit, venit ad me: dicit enim loco citato lect. 5. Attractio autem Patris efficacissima est, quia omnis, qui audit à Patre, & didicit, venit ad me. Ubi duo ponit, unum scilicet, quod pertinet ad donum Dei, cum dicit, audit: scilicet à Deo revelante: aliud, quod pertinet ad liberum arbitrium, cum dicit: & didicit, scilicet per assensum, & ista duo necessaria sunt in omni doctrina fidei. Omnis, qui audit à Patre docente, & manifestante, & didicit, præbendo assensum, venit ad me. Venit, inquam, tripliciter; per cognitionem veritatis, per amoris affectum; & per operis imitationem. Et in quolibet oportet, quod audiat, & discat. Nam qui venit per cognitionem veritatis, oportet

ret eum audire, Deo inspirante, secundum illud (Psal. 84.) Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: & addiscere per affectum, ut dictum est. Qui verò venit per amorem, & desiderium, ut dicitur (infra 7.) Si quis sitit, veniat ad me, & bibat: & hunc oportet audire verbum Patris, & capere illud, ad hoc, ut addiscatur, & afficiatur. Ille enim discit verbum, qui capit illud, secundum rationem dicentis. Verbum autem Dei Patris est spirans amorem; qui ergo capit illud cum fervore amoris, discit (Sap. 7.) In animas sanctas se transfert, Prophetas, & amicos Dei constituit. Per operis autem imitationem itur ad Christum, secundum illud (Matth. 11.) Venite ad me omnes, qui laboratis. Et hoc etiam modo, quicumque discit, venit ad Christum. Nam sicut Conclusio se habet in scibilibus, ita & operatio in operabilibus. In scientiis autem, quicumque perfecte discit, venit ad conclusionem ergo in operabilibus, qui perfecte verba discit, venit ad rectam operationem (Isai. 50.) Dominus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico. En mirabilis, & efficacissima Patris attractio, quæ est connexa cum actu, ita ut, qui perfecte interiori efficaci gratia discit, ad credendum venit; Domino auxilio efficaci aperiente aurem, cui non contradicit homo, & faciente ipsum adherere vocanti ex dono suo. Quod manifestè etiam traditur ab Augustino de grat. Christi cap. 13. Sic docet eos Deus, qui secundum propositum vocati sunt, simul donans, & quid agant, scire; & quod sciunt, agere. Et de prædest. Sanctor. cap. 8. Quomodo Pater intus auditur, & docet, ut veniatur ad filium, auferit cor lapideum, & dat cor carneum. Sic quippe facit filios promissionis, & vasa misericordiarum, quæ præparavit in gloriam. En Deus efficaciter docens, & qui ita doctus est, veniens ad Christum, & habens ipsum credere.

65. At si intelligatur propositio universaliter de omni gratia, meritò damnata est, cum neget omnem gratiam sufficientem ab efficaci distinctam, solumque admittat gratiam intrinsecè efficacem, docentem, & facientem venire ad Christum. Quod apertissime pronunciat in secunda parte propositionis, dicens: Quicumque ad eum non venit, postquam audit vocem exterioriorem Filii, nullatenus est doctus à Patre. Quibus negat gratiam interioriorem ab efficaci distinctam, quæ interiori docet, et si non faciat venire ad Christum, nempe credendo: ut dixit Augustinus tract. 26. in Joan. cap. 6. Si non credit, nec venit. Non enim ad Christum ambulando currimus, sed credendo: nec motu corporis, sed voluntate cordis accedimus. Patet ergo error secunda partis propositionis negantis gratiam interioriorem non efficacem, qua sit adjutus, qui non venit, ut possit venire. Cum certissimum sit, quod aliqui ad Christum non accedunt, qui sunt adjuti interiori gratiâ, ut expressè docet D. Augustinus de grat. Christi cap. 14. dicens: Non est autem consequens, ut qui potest venire, etiam veniat, nisi id voluerit, atque fe-

cerit: Si ergo non est consequens, ut qui potest venire, veniat: ergo stat, adjuvari gratia interiori, sine qua non datur posse venire, & non venire. Poterit ergo esse adjutus illo Divino docendi modo, et si inefficaci, quatenus est adjutorium possibilitatis, licet non sit adjutus illo, quatenus est adjutorium operationis. Idem docuit Augustinus de natur. & grat. cap. 7. distinguens inter posse, & esse, dicens: Hanc distinctionem esse veram, nemo ambigit, consequens enim est, ut quod est, esse potuerit; non est autem consequens, ut quod esse potest, etiam sit: quia enim Dominus Lazarum suscitavit, sine dubio potuit; quia verò Judam non suscitavit, numquid dicendum est, non potuit? Potuit ergo, sed noluit. Nam si voluisset, eadem etiam hac potestate fecisset, quia & filius, quos vult, vivificat: Ergo stat, quod qui est doctus à Patre non veniat; ergo agnoscitur in ipso vera gratia interior, qua doctus est à Patre, ut possit venire; & quia hanc negat Quæsnellus, ideo justè damnatur hæc pars secunda: Quicumque non venit, postquam audit vocem exterioriorem Filii, nullatenus est doctus à Patre.

66. Secundò eidem orbitæ insitimus, falsitatem aliarum propositionum patefacere, & declarare conantes; quia nempe eodem labente, fallenteque vestigio, erravit Quæsnellus negando gratiam resistibilem à voluntate, dum dixit prop. 16. Nulla sunt illecebræ quæ non cedant illecebris gratiæ; quia nihil resistit Omnipotenti. Hic generatim, & universaliter loquens, agnoscit esse profus necesse, omnis gratiæ illecebris humanam cedere voluntatem; quod sanè falsissimum est. Quoties enim Christum lumine gratiæ conspicimus invitantes, sed illecebris Mundi, Diaboli, Carnis irretiti, illecebras gratiæ malitiâ repellimus? Hoc apertissimum est in Sacris Litteris. Etenim illecebris gratiæ Dei per Christum illuminati, divitiis bonitatis ejus contemnimus ad Rom. cap. 5. & 2. ad Thesal. 2. Charitatem veritatis non receperunt, ut salviferebant, ideo mittet illis Deus operationem erroris: quia cum gratiam haberent, ut charitatem veritatis reciperent, hanc vitio suo recipere noluerunt. Quod agnoscens D. Augustinus contra resistentes lumini Divinæ gratiæ, qua illuminantur, sic lib. 2. de liber. arbitr. arguit: *Væ, qui derelinquunt te ducentem, & errant in vestigiis tuis, qui nutus tuos pro te amant, & obliviscuntur, quid innuas.* Et infra: *Væ, qui se avertunt à lumine tuo, & obscuritati suæ dulciter inhaerent. Tanquam enim dorsum ad te ponentes, in carnali opere, velut in umbra suâ desiguntur: & tamen etiam ibi; quod eos delectat, adhuc habent de circumfulgentia lucis tuæ. Sed umbra, dum amatur, languidiorem facit oculum animi, & invalidiorem ad perferendum conspectum tuum. Propterea magis, magisque homo tenebratur, dum sectatur libentius, quidquid infirmiores tollerabilius excipit.* Idipsum manifestissime pronunciat D. Thomas lect. 4.

in cap. 5. ad Galat., exponens illud Apostoli: Dico autem in Christo, spiritu ambulate, & desideria carnis non perfeceritis: caro enim concupiscit adversus spiritum, & Spiritus adversus carnem, sic Angelicus Magister alloquitur: Spiritu ambulate, id est per Spiritum Sanctum regentem, & docentem, quem sequi debemus, sicut demonstrantem viam. Et ideo Spiritu ambulandum est, quia liberat à corruptione carnis: unde sequitur: & desideria carnis non perficietis, id est, delectationes carnis, quas caro suggerit. Et infra. Sed si caro concupiscit per spiritum, quomodo concupiscit adversus eum? In hoc scilicet, quod concupiscentia carnis impedit concupiscentiam spiritus. Cum enim delectabilia carnis sunt bona, quæ sunt infra nos, delectabilia verò spiritus bona, quæ sunt supra nos: contingit quod cum anima circa inferiora, quæ sunt carnis, occupatur, retrahitur à superioribus, quæ sunt spiritus. Sed videtur etiam dubium de hoc, quod dicit, scilicet, quod spiritus concupiscit adversus carnem. Si enim accipiamus hic spiritum pro Spiritu Sancto; concupiscentia autem spiritus Sancti sit contra mala, consequens videtur, quod caro adversus quam concupiscit spiritus, sit mala: & sic sequitur error Manichæi. Respondeo: dicendum est, quod spiritus non concupiscit adversus naturam carnis, sed adversus ejus desideria, quæ scilicet sunt ad superfluitatem. Unde & supra dictum est: desideria carnis, scilicet superflua, non perficietis. In necessariis enim spiritus non contradicit carni, quia ut dicitur Ephef. 5. nemo carnem suam odio habuit. Consequenter, cum dicit: hæc enim sibi invicem adversantur: ponit signum compugnationis, quasi dicat: experimento patet, quod contra se invicem pugnant, & adversantur; in tantum ut non quæcumque vultis, bona scilicet, vel mala, illa faciatis, id est facere permittamini (Rom. 7.) Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod &c. Non tamen tollitur libertas arbitrii. Cum enim liberum arbitrium sit ex hoc, quod habet electionem, in illis est libertas arbitrii, quæ electioni subsunt. Hæc D. Thomas, quibus præclare explicat dari gratiam, qua valeat humana voluntas, & illecebris inferioris appetitus resistere, & ejusdem oblectamenta deprimere, quæ tamen aliquando adjuta voluntas cedit illecebris concupiscentiæ.

67. Nec minus præclare lect. 3. ad Hebr. cap. 12. Gratia Dei nulli deest, sed omnibus quantum in se est se communicat: sicut nec Sol deest oculis cæcis. Dicit ergo, contemplantes ne quis desit gratiæ Dei. Sed contra: quia si gratia non datur ex operibus, sed tamen ex hoc, quod aliquis non ponit obstaculum; ergo habere gratiam dependet ex solo libero arbitrio, & non ex electione Dei, quod est error Pelagii. Respondeo: dicendum est, quod hoc ipsum, quod aliquis non ponit obstaculum, ex gratia procedit; unde si aliquis ponat, & tamen moveatur cor ejus ad removendum illud, hoc est ex dono gratiæ Dei vocantis per misericordiam suam (Galat. 1.) cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris

meæ, & vocavit per gratiam suam &c. Hoc autem donum gratiæ non est gratum faciens. Quod ergo à quibusdam removetur istud obstaculum, hoc est ex misericordia Dei; quod autem non removetur, hoc est ex justitia ejus. Sic præsupposita omnibus collatione auxilii sufficientis, ut possint vincere illecebras carnis, quantum est ex parte misericordiæ Dei, monet, ne ex hominis vitio cedant illecebræ gratiæ peccatorum illecebris, dicens: Dicit ergo (Apostolus) ne qua radix amaritudinis &c. Illud dicitur amarum, quod non potest gustari, nisi cum offensa. Conversatio ergo alicujus dicitur amara, quando non potest esse sine offensa eorum, cum quibus conversatur. Quod contra dicitur de Sapientia (Sap. 8.) non habet amaritudinem conversatio illius, nec tedium convictus ejus, sed lætitiæ, & gaudium. Qui ergo in Sapientia scit conversari, non est amara conversationis; quod sit, quando non habet dura verba, vel facta. Et ideo dicit: contemplantes ne qua radix amaritudinis: id est, amaritudo paulatim inchoata, & in corde radicata, sursum germinans impediatur pacem, & per consequens gratiam, & visionem (Deut. 29.) Ne sit inter vos radix germinans fel & amaritudinem (Osee 12.) ad iracundiam provocavit me Ephraim in amaritudinibus suis: ergo in hoc certamine illecebrarum carnis adversus illecebras gratiæ, & voluntatis, non semper illecebris gratiæ voluntas superat illecebras carnis.

68. Non ergo damnatur Quesnellus, quia prædicat Dei potentiam, divitias, & illecebras gratiæ ab intrinseco efficacis; qua in arbitrio, & potestate Dei omnipotentis est convertere peccatorem, quantumcumque induratum; cum nullius peccatoris tanta sit perversitas, nullius rebellis animi tanta sit obstinatio, quam inflectere Deus non possit, & quæ statim viribus gratiæ efficacis cedere non debeat, sed quia gratiam omnem hominibus concessam ejusdem roboris, & efficaciam agnoscit, ut conversionem certissimè, invictè, & virtute maxima operetur; quem Quesnelli sensum repræsentant clarè, & nitidè verba propositionis 10. Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare, & propos. 20. Vera gratia idea est, quod Deus vult sibi à nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia frunt; loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt. Et propos. 21. Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, & invincibilis: ac si omnis gratiæ idea in hoc esset posita, nec aliæ esset distincta ab ista ab intrinseco efficaci gratia, arbitrium confortans, posse, & sufficientiam adæquatam, & integram exhibens, cum sufficientia nostra ex Deo sit; & ut ait Paulus ad Philipp. 1. Omnia possum in eo, qui me confortat. Non dixit omnia facio, sed omnia possum. Non itaque est hæc gratia sufficientis invincibilis, fortis, & suprema, quia exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiamus ad Philipp. 4. Et contemlemur, ne

quis

quis desit gratiæ Dei. Quare gloriatur Paulus quod gratia Dei in ipso vacua non fuit. Et tandem, non omnis gratiæ idea est, quam nihil impedire potest, aut retardare: cum non semper quod Deus vult sincerè salvare animam, effectus indubitabilis sequatur voluntatem Dei; aliàs non quereretur Deus, dicens Matth. cap. 23. Jerusalem Jerusalem quoties volui congregare filios tuos sub alas, & noluiisti? quibus verbis non omnem cœlestem lucem in hominis etiam obduratissimi animam ita efficacem esse declarat, quod gratiæ illi resistere quidem voluntas non possit. Etenim ut dixit Augustinus in Enchir. cap. 32. Deus hominis voluntatem & præparat adjuvandum, & adjuvat præparatam. Unde & gratia adjuvans non est sine prævio munere gratiæ excitantis: & gratia adjuvante perficimus id, ad quod vocante, & excitante gratia initiamur: ergo cum gratia illa invincibili, quæ efficaciter adjuvat voluntas, & perficit Deus id, ad quod vocante & excitante gratia invitatur, compatitur alia, cujus effectus non retardatur tantummodo, sed ex perversitate hominum, Divina beneficia contemnentium, penitus impeditur.

69. At ut futilibus, & parum eruditis aliquorum suspicionibus, qui à recto veritatis tramite, & ab illa, quam tutatus est Augustinus, doctrina exorbitare alserunt propugnatem, gratiæ ab intrinseco efficaci irresistibilitati satisfaciamus; duo quædam advertenda magnopere nobis videntur; alterum, quod etsi gratia ab intrinseco efficacis irresistibilis, & insuperabilis sit, sic Deum voluntatem determinat, ut voluntas se se ipsam moveat, & deliberatione sua sese determinet ad agendum hoc, vel illud, ideo jurè dicitur libera, & libera est. Non enim idem est resistere non posse prædeterminationi, ac non posse dissentire, ut eleganter explicat Reginaldus p. 1. cap. 56. dicens. Hic adversarii causam se lucratos arbitrantur, quasi nos, qui virtutem gratiæ tuemur, velimus liberum arbitrium motum à Deo, ac consequenter cooperans, non posse dissentire, cum tamen nihil magis alienum sit à nostra sententia. Afferimus enim, liberum arbitrium motum à Deo ita cooperari, ut etiam quatenus est sic motum cooperando, & assentiendo, possit dissentire: quia videlicet motio illa Divina eodem plane momento, quo in libero arbitrio recipitur, sic facit ipsum operans, sive cooperans, & assentiens, ut sicut ipsa operantis actio non tollit potentiam ejus ad oppositum, immo verò format, atque corroborat, ex modo quo agit; ita motio illa Dei operationi liberi arbitrii semper conjuncta, non aufert ab ipso potentiam dissentendi, immo magis roborat, ac stabilizat, quatenus nedom causa est, quod liberum arbitrium moveatur, & operetur, sed etiam quod liberè moveatur, & operetur. Quare cum liberè moveri, & operari non possit, nisi operando simul, & semel retineat potentiam ad oppositum, consequens est, ut motio, quæ præstat voluntati, ut liberè

operetur, præstat etiam eidem, ut operetur cum potentia ad oppositum. Hoc igitur sensu manifestè loquitur Sancta Synodus; cum apertè dicat liberum arbitrium motum à Deo cooperari, & posse dissentire si velit, hoc est, liberum arbitrium, etiam dum movetur à Deo, & dum cooperatur, habere potentiam ad dissentendum Deo vocanti. In quo nihil est, quod amplius immoremur, cum doctrina ista tam satis, superque probata maneat.

70. Alterum verò est observatio dignum; quod cum Quesnellus duo asserat, & quod gratia efficacis est irresistibilis, & invincibilis, & quod non datur aliqua gratia interior præter efficacem; Summus Pontifex has propositiones damnans, non definit, quod gratia ab intrinseco efficacis sit resistibilis, sed quod datur alia gratia ab ipsa distincta, nempe sufficientis resistibilis. Quod sanè probandum non erat; neque enim res est adeo indubium apud doctos homines, seu nostræ, sive alterius Scholæ deducibilis, ut aut nostræ, aut alterius indigeat suffragio. Igitur, ut qui minus sapiunt comprehendant, liceat aliquantò his exerceri. Nec contemnenda est Dialecticæ sacræ Regula, juxta quam propositio indefinita in materia doctrinali æquivaleret universali: ergo cum omnes propositiones istæ sint indefinitæ in materia doctrinali, æquivalent universali; sed Summus Pontifex damnans propositionem universalem, non definit contrariam esse de fide; cum duæ contrariæ possint esse falsæ; ergo solum definit contradictoriam esse veram; sed contradictoria est aliqua propositio particularis nempe ista, aliqua gratia non est invincibilis, & irresistibilis: ergo solum hæc propositio desinita est de fide. Sed ex ista non potest fieri argumentum ad omnem gratiam interiorem; cum hæc sit mala consequentia, aliqua gratia interior est resistibilis: ergo omnis gratia est resistibilis, cum arguatur à particulari ad universalem: ergo non definit Summus Pontifex, quod omnis gratia interior sit resistibilis.

71. Secundò, quia Summus Pontifex Clemens XI. in sua Constitutione: Pastoralis officii declarat, minimè damnari sententias, atque doctrinas, quas insignes Catholicorum Scholæ absque ulla Censura hætenus tenuerunt, ac tradiderunt; sed gratiam ab intrinseco efficacem esse irresistibilem hætenus docuit, ac tradidit Schola Thomistarum: ergo ex vi hujus Constitutionis non definitur, gratiam ab intrinseco efficacem esse resistibilem. Minorem supra affirmavimus disp. 6. dub. 3. §. 3. n. 45. Sed jam depromptis Thomistarum suffragiis hoc comprobandum est. Medina 1. 2. q. 109. art. 9. Auxilium efficacis est, quo homo convertitur, & salvatur, & hoc universis hominibus, qui pereunt, non confertur; nam certè si conferret Deus auxilium efficacis, converterentur. Efficaci enim Dei motioni nemo resistere potest. Quod hoc auxilium universis hominibus non con-

ferat, patet ex illo, vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sydone facta fuissent virtutes, quae factae sunt in te, in cilicio, & cinere penitentiam egissent: ecce quomodo hominibus Tyri, & Sydonis datum non fuit auxilium efficax, quo sine dubio converterentur. Patrocinatur eidem sententiae M. Zumel tom. 3. variar. disputat. ad 1. p. & 1.2. D. Thomae disp. 2. dub. 1. annexo Concluf. 5. pag. 36. edit. Lugdun. explicans, quamnam gratiam homo abjicere possit juxta Concilii Tridentini mentem sefs. 6. cap. 5. ait: Unde gratia adjuvans si dicatur quatenus inadaequatè consistit in vocatione, & excitatione, juxta D. Augustinum rejicitur potest ab homine, immo verò aliquando de facto rejicitur, sicut videmus in plerisque hominibus, qui excitantur, & vocantur, & excitationem, atque vocationem rejiciunt, & contemnunt. At verò si gratia adjuvans sumatur quatenus adaequatè constat ex gratia cooperante, & vocatione secundum propositum, & completè ex efficaci Dei motione; sic nunquam rejicitur, & infallibiliter complet id, ad quod datur: itaut sit principium conversionis efficiens propriè. Quo in loco patet, pro eodem accipi ab eximio hoc Theologo nunquam rejicitur, ac rejici non potest, alioquin distinctio, quam inducit, ut explicet illud, abjicere potest, frivola esset, nec verum esset, quod subdit, infallibiliter complet. Unde in notabilium indice, verbo Gratia, hunc signans locum ait: Gratia adjuvans, quae est sola vocatio excitatio &c. respici potest, minimè verò gratia adjuvans, quae est eadem cum cooperante, efficaci, & adaequata. Legatur insuper tota disp. 4. maximè conclus. 5. & 6: ubi latissimè aequè, ac doctissimè eandem doctrinam, & ejusdem veritatem ostendit. Item, tom. 2. de grat. & liber. arbitr. discut. 5. per fermè totum maximè à sefs. 2. M. Bolivar Primarius Salmanticensis de provident. Dei dub. 3. §. 4. Secundò rejicitur solutio: ex illa enim sequitur, Deum non esse ita omnipotentem ad hominis conversionem, ut illius potestati metaphysicè resisti non possit: consequens est absurdum, ergo. Sequela constat; nam licet moraliter non possit contingere, quod homo praeventus auxilio moraliter cum consensu connexo non convertatur: potest tamen metaphysicè; ergo omnipotentia Dei talis adstruitur, ut possit metaphysicè illi resisti; & ab aliquo extra se impediri: etenim ejus vis in auxilio, cui metaphysicè resisti potest, explicatur. Minor etiam est manifesta; nam potentia, quae ab aliquo extrinseco impediri potest, & resisti, non est summa, sed alteri subjecta, nimirum illi, à quo impediri potest, & consequenter non est omnipotentia. Si ergo omnipotentia Dei impediri potest ab aliquo extra se, omnipotentia non est. Illustrissimus Godoy 1. p. tom. 2. q. 23. tract. 8. disp. 66. toto §. 1.

72. M. Fr. Joannes de Aliaga clarissimus Universitatis Salmantinae Primarius Moderator luculenter idem placitum promit, & tractur tom. 3. tract. de necessit. tract. dub. 1. §. 4. docens: Gratiam specialem requisitam pro

victoria gravis tentationis, & pro dilectione naturali Dei super omnia, coalescere ex judicio specialiter illustrante intellectum, ut practice judicaret elicentiam talium actuum; & ex gratia intrinsece efficaci determinante irresistibiliter, & insuperabiliter voluntatem. Quam gratia ab intrinseco efficaci irresistibilitatem laudissimè explanat, prout accipimus, tom. 4. Illustrif. Palanco, qui ut sapientissimus Theologus palàm in Hispania celebratur q. 15. de provident. n. 221. expressè docet voluntatem non posse resistere praedeterminationi divinae activè, quia hoc esset resistere in sensu composito. Subscribit eidem sententiae P. Joannes Claudius Puteobonellus de Clericis. Regularibus Barnabitis 1. p. q. 6. art. 6. §. 5. Quod autem voluntas creata non possit hanc efficaciam abjicere, quinimò indeclinabiliter praestet eum actum, ad quem applicat; hoc non contradicit libertati, prout est in secundo libero &c. Legatur totus §. & insuper §. 6. ubi optimè docet, ex potentia ad actum oppositum praedeterminationi non sequi potentiam frustrandi efficaciam infallibilem praedeterminationis. Collegium Ripense Ordinis B. Mariae Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum lib. 2. de natura, & causis motus confer. 6. n. 270. praedeterminationem ita esse cum actu connexam, ut illam existere à parte rei, & non existere actum, sit terminorum implicatio. Insuper: non esse in voluntate creata, quantumvis libera potestatem ullam, qua valeat acquirere, frustrare, aut abjicere praedeterminationem. Illustrif. & Reverendif. Dominus Fr. Calixtus Lodigieri ex Sacro Ordine Servorum Episcopos Montis Politiani tom. 2. Disputationum Theologicar. lib. 1. disp. 2. q. 1. à cap. 2. Et deinceps idem tenet, quod ibi n. 8. explicat disertis verbis: Irresistibiliter operari in cordibus hominum. Et primò quidem constitutam à S. Augustino in eo gratiae efficaciam, quod conjunctum actum habeat superetque omnem voluntatis resistantiam, apertè convincunt infinita propemodum, quae ubique passim occurrunt, ex quibus hoc unum ex lib. de corrept. & grat. cap. 12. retulisse satis sit.

73. Sapientissimus Magister Fr. Joannes à Sancto Thoma id ipsum uberius tractat probans, quod nullae sint liberi arbitrii vires pares ad resistendum resistantia formali, & stricta gratiae ab intrinseco efficaci, dicens 1. p. q. 19. de volunt. Dei disp. 3. art. 5. n. 25. Secunda propositio: proposito decreto efficaci de se solo, non possumus non velle, dissentire, aut resistere, apud Thomistas, secundum Catholicam doctrinam hunc habet sensum: non possumus dissentire, aut resistere, potentia antecedenti, est falsum, & haereticum, potentia consequenti est verum, & Catholicum: Potentia antecedens est potentia sine actu resistantia, sed cum potestate resistendi. Potentia consequens est potestas resistendi cum actu resistente. Posita ergo efficacia Dei dante actum, & libertatem actus manet potestas resistendi antecedens: id enim conservat gratia conservando libertatem, & ratione hujus di-

dicat Concilium Tridentinum sefs. 6. cap. 5. quod potest homo dissentire, potest illam gratiam abjicere, si velit, potestate scilicet antecedenti. Sed non manet potestas consequens, id est, cui sit conjunctus actus resistendi, & abjiciendi ipsam efficaciam Dei, quae hoc operatur, ut homo non abjiciat eam, quia à nullo duro corde respuitur, datur enim, ut cordis duritia primitus auferatur, ut Augustinus dicit de praedest. SS. cap. 8. Et ita nulla est potestas ad conjungendum actum resistendi cum actuali efficacia convertentis Dei. Et in hoc sensu dicitur catholicè Esther. 13. non est qui tuae possit resistere voluntati. Et Rom. 9. voluntati ejus quis resistit? Et Augustinus de corrept. & grat. cap. 14. Deo volenti salvum facere, nullam humanum resistit arbitrium. Et cap. 12. subventum est infirmitati humanae, ut indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur, & ideo quamvis infirma non deficeret. Calvinus autem dixit non posse nos resistere, non posse dissentire, etiam potestate antecedenti, quia per modum naturae necessitatem posuit nostram voluntatem, & sine libertate

74. Totus nostrarum est partium cursus Salmanticensium, & cum eo RR. P. Fr. Paulus à Conceptione Generalis Fratrum Discalceatorum Carmelitarum tract. 13. de grat. Dei disp. 3. dub. 2. negans potestatem resistendi praedeterminationi tam in sensu composito, quam in sensu diviso, his verbis: Dicimus ergo, quod eadem est potestas ad dissentium compositum cum gratia efficaci, & potestas ad illam frustrandam, & ad illi resistendum: potestas verò ad dissentium divisum à gratia efficaci non est eadem cum potestate ad illi resistendum, & ad eam frustrandam. Unde stat optimè, quod nostra voluntas, dum est physicè praedeterminata habeat potestatem ad ponendum liberè consensum, quin habeat potestatem absolutam illam frustrandi, & illi resistendi, quia ly frustrare, & resistere ex propriis terminis important sensum compositum cum physica praedeterminatione. Quae solutio potest illustrari hoc exemplo omnibus Theologis communi. Nam potestas ad dissentium stat cum divina praesentia consensus; est ponere dissentium, proculdubio falsificaretur scientia divina. Licebit hinc inferre: ergo potestas ad dissentium est potestas falsificandi scientiam, quia aliter non falsificatur? Nullo modo: Alia ergo est potestas ad dissentium divisum à scientia consensus à potestate falsificandi scientiam: & rectè componitur, quod si voluntas dissentiret, falsificaret scientiam, & quod habet potestatem absolutam dissentiendi, quin habeat potestatem falsificandi. Parisiformiter ergo in nostro casu. Patrocinantur ulterius doctrinae hujus tractatus explicantes, quomodo sit potestas dissentiendi gratiae excitanti, non tamen gratiae efficaci in hac praecleara verba: Nam ad libertatem non requiritur potestas ad abjiciendam omnem gratiam, nec hoc docet Concilium; sed sufficit potestas ad dissentium, & libertas consensus composita cum omni gratia, & simul potestas resistendi gratiae excitanti. Et quod hoc sufficiat constabit facile cal-

lenti intentum Concilii: hoc enim tantum intendebat jugulare errorem Calvinii, qui cum gratia efficaci non componebat potestatem absolutam ad dissentium, nec libertatem consensus: ergo dum salvetur, ut omnes Catholici salvant, potestas ad dissentium, dum adest gratia efficax, salvatur intentio Concilii, & parum interest, quod non detur potestas abjiciendi gratiam efficacem. Quod adversarii tenentur fateri, quia in eorum sententia non est potestas ad dissentendum gratiae efficaci, ut efficaci, nec praedestinationi, qua Deus decernit conferre auxilium efficax, quia efficax; sed quia cum hoc componitur potestas ad dissentium, salvatur apud ipsos intentio Concilii. Legant Thomistas reliquos, non eorum pendentes animos, & vacillantes deprehendunt: unde rectè dicit noster M. Fr. Vincentius Ferrer Doctor, & Professor Valentinus tom. 3. tract. 3. dub. 5. n. 351. Gratia efficax (unde cumque sit efficax) est irresistibilis, inevaluabilis, & certissima; est enim cum effectu conjuncta, ut omnes uno ore faterentur. Sed quid aliis opus est testibus, cum tot praclarissimi fau- citate viri, dignitate, eruditionis forma, numero, & consensione suâ spectatissimi, doctrinae ubertate, & sapientia incomparabiles, hoc constanter doceant, fuisseque semper veram Scholae nostrae mentem? At non solum est Scholae nostrae mens, sed & illustris Scholae Societatis opinio. Audiendus pro omnibus P. Suarez de divina gratia part. 2. lib. 3. num. 6. Secunda differentia est, quia gratiae excitanti de se resisti potest, & ideo saepe tantum est sufficiens, quia ei resistitur; adjuvanti autem numquam resistitur, sed semper est efficax id est, habet effectum. Hanc differentiam notavit idem Vega, & prior ejus pars sumitur ex Concilio Tridentino d. Cap. 5. ibi, quippe qui & illam abjicere potest, & Can. 4. ibi, posse dissentire, si velit: & ex Concilio Senonensi in Decreto 5. Fidei, quae duo Concilia planè docent, hanc potestatem resistendi huic gratiae necessariam esse, ut non tollat libertatem. Altera verò pars ex supra dictis est manifesta, quia gratia adjuvans actualis non datur nisi homini actu operanti, & consentienti: qui autem consentit, non resistit. Tantis & rationum, & iustitiorum praedictis communita est irresistibilitas gratiae ab intrinseco efficaci.

75. Nec obstat testimonium Angelici Magistri, quod aliquibus contra tendere videtur, nempe ex Quodlib. 1. art. 7. ad 2: ubi dicit D. Thomas: Sic movet Deus mentem humanam ad bonum, quod potest huic motioni resistere: Ad quod respondent PP. Salmanticenses loco citato: Angelicum Doctorem non docere in illo Quodlibeto, voluntatem posse resistere motioni Dei efficaci, sed sufficienti, excitanti, & suadenti moraliter, & ex parte objecti: ut colligitur ex verbis, quae postea addit: & sic quod gratia careat, non habet à Deo, sed ab homine: ex quibus constat, se loqui de gratia, cui de facto resistitur: gratia autem, cui de facto resistitur, in omnium sententia, non est efficax, ut effi-

efficax, sed sufficiens, ut sufficiens. Hoc ipsum potest colligi ex aliis ejus verbis, quæ ibi habentur, ut constabit totam solutionem legenti. Non ergo hic D. Thomæ locus, si penitus inspicatur, aliud sonat, non aliud efficit; & hoc modo intellectus, cum tota hujus operis explanata concordat D. Thomæ doctrina.

76. Hæc namque est gratiæ physicæ prædeterminantis efficacissima utique, & invictissima simul potestas. Hanc sonant illa Augustini verba de corrept. & grat. cap. 2. *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humane, ut divina gratia indeclinabiliter, atque insuperabiliter ageretur.* Et infra: *Fortissimo quippe dimisit, atque permisit facere quod vellet; infirmis servavit, ut ipso donante invictissime, quod bonum est, vellent, & hoc desere invictissime nolent.* En illud indeclinabile, & insuperabile adjutorium, quo Deus voluntatem præmoveret. Quod magis explicat cap. 14. S. Doctor dicens: *Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in Cælo, & in Terra omnia quæcumque voluit, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse quod vult: quandoquidem enim de ipsis hominum voluntatibus quod vult, cum vult, facit, habens sine dubio humanorum cordium, quod placuerit, inclinandum omnipotentissimam potestatem: quæ certè potestas omnipotens non esset, si ipsi posset humana voluntas resistere.* Hæc Augustinus, cujus auctoritas quacumque alia major haberi debet; cum copiosiori Spiritus Sancti, & cælesti luminis dono abundaverit, quam cæteri omnes Theologi, qui non eandem necessitatem defendendi Dei gratiam habuerunt, quam ipse habuit. Sed non est, ut in his amplius immoremur. Videantur quæ cum toto Scholæ nostræ primi nominis Theologorum agmine diximus disp. 6. dub. 3. quæ certè, ni fallor ego, hoc evidenter convincunt, nec oppositum ullo unquam certo poterit argumento probari. Dicant enim, amabò, an pro priori ad existentiam prædeterminationis physicæ, sit adæquatè, integrè, & completè constituta libertas? Hoc cum à Thomista negari non possit; ergo & pro signo, & priori libertatis, datur illa Dei gratia respectu cujus sit liberi arbitrii potestas resistendi, vel non resistendi; cum resistentia formalis, & strictè talis sensum compositum faciat; sed pro illo priori libertatis, non existit gratia ab intrinseco efficax; ergo non constituitur libertas potestate resistendi prædeterminationi. Secundò; & iterum rogo: an possibilis in re sit casus, in quo aliqua adversaria vi, aut potestate voluntatis, frustrabilis sit gratia ab intrinseco efficax, & infallibiliter connexa cum actu? An & illam frustrabilem intelligant per liberum creaturæ arbitrium? An in illo casu efficacia ejus ab intrinseco talis suspensa erit ab assensu, vel dissensu liberi arbitrii? Hoc utique in principii Scholæ nostræ neutiquam affirmari potest: ergo absolute concedendum, quòd gratia ab intrinseco efficax irresistibilis est,

& quòd ipsam suo effectu privare non potest liberi arbitrii potestas. Tertio; actu resistere prædeterminationi, non solum non datur, sed, ut loco citato diximus, actualis resistentia impossibilis est; sed potestas ad actum in re impossibilem chimærica est: ergo & potestas resistendi prædeterminationi. Quid, rogo, magis evidens? An non irridendus esset ille, qui assereret, quòd homo sine gratia non eliciet actum supernaturalem; attamen sine illa elicere potest? Quod sine alio non volabit, sed potest volare? Illuderent sanè illi, quia ubi actus impossibilis est, & impossibilis est potentia ad illum: ergo si actu resistere prædeterminationi est impossibile, & impossibilis erit potentia ad talem actum. Modò sic: impossibilis est potentia resistendi prædeterminationi: ergo hujuscemodi potestas libertatem non constituit: quomodo namque veram libertatem constituit potentia chimærica, & impossibilis? Et tandem, quia hujus propositionis modalis possibile est prædeterminationi resistere veritas cognoscitur ex officiante, ut supra diximus disp. 6. dub. 1. n. 53. sed officians est impossibilis: ergo & ipsa modalis. Minor certissima est, cum hæc sit falsa prædeterminatus ad consentiendum dissentit, est propositio possibilis: ergo sit evidens, quòd nec actu resistere, nec posse resistere prædeterminationi libero arbitrio convenit.

77. Hoc ergo apud Thomistas receptissimum principium est, quòd resistere formaliter sumptum est Deo excitanti, seu vocationi, non tamen gratiæ efficaciter moventi, cui non assentitur, sed cooperatur voluntas. Assensus enim correspondet vocationi, non motioni; quia homo assentitur vocationi. Sicut è converso homo non dissentit motioni efficaci, sed vocationi, quæ per efficacem gratiam efficax redderetur, nisi per ipsum stetit. Hoc nos docet Scriptura dicens: *Vocavi, & renuistis, & sexcentis aliis testimoniis hoc apertè dicit Augustinus de Spirit. & litter. cap. 31. Visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, & credamus &c. Ipsum velle credere Deus operatur in homine; consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propria voluntatis est.* Et lib. 1. ad Simplicianum q. 2. *Nemo credit non vocatus, sed non omnis credit vocatus. Noluit Esau, & non cucurrit, cucurrisset, nisi vocatione contempta, reprobus fieret.* Etiam in hanc rem opportunè D. Thomas in 4. dist. 17. q. 1. art. 1. qq. 2. *Vocatio est duplex: quædam exterior... quædam verò interior; & hæc quandoquidem non pertingit ad finem suum, ex vocati defectu: & hæc vocatio nihil aliud est, quàm instinctus, vel motus ad bonum, à Deo immixtus. Quandoque autem pertingit ad finem, quando scilicet quis audit vocantem, & venit ad Christum.* Hoc ipsum supra vidimus ex Sapientissimo M. Lemos, hoc ex Reginaldo, hoc ex PP. Salmanticensibus, omniumque Theologorum antiquorum hæc est manifesta sen-

sententia. Unum solum in hujus veritatis confirmationem adducam Alphonsum à Castro Ordinis Minorum Concilii Tridentini Theologum, qui & adversus omnes hæreses scripsit, acrius tamen, sæpiusque adversus Lutherum decertavit. Hic verbo gratia sic scribit. *Quarta assertio Catholica: postquam Deus voluntatem nostram excitavit ad bonum, est in ipsa hominis voluntate hæc potestas, ut Deo moventi, & inspiranti consentiat, aut dissentiat.* Quinta assertio Catholica: *postquam voluntas nostra cum Dei adjutorio capit agere aliquod bonum, non potest sine ejusdem Dei speciali adjutorio bonum incaptum prosequi, & in eo perseverare.* Ex his quinque assertionibus patet, quanta sit liberi nostri arbitrii potestas, quanta divini gratiæ necessitas. Hoc idem non multò post declarat vir iste doctissimus: *Obijciunt, nullus peccat in eo, quòd vitare non potest; si ergo non est homini liberum præcepta omnia adimplere, & peccata omnia vitare, cum non vitat, non peccat.* Respondemus, hanc esse arbitrii nostri potestatem, ut Deo moventi consentiat, & Deo operanti cooperetur. Deus autem nunquam se ipsum nobis negat, immo semper paratus est, ut nos excitet, & adjuvet. Sed de his jam plura diximus loco citato. Certè in Hispania nostra, quam Deus singularissimo misericordiæ suæ beneficio ab omni errore Lutheri, Calvini, Baii, Jansenii, Quæsnelli (& si qui sunt hujus farinae alii) præservavit, quotidie in libris editur, quotidie in Scholis auditur hæc irresistibilitas, prout illam à majoribus accepimus; nec ulli unquam in mentem venit aliquid huic sententiæ prorsus gravissimæ cum erroribus commune, neque aliquis somniavit (nisi fortè sciolus aliquis, quod me latet) quidquam præjudicii illi ex Constitutione Unigenitus fuisse illatum. Nempe doctissimi illi homines, sive nostræ, sive alterius Scholæ à fraudibus Novatorum longè habitant, unde, quo gaudent, sapientiæ lumen nullis eorum tenebris offuscatur. Quare ab eisdem superfedeo, ut ad Quæsnelli mentem revertar.

78. Comparatione facta in propositionibus 21. 22. 23. 24. & 25. numerum incarnationis, creationis, suscitationis mortuorum, curationis ægrorum, & sanationis corporum, clarissimè exprimit indeclinabilem efficaciam omnis gratiæ interioris, qua ita restricta, & necessitata antecederet in unum extremum manet libertas, ut nulla remaneat potestas proxima, integra, & adæquata in actum oppositum. At cui, nisi Quæsnello venisset unquam in mentem interpretandi, seu comparandi motionem liberi arbitrii, sive auxilium, & adjutorium, quo voluntas invictè, & infallibiliter applicatur ad agendum, cum his exemplis, quæ inepta omnino sunt, & in hæresim apertam inducunt. Est ne justa, & verissima imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia Dei in sanandis animis, & ut explicetur concordia omnipo-

tentis Dei, cum libero ipsius voluntatis consensu? Quis hic apertè non videt, nullam ab ipso admitti gratiam interiorem resistibilem, sed ineluctabilem, atque ita necessitantem, & liberum arbitrium deprimentem, ut merè passivè se habeat; absque omni potestate proxima, & expedita ad oppositum; sicut humana natura in Christo se Verbo Dei eam sibi ad unionem hypostaticam adumanti negare non potuit; nec potuere creature ex nihilo factæ Creatoris imperio resistere, nec suscitationi mortui negare se omnipotentia Dei vitam restituentis; nec tandem restituta infirmis corporibus sanitas se subducere omnipotentis medici jussu. Non est hæc idea gratiæ Dei, & hujus concordia cum libertate creata. Deus adjutor noster dicitur, inquit Augustinus de peccat. merit. lib. 2. cap. 5. *Nec adjuvari potest, nisi qui aliquid spontè conatur; quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis, in quorum natura rationem, voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis.* Et cap. 19. *Et nos vigilanter conemur, & ipsum deprecemur ardentè, simul intelligentes, & quod sic conamur, & quod sic deprecemur, dono illius nos habere.* Et de verbis Apostoli ferm. 13. *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei. Dicit mihi aliquis; ergo agimur, non agimus. Respondeo immo & agis, & ageris, & tunc benè agis, si à bono ageris. Spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adjutor est. Ipsum nomen adjutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis.* Et in Psal. 143. *Si enim per te impleres totum, non esset necessarius adjutor: rursum si tu ipse tua voluntate nihil ageres, non vocaretur adjutor. Adjutor enim aliquid agentem adjuvat.* Et in Deuter. q. 16. *Operatur ille, cooperamur nos; non enim aufert, sed adjuvat bonæ voluntatis arbitrium.* Et in Psal. 78. *Cum verò adjuvari nos vult, nec ingratus est gratiæ, nec tollit liberum arbitrium. Qui enim adjuvatur etiam per se ipsum aliquid agit.* Non ergo rapitur voluntas ad opus insuperabili potestate absque omni sufficientiâ completa ad oppositum. Hoccine enim est cooperari gratiæ Dei, si voluntas ita indeclinabiliter rapitur, ut merè passivè se habeat, sicut passivè se habet natura in aliis ideis, & figuris; quas adinvenit Auctor pro explicanda concordia? Hoccine erit Deo vocanti cooperari nos, si sequamur imperium inevitabile motionis divinæ, ita quòd in potestate hominis secundum spiritum mortui nulla sit potestas proxima, & adæquata ad extremum oppositum? Quid durius audiri potest piis Catholicorum auribus? Cui Catholico horrorem non incutit comparatio facta? Quis credet, salvari potestatem liberi arbitrii absque omni resistibili gratia interiori? Cum sine ipsa domina non sit in ordine supernaturalis alicujus actus? Sed hoc jam prolixè demonstratum est contra Jansenium; quare non est quòd prolixiora dicam, ut convictus maneat error harum propositionum; maneatque ju-

justitia, & veritas damnationis factæ sine aliqua obumbratione efficaciter comprobata.

79. Error Quesnelli negantis gratiam sufficientem elucescit multo luculentius in reliquis propositionibus, in quibus correlativè ad errorem antecedentem, eundem in istis ob oculos ponit, loquens de voluntate Christi Domini, quod desideria Christi semper habeant effectum suum; & cum iste non habeatur in omnibus, certa consecutione deducitur, Christum non omnibus hominibus desiderasse media ad salutem conducentia. Nihil certius, quàm quòd in Christo fuit voluntas, non solum consequens de salute eorum, qui infallibiliter eam consequuntur, sed etiam antecedens eorum, qui damnantur, ut expressè docet D. Thomas in Joann. cap. 17. lect. 6. explicans illa verba: *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum, & illic sint mecum, dicens, Voluntas Christi duplex est, scilicet, misericordia, & justitia; sed misericordia quidem primò, & per se est ipsius: quia miserationes ejus super omnia opera ejus (Psal. 144.) Et (1. Timoth. 2.) Vult omnes homines salvos fieri; sed voluntas justitiæ punientis est ejus, non primò, sed presupposito peccato. Deus enim non delectatur in perditione hominum (Ezech. 18.) Nolo mortem peccatoris, verum secundum se. Sed tamen ex consequenti vult eam propter peccatum. Sunt ergo omnes homines dati Filio: dedisti ei potestatem omnis carnis; id est omnis hominis, ut scilicet faciat de eis suam voluntatem: vel misericordiam ad salvandum, vel justitiæ ad puniendum. Et supra cap. 6. ostendit, quòd Christus ex sui bonitate erga omnes, & singulos homines, habeat voluntatem antecedentem misericordiam ad salvandum; et si non omnes infallibiliter ad salutem perveniant. Quod præclare, & disertè scribit ibi lect. 4. exponens illud Joannis; eum, qui venit ad me, non ejiciam foras, his sapientissimis verbis: Secundum Chrysostomum verò sic. Ideo non ejicio foras eum, qui venit ad me; quia ad hoc veni, ut impleam voluntatem Patris de salute hominum. Si ergo pro salute hominum incarnatus sum, quomodo debeo eos ejicere? Et hoc est, quod dicit: ideo non ejicio; quia descendi de Cælo, non ut faciam voluntatem meam, scilicet humanam, ut proprium mihi acquiram, sed voluntatem ejus, qui misit me, Patris, qui vult omnes homines salvos fieri, ut dicitur (1. Timoth. 2.) Et ideo quantum est ex me, nullum ejicio. En luculenter expressa voluntas antecedens Christi Domini salvandi omnes homines; quorum si aliqui non salvantur, non est ex eo, quòd Christus sincerè non vult, ut ubi ipse est, sint & illi: sed quia nolunt esse in æterna salute cum illo. Ipse namque fuit propitiatio pro peccatis nostris: pro aliquibus efficaciter, ut dicit D. Thomas 1. ad Timoth. cap. 2. lect. 1. Sed pro omnibus sufficienter; quia premium sanguinis ejus est sufficiens ad salutem omnium. Sed non habet efficaciam, nisi in electis, propter impedimentum &c. En desideria Christi pro omnibus sufficienter, pro electis efficaci-*

ter; quæ si in omnibus hunc non fortuntur effectum, est propter impedimentum, seu ex defectu eorum; nam pro omnibus rogavit Christus, cujus oratio est interpres sui desiderii; ut iterum pronunciat D. Thomas in Joann. cap. 17. lect. 2. Christus, quantum est ex se (nempe ex vi sui desiderii) pro omnibus oravit, quia oratio sua, quantum est de se, efficax est, ut valeat toti mundo: Sed tamen non in omnibus fortitur effectum, nisi in Sanctis, & Electis Dei: & hoc propter impedimentum mundanorum.

80. Est veritas ista expressè revelata. Matth. cap. 25. Esurivi, & non dedistis mihi manducare &c. In quibus effectus desideratos non fuit consecutus. Et dum in Cruce pendens exclamavit, sitio, quod verbum exponit Divus Thomas Joann. cap. 19. lect. 5. sic: per hoc verò, quod dicit, sitio, ostenditur ejus ardens desiderium de salute generis humani (1. ad Timoth. 2.) Vult omnes homines salvos fieri (Luc. 19.) Venit Filius hominis querere, & salvum facere, quod perierat. Concinit Augustinus Psal. 68. In Christi persona loquens: sitebam, & acetum accepi, id est fidem illorum desideravi, & vetustatem invenit. Quod supra explicat dicens: meritò de veteri homine propinarunt; quia novi esse voluerunt: ergo cum prædictæ propositiones directè, & immediatè adversentur veritati isti, justissimè damnatæ, ac proscriptæ sunt.

S. III.

Examinantur propositiones circa efficaciam Divinæ voluntatis.

12. Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.
13. Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit.
30. Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.
31. Desideria Christi semper habent suum effectum, pacem in timo cordium infert, quando eis illam optat.

81. **U**T error Quesnelli in his propositionibus anathematizatus, clarissima luce omnium oculis præsens sit, hic iterum in memoriam revocandum, quod supra diximus disp. 6. dub. 1. S. 2. Duplicem distingui in Deo voluntatem, aliam efficacem, actum nempe quo Deus vult efficaciter aliquid, & ex vi cuius manet omnino determinatus ad ejus existentiam, ad quem proinde infallibiliter sequitur effectus. Aliam, qua Deus verè, & sincerè vult existentiam alicujus objecti, potest tamen conjungi cum non existentia ejus; unde non semper impletur. Ut dicitur Ezech. 34. Volo te mundare, & non es mundata. Hoc supposito, sensum harum propositionum, si ad rationem voluntatis absolutæ, efficacis, &

consequentis, qualis à Thomistis propugnatur dirigas, verissimæ sunt; si verò extendas ad omnem Dei voluntatem, ita ut nulla sit alia in Deo voluntas, nisi voluntas hæc consequens, hæreticæ sunt. Utrumque suo ordine probandum relinquatur.

82. Primum efficacissimè probatur ex immutabilitate Dei, qui ab eo, quod semel voluit, & decrevit, non potest recedere; ut constat ex illo Isaia 14. Dominus Exercituum decrevit, & quis poterit infirmare? Et 46. Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Est enim Deus omnium existentium causa, rebus omnibus conferens esse, conservationem, & perfectionem in ultimo fine largiens. Divinæ Providentiæ Ordo res omnes complectitur; cum ipse in providendo suæ sapientiæ præmeditatione sempiterna omnia ordinet, quantumcumque minima videantur; causæ omnes ei obtemperando ministrant: ad ordinem providentiæ ab æterno, ut ita dicam, excogitatum explicandum in rebus. Impossibile est, quòd aliquod agens Divinæ providentiæ executionem impediat, ipsi contrarium agendo. Non est etiam possibile, Divinam providentiam impediri per defectum alicujus agentis, vel patientis; cum omnis virtus activa, & passiva sit in rebus secundum Divinam dispositionem causata. Impossibile est etiam, quòd impediatur Divinæ providentiæ executio per providentis Dei mutationem: quod totum, profundissimè explicat D. Thomas 3. contra Gent. cap. 94. Ergo invictè relinquatur, quòd quando Deus vult voluntate absoluta, & efficaci salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.

83. Secundò: quia effectus correspondens efficaci illi Dei voluntati, est effectus mirabilis, & infallibilis illius vocationis specialis, dum largiori munere, potentiori virtute, intendit voluntas Dei salvare animam, quæ vinci, vel impediri minimè potest, ut legitur in Epistola Synodica Episcoporum Afrorum in Sardinia exulum cap. 14. Omnes autem prædestinati ipsi sunt, quos Deus vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui propterea omnes dicuntur, qui in utroque sexu ex omnium hominum genere, gradu, ætate, & conditione, salvantur. Semper quidem voluntas Dei omnipotentis impletur, quia potestas ejus nullatenus vincitur, invicta namque semper est Dei voluntas, vinceretur autem, si non inveniret quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo possent evadere, quod de illis constituit: Sed si Dei voluntas, & illa specialis Dei virtus vinci non potest à libero arbitrio, impossibile est, quòd si Deus vult voluntate consequenti salvare animam, effectus non sequatur quocumque tempore, & quocumque loco voluntatem Dei: ergo ita sequitur.

84. Tertiò: quia certus est Prædestinatorum numerus, qui nec augeri, nec minui potest, ut inquit M. P. Augustinus tract. 12. ex-

plicans illud Joan. 3. Non misit Deus Filium suum, ut judicet Mundum, sed ut salvetur Mundus per ipsum, cum dicit: Nondum apparuit judicium, sed iam factum est judicium. Novit Dominus, qui sunt ejus, novit, qui permaneant ad coronam, qui permaneant ad flammam: Sed si quando Deus vult efficaciter salvare animam, quocumque tempore effectus indubitabilis non sequeretur efficacem voluntatem Dei, numerus Electorum non esset certus, vel saltem esset præter judicium, & dictamen Divinum, quod est absurdum: ergo Deus Prædestinatos eligendo, ut sint domestici sui, & coheredes Christi, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.

85. Testes hujus veritatis irrefragabiles habemus SS. PP., & primùm D. Augustinum in Enchir. cap. 98. Quis, ait, tam impudè desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere? Et lib. de fide contra Manich. cap. 28. 41. & 49. Nullam, ait, necessitatem patitur Deus, neque necessitate facit, quæ facit, sed summa, & ineffabili voluntate, ac potestate: decet enim, omnipotentem facere, quòd voluerit. Deus namque applicat voluntatem, eaque, ut libet, utitur, ut dicit idem Augustinus Psal. 24. v. 3. Ergo quidquid vult, facit de anima nostra, cum in manu ejus sit, & utatur ea, quemadmodum vult. Nulla est cordis obduratio, quæ ab ipso quolibet tempore vinci non possit, ut expressit lib. 1. ad Simplicianum q. 2. ubi loquens de vocatione Divina effectrice bonæ voluntatis, sic habet. Quis audeat dicere, defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque suam conjungeret; in quo Jacob justificatus est. Ubi non dixit Augustinus, Deo defuisse modum vocandi, quo etiam mentem suam applicaret, voluntatemque suam conjungeret; sed absolutè pronunciat, quòd Deus poterat ipsius Esau mentem applicare, ejuisque voluntatem cum actu conjungere; Deus namque, ut inquit ipse lib. de don. persever. cap. 6. Potens est & à malo in bonum, flectere voluntates, & in lapsum pronas convertere, & dirigere in sibi placitum gressum: ergo verum est, quòd quando Deus efficaciter vult salvare animam, effectus indubitabilis sequitur, quando, & quo tempore ipse voluerit.

86. In eodem sensu, in eademque sententia, & in eodem dogmate stat S. Prosper cap. 15. in Carmine de ingratis; sequentibus elegantibus versibus.

At verò Omnipotens hominem cum gratia salvat, Ipsa suum consumat opus: cui tempus agendi Semper adest, quæ gesta velit, non moribus illi Fit mora, non causis anceps suspenditur ullis.

87. Hic gratiæ efficaciam explicat, & exponit S. Doctor ita connexam cum consensu libero, ut semper, & quovis tempore ipsum, possit obtinere. Non utique efficaciam exponit esse à Deo, suâ scientiâ explorante tem-

pus, & occasiones, quibus vult assentiri voluntas. Hæc ex suis intrinsicis suum consummat opus, nec moribus hominum retardatur, aut retardari potest ejus maxima intrinseca efficacia, & potestas. Ipsi tempus agendi temper adest, nec causis anceps suspenditur ullis: ergo quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur. Explicat luculentissimè D. Thomas hanc infallibilem connexionem inter motionem Dei efficaciter moventis, & operationem voluntatis moræ, 1. 2. q. 10. art. 4. ad 3. dicens: *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est, quod voluntas ad illud non moveatur*. Et 2. 2. q. 24. art. 11. *Impossibile est, hæc duo simul esse vera, quod Spiritus Sanctus velit movere aliquem ad actum charitatis, & quod ipse charitatem amittat, peccando*: ergo & impossibile erit, quod, si Deus vult voluntate efficaci, seu consequenti salvare animam, effectus indubitabilis quocumque tempore, quocumque loco non sequatur voluntatem Dei. Hæc est vera Thomistarum doctrina, in qua nihil non castum, sanctum, & Apostolicam redolens doctrinam, invenitur.

88. At quantum à veritate ista aberrat Quesnellus, ut animum, & mentem suam ad Jansenii voluntatem conformet! Damnatur hic, non quia voluntatem præcisè agnovit consequentem, ad quam quocumque loco, quocumque tempore effectus indubitabilis sequatur: hoc quippe certum; sed quia hoc unum agnovit velle, nullum autem, quo Deus vellet omnes, & singulos salvos facere; voluntatem antecedentem fordidissimè confundens cum voluntate consequenti; ac si diceret, omnes, & soli salvantur, quos salvare vult Deus. Hic est verus, & germanus (si vel sic dici potest) proposit. 12. sensus ab Ecclesia proscriptus, & qui justissimè ab Ecclesia damnatur, cum tot ex ipsa propositionis doctrina ineluctabili consequentia sequantur absurda. Etenim nullatenus reprobus gratia à Deo per Christi Domini Sanguinem conferretur; quippe qui non solum efficacem illis, sed & sufficientem denegare minimè reformidet: unde solum esset datum, vel oblatum auxilium prædestinatis, & certissimè perseverantibus, quo in accepta justitia perseverare possint. Remanent ergo non prædestinati omni gratia destituti, qua ad Beatitudinem pervenire possent. Cujus ratio est, quia procedit gratiæ sufficientis concessio à Divina voluntate effectum sincerè cupiente; sed tunc casus nulla esset voluntas ipsis sincerè cupiens consecutionem salutis: ergo deficeret omnis gratia, qua ad Beatitudinem pervenire possent. Consequentia est evidens apud Quesnellum, cum affirmet, gratiam efficacem ita esse necessariam, quod sine ista nihil fit, nec fieri potest: ergo cum deficeret in Deo voluntas productiva gratiæ efficaci, nullus esset effectus verè à Deo volutus: unde remanent ultimo saltem vitæ momento gratia destituti, qua possent ad Deum ac-

cedere. Uterius; si quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei: ergo cum voluntas Dei respectu cujuscumque alterius voluti sit æquè efficax & omnipotens, quando Deus aliquid præcipit, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei; & consequenter nulla est obedientia à Deo voluta, nisi quæ est in re cum effectu conjuncta; & illa, quæ non est cum effectu conjuncta, non voluta fuit à Deo. Ex quo similiter dici poterit, quod nulla ab hominibus culpabiliter ommissa sit obedientia præcepti, quam Deus vellet: vel si Deus sincerè vult obedientiam ommissam præcepti, cum ex vi talis voluntatis nulla conferantur auxilia sufficientia, quibus constituatur integrè potens in ordine supernaturali, manifestè deducitur, quod aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus juxta præsentem, quas habent, vires, essent impossibilia, & quod deesset illis gratia, qua possibilia fiant. Ad hæc: si effectus indubitabilis sequitur semper omnem voluntatem Dei, cum omnis effectus cujuslibet gratiæ interioris sit à Deo volutus, nulla erit gratia interior, cui possit humana voluntas resistere, vel obtemperare. Et tandem cum juxta Quesnellum Deus non vult salutem ullius in justitia non perseverantis, & voluntas Christi fuerit in omnibus voluntati Patris perfectissimè conformis, dicente ipso Joan. cap. 5. *Non quero voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me*; salvandorum tantummodo Christus salutem voluit, nec pro æterna ullius alterius incolumitate passus, & mortuus est: ergo cum ex hujusmodi Quesnelli positione reviviscant tot Jansenii proscripti errores, justissimè damnatæ sunt propositiones 12. & 13. in eo sensu acceptæ, quem magis denotat, & menti primum imprimi earum litteralis superficies. Videantur quæ in hanc rem diximus disp. 6. dub. 3. §. 2.

89. Valeant ergo omnes illi, qui dissonantibus à fraterna charitate defilientes, vel potius, qui conjurationis suæ contra Sedem Apostolicam, & Scholam D. Thomæ venena retinentes, falsis suasionibus mentium simplicitatem pervertere moliantur; nec non maximum tenebrarum in Scholis faciunt oriri globum, ut omnis confundatur veritas, ut minus scientes falsa opinione seducant, dum Thomistas hæretico Jansenistarum nomine, ipsorumque doctrinam cum propositionibus Jansenii inviolabili, ac indissolubili nexu conjunctam insectantur. Hæc aliquando fuit Semipelagianorum calliditas, & astutia, Hæreticorum Prædestinatianorum nomine designantium omnes illos Orthodoxos, qui cum S. Augustino gratiam Dei cum libero hominis arbitrio, post Adami peccatum ita conciliabant, ut liberum ipsius arbitrium peccato fauciatum negarent, posse quidquam boni

boni supernaturalis, vel agere, vel conari, nisi gratiæ supernaturalis virtute præventum, & sanatum, quam Deus vel ex spontanea misericordia peccatori largiretur, vel ex mera justitia sua denegaret. Quia tamen Semipelagiani pro persuaso habebant, gratiam, & prædestinationem Augustinianam nequaquam stare posse cum arbitrii libertate, sed inducere fatalem quamdam, sive ad bonum, sive ad malum necessitatem; idcirco invidiosè Catholicis falsa quædam, quasi Augustini sententiis consentanea, affingebant, eosque velut hæreticos sub nomine Prædestinatianorum insectabantur, ut sapienter admonet Florus Diaconus, & universa, cujus ipse nomine, ac mandato scribebat Lugdunensis Ecclesia, contra Joannem Scotum cap. 4. *Non potest inveniri toto tempore, quod fuit inter Augustinum, & nos, aliquam talem hæresim in Ecclesia extitisse, nisi quod vel ipsum, vel nos, qui eum sectamur, istius erroris accusant*. Sic & Augustino fuit toties objectum, quod negaret liberum arbitrium. Illum Pelagiani ut Manichæum, fati assertorem, & hæreticum non verebantur calumniari. Semipelagiani exorti eidem accusationibus Augustinum impetire. Hæc simili industriâ Eutyches S. Leonem infamavit de Nestorianæ hæresis patrocinio, ut ipsum removerent à postulandæ Synodi præsentia. S. Cyrillum Archiepiscopum Alexandrinum Joannes Antiochenus, & Theodoretus Episcopus Cyri, aut animi alienatione à Cyrillo, aut minus rectâ librorum ejus intelligentia, suspicati, & calumniati sunt, ita Nestorium exagitasse, ut in Apollinaris vesaniam contrariam ipse delaberetur. Desinant ergo Novatores ab his calumniis; Sapientibus, & Prudentibus veritas est evidens, & manifesta. Deposito hoc, ut alibi dixi, nobis est creditum, non à nobis inventum; quod accepimus, non quod excogitavimus; cujus nos custodes, sectatores sumus, non duces primarii: quibus tamen ex proprio munere incumbit, calumniis, falsisque affectuum præjudiciis spretis, verbo, & scriptis, pro veritate tuenda, quæ credimus vera in materia de gratia tradere, tueri, ac defendere. *Dicatur ergo verum*, inquit Augustinus de dono persever. cap. 16. *maximè ubi aliqua questio, ut dicatur, impellit, & capiant, qui possunt: ne fortè, cum taceatur propter eos, qui capere non possunt, non solum veritate fraudentur,*

*verum etiam falsitate capiuntur, qui verum capere, quo caveatur falsitas, possunt: Facile est enim, immo & utile, ut taceatur aliquid verum propter incapaces... Sed alia est ratio verum tacendi, alia verum dicendi necessitas. Causas verum tacendi longum est omnes quærere, vel inferere... Cum autem res vera ita se habet, ut fiat peior, nobis eam dicentibus, ille, qui capere non potest, nobis autem tacentibus, ille qui potest, quid paratus esse faciendum? Nonne potius dicendum est verum, ut qui potest capere, capiat, quam tacendum, ut non solum id ambo non capiant, verum etiam qui est intelligentior, ipse sit peior? Qui si audiret, & caperet, per illum etiam plures discerent. Quod enim est capax, ut dicat, ed magis est idoneus, ut alios doceat. Instat inimicus gratiæ, atque urget modis omnibus, ut credatur secundum merita nostra dari, ac sic gratia jam non sit gratia. Et nos nolumus dicere, quod teste Scriptura possumus dicere: timeamus enim, videlicet, ne loquentibus nobis offendatur, qui veritatem non potest capere, & non timeamus, ne tacentibus nobis, qui veritatem potest capere, falsitate capiatur? Sed parum est, quod nos loquamur, quæ decent sanam doctrinam; neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, nisi Deus incrementum dederit. Sapientibus, immo etiam ipsis Angelis bonis operantibus, nemò rectè discit, quæ pertinent ad vivendum cum Deo, nisi fiat à Deo docilis Deo; etenim ut dixit Augustinus de doctrina Christiana lib. 4. *Adjumenta doctrinæ tunc profunt animæ adhibita per hominem, cum Deus operatur, ut profunt; quare non satis fuit Sapienti scientia, sed ait cap. 8. v. 21. Adii dominum, & deprecatus sum illum: nam plus cogitando, & orando proficimus, quam legendo, & audiendo. Orandus ergo Deus, ut discamus, quid oportet, & quemadmodum oportet, cum in manu ejus sumus, & nostri sint intellectus, qui Divino suo illustrati lumine, veraciter intelligenda conspiciunt; nec alia melior est ad capiendam, & obtinendam veritatem via, quam quæ munita est ab illo, qui gressuum nostrorum, tanquam Deus, videt infirmitatem. Ab ipso est omne datum optimum; quare & ipsi sit laus, & gloria in sæcula. Hæc est vera, hæc perfecta scientia, hæc sola religio, cui fideliter inhærendo, opus hoc correctioni Sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ, ut Catholicum decet, humiliter submitto.**

FINIS.

INDEX RERUM NOTABILIUM

Quæ in hoc Opere continentur,

In quo Numerus paginam, a primam columnam, b verò
secundam denotat.

A

- A** Baclardus à Concilio Senonensi ad Innocentium Papam occurrit. 482. b
Actio amandi est actualis tendentia in objectum per modum prosecutionis. 427. a
Actio libera creaturae est participatio libertatis divinae. 93. b
Actio principaliter attribuitur cause moventi ad illam. 136. a
Actiones ex parte Dei non sunt multiplicanda sine necessitate. 113. a
Actiones nostrae in Deum tanquam in causam primam reducuntur. 177. b
Actus charitatis Christi necessarius, & liber secundum diversas terminationes. 35. a
Actus liber divinae voluntatis juxta nostrum modum intelligendi pendet à judicio intellectus. 17. a
Actus liber est inclinatio volentis in volitum. 118. b
Actus omnis salutaris est in nobis ex Deo. 518. b
Adamus non indigebat adjutorio, quod implorant Sancti. 274. b
P. Adam in S. Augustinum, ejusque doctrinam injurius. 178. b
Adjutorium majus agnoscit Augustinus in Angelis bonis, quàm in malis. 258. a
Adjutoria gratiae sunt virtutes instrumentales voluntatis Dei. 133. a
Aequilibrii doctrina ex libro gallicè scripto desumpta. 37. a
Aequilibrium nihil confert ad indifferentiam potestatis liberae. 43. b
Absurda, quæ ex Aequilibrio, & aequalitate virium sequuntur. 44. a
Agens liberum nulli agenti creato extrinseco subjicitur. 83. b
Alphonsus Salmeron prædeterminationem omnino gratuitam defendit. 191. b
Angeli meruerunt per actus à necessitate liberos. 24. b
Meruerunt in primo instanti suæ creationis. 42. a
Angelus bonus solum moraliter movere potest voluntatem ad actum bonum. 117. b
Angelus ex natura sua est inflexibilis. 249. b
Angelorum duplex actio. 257. b
Angelis malis cur negaverit Deus gratiam efficacem, intellectus humanus capere non potest. 273. b
Angelorum alii cur steterint, & alii ceciderint, inscrutabile fuit Dei judicium. 274. a
Andreas Vega Ordinis Minorum præstantissimus Concilii Tridentini Theologus. 170. b
D. Anselmus librum dedicat Urbano Papæ. 477. b
Antonius Fusalensis Episcopus appellavit ad S. Bonifacium, teste S. Augustino. 481. b
Appellantes ad futuram Concilium excommunicantur Bulla Cœnæ. 491. b
Apostolus docet, fidem esse in nobis, non ex nobis, quia est donum Dei. 82. a
Apostolus non hortatur fideles, ut gratiam sufficientem reddant efficacem, sed ut sufficientem corde non renitente recipiant. 148. b
Apostolus postulabat gratiam medicinalem efficaciter adjuvantem. 226. b
Appetitus sensitivus in homine est determinatus ad unum. 154. b
Argumenta tripliciter solvi possunt. 395. a
S. Athanasii auctoritas in questionibus de Trinitate, & consubstantialitate divini Verbi. 4. a
S. Augustinus ad judicia Dei remittit, cur unus præ altero divina consentiat vocationi. 1. a
Exigebat à Pelagio gratiam simpliciter necessariam ad benè agendum. 101. b
Declarat, quam gratiam negaret Pelagius. 119. a
Ejusdem cum Pelagio concertatio circa efficaciam auxilii. 155. b
Videtur innuere, naturæ integræ solummodo datum fuisse adjutorium sine quo non. 254. a
Necessitatem auxilii efficaci non infert solum ex corruptione naturæ. 259. b
Ejusdem germana explicatio ex Divo Thoma. 262. b
Majorem requirit gratiam in statu lapsus, quàm innocentia. 265. a
Auctoritate Sacra Scriptura munitus Pelagium aggreditur. 273. b
Ostendit contra Julianum, Sedem Apostolicam non fuisse lapsam in Zosimo. 474. b
Expressè aserit, Christum pro omnibus esse mor-

INDEX

- mortuum . 339. b
 Plura testimonia D. Augustini inutiliter à
 Quesuello congeruntur . 504. b
 Auxilium semel efficax frustrari non potest .
 49. b
 Auxilium gratia moventis non est qualitas .
 106. a
 Auxilium idem nec sub diversa ratione potest esse
 simul efficax, & sufficiens . 332. b
 Auctores Societatis existimant, ad libertatem
 requiri potentiam ad componendam cum mo-
 tione Dei quodvis extremum . 19. a
 Quidam ex illis affirmant, Deum aliquo modo
 subordinari creaturis . 69. a
 Docent, Deum producere tam materiale, quàm
 formale peccati . 72. b
 Affirmant, gratiam prævenientem consistere in
 motibus intellectus, & voluntatis . 98. b
 Non salvant veram efficientiam, quam conce-
 dunt SS. PP. gratia excitanti prævenienti in
 consensum salutarem . 114. b
 Quidam ex illis hanc vocem physica præmotio
 perhorrescant . 129. b
 Imponunt Thomistis, quòd constituant Deum
 auctorem peccati . 281.
 & seq.
 Auctoritas SS. Augustini, Hieronymi, Pro-
 sperii, & Fulgentii in quæstionibus de gratia .
 4. a
- B**
- B**ai errores à Summis Pontificibus proscri-
 pti . 22. a & 253. a
 M. Bañez primus Salmantica doctrinam P. Mo-
 line impugnavit . 131. b
 Non est auctor physica prædeterminationis .
 ibidem .
 Cardinalis Baronii Epistola ad Archiepiscopum
 Viennensem, ejusdemque observationes in li-
 brum P. Molinae . 192. b
 Bellarminus Cardinalis intrinsicam gratia effi-
 caciæ agnoscit . 190. b
 Benedicti XIII. Constitutio . 5. a
 Sententias SS. Augustini, & Thomæ de gratia
 ab intrinseco efficaci, & prædestinatione gra-
 tuita Thomistis commendat . 446. a
 Benedictus Pererius sententiam D. Thomæ de
 Concurso Dei ad actiones causarum secunda-
 rum non probabilem tantum, sed certam, &
 indubitatam profitetur . 191. b
 Blasius Verdù immeritò pro sua sententia addu-
 citur à P. Marin . 279. a
 M. Bolívar asserit, ultra auxilium elevans vo-
 luntatem ad piam affectionem, aliud requiri
 applicans illam ad actum . 111. a
- C**
- C**ajetanus docet, motionem causæ prioris
 modificari in causa secunda, sed non per
 illam . 87. a
 Non negat, Deum promoveri ad materiale pec-
 cati . 282. b
- Calvinus, ut assereret, tolli per motionem Dei
 libertatem, negavit motionem moralem . 20. b
 Impio ore docuit, Deum decipere reprobos .
 277. b
 Calvinus, Bajus, & Fansenius in eundem con-
 spirant errorem . 21. b
 Calvinus, & Lutherus turpiter errarunt circa
 hanc propositionem: bona opera hominum
 sunt dona Dei . 229. a
 Carentia operationis componi potest cum gratia
 excitante . 115. a
 Carolus Magnus Sedis Apostolicæ auctoritatem
 veneratur . 483. a
 Cassianus gratiam interiorem prævenientem ad-
 misset . 140. a
 D. Castell M. Contenson à calumnia egregiè
 vindicat . 263. b
 Causa dicitur ex natura rei activa et si indigeat
 amotione impedimentorum . 74. b
 Particularis continetur immediatè sub univer-
 sali . 85. a
 Essentialiter præcedit suum effectum . 93. a
 Illa efficaciam præbet, quæ naturam alterius
 indeterminatam determinat . 93. b
 Cælestius ad Summum Pontificem appellat .
 154. b
 Romam profectus libellum purgatorium Zosimo
 offert . ibidem .
 S. Cælestinus I. Augustinum laudat, ejusdemque
 scripta contra Pelagium, & Cælestium appro-
 bat . 440. a
 Charismata alia aliis meliora . 43. b
 Charitas perfectionis Thesaurus . 42. a
 Est radix meriti . 42. b
 Christus Dominus fuit impeccabilis . 42. a
 Fuit in illo lumen propheticum, & virtus pa-
 trandi miracula . 112. b
 Supposito præcepto Patris non potuit non mori
 in sensu composito illius . 356. a
 Clemens VIII. disputationes de gratia ad nor-
 mam doctrinæ D. Augustini adstringere de-
 crevit . 178. a
 Ipsi elogium pro doctrina D. Thomæ . 185. a
 Ejusdem scriptum Congregationi de auxiliis
 exhibitum . 444. b
 Clemens XI. contra Fansenistas Constitutionem
 Unigenitus publicavit . 445. b
 Coactum non est confundendum cum violento .
 20. b
 Illud dicitur: quod est à principio extrinse-
 co &c. ibidem .
 Conceptus duplex in voluntate, alter natura,
 alter voluntatis formaliter . 30. b
 Cogitationes Sanctæ ad gratiam auxiliantem
 pertinent . 102. a
 Concilii Arausiaci 2. Can. 2. 253. b
 Ejusdem Can. 20. 107. b
 Ejusdem Can. 4. 256. b
 Ejusdem Can. 23. & 25. 277. b
 Ejusdem Concilii maxima auctoritas . 165. a
 Concilium Ephesinum Mariam Virginem Theo-
 tocon appellavit . 130. a
 Ephesinum aliud erravit Euthichetem absol-
 vens, & Flavianum damnans . 479. a
 Cou-

RERUM NOTABILIUM.

D

- Concilium Lateranense sub Leone X. reprobavit
 sententiam de superioritate Concilii supra Pa-
 pam, latam in Conciliis Constantensi, & Bas-
 leensi . 491. b
 Concilia Milevitanum, & Carthaginense Pela-
 gium, & Cælestium damnarunt . 154. b
 Concilium Senonense, dum asserit, auxilio Dei
 posse resisti, loquitur de auxilio sufficienti,
 non de efficaci . 388. b
 Concilii Tridentini damnatio in eos, qui asse-
 runt, liberum arbitrium nihil cooperari Deo
 vocanti, & excitanti . 56. a
 Ejusdem Can. 4. 60. b
 Ultra gratiam excitantem aliam assignat, nem-
 pe moventem . 63. a
 Non asserit, potestatem liberi arbitrii esse ad
 conjungenda. dissensum cum excitatione, &
 motione efficaci ad consensum . 63. b
 Distinctionem assignat inter gratiam excitantem,
 & adjutantem . 114. b
 Ejusdem Canones adversus hæresim Pelagia-
 nam . 166. b
 Ejusdem Can. 4. contra Calvinum . 167. b
 Concordia gratia ex se efficaci cum libero arbi-
 trio magnum Sacramentum . 1. a & 363. a
 Concursum simultaneus non sufficit ad rectè ex-
 plicanda verba illa Apostoli: non est volen-
 tis &c. 136. b
 Concursum Dei non se tenet ex parte actus primi,
 sed pertinet ad actum secundum . 188. b
 Concursum positivus duplex, alter generalis, &
 alter specialis . 294. b
 Concursum Dei ad materiale peccati deducitur
 ex Sacris Scripturis . 308. a
 Concursum Divinus non terminatur ad malitiam
 peccati . 313. a
 Congruitas auxilii consequitur ad scientiam me-
 diam . 79. b
 Conjunctio potentia ad dissensum cum efficaci
 motione Dei ad consensum non repugnat . 65. a
 Consuetudo perniciosi radicis evellenda .
 489. b
 M. Contenson injustè à contrariis accusatus .
 263. a
 Constantinus Donatistas ad se provocantes re-
 mittit ad Melchiam Papam . 484. a
 Converso peccatoris est maximum miraculum .
 242. a
 Consentire significat actum voluntatis acceptan-
 tis objectum propositum ab intellectu . 56. b
 Creatura magis inclinatur in Deum, quàm in se
 ipsam . 68. b
 Ejusdem subjectio ad Deum in sacris Litteris
 expressa . 83. a
 Credibilitas solum oritur ex principiis extrinse-
 cis rei non connexis necessariò cum illa . 454. b
 S. Cyrilli auctoritas in quæstionibus de Incarna-
 tione Verbi divini . 4. a
 S. Cyrillus Nestorium S. Cælestino Pontifici
 detulit . 481. b
- D**
- D**ecretum indifferens juxta scientiam me-
 diam inaduatè constituit voluntatem
 creatam proximè liberam ad operandum . 72. a
 Decretum Divina voluntatis rectè vocatur præ-
 definitio . 133. a
 Dæmon solum moraliter movere potest volunta-
 tem ad peccandum . 117. a
 Determinatio physica prædeterminationis corre-
 spondet primo determinanti . 18. a
 Determinatio antecedens ad unum opponitur in-
 differentia potestatis . 19. a
 S. Dionysius observat, Scripturam uti hoc nomi-
 ne prædeterminatio . 131. a
 Dioscorus à Clericis Alexandrinis accusatus apud
 S. Leonem . 481. b
 Differentia maxima inter auxilium, & poten-
 tiam creatam . 112. a
 Discretio nec in actu primo, nec in actu secundo
 est à Deo simpliciter juxta principia scientia
 media . 141. a
 Discrimen maximum inter Scholam D. Thomæ,
 & P. P. Societatis . 185. a
 Discrimen inter gratiam medicinalem Christi,
 & physicam prædeterminationem juxta Fansen-
 nium . 255. b
 Dispositio, etiam remota, esse debet ejusdem ordi-
 nis, ac forma, ad quam disponit . 100. b
 Disputatio inter D. Petrum, & Simonem Ma-
 gum . 433. a
 Distinctio duplicis adjutorii quo, & sine quo ex
 D. Augustino . 52. a
 Divisio voluntatis Divina in voluntatem signi, &
 voluntatem beneplaciti ex D. Thomæ . 346. a
 Deus non potest cogere voluntatem quantum ad
 actus elicitos . 21. a
 Vult omnium salutem . 54. b
 Efficit in nobis omnes motus vitales etiam libe-
 ros . 69. a
 Habet verum dominium supra actus voluntatis
 creatæ . 75. a
 Si necessitaretur à voluntate creata ad concur-
 rendum ex suppositione sibi non libera, esset vo-
 luntati creata subjectus . 75. b
 Ex sua benignitate non potest abdicare à se su-
 premum dominium . 77. a
 Causat in nobis consensum, illum nobis donando
 per efficacem gratiam . 152. a
 Repugnat casus, in quo hominem convertere non
 possit . 239. a
 Non reliquit hominem in manu consilii sui, ut
 sit primum liberum . 246. b
 Non potest simul conferre voluntati omnia auxi-
 lia possibile . 247. a
 Non potest permittere peccatum humanitati
 Christi Domini . 551. a
 Non est auctor mali . 277. b
 Juxta Concilium Tridentinum solum permissivè
 operatur mala opera . 281. a
 Secundum D. Thomam operatur mediante im-
 perio suæ voluntatis . 289. a
 Non potest efficere nisi illud, quod in eo præcon-
 tinetur . 291. b
 Non

INDEX

- Non causat opus malum.* 297. b
Univert humanitatem personæ Divini Verbi, non naturæ. 301. a
Non concurrunt coactus ad entitatem peccati. 303. b
Non movet voluntatem ad materiale peccati, nisi inveniat in ea dispositionem exigentem talem concursum. 312. b
In omnibus operatur laudabiliter. 313. b
Physicè prædeterminat voluntatem ad entitatem peccati. 316. a
Si præciperet entitatem peccati, præciperet etiam malitiam. 316. a
Non punit entitatem odii ea ratione, qua illam prædeterminavit. 326. a
Vult materiale peccati, prout est à voluntate, efficiente. 330. b
Datur in illo voluntas antecedens salvandi omnes homines. 338. b
Solum mediatè est causa nostrorum actuum, ex quo voluntatem liberam produxit. 367. b
Non potest esse causa determinationis nostræ voluntatis ad amorem, quin efficienter determinet illam ad amandum. 369. b
Neminem deserit, nisi prius deseratur. 401. b
Gubernavit Populum Hebræum per unum Summum Sacerdotem. 471. a
Doctrina gratiæ per se efficax semper fuit in Ecclesia. 2. b.
Doctrina Thomistarum quantum distet à Calviniana doctrina. 280. a
Doctores præclari Ordinis Minorum prædeterminationem physicam admittentes. 200. & seqq.
Dominium supra aliquam causam infert subjectionem in illa. 75. a
Dominium duo importat, superioritatem, & facultatem utendi re, cujus est dominium. 80. b
Dominium est facultas utendi re in usus à lege permisos. 459. b
Dominium Dei in voluntatem creatam illesæ libertatis insigne documentum. 366. b
Durandus negat, voluntatem creatam indigere concursu simultaneo ad operandum. 91. b

E

- Ecclesia in questionibus de gratia pluries agitata, nunquam eversa.* 2. a
Ecclesia Christi nomine congregata, ab ipso illuminatur. 153. a
Effectus evadit similis causæ secundæ proximæ. 88. a
Effectus aliquis potest causari à Deo in genere physico, quin causetur ab illo in genere moris. 299. a
Egidii Card. sententia circa Divinam præmotionem. 200. a
Egidius Candidus libros Fansenii, S. Augustini libris præferendos esse, asserit. 457. a
Electio voluntatis pendet essentialiter ab ultimo iudicio rationis. 15. a
Electio juxta Philosophum est appetitivus intellectus, vel appetitus intellectivus. 16. a

- Elias Dupin in S. Augustinum injurius.* 457. b
Elogium D. Thomæ laus D. Augustini. 6. b
Ens quodlibet, in quantum est, à Deo est. 307. a
Entitas, & malitia peccati in re idem sunt, distinguuntur tamen per ordinem ad Divinam causalitatem. 300. a
Entitatem peccati non esse à Deo, opponitur nostræ confessioni, qua Deum factorem omnium confitemur. 311. a
Entitas peccati, non connectitur cum malitia, nisi secundum quod procedit à voluntate defectuosa. 330. b
S. Epiphani præclara observatio circa Hæreticorum doctrinam. 280. b
Episcopi Africani scripta Pelagii iterum damnant. 154. b
Eusebiani negabant, regimen Ecclesiæ fuisse institutum à Christo Monarchicum. 459. a
Noctu insultato Pontifice aufugerunt. 480. a

F

- Facultas apprehensiva non potest proponere objectum sub indifferentia.* 19. a
Facultas applicandi potentiam ad suos actus est facultas utendi tali potentia. 77. a
Faustus Regensis Episcopus, & Cassianus re ipsa negarunt, peccatum originale ab omnibus contrahi. 158. a
Felix Papa suscipit libellum postulatorum Joannis Patriarchæ Alexandrini. 481. b
Ferrara voluntatem considerat secundum quod est in potentia ad utrumlibet, & secundum quod est potentia ad utrumlibet. 11. b
Fides, & visio beata moraliter dispositivè influunt in actum charitatis. 114. a
Ad fidelitatem Divinam non pertinet augere vires nolentibus, ne cadant. 55. a
S. Flavianus post latam adversus se à Dioscuro Patriarcha Alexandrino sententiam appellavit ad Leonem Romanum Pontificem. 481. a
Francisci Card. Toleti de doctrina P. Molinae iudicium. 191. a
P. Francisci Annati vera intelligentia sensus compositi, & divisi. 354. b

G

- Gennadii doctrina Semipelagianorum erroris conformis.* 140. a
M. Gonet Thomistas egregiè vindicat contra plures Scholæ Societatis Auctores. 279. a
Divisio gratiæ in excitantem, & adjuvantem ex Sacris Scripturis. 97. a
Gratia auxilians multiplex à Concilio Tridentino assignatur. 57. a
Gratia præveniens quomodo explicetur à P. Molina. 98. a
Gratia, qua Deus facit, ut faciamus, est distincta à gratia excitante. 62. b
Gratia, quam petimus à Deo, dum dicimus: Convertite nos Domine, est gratia præveniens. 172. a
Gratia ab intrinseco efficax non omnis est medicinalis. 260. b
Gra-

RERUM NOTABILIUM.

- Gratia efficax præstat, ut velimus, & agamus.* 337. a
Componitur cum libertate absque potentia resistendi ipsi. 53. a
Gratia excitans communis est consentienti, & non consentienti. 107. b
Gratia illuminans intellectum non est sufficiens ad actus salutare voluntatis. 108. b
Gratia considerari potest, vel secundum potentiam, vel secundum actum. 49. a
Gratiam prædeterminantem non accipiunt Thomistæ à Calvino, sed à SS. Augustino, & Thoma. 131. b
Gratia, qua roboratur voluntas, perficit actum primum, tribuendo vires. 273. a
Gratia formaliter ut efficaci resisti non potest. 49. a
Irresistibilitas gratiæ per se efficax ex variis Sacræ Scripturæ locis deducitur. 374. b
Eadem traditur à D. Augustino. ibidem.
Probatur etiam ex D. Thoma. 377. b
Gratia sufficiens est gratia Divina nobis per Christum collata. 336. b
Constituit potestatem completam, & expeditam ad actus supernaturales. 332. a
Non est invincibilis, fortis, & suprema. 522. b
Gratia excitans, illuminans, & vocans ad intellectum pertinent, inspirans verò, movens, & adjuvans ad voluntatem. 57. a
Gratia aliter accepta à Pelagio, aliter à SS. PP. & Theologis. 77. a
Gratia, qua Deus vocavit D. Paulum, potentior fuit ea, qua alios vocat. 266. a
Gratiæ Christi nomine intelligitur donum ordinatum ad vitam æternam. 268. b
Gratia, qua confertur Sanctis major est gratia collata Adamo. 270. a
Gratia præveniens adæquatè sumpta non consistit in unico simplici auxilio. 108. a
Gratiam bonam delectationem vocat Augustinus, effectum sumens pro causa. 147. a
Gratia habitualis non potest immediatè elevare potentias. 113. a
Gregorius XIII. Carhechismum Romanum ex decreto Concilii Tridentini editum, & à Sancto Pio V. approbatum, iterum imprimi jubet. 174. a

H

- Hæreses multæ sola Summi Pontificis auctoritate, nullo generali Concilio, profligatæ fuerunt.* 585. b
Hæretici negant, cum gratia efficaci ad consensum posse conjungi potestatem ad dissentum. 64. a
Hæretici damnati à Tridentino aserebant, Deum equaliter operari bona, & mala opera. 297. b
Hæretici Augustini nomine errores suos confirmare contendunt. 456. b
Heros, & Lazarus Gallicani Episcopi appellarunt ad Romanam Sedem. 582. b
P. Herrera minus religiose contra M. Gonet in-vebitur. 317. a

- S. Hilarius Augustinum monet, ut contra Pelagianos, relicti rationibus, Scripturarum auctoritate utatur.* 127. b
S. Hieronymi auctoritas in iis, quæ ad Sacram Scripturam pertinent. 4. a
Excusat Scriptores, qui de verbo Divino scripserunt, antequam hæresis Arriana oriretur. ibidem.
M. Fr. Hieronymus Perez Vocem hanc inevitabilem à Thomistarum sententia remotam esse docet. 398. b
Hominem esse liberi arbitrii est dogma fidei. 9. a
Primus homo in statu innocentie fuit liber à necessitate ad merendum, vel demerendum. 24. b
Homo non potest conqueri, quia tentatur. 54. b
Tentatione vexatus non petit à Deo concursum simultaneum. 215. b
Nihil boni potest agere ex se ipso. 259. a
In statu innocentie non egebat auxilio efficaci sanante. 295. a
Per peccatum amisit justitiam originalem, & alia dona supernaturalia. 269. a
Hormisdæ Pape in Epistola ad Possessorem de gratia, & libero arbitrio sententia. 2. b
Idem Pontifex Augustinianæ doctrinæ defensor acerrimus. 442. a
Humanitas Christi Domini physicè efficit operamiraculosa. 129. b

I

- Iacobi Neclanti de infallibilitate Summi Pontificis præclarum testimonium.* 154. a
Jacobus Laurentius conqueritur de Jesuitis, quod Calvino imposuerint, ipsum docuisse, Deum esse auctorem peccati. 281. a
Jansenius erravit, reprobando libertatem in arbitrii indifferentia constitutam. 12. a
Ad merendum solam libertatem à coactione requirit. 22. a
Probare nititur ex SS. PP. hominem esse liberi arbitrii per libertatem à coactione. 30. a
Fallitur, dum credit, liberum idem esse, ac voluntarium determinatum. 31. b
Erravit, putans, Tridentinum confundere liberum cum voluntario. 65. b
Doctrina Augustiniana nodum se dissolvit, gloriatur. 254. b
Docet, Angelos, & Adamum indignis auxilio gratiæ ad perseverandum. ibidem.
Declaratur Fansenii Systema. 379. a
In illius principiis nulla datur gratia resistibilis. 381. b
Fansenii, Baji, & Quesnelli errores iidem ferme sunt. 497. b
Fansenista gratiam, quæ semper non obtineat suum effectum, tanquam figmentum, rejiciunt. 336. b
Fansenista, & Quesnellista veros se discipulos SS. Augustini, & Thomæ prædicant. 457. a
Jesuitæ Lovanienses sententiam D. Augustini suis principiis contrariam agnoscant. 178. b
Illuminatio duplex in nobis, una causalis, altera formalis. 113. a
Im-

INDEX

Immanitas à peccato libertas perfectissima. 40. b
Impedimenta alia intrinseca, alia verò purè extrinseca. 397. b
Impotentia Dei ad convertendum hominem non esset consequens, sed antecedens Divinam libertatem. 250. a
Indifferentia ad malam non est de essentia libertatis. 11. b
Indifferentia iudicii est radix libertatis. 14. a
Infallibilitas actus non opponitur illius libertati. 402. b
Inflexibilitas Angeli non deducitur à Thomistis ex impotentia Dei. 249. b
Intellectus hominis juxta Apostolum non habet ex se sufficientiam ad pian cogitationem. 109. b
Intellectus Divinus non potest cognoscere entitatem peccati, quin cognoscat malitiam. 301. b
Instrumenti genus duplex secundùm D. Thomam. 95. a
Inquisitio Suprema Hispaniæ duas circa infallibilitatem, & auctoritatem Papæ damnavit propositiones. 496. b
Intelligentia sensus compositi à contrariis falsò Thomistis attributa. 350. b
Intelligentia vera sensus compositi, & divisi. 353. a
Joannis Fischeri Rossensis Episcopi pro necessitate orationis præclarum testimonium. 128. a
Joannis Mariana de sententia P. Molinae iudicium. 192. a
Joannes Apostolus negat, peccata esse à Deo, non autem peccati entitatem. 320. a
Joannes Pontifex fidem Ecclesiæ Galliarum plurimum commendat. 482. a
Judicium regulans voluntatem ad assensum fidei maximam exigit certitudinem in notitia præcedenti. 429. a
Julianus Augustino falsò imponebat, cum dixisset, negari liberum arbitrium, si Dei gratia commendetur. 331. a
Irresistibilitas gratiæ per se efficacis plurimum Thomistarum auctoritate comprobata. 524. & seq.
Iustificatus habet omnia requisita ex parte actus primi ad perseverandum. 362. a

L

Alanus quinque articulorum auctor præcipuus. 26. a
D. Laurentius Justinianus prædestinatorum electionem incomprehensibilem vocat. 7. a
Subordinationem hominis ad Deum præclare exponit. 81. a
Efficaciam Divinæ motionis egregiè describit. 365. b
Lex vetus non tantùm bona erat, sed etiam utilis fuit populo, cui data fuit. 506. b
Legis veteris finis fuit sanctificatio populi Judaici. 508. a
M. Lemos acta Concilii Romæ ex commissione se vidisse testatur. 59. a
Affirmat, graviam excitantem esse simul sufficientem, & efficacem. 111. a

Leo Papa Imperatorem Valentinianum rogat, ut cum contra Hilarii inobedientiam adjuvare velit. 483. a
Leo Magnus Eutychianos Alexandrinæ Ecclesiæ Legatos admittere noluit. 495. b
Liber de Eccles. dogmat. non est Augustini, sed Gennadii Massiliensis. 139. b
Libertas multiplex. 10. b
Non consistit in indifferentia suspensionis, sed in indifferentia potestatis. 12. b
Libertas arbitrii est formaliter in voluntate. 13. b
Libertas formalis non est ipsa indifferentia iudicii. 15. a
Libertas ad merendum eadem requiritur in statu naturæ integræ, ac naturæ lapsæ. 25. a
Libertas ad bonum, & malum non requiritur essentialiter ad meritum. 42. a
Libertas nostra necessariò supponit libertatem in Deo. 89. b
Libertas divina destrueretur, si indigeret libertate humana. 250. b
Liberum arbitrium non est habitus, sed potentia. 10. b
Est facultas rationis, & voluntatis ad utrumlibet. 11. a
Nullus negavit, esse liberum à coactione. 21. b
Per peccatum viribus attenuatum fuit. 45. b
In libero arbitrio consentiente non est potestas ad dissentiendum dissensu composito cum consensu. 496. b
Liberum arbitrium ad credendum exigit sufficientem propositionem mysterii. 82. b
Post peccatum Adæ esse rem de solo titulo dogmatizarunt Lutherus, & Calvinus. 165. b
Ludovici Dola circa concursum causæ primæ sententia. 306. b
Ludovicus Du Vaucel contra Thomistas invehitur. 457. b
Lupus Servatus S. Augustinum Ecclesiasticæ Philosophiæ Parentem appellat. 6. a
Lutherani non solùm negant vocem, sed essentiam libertatis. 15. a
Lutherus credidit, liberum arbitrium non se determinare, sed purè determinari. 303. a
Lutherus, & Calvinus negarunt, hominem esse liberi arbitrii. 9. b
Illorum error damnatus à Conciliis Senonensi, & Tridentino. 9. b, & 10. a
Cum aliis Hæreticis asserunt, Deum esse auctorem peccati. 277. a

M

Mala omnia ex peccato primi Parentis emerunt. 253. a
Malitia est solius creaturæ bonitas verò actus est principaliter Dei. 322. a
Manichæus duplicem in homine naturam statuebat, unam bonam, alteram malam. 9. a
Illius error damnatur in Concilio Bracarensi. 9. b
Manichæi duo statuebant prima principia, quorum unum lacem, alterum tenebras appellabant. 310. b
Cum

RERUM NOTABILIUM

Cum Marcionitis non agnoverunt bonitatem legis. 507. a
P. Marin primus in Hispania æquilibrii virium defensor. 38. a
Docet, vitandas esse voces istas subordinatio, & subjectio, cum de Deo loquimur. 69. b
Affirmat, decretum applicativum omnipotentiae debere esse indifferens. 75. a
Asserit, peccatum præcontineri virtualiter in Deo. 292. b
Massilienses fatebantur, voluntates hominum præveniri Dei gratiæ. 145. a
Melchius Patriarcha Alexandrinus docuit, iudicium Summi Pontificis non esse infallibile. 476. b
Meritum veram obsequii rationem habet. 25. a
Datur juxta mensuram gratiæ, & charitatis. 42. b
Metaphysica infallibilitas non minus opponitur contingentiae, quàm necessitas libertati. 92. a
Misericordia Dei non negat homini viatori potestatem orandi. 500. b
Modus est adjacens rei determinatio. 405. b
P. Molina præmotionem physicam tanquam errorem in Fide proscribendam iudicat. 126. a
Necessitatem gratiæ in natura integra explicat in sua Concordiæ. 256. a
Nullam tamen necessitatem gratiæ efficacis pro illo statu agnoscit. ibidem.
Moralis condignitas non sumitur ab iisdem principis, à quibus sumitur veritas intrinseca objecti. 453. a
Motio primi determinantis non lædit libertatem secundi. 85. b
Motus pii voluntatis inter auxilia gratiæ sunt annumerandi. 102. a
Mysterium gratiæ efficacis non est Thomistarum inventum. 2. b
Mysterium prædestinationis ignorari non vult Apostolus. ibidem.

N

Natalis Alexander fateatur, nulla fuisse prisca temporibus vestigia appellationis ad Generale Concilium. 484. b
Natura in statu corruptionis est debilis, & infirma. 45. b
Natura humana tripliciter Deo subordinatur juxta D. Thomam. 68. a
In triplici statu considerari potest. 251. b
P. Nicolai contra Novatores exclamatio. 34. a
Nicolaus I. Concilium Lingonense confirmavit. 444. a
Necessarium est illud, quod ita est, ut non possit non esse. 21. a
Necessitas distinctionis sensus compositi, & divisi ex SS. PP. 349. a
Nomen significans actum cum deformitate non potest dici absolutè de Deo. 321. a
Nomina ista: Purgatorium, Trinitas, Incarnatio non inveniuntur in Sacris Litteris. 130. b
Notio libertatis actualis est nobis ignota. 15. a

Notio perfectissima Divinæ Omnipotentiae. 241. a
Novatus Episcopus appellavit ad S. Cornelium. 481. b

O

Objectum nullum potest movere voluntatem quoad exercitium. 105. a
S. Odonis Abbatis Cluniacensis sententia circa arbitrii libertatem. 28. a
Omnipotentiam divinam à nostra voluntate determinari est impossibile. 78. a
Omnipotentia essentialiter connectitur cum creaturis possibilibus. 305. a
Operatio Artificis sæpe est defectuosa propter defectum instrumenti. 318. a
Oratio, qua Christus oravit pro Petro, non potuit esse inanis. 52. b, & 222. a
Oratio necessaria est, quoties homo indiget auxilio divino. 212. a
Orationis necessitas fundatur in indigentia. 213. a
Utraque gratia sufficiens, & efficax est objectum orationis. 216. b
Oratio est actus patriæ. 221. a
Origenes erravit, nimium tribuens libero arbitrio. 3. a
Ofi Cordubensis Episcopi erga Principem Apostolorum summa veneratio. 475. a

P

Paulus V. controversia de auxiliis processum urgere cepit. 445. a
SS. PP. alii aliis præferendi sunt in materia gratiæ. 4. a
SS. PP. Prosper, & Hilarius usi sunt hac voce præoperans. 129. a
Patres Concilii Epbesini non aliud intellexerunt nomine unionis physicæ, quàm veram, & realem unionem. ibidem.
SS. PP. testimonia pro gratia ab intrinseco efficaci. 124. & seqq.
Expresè docent, Deum causare actum peccati. 286. b
Commendant fidelibus obedientiam Pontifici loquenti ex Cathedra. 468. b
D. Paulo ultra lumen gloriæ communicatum fuit auxilium efficax. 112. b
Peccatum meritò imputatur homini, etiamsi illi deficiat auxilium ad non peccandum. 273. a
Est prævaricatio divinæ legis. 278. a
Licet supponat pro entitate, significat tamen malitiam. 321. a
Peccatum mortale, & gratia justificans essentialiter opponuntur. 409. b
Peccatum non semper excludit gratiam, nec semper gratia peccatum. ibidem.
Pelagii doctrina Origenis ramusculus. 3. a
In principio sue hæresis solam naturam ad omnia mandata Dei observanda sufficere dicebat. ibidem.
Per auxilium efficax libertatem auferri credidit. 20. b.
Non negavit gratiam consistentem in subitis

INDEX

motibus voluntatis . 101. a
 Admissio cognitionem practicum allicientem voluntatem ad consensum . 120. a
 Non negavit concursum simultaneum . 120. b
 Admissio gratiam intrinsecam moraliter excitantem entitativè supernaturalem . 122. a
 Fuit vir acutissimi ingenii, teste D. Augustino . 123. b
 Ratione magis, quàm auctoritate delectabatur . 127. b
 Nunquam veram interiorem gratiam agnovit . 155. a
 Concedebat, Deum adjuvare potentiam per gratiam . 214. a
 Negavit, bona opera nostra esse dona Dei . 229. a
 Pelagiani non negabant, hominem justè corripì propter omissionis peccatum . 224. a
 Petrus de Ligni distinctionem sensus compositi, & divisi, & libertatem indifferentiæ meras cavillationes existimat . 19. b
 D. Petrus solus ex Apostolis fuit caput Ecclesiæ . 459. b
 S. Pii V. pro doctrina D. Thomæ elogium . 24. a
 Philippus Melancton, peccatum non arbitrio humano, sed Deo ad illud necessitati tribuendum esse affirmat . 279. b
 Philosophi quidam posuerunt, omnia per fatum accidere . 9. a
 Quidam ex ipsis asserunt, hominibus imprimi necessitatem à stellis . ibidem .
 Omnes isti à Concilio Bracarensi damnantur . ibidem .
 Photius negavit, Summum Pontificem esse supra generale Concilium . 476. a
 Physicæ prædeterminationis vox aliquibus obscura . 128. a
 Physicæ præmotio sumitur pro vera, & effectiva causalitate . 129. a
 Non est impedimentum potentia . 208. b
 Non se tenet ex parte actus primi . 400. b
 Summorum Pontificum iudicium de doctrina S. Augustini in quæstionibus de gratia . 4. b
 Pontifex Romanus est verus B. Petri Successor . 460. a
 Habet in Ecclesia plenitudinem potestatis . 470. a
 Potentia libera est illa, quæ se determinat . 18. b
 Potentia peccandi est defectus natura . 41. a
 Potentia resistendi gratiæ efficaci non requiritur ad conciliandam libertatem cum gratia . 52. a
 Potentia resistendi peccato requiritur actualem gratiam . 218. b
 Potestas, quæ juxta Tridentinum est in libero arbitrio, est potestas resistendi Deo excitanti, atque vocanti . 58. a
 Potestas ad consensum, & ipse consensus sunt donum Dei . 81. b
 Potestas antecedens, & potestas consequens quid significant . 357. a
 Non differunt ex parte subjecti . 358. a

Potestas resistendi prædeterminationi nulla est, & impossibilis . 38. b a
 Potestas Dei omnipotentissima ad inclinandum cor hominis . 519. a
 Prædeterminationis nomen apud D. Thomam usitatum . 131. a
 Prædefinitiones absolutæ actuum humanorum admittendæ sunt in Deo . 132. a
 Prædestinatio non est aliquid in prædestinato . 418. b
 Prædestinati remanent liberi ad bonè, vel malè agendum . ibidem .
 Præsumptio magna esset petere à Deo, ut nobis subiceret suam omnipotentiam . 80. b
 Prima causa libertatis nullam determinationem supponit . 93. a
 Principium illud: omne quod movetur ab alio movetur, explicatur . 206. b & seqq .
 Principium salutis in eo est ponendum, in quo ponitur determinatio ad bonum . 144. a
 Privatus Lambertianus à nonaginta Episcopis damnatus Romam appellavit . 481. a
 Propositio tertia Fansenii meritò proscripta à Summis Pontificibus . 23. a
 Propositio illa Tridentini liberum arbitrium motum &c. est modalis divisa . 64. a
 Omnis propositio modalis est necessaria, vel impossibilis . 352. b
 Propositio indefinita in materia doctrinali æquivalet universali . 382. b
 S. Prosper eleganter explicat modum, quo gratia homines convertit . 107. a
 Rogat D. Augustinum, ut sibi exponat, quomodo per præoperantem, & cooperantem gratiam non tollatur liberum arbitrium . 194. a
 Provincia Pentapolitana Dionysium Patriarcham prophanum dogmatis suspectum detulit S. Dionysio . 481. b
 Providentia ex D. Thoma est ipsa summa ratio in supremo omnium Principe constituta . 303. a
 Ad provisoriam universalem pertinet, quòd aliqua non assequantur finem . 328. a
 S. Prudentii Episcopi iudicium de doctrina Sancti Augustini . 5. b
 Pyrrhus ex Africa Romam venit . 496. a

Q

Quesnellus negat potestatem bonè operandi sine gratia efficaci . 23. b
 Fansenii vestigia sequutus est . 498. b
 Nullam agnovit sufficientem gratiam . 517. b
 Erravit negando gratiam resistibilem à voluntate . 521. b
 Quilibet obligatus præcepto divino habet sufficientes vires ad illud implendum . 212. a

R

Ramirez circa necessitatem orationis specialis sententia . 213. b
 Docet, actum supernaturalem per accidens esse donum Dei . 235. b
 Afferit, prædeterminationem non esse unicè ex ele-

RERUM NOTABILIUM.

electione Dei . 417. b
 Ratio non est formaliter libera . 15. a
 Ratram Monachi Corviensis de SS. PP. auctoritate sententia . 4. b
 Reginaldus pro gratia ab intrinseco efficaci ex mente Concilii observatio . 173. b
 Regula quinta præscripta Theologia professoribus in libro de rat. studior. S. J. 190. b
 Regula pro intelligentia propositionum modalium . 251. b
 Regimen Monarchicum optimum est inter omnia regimina . 470. b
 S. Remigius D. Augustinum, ejusque doctrinam laudat . 5. b
 Resistencia duplex, una formalis, altera materialis . 50. a

S

Sacramenta physice causant gratiam . 129. b
 Sanitas perfecta reservata est in Patriam . 171. a
 Sancti petunt adjutoria, quibus possunt liberari potentia consequenti . 174. b
 Schismatici sunt, juxta D. Thomam, qui iudicium Summi Pontificis subire recusant . 473. a
 Schola Thomistarum doctrinam de gratia ab intrinseco efficaci tanquam paternam hereditatem conservat . 451. a
 Scientia media consequitur ad determinationem nostræ voluntatis . 79. b
 Inventa fuit circa annum 1570. ut notant auctores, qui illam se invenisse gloriantur . 165. b
 Vel non fuit cognita à Patribus Concilii Tridentini, aut si cognita, tanquam inutilis rejecta . ibidem .
 Illam esse novam fatentur P. Suarez, & P. Fonseca . 451. a
 Scoti sententia circa efficaciam gratiæ . 199. a
 Scriptura Sacra docet, nos clamare ad Dominum, ut nos adjuvet, & operetur in nobis velle, & perficere . 80. b
 Sententiæ, quæ ab omnibus sequendæ præscribuntur in libro de ratione studiorum S. J. 417. b
 Semipelagianos admisisse necessitatem gratiæ interioris ad initium fidei plures ex antiquis Theologis affirmant . 159. b
 Semipelagiani admisserunt gratiam interiorem consistentem in sanctis cogitationibus . 161. a
 Semipelagiana hæresis in eo maxime consistebat, quòd negaret gratiæ adjuvanti prioritatem . 193. b
 Simon Magus primus omnium dogmatizavit, Deum esse causam peccati . 277. a
 Sol, & aliæ causæ universales non ideo tales dicuntur, quia sub eis omnia inferiora omnibus modis comprehendantur . 87. b
 Spiritus Sanctus, ut extrinsecè assistens, non est propriè gratia auxilians . 109. a
 S. Stephanus Papa Episcopus Legatos S. Cypriani admittere noluit . 495. b

P. Suarez fatetur, scientiam mediam traditam fuisse à Massiliensibus . 161. b
 Sufficiencia duplex est . 108. b
 Sufficiencia ad assensum fidei non est ex nobis, sed ex Deo . 109. b
 Sufficiencia completa agentis creati subordinari debet Deo in operando . 333. b
 Synodus Quinisexta erravit circa Cælibatum Sacerdotum, & Sabbati jejunium . 479. a

T

Tentationi subditur quicumque à Deo derelinquitur . 54. a
 Tertullianus doctrinam suam contra Marcionem antiquitate commendat . 452. a
 Theologi quidam falsè accusant Thomistas, quòd Aristotelem prætulissent Augustino . 251. a
 Theoremata propugnata in Collegio Romano S. J. anno 1589 . 355. b
 Thesis propugnata Duaci in Collegio Societatis anno 1725 . 354. a
 D. Thomas Augustinianæ doctrinæ custos fidelissimus . 7. a
 Libertatem nostram ex omnipotentia deducit . 90. b
 Docet, restè appositam fuisse in Symbolo particulam illam Filioque procedit, licet non inveniat expresse in Sacra Scriptura . 130. a
 Adjuvatorum gratiæ dividit cum Augustino in adjuvatorum quo, & sine quo . 148. a
 Thomistæ injustè increpantur, quòd nolint admittere definitionem illam liberi arbitrii, quod positus &c. 13. a
 Illorum doctrina quantum distet à dogmate Fansenii . 31. b & 35. b
 Thomistæ omnes admittunt actum imperii . 104. a
 Nullus asserit, Deum utendo sua absoluta potentia non posse convertere in bonum malas voluntates Angelorum . 249. b
 Propugnant, necessariam fuisse gratiam efficacem in statu innocentia . 256. b
 Thomistarum doctrina Augustini sententiæ conformis . 264. b
 Thomistæ omnes negant concursum moralem Dei ad actum pravum . 280. b
 Traditio necessaria est, ut nobis innotescat Scripturarum sensus . 431. b
 Traditio divina illa est, quam Christus proprio ore promulgavit, & per Apostolos suos omni creaturæ prædicari iussit . 452. b
 P. Tyrso omnipotentiam Dei voluntati creatæ subjectam agnoscit . 70. a
 Inutiliter, ac nimis liberè Thomistas admonet . 173. b

V

Verbum Divinum tenetur regere humanitatem assumptam . 251. a
 Verbum resistere essentialiter compositionem importat . 393. b
 Eiusdem verbi acceptio multiplex . 373. b
 Wi-

INDEX

<i>Wiclephus fons , & origo Lutherana Secta .</i>	<i>Voluntas creata non potest à Deo pramoveri ad malitiam .</i>
21. b	210. a
<i>Victoria carnis per efficacem gratiam habetur .</i>	<i>Determinatur verò ab illo ad entitatem actus peccati .</i>
474. b	ibidem .
<i>S. Vincentii Ferreri laus de D. Augustini doctrina præstantia .</i>	<i>Non potest sibi tribuere , quòd vocetur .</i>
6. a	250. b
<i>Vincentii Ludovici Card. Gotti circa diversitatem gratiarum in statu naturæ integræ , & lapsæ sententia .</i>	<i>Cum minima gratia potest resistere cuilibet tentationi .</i>
267. a	272. a
<i>Vincula gratiæ non destruunt libertatem , sed perficiunt .</i>	<i>Voluntas divina ab omni lege positiva est libera .</i>
399. a	327. a
<i>Vincula corporalia tollunt rationem voluntarii .</i>	<i>Voluntas in Deo duplex , una efficax , altera inefficax .</i>
ibidem .	338. a
<i>Violentum debet esse contra inclinationem tam elicitam , quàm innatam .</i>	<i>Voluntas salvandi omnes homines comprehendit etiam obduratos , & obcæcos .</i>
296.	342. b
<i>Beatissima Virgo non meruit per actus purè spontaneos .</i>	<i>Voluntas antecedens salvandi omnes homines se extendit etiam ad parvulos , sive in lucem editos , sive in materno utero morientes .</i>
24. b	343. b
<i>Beata Virgo caruit fomite peccati .</i>	<i>Cum voluntate antecedenti salvandi omnes homines , stat voluntas consequens non dandi gloriam reprobis .</i>
42. a	344. b
<i>Virtus potentiæ non diminuitur per applicationem ad actum .</i>	<i>Ex voluntate antecedenti salvandi omnes homines præparantur illis auxilia sufficientia .</i>
18. a	346. b
<i>Unio hypostatica in Christo Domino excludit libertatem peccandi .</i>	<i>Voluntas antecedens non est pura velleitas .</i>
400. b	347. b
<i>Voluntas de necessitate movetur ab universali bono .</i>	<i>Voluntati humana non imponitur necessitas sub motione gratiæ .</i>
10. a	364. a
<i>In suis actibus indiget ductu rationis .</i>	<i>Voluntas pluribus modis trahitur à Deo juxta D. Thomam .</i>
11. a	368. a
<i>Profluit ab anima mediante intellectu .</i>	<i>Voluntas creata ita agitur à Deo , ut ipsa etiam aliquid agat .</i>
15. a	412. b
<i>Voluntas Beatorum respectu ultimi finis est determinata quoad exercitium .</i>	<i>Voluntati prædeterminatæ ad nolitionem amoris est absolutè possibilis amor .</i>
15. b	427. b
<i>Voluntas divina determinatur à divino intellectu quoad specificationem .</i>	<i>Ufus gratiæ provenit ex ipsa gratia .</i>
17. a	148. a
<i>Voluntas , stante indifferentia judicii , non potest necessitari à Deo .</i>	<i>Vulnera ex peccato originali consecuta .</i>
19. a	253. b
<i>Voluntatem lapsam esse liberam à necessitate certum est de fide .</i>	
24. a	
<i>Voluntatem per gratiam necessitari ad bonum aperta est hæresis .</i>	
26. b	
<i>Voluntas Adæ est quodammodo propria posterorum .</i>	
28. b	
<i>Voluntas divina non potest resistere voluntati creatæ juxta auctores scientiæ mediæ .</i>	
72. a	
<i>Voluntas creata esset primum determinans , si ejus actio non reduceretur in aliquod prius determinans .</i>	
85. b	
<i>Non est causa principalis simpliciter .</i>	
96. b	
<i>Melius dicitur prædeterminari , quàm determinari à Deo .</i>	
128. b	
<i>Voluntas divina est actus purus .</i>	
208. a	

Z

<i>Zofimi Papæ ad Episcopos Africanos exhortatio .</i>	4. b
<i>Decretum , quod contra Cælestium edidit , Divino instinctu se efformasse profitetur .</i>	153. b
<i>Episcopos Africanos reprehendit .</i>	151. b
<i>Detecta Hæreticorum calliditate , in eos damnationis sententiam tulit .</i>	ibidem .
<i>Apianum ad se confugientem ad Synodum Africanam mittit cum litteris commendatiivis .</i>	481. b

FINIS.

INDEX ERRATORUM.

Insigniora sunt illa , quæ infra notantur ; alia autem leviora Lector facillè deprehendet , & pro sua benignitate emendabit .

ERRATA.	CORRIGE.	ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 1. intrinseo	intrinseco	Pag. 298. nos	nobis
26. Præceptoris	Præceptoris	313. consequentia	consequentiam
ibid. cum ergo (Dominus)	cum ergo (Dominus)	315. suadere	suaderi
44. sequitur ex hujus .	inquit	319. pacis	paci
45. ultro	sequitur ex hujus positione	323. quo	qua
69. 1579.	ultra	335. ei	eis
76. conjugibilem	1679.	336. primum	secundum
80. mediocri	conjugibiles	342. fidem	fidem
86. indigar	mediocris	353. in ea	in eo
94. cooperare	indigeat	355. Lovanensium	Duacensium
102. Authores	cooperari	373. fide	fide
105. odjectivè	Authores	378. quam	quem
130. fit	objectivè	416. cita	ista
132. faciat	fit	445. quæ	qua
151. & Dominus	faciant	446. inhærens	inhærentes
159. sentisse	& non Dominus	465. intelligere	intelligeret
ibid. antiquiores	sentisse	475. Hæreticos sceleratæ	Hæreticos , & sceleratæ
169. adversarii	antiquioris	ibid. Vniversitatis	Vniversitas
174. Adversarii	adversarii	484. Romanum	Romanam
176. illustrissimis	Adversarii	494. præsepe	persepe
224. arbitri	illustrissimus	ibid. plurimorum	plurimarum
ibid. à se ipso	arbitrii	ibid. faciendæ	faciendæ
225. exprobant	a se ipsa	520. ad ipsum	id ipsum
238. potest	exprobrant	523. irresistibilitati	irresistibilitatem
288. fingi	potes	526. deferere	deferere
289. nec	ingere	527. numerum	exemplorum
	nec		